IOAN. DUNS SCOTI

SUMMA THEOLOGICA

VEN. IOANNIS DUNS SCOTI

DOCTORIS SUBTILIS

ORDINIS FRATRUM MINORUM

SUMMA THEOLOGICA

EX UNIVERSIS OPERIBUS EIUS CONCINNATA, IUXTA ORDINEM ET DISPOSITIONEM SUMMAE ANGELICI DOCTORIS

S. THOMAE AQUINATIS

PER

Fr. HIERONYMUM DE MONTEFORTINO

PROVINCIAE ROMANAE ALUMNUM

NOVA EDITIO

TOMUS QUINTUS COMPLECTENS

TRACTATUS
- *De Verbi Dei Incarnatione.*
- *De Sacramentis in genere.*
- *De Baptismo.*
- *De Confirmatione.*
- *De Eucharistia.*

BENEDICTUS A BLANK

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA
(MATER AMABILIS)
Via S. Nicola da Tolentino, 4
1903.

BX
1749
T6
D8
v.5

G
Bg

APPROBATIONES.

FR. PETRUS PAULUS DE CIRIGNOLA

Strictioris Observantiae S. Patris Francisci Lector Emeritus ex Provincialis olim Procurator Generalis, et in hac Cismontana Reformatorum Familia V. Comm. Generalis, et Servus.

Dilecto nobis in Christo Rev. P. Fr. Hieronymo a Monte Fortino, Lectori Emerito Ordinis Script. ex Provinciali nostrae Almae Reformatae Provinciae Romanae

Salutem, et Seraphicam Benedictionem.

Cum iuxta Apostolicas nostrique Ordinis Constitutiones revisum, et approbatum fuerit Volumen quoddam a Te compositum, cuius Titulus est: *Tertiae partis Summae Theologicae Joannis Duns Scoti Doctoris Subtilis, concinnatae iuxta dispositionem, et ordinem Summae Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis.* Tomus Prior; tenore praesentium ad salutaris obedientiae meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus servatis servandis, illud Typis mandare possis, et valeas. Vale. Datum Romae, ex nostro Conventu S. Francisci a Ripas, die 28. Septembris 1737.

Fr. Petrus Paulus de Cirignola, V. Comm. Generalis.

Loco ✠ Sigillo.

De Mandato suae Pat. Reverendiss.
FR. FRANCISCUS ANTONIUS DE CIRIGNOLA,
Secretarius Generalis.

Ex commissione R.mi Patris Sac. Palatii Apostolici Magistri vidi librum, cui titulus: *Joannis Duns Scoti Doctoris Subtilis Summae Theologicae iuxta dispositionem, et ordinem Summae Angelici Doctoris S. Thomae, concinnatae Tertiae Partis, Tomus Prior et Posterior:* ab Admodum R. P. Hieronymo de Montefortino, Lectore Emerito Ordinis Minorum Provinciae Reformatae Romanae compositum: et quemadmodum in eo nihil reperi Fidei, aut bonis moribus dissonum, sic mirari licuit Auctoris ingenium, qui cum omnia trahat ab antiquis, meretur tamen placere de propriis, et tamquam Scriba doctus proferens de Thesauro suo nova et vetera, ita vetera apta dispositione concinnat, ut nova prorsus dicere videatur, ac inaudita plerisque: quamvis enim Subtilis Scoti doctrina solida sit ac profunda; non ita tamen erat omnibus obvia, ut datum esset cuilibet in eius libris eam dilucide, ac ordinate invenire. Unde infatigabili huiusce Auctoris studio illi nonnihil accessit, cum in singulare Scoti Decus et Praesidium ordinem contulerit et splendorem. Typis propterea mandandum censeo opus, quod litterariae Reipublicae valde profuturum confido.

Ex Collegio SS. Vincentii et Anastasii, Romae die 1. Decembris 1737.

LEO BERTOLOTTI, *Clericorum Regularium Minimorum Procurator Generalis, ac Sacrarum Congreg. Indicis et Rituum Consultor.*

Imprimatur:

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

NUNCIUS BACCARIUS, Episc. Boianen. Vicesg.

Imprimatur:

Fr. JOANNES BENEDICTUS ZUANELLI,
Ordinis Praed. Sacri Palatii Apostolici Magister.

1416

INDEX QUAEST. ET ART.

QUAESTIO FUNDAMENTALIS EXTRA ORDINEM.

DE POSSIBILITATE INCARNATIONIS.

ART. *pag.*

1. Utrum sit possibilis unio inter Personam Divinam et naturam creatam 1
2. Utrum ex parte Personae Divinae sit possibile humanam naturam esse sibi personaliter unitam. Articuli quatuor . 4, 6, 8, 10
3. Utrum repugnet naturae humanae dependere ad personam alienam, ut sustentantem ipsam. Articuli duo . . . . . 11 et 13
4. Utrum Personalitas creata consistat in positivo vel negativo. Articuli duo. . . . . 14 et 17
5. Incidit quaerere. Utrum unio naturae humanae ad Verbum exigat aliquam entitatem absolutam novam in ipsa tamquam proprium eius fundamentum . 19

QUAESTIO I.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS CHRISTI.

1. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari 21
2. Utrum necessarium fuerit ad reparationem generis humani Verbum Dei incarnari . . . 24

Articulus Incidens. An Christi satisfactio fuerit valoris infiniti . 26

3. Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset . . . 28
4. Utrum principalius sit incarnatus ad tollendum originale peccatum, quam actuale. . . 31
5. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi . . 33
6. Utrum incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi . 35

QUAESTIO II.

DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI QUOAD IPSAM UNIONEM.

ART. *pag.*

1. Utrum unio Verbi incarnati sit facta in natura. 36
2. Utrum unio Verbi incarnati sit facta in persona 38
3. Utrum unio Verbi incarnati sit facta in supposito vel hypostasi. 40
4. Utrum persona Christi post incarnationem sit composita . . 43
5. Utrum sit facta aliqua unio animae et corporis in Christo . 44
6. Utrum natura humana fuerit unita Verbo Dei accidentaliter. 46
7. Utrum unio Verbi Dei cum natura humana sit aliquid creatum 48
8. Utrum unio Verbi incarnati sit idem, quod assumptio . . . 50
9. Utrum unio duarum naturarum in Christo sit maxima unionum. 51
10. Utrum unio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam. 53
11. Utrum unionem Verbi incarnati aliqua merita praecesserint. 55
12. Utrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis . . . ib.

QUAESTIO III.

DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS.

1. Utrum Personae Divinae conveniat assumere naturam creatam 57

Articulus incidens. Utrum suppositum creatum possit sustentare hypostatice aliam naturam creatam 59

2. Utrum Divinae naturae conveniat assumere 61

ART. pag.
3. Utrum natura possit assumere abstracta personalitate . . . 62
4. Utrum una persona possit assumere sine alia 64
5. Utrum quaelibet Persona Divina potuerit naturam humanam assumere 65
6. Utrum plures Personae Divinae possint assumere unam numero naturam. Articuli duo. 67 et 68
7. Utrum una Persona Divina possit assumere duas naturas humanas 70
8. Utrum fuerit magis conveniens, quod Persona Filii assumeret humanam naturam, quam alia Persona Divina 72

QUAESTIO IV.

DE MODO UNIONIS EX PARTE NATURAE HUMANAE ASSUMPTAE.

1. Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis a Filio Dei, quam aliqua alia natura. . . 75
2. Utrum Filius Dei assumpserit personam 77
3. Utrum Persona Divina assumpserit hominem. 78
4. Utrum Filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus individuis. 79
5. Utrum conveniens fuerit ut Filius Dei assumeret naturam humanam ex omnibus individuis. 80
6 Utrum conveniens fuerit, ut Filius Dei assumeret naturam humanam ex stirpe Adam . . ib.

QUAESTIO V.

DE MODO UNIONIS EX PARTE PARTIUM HUMANAE NATURAE.

1. Utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus. . . . 81
2. Utrum Filius Dei debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem. . . . 83
3. Utrum Filius Dei assumpserit animam . . . . . ib.
4. Utrum Filius Dei assumere debuerit intellectum 84

QUAESTIO VI.

DE MODO ASSUMPTIONIS QUANTUM AD ORDINEM.

ART. pag.
1. Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima. . . 85
2. Utrum Filius Dei assumpserit animam mediante spiritu sive mente. 86
3. Utrum Anima Christi fuerit prius assumpta a Verbo, quam caro 87
4. Utrum caro Christi fuerit prius a Verbo assumpta quam animae unita 88
5. Utrum tota natura humana sit assumpta mediantibus partibus. 89
6. Utrum humana natura sit assumpta mediante gratia . . . ib.

QUAESTIO VII.

DE GRATIA CHRISTI, PROUT EST QUIDAM HOMO SINGULARIS.

1. Utrum in Anima Christi sit aliqua gratia habitualis 92
2. Utrum in Christo fuerint virtutes 94
3. Utrum in Christo fuerit fides . 96
4. Utrum in Christo fuerit spes . ib.
5. Utrum in Christo fuerint dona. 97
6. Utrum in Christo fuerit donum timoris. 98
7. Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae 100
8. Utrum in Christo fuerit prophetia. . . . . ib.
9. Utrum in Christo fuerit plenitudo gratiae 102
Articulus Incidens. Utrum possibile fuerit voluntatem Animae Christi habere summam fruitionem possibilem naturae creatae. 105
10. Utrum plenitudo gratiae sit propria Christi 107
11. Utrum gratia Christi sit infinita 108
12. Utrum gratia Christi potuerit augeri. 109
13. Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad unionem . 112

QUAESTIO VIII.

DE GRATIA CHRISTI SECUNDUM QUOD EST CAPUT ECCLESIAE.

ART. pag.
1. Utrum Christus sit caput Ecclesiae. 112
2. Utrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas. 115
3. Utrum Christus sit caput omnium hominum. 116
4. Utrum Christus sit caput Angelorum 118
5. Utrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiae, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum quod est quidam homo particularis 120
6. Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo 121
7. Utrum diabolus sit caput omnium malorum 123
8. Utrum Antichristus possit etiam dici caput omnium malorum 125

QUAESTIO IX.

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI.

1. Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam 125
2. Utrum Christus habuerit scientiam, quam habent Beati vel comprehensores. 127
3. Utrum Christus habuerit scientiam inditam vel infusam . . 128
4. Utrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam. Articuli duo . . . . . 130 et 132

QUAESTIO X.

DE SCIENTIA BEATA, QUAE PERTINET AD ANIMAM CHRISTI.

1. Utrum Anima Christi comprehenderit Verbum, sive Divinam Essentiam 134
2. Utrum Anima Christi in Verbo cognoverit omnia 136
3. Utrum Anima Christi in Verbo cognoverit infinita. 139
4. Utrum Anima Christi clarius videat Divinam Essentiam qualibet alia creatura. 141

QUAESTIO XI.

DE SCIENTIA INDITA VEL INFUSA ANIMAE CHRISTI.

ART. pag.
1. Utrum secundum scientiam inditam vel infusam Christus sciat omnia. 143
2. Utrum Christus hac scientia uti potuerit, non convertendo se ad phantasmata. 145
3. Utrum scientia infusa Christi fuerit collativa 147
4. Utrum haec scientia in Christo fuerit maior scientia Angelorum. 149
5. Utrum scientia infusa Christi fuerit habitualis. 151
6. Utrum haec scientia infusa fuerit distincta per diversos habitus 153

QUAESTIO XII.

DE SCIENTIA CHRISTI ANIMAE ACQUISITA.

1. Utrum Christus secundum hanc scientiam cognoverit omnia . . 156
2. Utrum Christus in hac scientia acquisita profecerit. 157
3. Utrum Christus aliquid ab homine didicerit 159
4. Utrum Christus aliquid acceperit ab Angelis 160

QUAESTIO XIII.

DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI.

1. Utrum Anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter . 162
2. Utrum Anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum . . . . ib.
3. Utrum Anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii Corporis 166
4. Utrum Anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis. . . . 167

QUAESTIO XIV.

DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS A FILIO DEI.

1. Utrum Filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus 168
2. Utrum Christus necessitatem

ART. pag.
his defectibus subiacendi assumpserit 170
3. Utrum Christus defectus corporales contraxerit. 172
4. Utrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit 173

QUAESTIO XV.

DE DEFECTIBUS ANIMAE A CHRISTO ASSUMPTIS.

1. Utrum in Christo fuerit peccatum. 174
Articulus Incidens. Utrum Christus potuerit peccare 176
Rursum Articulus Incidens. An Christus sit impeccabilis ratione unionis hypostaticae 177
2. Utrum in Christo fuerit fomes peccati 179
3. Utrum in Christo fuerit ignorantia. 181
4. Utrum Anima Christi fuerit possibilis. 182
5. Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis. 184
6. Utrum in Christo fuerit tristitia 186
Articulus Incidens. Utrum in Anima Christi fuerit tristitia secundum portionem superiorem. . 189
Rursum Articulus Incidens. Utrum Christus secundum portionem inferiorem absolute voluerit passionem 192
7. Utrum in Christo fuerit timor. 194
8. Utrum in Christo fuerit admiratio 196
9. Utrum in Christo fuerit ira . 197
10. Utrum Christus simul fuerit viator et comprehensor . . . 199

QUAESTIO XVI.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA, QUAE CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE ET FIERI.

1. Utrum haec sit vera, *Deus est homo* 201
2. Utrum haec sit vera, *homo est Deus* 203
3. Utrum Christus possit dici homo dominicus 204
4. Utrum ea quae conveniunt filio hominis possint praedicari de Filio Dei, et e converso . 205
5. Utrum ea quae conveniunt filio hominis possint praedicari de Divina natura, et de humana quae conveniunt Filio Dei . . 206
6. Utrum haec sit vera, *Deus factus est homo* 208
7. Utrum haec sit vera, *homo factus est Deus* 210
Articulus incidens. Quaenam istarum, *homo factus est Deus,* vel *Deus factus est homo,* sit magis propria et immediatior . . . 211
8. Utrum haec sit vera, Christus est creatura 212
Articulus Incidens. In quibus praedicatis fiat communicatio idiomatum in Christo. 214
9. Utrum haec sit vera, *iste homo* demonstrato Christo *incoepitesse.* 217
10. Utrum haec sit vera, *Christus secundum quod homo est creatura* 219
11. Utrum haec sit vera, *Christus secundum quod homo, est Deus.* 221
12. Utrum haec sit vera, Christus secundum quod homo est hypostasis vel persona. . . . . ib.

QUAESTIO XVII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE.

1. Utrum Christus sit unum, vel duo 222
2. Utrum in Christo sit tantum unum *esse* 224

QUAESTIO XVIII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM.

1. Utrum in Christo sint duae voluntates 226
2. Utrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis praeter voluntatem rationis 228
3. Utrum in Christo fuerint duae voluntates quantum ad rationem 230
4. Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium 231
5. Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito. . . 233

ART. pag.
6. Utrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum 235

QUAESTIO XIX.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM AD OPERATIONEM.

1. Utrum in Christo sit una tantum operatio divinitatis et humanitatis. 237
2. Utrum in Christo fuerint plures operationes humanae. . . . 238
3. Utrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria. . 239
Iterum Articulus III. 242
Rursus Articulus III. 244
4. Utrum Christus aliis mereri potuerit 245
Iterum Articulus IV. 246

QUAESTIO XX.

DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBIECTUS.

1. Utrum dicendum sit Christum esse subiectum Patri 248
2. Utrum Christus sit subiectus sibi ipsi 250

QUAESTIO XXI.

DE ORATIONE CHRISTI.

1. Utrum Christo competat orare. 251
2. Utrum Christo conveniat orare secundum suam sensualitatem. 252
3. Utrum fuerit conveniens Christum pro se orare. 253
4. Utrum oratio Christi semper fuerit exaudita . . . . . ib.

QUAESTIO XXII.

DE SACERDOTIO CHRISTI.

1. Utrum Christo conveniat esse Sacerdotem 255
2. Utrum Christus fuerit simul Sacerdos et hostia. 257
3. Utrum effectus Sacerdotii Christi sit expiatio peccatorum . . 258
4. Utrum effectus Sacerdotii Christi non solum ad alios pertinuerit, sed etiam ad ipsum 260
5. Utrum Sacerdotium Christi permaneat in aeternum 262

ART. pag.
6. Utrum Sacerdotium Christi fuerit secundum ordinem Melchisedech. 263

QUAESTIO XXIII.

DE ADOPTIONE CHRISTI.

1. Utrum Deo conveniat adoptare filios 264
2. Utrum adoptare conveniat toti Trinitati 266
3. Utrum adoptari sit proprium rationalis creaturae 267
4 Utrum Christus secundum quod homo sit Filius Dei adoptivus . 269

QUAESTIO XXIV.

DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI.

1. Utrum Christo conveniat praedestinatum esse. 271
2. An haec sit falsa, *Christus secundum quod homo est praedestinatus esse Filius Dei* . . . 273
3. Utrum praedestinatio Christi sit nostrae praedestinationis exemplar 274
4. Utrum praedestinatio Christi sit causa praedestinationis nostrae 276

QUAESTIO XXV.

DE ADORATIONE CHRISTI.

1. Utrum una et eadem adoratione sit adoranda divinitas Christi et eius humanitas. . . . 278
2. Utrum humanitas Christi adoranda sit adoratione *latriae*. . 281
Articulus Incidens. Quaenam adoratio debeatur Christo quatenus eius humanitas, qua fuit Redemptor, est ratio adorationis . 283
Rursum Articulus Incidens. An, et quando teneamur exhibere Deo cultum latriae 285
3. Utrum imago Christi sit adoranda adoratione latriae . . . 286
4. Utrum Crux Christi sit adoranda adoratione latriae . . . 287
5. Utrum B. Virgo sit adoranda adoratione latriae 288
6. Utrum Reliquiae Sanctorum sint adorandae 289

QUAESTIO XXVI.

DE EO, QUOD CHRISTUS MEDIATOR DEI ET HOMINUM DICITUR.

ART. pag.
1. Utrum esse mediatorem Dei, et hominum sit proprium Christo 290
2. Utrum Christus secundum quod homo sit mediator Dei, et hominum 291

QUAESTIO XXVII.

DE B. VIRGINIS MARIAE SANCTIFICATIONE.

1. Utrum B. Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero 294
2. Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem . . . 296
Iterum Articulus II 298
Articulus Incidens. Utrum Innocentia sit praestantius Dei beneficium, quam Poenitentia. . 300
3. Utrum per sanctificationem fuerit B. Virgini fomes totaliter sublatus 302
4. Utrum B. Virgo per huiusmodi sanctificationem consequuta fuit, ut numquam peccaret. . . . 304
5. Utrum B. Virgo per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem gratiarum . . . 306
6. Utrum sic sanctificari fuerit proprium Beatae Virgini. . . 309

DISSERTATIO THEOLOGICA.

Fueritne Beatissima semper Virgo Maria immunis a debito contrahendi peccatum originale? . . 310

QUAESTIO XXVIII.

DE VIRGINITATE B. MARIAE.

1. Utrum B. Maria fuerit virgo in concipiendo 323
2. Utrum Mater Dei fuerit virgo in partu 324
3. Utrum Mater Dei permanserit virgo post partum. 326
4. Utrum Mater Dei virginitatem voverit 327

QUAESTIO XXIX.

DE MATRIS DEI DESPONSATIONE.

ART. pag.
1. Utrum Christus nasci debuerit de virgine desponsata. . . . 328
2. Utrum inter Mariam et Ioseph fuerit verum Matrimonium . . 330

QUAESTIO XXX.

DE B. MARIAE VIRGINIS ANNUNCIATIONE.

1. Utrum conveniens fuerit ei annunciari quod in ea gerendum erat 332
2. Per quem erat hoc annunciandum . . . . . ib.
3. Per quem modum ei annunciari debebat . . . . . ib.
4. De ordine annunciationis . . ib.

QUAESTIO XXXI.

DE CONCEPTIONE SALVATORIS QUOAD MATERIAM DE QUO CORPUS EIUS CONCEPTUM EST.

1. Utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam 332
2. Utrum caro Christi fuerit sumpta de David 334
3. Utrum convenienter genealogia Christi ab Evangelista texatur. 335
4. Utrum decuerit Christum nasci de foemina . . . . . ib.
5. Utrum Corpus Christi de purissimis sanguinibus Virginis formatum fuerit 337
6. Utrum Corpus Christi in antiquis Patribus fuerit secundum aliquid signatum 339
7. Utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia . . . 340
8. Utrum Christus in lumbis Abrahae fuerit decimatus . . . 342

QUAESTIO XXXII.

DE CONCEPTIONE CHRISTI QUOAD ACTIVUM PRINCIPIUM.

1. Utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi 343
2. Utrum Christus debeat dici *conceptus de Spiritu Sancto*. . 345
3. Utrum Spiritus Sanctus dici

ART. pag.
debeat Pater Christi secundum carnem 346
4. Utrum B. Virgo aliquid active egerit in conceptione Corporis Christi 347
Iterum Articulus IV. 350
Rursum Articulus IV 352

QUAESTIO XXXIII.

DE MODO ET ORDINE CONCEPTIONIS CHRISTI.

1. Utrum Corpus Christi fuerit formatum in primo instanti suae conceptionis 354
2. Utrum Corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suae conceptionis 356
3. Utrum Corpus Christi in primo instanti suae conceptionis fuerit a Verbo assumptum . . 358
4. Utrum conceptio Christi fuerit naturalis, vel miraculosa . 359

QUAESTIO XXXIV.

DE PERFECTIONE PROLIS CONCEPTAE.

1. Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam. . . 361
2. Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis habuerit usum liberi arbitrii . . . 362
3. Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis mereri potuerit 364
4. Utrum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suae conceptionis . . . 366

QUAESTIO XXXV.

DE NATIVITATE CHRISTI.

1. Utrum Nativitas sit naturae, vel personae. 368
2. Utrum attribuenda sit Christo aliqua nativitas temporalis . . 369
3. Utrum secundum temporalem Christi Nativitatem B. Virgo possit dici Mater eius 371
4. Utrum B. Virgo debeat dici Mater Dei 372
5. Utrum in Christo sint duae filiationes. 374
Rursum Articulus V. 376

ART. pag.
Articulus Incidens. Utrum relatio filiationis temporalis in Christo sit eadem fundamento . . . 379
6. Utrum Christus fuerit natus sine dolore Matris. 380
7. Utrum Christus debuerit in Bethlehem nasci 381
8. Utrum Christus fuerit tempore congruo natus 383

QUAESTIO XXXVI.

DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI.

1. Utrum Nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta. 384
2. Utrum Nativitas Christi debuerit aliquibus manifestari. . 386
3. Utrum sint convenienter electi illi, quibus est Christi Nativitas manifestata. 387
4. Utrum Christus per seipsum Nativitatem suam manifestare debuerit . . . . . ib.
5. Utrum Nativitas Christi debuerit per Angelos et Stellam manifestari 388
6. Utrum Nativitas Christi ordine convenienti fuerit manifestata 389
7. Utrum Stella, quae Magis apparuit fuerit una de caelestibus Stellis . . . . . ib.
8. Utrum Magi convenienter ad Christum adorandum venerint. ib.

QUAESTIO XXXVII.

DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM IESUM OBSERVATIS.

1. Utrum Christus debuerit circumcidi 390
2. Utrum convenienter fuerit Christo nomen impositum . . 392
3. Utrum convenienter Christus fuerit in templo oblatus. . . 393
4. Utrum convenienter Mater Dei ad templum purganda accesserit 394

QUAESTIO XXXVIII.

DE BAPTISMO IOANNIS.

1. Utrum conveniens fuerit quod Ioannes baptizaret. 396
2. Utrum Baptismus Ioannis fuerit a Deo. 398

ART. pag.
3. Utrum in Baptismo Ioannis gratia daretur 399
4. Utrum alii praeter Christum Baptismo Ioannis baptizari debuerint 400
5. Utrum Baptismus Ioannis debuerit cessare Christo baptizato. 402
6. Utrum baptizati Baptismo Ioannis essent postea Baptismo Christi baptizandi 403

QUAESTIO XXXIX.

DE BAPTIZATIONE CHRISTI.

1. Utrum fuerit conveniens Christum baptizari 406
2. Utrum Christus Baptismo Ioannis debuerit baptizari . . . 407
3. Utrum Christus convenienti tempore fuerit baptizatus . . 408
4. Utrum Christus debuerit in Iordane baptizari 409
5. Utrum Christo baptizato Caeli debuerint aperiri . . . . . ib.
6. Utrum convenienter Spiritus Sanctus super Christum baptizatum descenderit in specie columbae 410
7. Utrum illa columba in qua apparuit Spiritus Sanctus fuerit verum animal 412
8. Utrum convenienter Christo baptizato fuerit vox Patris audita filium protestantis . . . 413

QUAESTIO XL.

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum inter homines conversari. 415
2. Utrum Christus austeram vitam in hoc mundo ducere debuerit 416
3. Utrum Christus in hoc mundo debuerit pauperem vitam ducere . . . . . ib.
4. Utrum Christus in hac vita secundum legem conversatus fuerit 417

QUAESTIO XLI.

DE TENTATIONE CHRISTI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum tentari. 419
2. Utrum Christum in deserto tentari debuerit. 419
3. Utrum Christi tentatio debuerit esse post ieiunium . . ib.
4. Utrum fuerit conveniens ordo et modus tentationis Christo . ib.

QUAESTIO XLII.

DE DOCTRINA CHRISTI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum Iudaeis, et non Gentibus praedicare 420
2. Utrum Christus debuerit Iudaeis sine eorum offensione praedicare 421
3. Utrum Christus omnia publice docere debuerit 422
4. Utrum Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere. ib.

QUAESTIO XLIII.

DE MIRACULIS A CHRISTO FACTIS IN GENERALI.

1. Utrum Christus debuerit facere miracula 422
2. Utrum Christus fecerit miracula virtute divina. 424
3. Utrum Christus incoeperit facere miracula in nuptiis. . . 426
4. Utrum miracula per Christum facta sufficienter eius divinitatem ostenderint . . . . . ib.

QUAESTIO XLIV.

DE SINGULIS MIRACULORUM SPECIEBUS.

1. De miraculis quae fecit circa spirituales substantias . . . 428
2. De miraculis quae fecit circa caelestia corpora . . . . . ib.
3. De miraculis quae fecit circa homines . . . . . ib.
4. De miraculis quae fecit circa creaturas irrationales . . . . ib.

QUAESTIO XLV.

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI.

1. Utrum fuerit conveniens Christum transfigurari 429
2. Utrum claritas Christi in transfiguratione fuit claritas gloriosa . . . . . ib.

ART. pag.
3. Utrum testes transfigurationis sufficienter fuerint inducti . . 430
4. Utrum convenienter auditum fuerit testimonium paternae vocis in Christi transfiguratione. ib.

QUAESTIO XLVI.

DE PASSIONE CHRISTI.

1. Utrum fuerit necessarium Christum pati pro liberatione humani generis. 431
2. Utrum fuerit possibilis alius modus liberationis humanae quam per passionem Christi. . 433
3. Utrum fuerit aliquis modus convenientior ad liberationem humani generis, quam per mortem Christi 435
4. Utrum conveniens fuerit, quod Christus in cruce pateretur. . 437
5. Utrum Christus omnes passiones sustinuerit 439
6. Utrum dolor Passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus. 440
7. Utrum Christus passus fuerit secundum totam animam. . . 443
8. Utrum tota Anima Christi in passione frueretur visione beata. 444
9. Utrum Christus fuerit convenienti tempore passus . . . 446
10. Utrum Christus fuerit convenienti loco passus. 448
11. Utrum conveniens fuerit Christum cum latronibus crucifigi . ib.
12. Utrum passio Christi sit eius divinitati tribuenda 449

QUAESTIO XLVII.

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI.

1. Utrum Christus fuerit ab alio occisus, an a seipso 450
2. Utrum Christus fuerit ex obedientia mortuus. 453
3. Utrum Deus Pater tradiderit Christum passioni 455
4. Utrum fuerit conveniens Christum pati a Gentibus. . . . 456
5. Utrum Christi persecutores eum cognoverint 458
6. Utrum peccatum occidentium Christum fuerit gravissimum. 460

QUAESTIO XLVIII.

DE MODO PASSIONIS CHRISTI QUANTUM AD EFFECTUM.

ART. pag.
1. Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti 462
2. Utrum passio Christi causaverit nostram salutem per modum satisfactionis 464
3. Utrum passio Christi operata sit per modum sacrificii. . . 466
4. Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum redemptionis 468
5. Utrum esse redemptorem sit proprium Christi 469
6. Utrum passio Christi operata sit nostram salutem per modum efficientiae 471

QUAESTIO XLIX.

DE EFFECTIBUS PASSIONIS CHRISTI.

1. Utrum per passionem Christi simus liberati a peccato. . . 473
2 Utrum per passionem Christi simus liberati a potestate diaboli 475
3. Utrum per passionem Christi homines sint liberati a poena peccati 477
4. Utrum per passionem Christi simus Deo reconciliati. . . . 479
5. Utrum Christus sua passione aperuit nobis ianuam Caeli. . 480
6. Utrum Christus per suam passionem meruerit exaltari. . . 482

QUAESTIO L.

DE MORTE CHRISTI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum mori 484
2. Utrum per mortem fuerit separata divinitas a carne. . . 486
3. Utrum in morte Christi fuerit facta separatio divinitatis ab anima 488
4. Utrum Christus in triduo mortis fuerit homo. 490
Rursum Articulus IV . . . 492
Tertio idem Articulus. . . . 495
5. Utrum fuerit idem numero Corpus Christi viventis et mortui 496

ART. pag.
6. Utrum mors Christi aliquid operata sit ad nostram salutem. 498

QUAESTIO LI.

DE SEPULTURA CHRISTI.

1. Utrum conveniens fuerit Christum sepeliri 499
2. Utrum convenienti modo Christus fuerit sepultus. 500
3. Utrum Corpus Christi in sepulchro incineratum fuit. . . ib.
Articulus Incidens. Utrum putrefactio Corporis Christi impedita fuerit antiquo, vel novo miraculo 502
4. Utrum Christus fuerit in sepulchro solum una die et duabus noctibus. 504

QUAESTIO LII.

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

1. Utrum fuerit conveniens Christum ad inferos descendere. . 505
2. In quem infernum descenderit. ib.
3. Utrum totus fuerit in inferno. ib.
4. Utrum aliquam moram ibi traxerit 506
5. Utrum Sanctos Patres ab inferno liberaverit . . . . . ib.
6. Utrum damnatos ab inferno liberaverit . . . . . ib.
7. Utrum liberaverit pueros in peccato originali defunctos . . ib.
8. Utrum liberaverit homines de Purgatorio . . . . . ib.

QUAESTIO LIII.

DE RESURRECTIONE CHRISTI.

1. Utrum fuerit necessarium Christum resurgere 507
2. Utrum fuerit conveniens Christum tertia die resurgere. . . 509
3. Utrum Christus primo resurrexerit. 510
4. Utrum Christus fuerit causa suae resurrectionis. . . . . ib.

QUAESTIO LIV.

DE QUALITATE CHRISTI RESURGENTIS.

1. Utrum Christus post resurrectionem habuerit verum Corpus. 512

ART. pag.
2. Utrum Christi Corpus resurrexerit integrum 513
3. Utrum Christi Corpus resurrexerit gloriosum 515
4. Utrum Christi Corpus debuerit cum cicatricibus resurgere . . 517

QUAESTIO LV.

DE MANIFESTATIONE RESURRECTIONIS.

1. Utrum resurrectio Christi debuerit omnibus manifestari, an quibusdam specialibus personis. 519
2. Utrum fuerit conveniens, quod Discipuli viderent Christum resurgere 521
3. Utrum Christus post resurrectionem debuerit cum Discipulis conversari 522
4. Utrum Christus debuerit Discipulis in alia effigie apparere. 523
5. Utrum Christus veritatem resurrectionis debuerit argumentis declarare. 524
6. Utrum argumenta quae Christus induxit sufficienter manifestaverint resurrectionem eius. 526

QUAESTIO LVI.

DE RESURRECTIONIS CHRISTI CAUSALITATE.

1. Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis corporum. 528
2. Utrum resurrectio Christi sit causa resurrectionis animarum. 530

QUAESTIO LVII.

DE ASCENSIONE CHRISTI.

1. Utrum fuerit conveniens Christum ascendere. 533
2. Utrum conveniebat Christo ascendere in Caelum secundum naturam divinam 534
3. Utrum Christus ascenderit propria virtute . . . . . ib.
4. Utrum Christus ascenderit super omnes Caelos. 535
5. Utrum Christus ascenderit super omnem creaturam spiritualem . . . . . ib.
6. Utrum ascensio Christi sit causa nostrae salutis 537

QUAESTIO LVIII.

DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM PATRIS.

ART. pag.
1. Utrum Christo conveniat sedere ad dexteram Dei Patris . 538
2. Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo secundum quod Deus . . . . . ib.
3. Utrum sedere ad dexteram Patris conveniat Christo secundum quod homo 539
4. Utrum sedere ad dexteram Patris sit proprium Christi. . ib.

QUAESTIO LIX.

DE IUDICIARIA POTESTATE CHRISTI.

1. Utrum iudiciaria potestas sit specialiter Christo attribuenda . 540
2. Utrum iudiciaria potestas conveniat Christo secundum quod homo 541
3. Utrum Christus ex meritis adeptus sit iudiciariam potestatem 544
4. Utrum Christo conveniat iudiciaria potestas quantum ad omnes res humanas 545
5. Utrum post iudicium quod agitur in praesenti tempore restet aliud iudicium 546
6. Utrum iudiciaria potestas Christi se extendat ad Angelos. 547

QUAESTIO LX.

DE SACRAMEMTIS, QUID SIT SACRAMENTUM.

1. Utrum Sacramentum sit in genere signi. 549
Iterum Articulus I 551
2. Utrum omne signum rei sacrae sit Sacramentum. . . . 553
3. Utrum Sacramentum sit signum unius rei tantum . . . 555
4. Utrum Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis. . . 556
5. Utrum requirantur determinatae res ad Sacramenta. . . 558
6. Utrum in significatione Sacramentorum requirantur verba. 560
7. Utrum requirantur determinata verba in Sacramentis . . 561
8. Utrum liceat aliquid addere verbis in quibus consistit forma Sacramentorum 563
Iterum Articulus VIII 565
Tertio Articulus VIII 567

QUAESTIO LXI.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM.

1. Utrum Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem. . 568
2. Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria Sacramenta 570
3. Utrum post peccatum ante Christum Sacramenta debuerint esse 571
4. Utrum post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta. . 574

QUAESTIO LXII.

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST GRATIA.

1. Utrum Sacramenta sint causa gratiae 576
Iterum Articulus I 579
2. Utrum gratia Sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum 581
3. Utrum Sacramenta novae legis contineant gratiam 583
4. Utrum in Sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa. . 584
Iterum Articulus IV 586
5. Utrum Sacramenta novae legis habeant virtutem ex passione Christi 588
6. Utrum Sacramenta veteris legis gratiam causarent 590

QUAESTIO LXIII.

DE EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER.

1. Utrum Sacramentum imprimat aliquem characterem in anima. 592
Iterum Articulus I 595
2. Utrum character sit spiritualis potestas 598
Iterum Articulus II 601
Articulus incidens. Quodnam sit fundamentum proximum characteris si ipse sit realis relatio. 603
Iterum Articulus incid. Quae-

*

ART. pag.
nam species qualitatis sit character? 604
3. Utrum character sacramentalis sit character Christi 607
4. Utrum character sit in potentiis animae sicuti in subiecto. 608
5. Utrum character insit animae indelebiliter 610
6. Utrum per omnia Sacramenta novae legis imprimatur character 611

QUAESTIO LXIV.

DE CAUSA SACRAMENTORUM.

1. Utrum solus Deus operetur interius ad effectum Sacramentorum. 613
2. Utrum Sacramenta sint solum ex institutione divina. . . . 615
3. Utrum Christus secundum quod homo habuerit potestatem operandi interiorem effectum Sacramentorum 617
4. Utrum Christus potestatem suam quam habuit in Sacramentis potuerit ministris communicare. 618
5. Utrum per malos ministros Sacramenta conferri possint. . 620
6. Utrum mali ministrantes Sacramenta peccent 622
Iterum Articulus VI 624
Articulus incidens. - Utrum suscipientes Sacramenta a malis ministris peccent 626
7. Utrum Angeli possint Sacramenta ministrare 628
8. Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramentorum 630
Articulus incidens. Utrum in ministro Sacramentorum requiratur intentio actualis 632
9. Utrum fides ministri sit de necessitate Sacramenti 634
10. Utrum intentio recta ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti 636

QUAESTIO LXV.

DE NUMERO ET MODO SACRAMENTORUM.

1. Utrum debeant esse septem Sacramenta Ecclesiae. . . . 637
ART. pag.
2. Utrum Sacramenta convenienter ordinentur secundum modum praedictum 639
3. Utrum Sacramentum Eucharistiae sit potissimum inter Sacramenta 641
4. Utrum omnia Sacramenta sint de necessitate salutis. . . . 643

QUAESTIO LXVI.

DE PERTINENTIBUS AD SACRAMENTUM BAPTISMI.

1. Utrum Baptismus sit ipsa ablutio 644
2. Utrum Baptismus fuerit institutus post Christi Passionem. 647
Articulus incidens Utrum institutio Baptismi evacuaverit Circumcisionem. 649
3. Utrum aqua sit propria materia Baptismi 651
4. Utrum ad Baptisma requiratur aqua simplex 653
5. Utrum haec sit conveniens forma Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* 655
Articulus incidens. Utrum oporteat baptizantem esse personaliter distinctum a baptizato. 657
6. Utrum in nomine Christi possit dari Baptismus. 658
7. Utrum immersio in aqua sit de necessitate Baptismi . . . 660
8. Utrum trina immersio sit de necessitate Baptismi . . . . ib.
Articulus incidens. - Utrum aliquis debeat ministrare Sacramentum Baptismi, quando praesumitur vergere in periculum illius, cui ministratur. . . . 661
9. Utrum Baptismus possit iterari 662
Articulus incidens. Quaenam sit poena iterantium Baptisma . 664
10. Utrum ritus quo Ecclesia in baptizando utitur sit conveniens. 666
11. Utrum convenienter describantur tria Baptismata . . . 667
12. Utrum Baptismus sanguinis sit potissimus inter alia Baptismata 669

QUAESTIO LXVII.

DE MINISTRIS PER QUOS TRADITUR BAPTISMI SACRAMENTUM.

ART. pag.
1. Utrum ad officium Diaconi pertineat baptizare 671
2. Utrum baptizare pertineat ad officium Presbyterorum . . . 672
3. Utrum laicus possit baptizare. 673
4. Utrum mulier possit baptizare. 675
5. Utrum non baptizatus possit Sacramentum Baptismi conferre. 676
6. Utrum plures possint simul unum baptizare. 678
Iterum Articulus VI 680
Articulus incidens. Utrum unus minister plures possit simul baptizare 682
Iterum Articulus incidens. Utrum oporteat simul esse ablutionem et prolationem verborum . . 684
7. Utrum in Baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de Sacro Fonte. 686
8. Utrum ille qui aliquem levat de Sacro Fonte teneatur ad eius instructionem 687

QUAESTIO LXVIII.

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

1. Utrum omnes teneantur ad susceptionem Baptismi . . . 688
Iterum Articulus I 690
2. Utrum sine Baptismo possit aliquis salvari 691
3. Utrum Baptismus sit differendus 693
4. Utrum peccatores sint baptizandi . . . . . ib.
5. Utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria 695
6. Utrum peccatores ad Baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri 696
7. Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi Sacramentum Baptismi 699
8. Utrum fides requiratur ex parte baptizati 701
9. Utrum pueri sint baptizandi. 702
10. Utrum pueri Iudaeorum, vel aliorum infidelium, sint invitis parentibus baptizandi. . . . 704
ART. pag.
11. Utrum pueri in maternis uteris positi sint baptizandi . . 706
12. Utrum furiosi et amentes debeant baptizari. 708
Articulus incidens. Utrum adultus rationis compos, nec consentiens possit recipere effectum Baptismi 710

QUAESTIO LXIX.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

1. Utrum per Baptismum tollantur omnia peccata. 713
2. Utrum per Baptismum liberetur homo ab omni reatu peccati 715
3. Utrum per Baptismum debeant auferri poenalitates praesentis vitae 716
4. Utrum per Baptismum conferantur homini gratia et virtutes. 717
5. Utrum convenienter attribuantur Baptismo quidam actus. . 719
6. Utrum pueri in Baptismo consequantur gratiam et virtutes. 720
7. Utrum effectus Baptismi sit aperitio ianuae regni caelestis. 722
8. Utrum Baptismus habeat in omnibus aequalem effectum. . 723
9. Utrum fictio impediat effectum Baptismi 726
10. Utrum fictione recedente Baptismus suum effectum consequatur. 727

QUAESTIO LXX.

DE CIRCUMCISIONE, QUAE PRAECESSIT BAPTISMUM.

1. Utrum Circumcisio fuerit praeparatoria et figurativa Baptismi. 731
2. Utrum Circumcisio fuerit convenienter instituta. 733
3. Utrum ritus Circumcisionis fuerit conveniens 734
4. Utrum Circumcisio continebat gratiam iustificantem 736

QUAESTIO LXXI.

DE PRAEPARATORIIS QUAE SIMUL CONCURRUNT CUM BAPTISMO.

1. Utrum Catechismus debeat praecedere Baptismum . . . 738

ART. pag.
2. Utrum Baptismum debeat praecedere Exorcismus. 738
3. Utrum ea quae aguntur in Catechismo et Exorcismo aliquid efficiant, vel solum significent. ib.
4. Utrum baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per Sacerdotes . . . . . ib.

QUAESTIO LXXII.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

1. Utrum Confirmatio sit Sacramentum 739
2. Utrum Chrisma sit materia conveniens huius Sacramenti. 741
3. Utrum sit de necessitate huius Sacramenti, quod Chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum 742
4. Utrum haec sit conveniens forma huius Sacramenti, *Consigno te signo Crucis*. . . . 743
5. Utrum Sacramentum Confirmationis imprimat characterem. 745
Articulus incidens. Utrum Sacramentum Confirmationis possit iterari, et quaenam sit poena iterantium 746
6. Utrum character Confirmationis praesupponat characterem Baptismi 747
7. Utrum per Sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens 749
8. Utrum hoc Sacramentum sit omnibus exhibendum. . . . 750
9. Utrum hoc Sacramentum sit conferendum hominibus in fronte. 751
10. Utrum ille qui confirmatur debeat teneri ab alio. . . . 752
11. Utrum solus Episcopus hoc Sacramentum conferre possit. ib.
Articulus incidens. Utrum Sacramentum Confirmationis sit dignius Baptismo 754
12. Utrum ritus huius Sacramenti sit conveniens 755

QUAESTIO LXXIII.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE SECUNDUM SE.

1. Utrum Eucharistia sit Sacramentum 756
2. Utrum hoc Sacramentum sit unum vel plura 759
3. Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis. 760
4. Utrum convenienter hoc Sacramentum pluribus nominibus nominetur 762
5. Utrum institutio huius Sacramenti fuerit conveniens . . . 763
Articulus incidens. Utrum existentia Sacramentalis Corporis Christi in Eucharistia essentialiter a naturali dependeat, vel illam necessario inferat?. 765
6. Utrum Agnus Paschalis fuerit praecipua figura huius Sacramenti 769

QUAESTIO LXXIV.

DE MATERIA EUCHARISTIAE QUANTUM AD SPECIEM.

1. Utrum materia huius Sacramenti sit panis et vinum . . 770
2. Utrum requiratur determinata quantitas panis et vini ad materiam huius Sacramenti. . . 772
3. Utrum requiratur ad materiam huius Sacramenti quod sit panis triticeus 774
4. Utrum hoc Sacramentum debeat confici in pane azymo. . 776
5. Utrum vinum vitis sit propria materia huius Sacramenti . . 778
6. Utrum aqua sit vino permiscenda 779
7. Utrum permixtio aquae sit de necessitate Sacramenti . . . 781
8. Utrum aqua debeat in magna quantitate apponi 783

QUAESTIO LXXV.

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI.

1. Utrum in hoc Sacramento sit Corpus Christi secundum veritatem 785
Articulus incidens. Quomodo possibile sit Corpus Christi simul in Caelo et in Sacramento secundum veritatem reperiri 790
Articulus incidens. Utrum possibile sit idem Corpus simul

ART. pag.
in diversis locis quantitative reperiri 793
2. Utrum in hoc Sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem 802
Rursum Articulus II 807
3. Utrum substantia panis et vini post consecrationem huius Sacramenti annihiletur 811
Iterum Articulus III. . . . 819
4. Utrum panis possit converti in Corpus Christi. 822
Articulus Incidens. Utrum quodlibet possit converti in quodlibet 825
5. Utrum in hoc Sacramento remaneant accidentia panis et vini post conversionem 829
6. Utrum facta consecratione remaneat in hoc Sacramento forma substantialis panis . . . 833
7. Utrum ista conversio fiat in instanti 834
8. Utrum haec sit falsa: *Ex pane fit Corpus Christi*. 836

QUAESTIO LXXVI.

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO.

1. Utrum totus Christus contineatur sub hoc Sacramento . 838
2. Utrum totus Christus contineatur sub utraque specie huius Sacramenti 840
3. Utrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis et vini 841
4. Utrum tota quantitas dimensiva Corporis Christi sit in hoc Sacramento 845
5. Utrum Corpus Christi sit in hoc Sacramento sicut in loco . 848
6. Utrum Corpus Christi sit mobiliter in hoc Sacramento . . 849
7. Utrum Corpus Christi prout est in hoc Sacramento possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato 854
Iterum Articulus VII 857
Articulus Incidens. Utrum quaecumque actio immanens, quae est in Christo naturaliter existente, insit sibi in Eucharistia sacramentaliter existenti. . . 863
8. Utrum quando in hoc Sacramento apparet miraculose caro vel puer sit ibi vere Corpus Christi 866

QUAESTIO LXXVII.

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC SACRAMENTO.

1. Utrum accidentia remaneant sine subiecto in hoc Sacramento 867
2. Utrum in hoc Sacramento quantitas dimensiva panis vel vini sit aliorum accidentium subiectum 873
3. Utrum species quae remanent in hoc Sacramento possint immutare aliquid extrinsecum. . 878
Articulus Incidens. Utrum accidentia seu separata seu coniuncta sint principium productivum substantiae 882
Iterum Articulus Incidens. Utrum accidentia alterantia producant gradum qualitatis incompossibilem formae corrumpendae 887
4. Utrum species sacramentales possint corrumpi 890
Iterum Articulus IV 893
Articulus Incidens. Utrum in rarefactione vel in parte vel in toto acquiratur nova quantitas 896
5. Utrum ex speciebus sacramentalibus aliquid possit generari. 902
6. Utrum species sacramentales possint nutrire. . . . . .
7. Utrum species sacramentales frangantur in hoc Sacramento. 907 ib.
8. Utrum aliquis liquor possit vino consecrato commisceri . 908
Iterum Articulus VIII 910

QUAESTIO LXXVIII.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

1. Utrum haec sit forma huius Sacramenti, *Hoc est Corpus meum*, et, *Hic est calix Sanguinis mei* 913
Articulus Incidens. Utrum formam Sacramenti Eucharistiae pronunciet Sacerdos recitative, seu materialiter tantum, vel potius significative, et formaliter. 916
2. Utrum haec sit conveniens

ART. pag.
forma consecrationis panis, *Hoc est Corpus meum* 917
3. Utrum haec sit conveniens forma consecrationis vini, *Hic est calix Sanguinis mei.* . . 919
4. Utrum praedictis verbis formarum insit aliqua vis creata effectiva consecrationis . . . 924
5. Utrum praedictae locqutiones sint verae 927
6. Utrum forma consecrationis panis consequatur suum effectum antequam perficiatur forma consecrationis vini . . . 933

QUAESTIO LXXIX.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIAE.

1. Utrum per hoc Sacramentum conferatur gratia 934
2. Utrum effectus huius Sacramenti sit adeptio gloriae . . 937
3. Utrum effectus huius Sacramenti sit remissio peccati mortalis 939
4. Utrum per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia . 941
5. Utrum per hoc Sacramentum tota poena peccati remittatur . 942
6. Utrum per hoc Sacramentum praeservetur homo a peccatis futuris 944
7. Utrum hoc Sacramentum prosit aliis quam sumentibus . . . 946
Articulus Incidens. An Sacerdos possit pro libito distribuere bonum debitum virtute Sacrificii, sic ut illud specialiter reddatur cui ipse specialiter applicat. . 949
Iterum Articulus Incidens. An Sacerdos solvat debitum simul dicendo Missam pro pluribus, quibus obligatur 951
Rursum Articulus Incidens. Utrum in aliquo casu speciali celebrans Missam satisfaciat pluribus obligationibus 953
8. Utrum per veniale peccatum impediatur effectus huius Sacramenti 956

QUAESTIO LXXX.

DE USU SEU SUMPTIONE HUIUS SACRAMENTI IN COMMUNI.

1. Utrum distingui debeant duo modi manducandi Corpus Christi 957
2. Utrum solius hominis sit hoc Sacramentum spiritualiter sumere 959
3. Utrum solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare 960
4. Utrum peccator sumens Corpus Christi sacramentaliter peccet . 961
5. Utrum accedere ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati sit gravissimum omnium peccatorum 964
6. Utrum Sacerdos debeat denegare Corpus Christi peccatori petenti 965
7. Utrum nocturna pollutio aliquem impediat a sumptione huius Sacramenti 967
8. Utrum cibus vel potus praesumptus impediat sumptionem huius Sacramenti 969
9. Utrum non habentes usum rationis debeant suscipere hoc Sacramentum 970
10. Utrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere. . . . 972
11. Utrum liceat omnino a Communione cessare 974
12. Utrum liceat sumere Corpus Christi sine Sanguine . . . 975

QUAESTIO LXXXI.

DE MODO QUO CHRISTUS USUS EST HOC SACRAMENTO.

1. Utrum Christus sumpserit suum Corpus et Sanguinem . 978
2. Utrum Christus dederit Iudae Corpus suum 980
3. Utrum Christus sumpserit et Discipulis dederit Corpus suum impassibile 981
4. Utrum si hoc Sacramentum tempore mortis Christi fuisset servatum, vel consecratum, ibi moreretur 983
Articulus Incidens. Utrum Cristus in Eucharistia possit per aliquam virtutem naturalem transmutare aliquid aliud a se 984
Rursum Articulus Incidens. Utrum Corpus Christi fuisset corruptum concomitanter in Eu-

ART. pag.
charistia, si in triduo mortis esset corruptum in existentia naturali 986

QUAESTIO LXXXII.

DE MINISTRO HUIUS SACRAMENTI.

1. Utrum consecratio huius Sacramenti sit propria Sacerdotis 989
2. Utrum plures Sacerdotes possint unam et eamdem hostiam consecrare 991
3. Utrum dispensatio huius Sacramenti pertineat solum ad Sacerdotem 993
4. Utrum consecrans teneatur sumere hoc Sacramentum . . 995
5. Utrum malus Sacerdos Eucharistiam consecrare possit . . 998
6. Utrum Missa mali Sacerdotis minus valeat quam Missa boni Sacerdotis 999
7. Utrum Haeretici, Schismatici, et Excommunicati possint consecrare 1002
8. Utrum Sacerdos degradatus possit Sacramentum conficere 1004
Articulus Incidens. Quaenam sit poena ministri non rite et ordinate celebrantis 1005
9. Utrum liceat ab Excommunicatis vel Haereticis seu peccatoribus Communionem recipere, et eorum Missam audire . 1007
10. Utrum liceat Sacerdoti omnino a consecratione Eucharistiae abstinere 1010

QUAESTIO LXXXIII.

DE RITU HUIUS SACRAMENTI.

1. Utrum in hoc Sacramento Christus immoletur 1012
2. Utrum convenienter sit determinatum tempus celebrationis 1013
3. Utrum oporteat hoc Sacramentum celebrari in domo, et in vasis sacris 1015
Articulus Incidens. Quaenam sit poena celebrantium sine praedictis conditionibus loci, vasorum, et indumentorum . 1018
4. Utrum convenienter ordinentur ea, quae circa hoc Sacramentum dicuntur 1019
5. Utrum ea, quae in celebratione huius Sacramenti aguntur sint convenientia . . . . . ib.
6. Utrum possit sufficienter occurri defectibus circa celebrationem huius Sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiae observando . . . . . ib.

QUAEST. FUNDAMENTALIS EXTRA ORDINEM.

DE POSSIBILITATE INCARNATIONIS.

Quoniam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 2. n. 8.] ordo doctrinae exigit, ut quaestioni, *quid est,* praeponatur quaestio, *si est,* non intelligendo *si est* de actuali existentia; alioquin demonstratio, cuius medium est definitio, non posset haberi de non existente, cuius oppositum vult Philosoph., 1. *Post.,* text. c. 20. sed intelligendo *si est,* cui non repugnat *esse* in effectu; tractationi de ineffabili Incarnationis mysterio praemittendum esse censeo et declarandum, nullam in eo involvi repugnantiam, quo et nihil impossibile nos credere ostendatur, et humanis rationibus adversus hoc excellentissimum et ineffabile arcanum insurgentes possint et redargui et refelli, eoque demum adduci, ut persuasum habeant, apparentes, sophisticas, et a veritate alienissimas esse eorum argumentationes.

Circa igitur Incarnationis possibilitatem quaeruntur quinque.

1. Utrum sit possibilis unio inter Personam Divinam et naturam creatam. - 2. Utrum ex parte Personae Divinae sit possibile humanam naturam esse sibi personaliter unitam. - 3. Utrum repugnet naturae humanae dependere ad personam alienam, ut sustentantem ipsam. - 4. Utrum personalitas creata consistat in positivo, vel negativo. - 5. Denique incidit quaerere, utrum unio naturae humanae ad Verbum exigat aliquam entitatem absolutam novam in ipsa, tamquam proprium fundamentum eius.

ARTICULUS I.

UTRUM SIT POSSIBILIS UNIO INTER PERSONAM DIVINAM ET NATURAM CREATAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *Report. ib.* — *Quodl. q.* 19.
S. Thom. 3. *d.* 1. *q.* 1. *a.* 1.

VIDETUR, non esse possibilis unio inter Personam Divinam et naturam creatam. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 1.] per hanc unionem dependeret natura creata a Persona Divina, alioquin non intelligeretur unita illi: sed omnis dependentia alicuius ad alterum, vel est causati ad causam, vel causati posterioris ad causatum prius; ergo cum natura creata non possit dependere ab una Persona Divina dependentia causati ad causam, quia tali dependentia ex aequo dependet a tribus Personis Divinis; nec

dependere ab una Persona ut causatum posterius ad causatum prius; quia nulla divina Persona potest esse causata; ergo nequit ullo modo ab illa dependere, eique uniri.

2. PRAETEREA. [*Report.*3.d.1.q.2.n.1.] Persona Divina est actus purus, nihil potentialitatis habens admixtum; igitur nihil potest sibi uniri, ac subinde impossibilis est unio inter Personam divinam et naturam humanam. *Probatur consequentia:* nam cui aliquid unitur, illud prius oportet esse in potentia ad unionem, et exinde fieri in actu per ipsam; ergo cum in Divinis nihil fiat in actu per aliquid additum, omnino repugnare videtur unio inter Personam divinam et naturam humanam.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 7.] Si eiusmodi unio foret possibilis, profecto ea, inter quae versaretur, vel per se, vel per accidens essent unita. Si per se, igitur unum oporteret esse actum alterius: est autem impossibile, intelligere seu naturam humanam esse actum respectu Verbi, seu Verbum actuare per se humanam naturam; tunc enim Persona Divina haberet rationem partis respectu tertii coalescentis ex duobus per se unitis. Si vero dicantur ea duo uniri per accidens; igitur Christus esset unum per accidens, ac proinde non apparet, qua ratione homini conveniant Dei praedicata, et e converso.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 1. — *Report.* ib. q. 1. n. 1.] Ioan., 1. *Verbum caro factum est;* ubi caro pro *homine* sumitur.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 3. — *Report.* ib. n. 2. — *Quodlib.* q. 19. n. 2.-3.] naturam aliquam uniri Personae Divinae, aliud non esse, quam ipsam propria personalitate carentem subsistere subsistentia eius personae, cui sic unita intelligitur: huiusmodi ergo subsistere subsistentia alterius personae non dicit aliquod absolutum, quia quocumque absoluto intellecto, non intelligitur naturam esse alienae subsistentiae unitam, qua subsistat; igitur involvit essentialiter unionem, propter quam natura recipit effectum formalem subsistentiae illius personae cui unitur, et in qua subsistit: ea autem unio non est praecise relatio rationis, quia sicuti natura realiter subsistit subsistentia aliena, ita ad illam dicit realem relationem. Etsi interim in Divina Persona non possit esse ad naturam in se personatam nisi respectus rationis. Neque illa unio potest esse relatio communis aequiparantiae, qualis est similitudo, qua extrema aequaliter a se invicem dependent; nam etsi natura creata dependeat a Persona Divina, haec tamen nullam dicit, nec praeseferre potest dependentiam ad naturam creatam. Natura igitur creata subsistens in Persona Divina necessario involvit respectum unionis realis ad illam, quae est relatio disquiparantiae realis in ipsa natura, cui in Persona correspondet nullus respectus realis, sed dumtaxat rationis. Est itaque ordo inter ista extrema posterioris ad prius, scilicet naturae ad personam cui unitur, et subinde huius ad illam dependentia. Et quia possibilitas haec non potest declarari, nisi ex fide, a qua didicimus Verbum dumtaxat assumpsisse naturam humanam; ex eo manifeste infertur eam dependentiam non esse causati ad causam, quia tali dependentia natura humana dependet a tribus, et non tantum ab una Persona. Sequitur etiam, rationem formalem terminandi istam dependentiam non esse quid commune tribus Personis, quia tunc dependeret a tribus; ac proinde eius unionis et dependentiae terminum formalem, alium non fore, nisi entitatem formalem Personae Verbi, quae est ita propria sibi, ut alteri Personae nequeat competere. Quemadmo-

dum igitur entitas personalis propria Verbi est alterius rationis ab entitate naturae divinae, quae est communis tribus, ita dependentia ista naturae creatae ad Personam Divinam est alterius omnino rationis ab omni dependentia causati ad causam, quae necessario respicit naturam communem tribus, cui est propria virtus causandi omne causabile. Et quamvis [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 3.] difficile admodum sit invenire aliam dependentiam similem huic, fortasse nihilominus haud absimilis est inter accidens et subiectum. Accidens enim ad subiectum duplicem habet habitudinem: alteram quidem informantis ad informatum, et haec necessario includit imperfectionem potentialitatis, et partis; alteram vero habet, ut posterius naturaliter, ad prius a quo dependet, non quidem ut a causa, quia subiectum est causa materialis eius sub priori habitudine involvente imperfectionem, sed posterior illa habitudo nullam imperfectionem formalem ponit in ipso, sed tantum naturalem prioritatem, et rationem sustentificantis ad accidens sustentificatum. Et huic simillima est dependentia naturae creatae ad Personam divinam, quae citra omnem imperfectionem dat subsistentiam naturae creatae carenti propria personalitate et subsistentia, et ideo est dependens ad alienam personalitatem, qua subsistit, perinde ac si propriam personalitatem haberet.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 20.] iam declaratum esse, qualiter *minor* est falsa; etenim haec dependentia, qua natura creata dependet ad Personam Divinam, est alterius omnino rationis ab omni dependentia causati ad causam, vel causati posterioris ad causatum prius, quia Verbum non est causatum; nec per hoc quod natura subsistat in aliena personalitate causatur, quia non est dependens ad alienam personam ut habet quidditatem, seu vim causandi, sed inquantum est ens subsistens.

Ad secundum respondeo, [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 11.] potentiae logicae non oportere semper correspondere potentiam realem in utroque extremo, sed satis esse in uno. Nam cum dicitur: Deus potuit condidisse mundum prius quam fecerit; non est ulla potentia realis ex parte mundi creabilis, sed tantum logica, idest revera non repugnabat fieri ex parte sui, si Deus voluisset, in quo est potentia realis creandi omne possibile logicum. Ita pariter hic in humana natura est potentia realis fundandi unionem hypostaticam ad Verbum, sed ex parte Verbi non correspondet nisi potentia logica, seu non repugnantia ad terminandam eam unionem.

Ad tertium concedo, neutrum extremorum esse actum per se alterius, cuius actus reliquum sit per se potentia. — *Et cum dicitur;* ergo si Christus est unum per accidens nequit ibi esse idiomatum communicatio; *respondeo,* si homo assumptus esset personalitate propria subsistens, utique non posset recipere praedicationem eorum, quae sunt Personae Divinae, nec e converso; nunc autem [*Oxon.* 3. d. 6. q. 3. n. 2.— d. 7. q. 1. n. 7. seqq.] quia Verbi Persona subsistit in duabus naturis, in una, a qua habet primum *esse,* in alia quasi adventitia, qua habet secundum *esse;* quemadmodum si Sortes diceretur subsistere in humanitate et albedine, recte praedicata unius dicerentur de altera, quia in utrisque una eademque persona subsistit; caeterum quoniam humanitas est extra rationem Deitatis, logice loquendo Christus diceretur unum per accidens, licet non bene sonet; hinc, nec unio illa appellatur accidentalis, sed substantialis a Damasceno, lib. 3. *cap.* 3. Sed de hoc infra, *q.* 2. *tertiae part. art.* 6.

ARTICULUS II.

UTRUM EX PARTE PERSONAE DIVINAE SIT POSSIBILE HUMANAM NATURAM ESSE SIBI PERSONALITER UNITAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *S. Thom. loc. cit. art. anteced.*

VIDETUR, repugnare Personae Divinae uniri naturae creatae in personae unitate. Etenim [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 1. — *Report.* ib. q. 2. n. 1.] Persona Divina est actus infinitus: sed actus infinitus non est alteri componibilis, nec ei potest fieri aliqua additio; quia tunc sibi deesset id, quod additur, ac proinde non foret infinitus; igitur Persona Divina non potest esse unita naturae creatae, cum qua faciat unum, sitque una Persona ex duabus naturis, quarum una sit ei propria, altera vero addita.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Quodlib.* q. 5. n. 4.] Inter extrema quae uniuntur debet esse aliqua proportio, alioquin si absque ulla proportione dicerentur uniri, omnia quomodolibet possent uniri, et esse unum: sed finiti ad infinitum nulla est proportio, cum unum excedatur ab alio ultra omnem proportionem datam et dandam; igitur ex parte Personae Divinae, qua infinita, est repugnantia ad unionem cum natura creata.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Contraria non possunt esse simul, ob eorum repugnantiam, secundum Philosoph., 4. *Metaph.*, cap. 19. et seqq. Natura creata et increata plus repugnant sibi invicem, quam contraria; contraria enim sunt in eodem genere, non autem natura creata et increata, quae in nullo est genere.

4. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 19. n. 16.] Ad relativum ut relativum non dependet aliud a suo correlativo; igitur ad Verbum ut Verbum non potest dependere per unionem personalem aliqua natura creata, quia solus Pater est Filii correlativum extremum.

CONTRA. [*Quodlib.* ib. n. 2.] Ioann., 1. *Verbum caro factum est;* igitur nulla fuit repugnantia, quin Verbum uniret sibi in unitate personae naturam humanam.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 4.] nullam esse repugnantiam ratione Personae Divinae ad personalem unionem cum natura humana. *Probatur:* si enim Personae Divinae repugnaret naturam humanam assumere, aut terminare ejus dependentiam, certe id esset, aut inquantum est Persona Divina, aut inquantum est talis Persona: sed ex neutro capite hoc ei repugnat; ergo, etc. *Probatio minoris:* quod non sit repugnantia ulla quatenus Persona Divina est; quia Personam Divinam terminare hanc dependentiam, seu naturam humanam subsistere personalitate Personae Divinae, non infert aliquam compositionem, nec potentialitatem, nec limitationem in illa; ad terminandam enim hanc dependentiam praecise opus est, ut ipsum terminans sit in se independens, ad hoc nempe ut communicet naturae indigenti subsistentiam personalem, qua caret. Caeterum non requiritur, nec cogimur intelligere hic aliquam potentialitatem nec limitationem, non est enim necesse tale independens esse subiectum finitum, imo si sit actus purus infinitus erit magis independens. Nec denique opus est esse dependens; quia non oportet terminans huius-

modi dependentiam vicissim ab eo dependere, cui esse independens communicat, non enim requiritur, ut fundet realem relationem ad naturam dependentem, sed tantummodo et praecise, ut terminet dependentiam naturae assumptae. Igitur Personae Divinae, qua divina est, non repugnat assumere naturam creatam.

Sed nec aliquam repugnantiam involvit inquantum est haec Persona [*Oxon.* ib.] ea enim praesertim esset, quia una assumit et terminat, caeteris non assumentibus et terminantibus; nam etsi terminare respectum causalitatis creaturarum sit ita commune tribus, ut nequeat omnibus ex aequo non competere, sicuti tribus est una eademque vis creativa et causativa omnium effectuum ad extra; tamen respectus iste dependentiae ad personam est alterius rationis ab omni respectu consequente quidditatem; ergo potest esse sic proprius uni Personae Divinae, ut caeteris non competat; omnis enim entitas personalis independens potest terminare istam dependentiam: sed entitas propria cuiuscumque Personae, etiam ut distinguitur ab alia, est independens; ergo independenter ab aliis Personis quaelibet seorsim potest terminare dependentiam naturae creatae.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 16.] *concedo,* infinitum non esse alteri componibile tamquam partem eius, quia totum est parte perfectius, ac infinito nihil potest esse perfectius; sed exinde non sequi: ergo non est unibile alteri naturae; esse enim sic unibile non est ipsum esse componibile ut partem, sed est terminare dependentiam alterius a se, quod nullam praesefert imperfectionem, ut fuit declaratum. — *Et cum dicitur:* igitur infinito fieret additio; *respondeo,* infinitum non habere in se quod cumque ens formaliter, sed virtualiter, vel eminenter, et in hac linea continentiae virtualis et eminentialis fatendum est, nihil posse infinito addi; sed tamen eo modo, quo Verbum non habet in se formaliter naturam humanam, potest sibi addi, ut scilicet sit sibi in unitate Personae unita; at ut continetur natura humana in Verbo virtualiter et eminenter, nec sibi addi, nec dependere ad ipsum, quia ut sic contenta non habet entitatem dependentem.

Ad secundum [*Oxon.* ib. — *Report.* q. 2. n. 12.] *concedo,* inter finitum et infinitum non esse proportionem quantitativam, quae nimirum inter duas versatur quantitates; sed tamen ultra hanc est alia proportio, quae non dicit commensurationem, nec similitudinem, imo magis dissimilitudinem, sicuti est proportio activi ad passivum, vel actus ad potentiam: haec autem potentia quatenus talis proportionis extremum est in natura creata; potest igitur uniri personaliter Divino supposito; non constat enim, nec probari potest, ipsam naturam ea potentia carere, et subinde est inter ipsum finitum et infinitum sufficiens proportio.

Ad tertium dico, [*Oxon.* ib.] contraria non ex eo quod diversa sunt, idest, in nullo convenientia, esse incompossibilia, alioquin enim diversa genere, ac minus convenientia, ut superficies et albedo essent magis incompossibilia, quod est manifeste falsum; sunt igitur contraria incompossibilia, quia in ipsis est repugnantia, licet in multis conveniant. Quamvis itaque natura humana et Divina sint magis diversa quam contraria, non tamen magis repugnantia, ut extitit declaratum.

Ad ultimum respondeo [*Quodlib.* q. 19. n. 16.], naturam assumptam non dependere ad Verbum tamquam Patris correlativum, sed veluti suppositum incommunicabiliter subsistens, hac enim ratione terminat de-

pendentiam humanae naturae sibi unitae, non autem ut est correlativum alterius Personae.

ITERUM ARTICULUS II.

UTRUM EX PARTE PERSONAE DIVINAE SIT POSSIBILE HUMANAM NATURAM ESSE SIBI PERSONALITER UNITAM.

Doctor, Quodlib. 19. — *S. Thom.* 3. *d.* 1. *art.* 1.

VIDETUR ex parte Personae Divinae id esse omnino impossibile. Unio enim [*Quodlib.* q. 19. n. 16.] realis, qualis esset inter humanam naturam et Personam Divinam, est ad terminum realem; ergo quae sunt simpliciter idem in re, sunt idem in terminando talem unionem: proprietas autem personalis et Essentia divina sunt idem in re; igitur ex aequo proprietas et essentia eam unionem terminarent, et consequenter non posset humana natura esse uni Personae unita, quin simul omnibus uniretur, sicuti omnibus est eadem Essentia communis.

2. PRAETEREA. [*Quodlib.* ib. n. 5.] Si possibile foret ex parte Divinae Personae sibi hypostatice uniri naturam creatam, maxime quia ipsa est suppositum independens, et ideo potest habere rationem termini respectu dependentis naturae: sed si hac ratione ostenderetur possibilitas ex parte Personae Divinae, pariter quaelibet particularis independentia valeret terminare oppositam dependentiam; sicuti enim se habet *simpliciter* ad *simpliciter*, ita *secundum quid* ad *secundum quid* in eodem ordine: sed hoc est plane falsum; ergo pariter ex ratione independentiae non probatur possibilitas Incarnationis ex parte Personae Divinae. *Probatur minor:* multipliciter, et primo in substantia: omnis enim substantia est independens dependentia accidentis ad subiectum: sed non quaelibet substantia potest terminare dependentiam cuiuscumque accidentis ad subiectum; etenim lapis nequit terminare dependentiam sapientiae. — *Praeterea,* probatur de dependentia totius ad partes. Nam complura sunt, quibus repugnat dependere eiusmodi dependentia, non tamen possunt terminare talem dependentiam, quemadmodum est quodcumque simplex, quod non est totum, nec pars. — *Praeterea,* ostenditur de dependentia causati ad causam: Angelus enim est independens a quocumque causato, ut a causa, nec tamen potest terminare dependentiam cuiuscumque causati. — *Apparet demum* falsitas illius suppositi in eadem proprietate personali Divinae Personae: ipsa enim cum sit omnino independens, posset ex hoc terminare omnem dependentiam creaturae ad Deum, ut causati ad causam secundum omnem rationem causalitatis, quod est manifeste falsum, quia id inest Divinae Personae ratione Essentiae, et non virtute personalis proprietatis.

3. PRAETEREA. [*Quodlib.* ib.] Ad hoc ut aliquid subsistens terminet alterius dependentiam, satis non est ipsum esse independens, sed requiritur ulterius ipsum habere prioritatem, vel primitatem essentialem respectu eius, quod dicitur dependere ad ipsum: sed entitas hypostatica vel personalis non praecedit creaturam hac prioritate, quia illa est praecise inter essentias; ergo quamvis Verbum sit subsistens independens, non tamen videtur posse terminare dependentiam naturae creatae sub ratione Personae Divinae.

CONTRA. [*Quodlib.* ib. n. 2.] Ioann., 1. *Verbum caro factum est;* igitur non est ex parte eius aliqua repugnantia quin terminet istam dependentiam.

RESPONDEO dicendum, [*Quodlib.* ib. n. 4] non esse aliquam repugnantiam ex parte Personae Divinae ad terminandam dependentiam naturae humanae; et declaratur sic: si esset aliqua ratio repugnantiae in Persona Divina ad terminandam istam dependentiam naturae humanae, aut ea esset et oriretur ex ratione subsistentis, sive personae in se, aut ex eo quod illud subsistens est Persona Divina, aut denique ex eo, quia est haec Persona, quae nimirum sola ponitur terminare dependentiam: sed propter nullum istorum repugnat isti Personae; igitur, etc. *Probatio minoris:* nam independenti non repugnat terminare dependentiam, habenti enim propriam independentiam, non repugnat sibi esse proprium et formalem terminum dependentiae: sed Verbum divinum, quantum ad entitatem suam, etiam ut est haec Persona, est independens independentia sibi propria; igitur nullo ex praedictis modis repugnat sibi terminare dependentiam. *Probatio minoris:* cui formaliter repugnat omnis imperfectio, ei formaliter repugnat omnis dependentia. *Probatio:* nam dependentia vel est formaliter imperfectio, vel omnino habet necessario imperfectionem annexam. Sed Filio ratione proprietatis hypostaticae vel personalis repugnat formaliter omnis imperfectio, ita quod ista proprietas est ipsi Filio formaliter ratio repugnantiae; nihil enim ponitur in Divinis ex natura rei, quin sibi praecisissime considerato repugnet quaecumque imperfectio; ergo est ex se illa proprietas independens, et per consequens potest terminare naturae creatae dependentiam.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Quodlib.* ib. n. 16.] concludere contra eos, qui arbitrantur essentiam et proprietates personales esse formaliter idem; sed nos ponimus inter eas distinctionem formalem, quae sufficit ad hoc, ut proprietas personalis terminet dependentiam naturae creatae, et Essentia non terminet formaliter.

AD SECUNDUM dico, [*Quodlib.* ib. n. 7. seqq.] non esse nec oriri ex ratione independentiae, ipsam non posse terminare oppositam dependentiam, sed id contingere ob aliquod independentiae annexum, ut puta ob limitationem, vel aliquod simile; sed hoc non accidere independenti, de quo loquimur. Hinc substantia creata non potest terminare dependentiam accidentis sibi non convenientis, quia ipsa est limitata. At Divina substantia quamvis nequeat esse susceptiva alicuius accidentis, tamen potest terminare aliquam dependentiam ista priorem, scilicet alicuius causati prioris ipso accidente, atque ita mediate terminat dependentiam ipsius accidentis. — Et per hoc respondeo *ad secundum;* [*Quodlib.* ib. n. 8.] quia etsi simplex non possit terminare dependentiam totius ad partes, potest tamen terminare dependentiam priorem quam sit illa totius ad partes. — *Et si quaeras,* quam dependentiam terminet Angelus respectu ignis, qui dependet a partibus suis? *Respondeo,* illam dependentiam, quae est minus nobilis ad magis nobile in ordine essentiali naturarum. — Per idem *ad tertium:* quia Angelus terminat dependentiam cuiuscumque naturae inferioris, et hoc mediate, vel immediate; illam quidem, quae est secundum ordinem essentialem, et ipsa est quodammodo prior dependentia illa, quae est effectus a causa efficiente; imo haec videtur omnino prima; et potest assignari communiter convenire cuilibet inde-

pendenti respectu cuius est independens. — *Ad quartam* probationem dico: [*Quodlib.* ib. n. 8. et 10.] quamquam concludatur ex ratione independentis simpliciter ipsum posse aliquam dependentiam terminare, non oportet tamen eadem ratione posse quamlibet dependentiam pariter terminare, quia illam quae requirit in termino perfectionem simpliciter, uti est dependentia causati ad causam, non terminat, quia non est perfectio simpliciter; est tamen simpliciter independens, quia ipsi repugnat omnis imperfectio, non enim oportet, ad hoc ut alicui repugnet omnis imperfectio, ipsum esse perfectionem simpliciter, vel perfectum; ex hoc enim quod aliquid potest esse idem simpliciter perfecto, ipsi repugnat omnis imperfectio, quamvis formaliter non sit perfectio simpliciter.

Ad ultimum respondeo: [*Quodlib.* q. 19. n. 9.] licet dependentia causati ad causam requirat in termino prioritatem essentialem, qualis est inter quidditates, haec tamen, de qua loquimur, dumtaxat exigit prioritatem per se in termino, quo sensu entitas personalis in Deo est prior quocumque causato.

RURSUM ARTICULUS II.

UTRUM EX PARTE PERSONAE DIVINAE SIT POSSIBILE NATURAM HUMANAM ESSE SIBI PERSONALITER UNITAM.

Doctor, Quodlib q. 19 — *S. Thom.* 3. *d.* 1. *q.* 1. *a.* 1.

Videtur, ex parte Personae Divinae non esse possibile humanam naturam sibi hypostatice uniri. Nam [*Quodlib.* q. 19. n. 12.] si posset natura creata dependere ad suppositum Divinum, esset dependentia similis illi, qua accidens dependet ad suppositum alterius naturae, seu ad suppositum extrinsecum: sed talis non potest esse comparando naturam creatam supposito Divino; ergo videtur id impossibile. *Probatio minoris;* suppositum Divinum non potest informari aliqua natura creata, sicuti suppositum substantiae creatae informatur accidente, quod suppositatur in ipso modo sibi convenienti, ut in supposito extrinseco.

2. Praeterea. [*Quodlib.* q. 19. n. 12.] Dependentia accidentis est per se ad singularem substantiam, non autem ad suppositum, ut suppositum, idest, quantum ad illud, quod suppositum addit ultra rationem singularis, illud enim non videtur esse, nisi negatio: negatio autem non est ratio terminandi aliquam positivam dependentiam.

Contra. [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 4.] Articulus fidei est, Verbum de Spiritu Sancto conceptum esse, ac natum ex Maria Virgine hominem passibilem; ergo nulla erat repugnantia quin Persona Divina naturam humanam assumeret.

Respondeo dicendum, possibile esse Personam Divinam terminare dependentiam naturae humanae ad se, taliter ut sit ei personaliter unita; quae possibilitas ulterius declaratur sic: [*Quodlib.* q. 19. n. 11.] in entibus est aliqua dependentia naturae communicabilis, inquantum communicabilis, ad suppositum, cui ipsa natura communicatur; ergo in illa dependentia est status ad incommunicabile, ut terminans talem dependentiam; cum enim suppositum sit per se incommunicabile, dependentia naturae ut communicabilis ad suppositum erit per se ad incommunicabile. Sed

Persona Divina est verissime incommunicabilis, imo sola incommunicabilis per aliquid positivum, ut dicetur inferius; ergo nulla erit repugnantia ex parte sui terminare dependentiam naturae ut incommunicabilis, tamquam suppositum eius, non per se, vel intrinsecum, sed tantum extrinsecum, idest suppositum per se alterius naturae. *Assumptum declaratur:* quia aliqua natura, ut substantialis, habet proprium per se suppositum, et ibi est identitas realis naturae et suppositi, nec est dependentia naturae ad aliquid extrinsecum, ut ad suppositum. At natura accidentis, ob sui imperfectionem, non potest habere per se suppositum, nec intrinsece terminari, ideo ad suppositum extrinsecum terminatur, tamquam ad suum suppositum, et hoc per accidens; quia suppositum per se habere non potest, nec valet esse idem illi, sed tantum est unio inter ea, quae est actualis dependentia accidentis, et ex parte suppositi actualis sustentatio ipsius. Cum ergo nequeat habere suppositum per se, habet per accidens, idest terminatur in supposito suae naturae extrinseco, nec faciente cum ipsa unum per se, sed tantum per accidens.

Ad Argumenta. Ad primum [*Quodlib.* q. 19. n. 12-13.] concessa *maiori,* negatur *minor.*—*Et cum probatur,* dico Verbum in ista unione, non se habere per modum subiecti, quod ab accidente informatur; nam ut declaratum est supra *art.* 1. accidens dicit duplicem habitudinem ad substantiam: alteram scilicet informantis ad informatum, alteram vero dependentis posterioris ad independens prius. Et priorem quidem nequit habere ulla natura respectu Verbi: secunda vero potest esse in ipso, quia haec non requirit in Verbo, nisi per se prioritatem, independentiam et incommunicabilitatem, quam habet Persona Divina respectu cuiuscumque naturae creatae. Ex quo intelligitur illud commune dictum, *Deus est, respectu cuius omnis creata substantia est quasi accidens:* quia licet substantia creata respectu cuiuscumque non possit habere habitudinem accidentis, quatenus accidens est ens secundum quid, cum semper substantia sit simpliciter ens, et per se subsistens; nihilominus habitudinem naturae communicabilis extrinsece et posterioris potest habere respectu Personae Divinae, quam habitudinem habet quaecumque natura accidentis respectu suppositi substantiae.

Ad secundum dico: [*Quodlib.* q. 19. n. 13-14.] substantia singularis, est incommunicabilis ut *quod;* at ipsi sic intellectae non repugnat communicari ut *quo,* seu ut forma; quo pacto Essentia communicatur proprio supposito. At quia suppositum non potest esse alteri ratio essendi, ipsum est incommunicabile utroque modo, scilicet, ut *quo,* et ut *quod.* Dependentia igitur accidentis videtur habere ultimum statum, ut terminata ad simpliciter incommunicabile; ad substantiam enim singularem non potest esse ultimate terminata, cum substantia singularis sit ratio essendi supposito cui communicatur; igitur ad ipsum accidens ultimate dependet, quippe quod ultimate eius dependentiam terminet.—*Et cum arguitur,* quoniam ratio suppositi ultra substantiam singularem non addit nisi negationem; dico adhuc in hac suppositione oportere ipsum esse ultimum terminum dependentiae, quia prius convenit substantiae singulari habere eam negationem, quam terminare dependentiam accidentis, sicut prius convenit, hominem esse rationalem, quam esse album; quia negatio illa statim sequitur affirmationem, quae includitur in ratione hominis, etiamsi numquam tale accidens ei inesset.— *Et cum dicitur,* negatio non est ratio

terminandi; *respondeo,* ultimate terminare dicit duo: nimirum ipsum terminare, et quod nihil ulterius terminet. Ratio igitur terminandi est aliquod positivum; sed quod terminatio illa sit ultimata, a negatione communicabilitatis ulterioris est; si enim esset ulterius communicabile, tunc demum terminaret eam dependentiam illud, cui ipsa communicaretur.

QUARTO ARTICULUS II.

UTRUM EX PARTE PERSONAE DIVINAE SIT POSSIBILE HUMANAM NATURAM ESSE SIBI PERSONALITER UNITAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *Quodlib. q.* 19.
S. Thom. 3. *sent. d.* 1. *q.* 1. *a.* 1.

VIDETUR aliquibus id non esse impossibile, primo ex hoc [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 4. — *Quodlib.* q. 19. n. 15.] quia Persona Divina continet virtualiter et eminenter perfectionem cuiuscumque suppositi causati; igitur potest supplere et gerere vicem cuiuscumque suppositi creati in sustentando illam naturam, quam posset suppositum creatum sustentare.

Ista ratione non concluditur propositum, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 4. — *Quodlib.* q. 19. n. 15.] quia licet Persona Divina ratione Essentiae contineat virtualiter quamcumque entitatem creatam, tamen non videtur virtualiter continere ratione proprietatis personalis aliquam entitatem creatam, quia eadem ratione contineret quamlibet aliam, etiam non personalem, atque ita proprietas personalis esset formaliter infinita, cuius oppositum alibi ostensum fuit. — *Praeterea* [*Quodlib.* q. 19. n. 15.] si proprietas personalis contineret virtualiter omnes entitates creatas, videretur ipsam esse posse rationem formalem creandi creaturas: hoc autem est falsum; quia vis creativa est una indivisa, competens ex aequo tribus Personis, et non multiplicatur in ipsis secundum personales proprietates. — *Praeterea* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 4.] ita perfecta continentia est in Essentia Divina respectu naturae creatae, sicuti in Persona Divina respectu personae creatae, imo quoad aliquid magis, quia Essentia est absolute infinita in genere entis, quo pacto non inesset infinitas proprietati personali, si infinita esset. Sed ipsa Divina Essentia ex sui perfectione nequit esse formaliter essentia alicuius personae creatae contentae virtualiter in ipsa; igitur multo minus Persona illa poterit supplere vicem personalitatis creatae ex continentia virtuali huius in illa.

Ideo aliter ostenditur ea possibilitas ab aliis sic: [*Quodlib.* q. 19. n. 15.] quaelibet natura creata est in potentia obedientiali respectu Personae Divinae; igitur Persona Divina potest sustentare quamcumque naturam creatam terminando ad se eius dependentiam. Sed haec ratio videtur deficere, quia potentia obedientialis creaturae respicit Omnipotentiam Creatoris: omnipotentia autem est communis tribus Personis; igitur sustentatio, per quam Filius virtute omnipotentiae sustentat naturam creatam, est communis tribus. Atqui Filius ita terminat dependentiam naturae humanae sibi unitae hypostatice, ut nulla alia Divina Persona eam dependentiam sustentet; igitur per hoc quod natura est in potentia obedientiali ad Personam Divinam, non concluditur Verbum posse hypostatice sustentare naturam creatam, sed tantum id efficere valere causaliter

vel effective, virtute potentiae activae infinitae omnibus Divinis Personis communis. Ideo media accepta ex independentia et incommunicabilitate probabilius videntur declarare propositum, nullam scilicet ex parte Personae Divinae hoc mysterium involvere impossibilitatem.

ARTICULUS III.

UTRUM REPUGNET NATURAE HUMANAE DEPENDERE AD PERSONAM ALIENAM, UT SUSTENTANTEM IPSAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *Quodlib q.* 19.
S. Thom. 3. *sent. d.* 1. *q.* 1. *a.* 1.

VIDETUR, repugnare naturae humanae dependere ad alienam personam, ut sustentantem ipsam. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 1.] eadem natura humana est *haec* per se existens, et personata personalitate creata: sed natura non potest assumi, nisi ut *haec* per se existens; igitur nec est assumptibilis nisi personata personalitate propria: sed dum est in se personata nequit assumi a Persona increata; igitur natura humana est inassumptibilis. Probatio *primae* proposit. Siquidem per se existens in natura intellectuali est persona. Probatio *secundae* proposit. Nam non est assumptibilis nisi sit actu existens, et hoc existentia propria: sed existentia propria naturae, quae est substantia, est per se existentia; per se autem existentia est ipsa personalitas.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 1.] Sicuti se habet natura creata ad singularitatem, ita natura singularis intellectualis videtur se habere ad personalitatem: sed natura creata est singularis, ut nequeat manere eadem sine singularitate; igitur nec natura intellectualis singularis potest manere eadem sine sua personalitate, ac proinde impossibile est ad extrinsecam personam assumi propria carentem personalitate.

3. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 19. n. 21.] Natura substantialis non est nata dare supposito, nisi *esse* simpliciter, ac proinde non praesupponit *esse* simpliciter: sed natura dependens ad suppositum alienum praesupponit in eo *esse* simpliciter, quia esse naturae propriae; ergo substantialis natura nequit dependere ad suppositum alienum. *Probatio maioris:* nam natura substantialis est entitas *simpliciter,* sicuti accidentalis est entitas *secundum quid,* et qualis est aliqua entitas in se, tale esse tribuit; sicut igitur natura accidentalis tribuit tantum esse secundum quid, et ideo praesupponit ens simpliciter, ita natura substantialis dat esse simpliciter, et ideo tale esse praesupponere non potest.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 1. q. 1. n. 1.] Ioann., 1. *Verbum caro factum est.* Nomine autem carnis significatur natura humana singularis carens propria personalitate, iuxta Damasc., lib. 3. *cap.* 1.

RESPONDEO dicendum, naturae humanae singulari non repugnare ad personam alienam dependere ut sustentantem ipsam. *Probatio:* nam [*Quodlib.* q. 19. n. 22.] non est ponenda inter aliqua formalis repugnantia, nisi vel in rationibus eorum propriis ipsa manifeste includatur, vel necessaria ratione probetur includi, aut exinde sequi: sed naturam humanam dependere ad alienam personam, nec involvit repugnantiam manifestam, nec probatur ex eo ipsam sequi; igitur ponendum est, non esse

impossibile ex parte ipsius naturae humanae sic ad alienam personam dependere. *Maior probatur:* quia quodlibet ponendum est possibile esse, ubi non apparet ratio impossibilitatis. Sic etiam quodlibet compossibile ubi non apparet ratio incompossibilitatis. At prima pars *minoris* declaratur ex ratione naturae humanae dependentis, et Personae Divinae independentis. Dependentia enim, de qua loquimur, *est natura ut communicabilis ad personam alterius naturae, ut terminantem eius dependentiam.* Pro intellectu particulae *communicabilis,* sciendum, quidpiam communicari multipliciter contingere: potest enim aliquid alteri communicari sic, ut illud sit ipsum quod communicatur, sicuti universale communicatur singulari. *Alio modo* sic, ut illud cui communicatur sit isto tamquam formali principio essendi; et quidem dupliciter: vel ut forma partialis, quae communicatur materiae informatae, et consequenter communicatur composito constituto per ipsam; vel ut forma totalis, sicuti quidditas communicatur supposito, ut humanitas Sorti. In proposito cum dicitur, dependere sequi naturam ut communicabilem, intelligitur de ultimo modo communicabilitatis, adeo ut communicatum sit forma totalis, qua habens dicatur secundum ipsam esse formaliter tale, quod est intelligendum cum communicatur proprio supposito, ubi est per se identitas. At vero cum communicatur supposito non proprio, non potest esse ibi per se identitas, sed supplens vicem eius est perfecta dependentia naturae, et perfecta sustentatio ex parte suppositi, sive terminatio dependentiae, quae supponit terminum esse suppositum per se propriae naturae.

Hanc igitur dependentiam non repugnare humanae naturae declaratur: [*Quodlib.* q. 19. n. 23.] nam ex dictis *art.* 2. Persona Divina potest esse proprius terminus alicuius dependentiae; non autem dependentiae, quae est causati ad causam, nec cuiuscumque terminati ad aliquid ratione perfectionis formalis in ipso, sed illius, quae est naturae ut communicabilis ad incommunicabile sustentans ipsam; igitur talis dependentia est possibilis in aliqua natura; non potest enim esse possibilitas terminandi dependentiam, nisi in aliquo sit possibilitas dependendi; igitur est talis in humana natura, et in qualibet alia, quae potest modo praedicto communicari. — *Deinde,* accidens de facto dependet huiusmodi dependentia ad suppositum subsistens, cui inhaeret; licet enim ibi coniungantur dependere et inhaerere, prior tamen est ratio dependentiae, quam inhaerentiae, sicuti in termino prius videtur ratio dependentiae, quam inhaerentiae; est enim in ipso prior ratio prioritatis essentialis, ob quam terminat dependentiam, quam ratio informabilis vel susceptivi, secundum quam terminat inhaerentiam. Cum igitur naturae humanae convenire intelligitur ratio dependentiae, quatenus est communicabilis, idque sine inhaerentia, quia substantia est, ex parte sui nulla est contradictio taliter eam dependere ad suppositum alterius naturae.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 17.] naturam humanam non eodem complective esse per se existentem, et personatam personalitate creata, quia, ut dicetur, ipsa non est complete personata aliquo positivo, at per se existit existentia positiva creata. — *Ad assumpti probationem* cum dicitur; humanae naturae existentia est per se existentia; *concedo,* secundum quod *per se existere* distinguitur contra *inesse,* quod est accidentis. — *Et cum assumitur,* quod per se existentia in natura intellectuali est personalitas; *nego,* accipiendo *per se,* ut distin-

guitur contra *inesse* aliis; quia ad personalitatem requiritur ultima solitudo, sive negatio dependentiae actualis et aptitudinalis ad personam alterius naturae. At non omne, quod per se existit, ut distinguitur contra *inesse,* oportet habere hanc negationem, quia tunc anima rationalis persona dicenda foret, quod est falsum.

AD SECUNDUM nego *assumptum,* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 17.] quia natura creata est *haec* aliquo positivo, per quod est indivisibilis in plura individua; sed non cogimur pariter ponere ultra illam entitatem positivam, aliam, quae sit persona, et cui repugnet sibi alteri communicari ab intrinseco, quia sicuti est ponenda possibilitas in independente ad terminandam alicuius naturae hanc communicationem, ita etiam est ponenda possibilitas ex parte naturae, qua possit taliter alteri communicari.

AD TERTIUM dico: [*Quodlib.* q. 19. n. 24.] utique natura substantialis est ad esse substantiale, sed non oportet, ut sit primum *esse* suppositi habentis *esse* per ipsam, nisi quando illud est eius *per se* suppositum; quando autem est eius suppositum non per se, sed per se alterius naturae, tunc per illam alteram prius habet esse. — *Et cum dicitur,* quia illud, quod dat *esse* simpliciter non praesupponit *esse* simpliciter in eodem; *respondeo:* cum dat *esse* simpliciter proprio supposito, non praesupponit *aliud esse;* sed quando assumitur ad subsistendum in alieno supposito, quia non dat illi *esse* primum, necessario tale *esse* praesupponit.

ITERUM ARTICULUS III.

UTRUM REPUGNET HUMANAE NATURAE DEPENDERE AD PERSONAM ALIENAM, UT SUSTENTANTEM IPSAM.

Doctor, Oxon. 3. *sent. d.* 1. *q.* 1.

VIDETUR aliquibus non esse repugnantia ulla quominus natura humana uniatur personaliter supposito alterius naturae, per hoc, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 5.] quia singularitas praecedit naturaliter personalitatem; igitur Deus potest influere ad singularitatem, sicuti ad prius naturaliter, non influendo ad personalitatem; atque ita in eo instanti in quo natura personaretur in se, per defectum divini concursus non esset personata; igitur potest personari in supposito alterius naturae. — *At certe si haec ratio concluderet* propositum, ea pariter probaretur non esse repugnantiam, Deum facere naturam existentem, non singularem, imo habentem singularitatem, fieri, priori destructa, per aliam singularitatem individuam; quod nemo dixerit. — *Sed probatur;* quia natura, ut natura, naturaliter praecedit seipsam ut singularem; ergo si quia est naturaliter prior personalitate potest divinitus ipsa expoliari, poterit etiam esse sine singularitate. Quod si hoc non est concedendum, multo minus poterit esse ex ratione prioritatis sine personalitate, cum *haec* sit ultima actualitas eius.

Aliter igitur probant non repugnantiam ex parte humanae naturae. Nam [*Oxon.* ib.] id quod est unius generis, sine contradictione potest habere modum alterius generis. *Exemplum:* licet accidentis modus sit subiecto inhaerere, per Dei nihilominus potentiam potest esse sine subiecto, ut creditur de speciebus Eucharisticis. Sicut igitur accidens potest habere modum substantiae, ita e converso substantia poterit habere modum acci-

dentis, scilicet dependere ad extrinsecum suppositum: sed hoc posito ex parte naturae humanae, quae est substantia, salvatur dependentia et unio hypostatica ad aliam personam; igitur non repugnat ex parte naturae uniri extrinseco supposito. — *At neque haec ratio concludit,* ut arbitrantur: quod enim vere et proprie est modus unius generis, non potest competere alicui alterius generis, ut enim est uni proprius, ita est cuicumque alii incompossibilis; nec accidens separatum in Eucharistia habet proprium modum substantiae, qui est *esse per se* naturaliter, hoc est in essendo non inclinari naturali aptitudine ad aliud: constat enim accidens quantumvis a subiecto separatum semper ad illud inclinari; igitur non habet proprium modum substantiae. *Si dicas* ex 5. *Met., t.* c. 19. differentia substantialis habet modum qualitatis; ergo modus unius generis potest competere alteri generi; *respondeo* negando *consequentiam;* quia *eo loci* Philosoph. non intelligit de proprio modo qualitatis, ut est genus, sed tantum innuit multiplicitatem acceptionis huius vocabuli *qualitas,* et vult uno modo accipi secundum quod differentia substantialis dicitur *qualitas,* pro quanto praedicatur in *quale quid,* qui modus non convenit alicui speciei qualitatis, ut est genus, nec iste modus est proprius generi qualitatis, sed tantum est modus istius quod dicitur *quale* in communi.

Praeterea arguunt tertio sic: [*Oxon.* ib.] quanto aliqua sunt magis diversa, tanto magis sunt ad invicem unibilia. Quod probatur inductive: quia individua eiusdem speciei sunt minime unibilia, res diversorum generum sunt magis unibiles, quam aliqua eiusdem generis, ut patet de subiecto et accidente; igitur cum creatum et increatum sint maxime diversa, quia non unius generis, erunt maxime unibilia, quia unum potentiale respectu alterius. — *Respondeo:* ratio unionis non requirit distantiam unibilium, nisi propter potentialitatem in uno extremo, et actualitatem in altero extremo, ut patet de subiecto et accidente, quae se habent ad invicem sicut potentia et actus; id autem non habet locum in istis maxime distantibus, Verbo scilicet et natura humana, quia neque Verbum est formaliter actus naturae creatae, neque natura creata est formaliter potentia respectu Verbi, neque e converso, quia tunc ex eis naturaliter natum esset fieri unum. Quare declaratio istius non repugnantiae positae in *art. praec.* videtur probabilior; sed quia quaedam ibi tacta exigunt declarari quid sit illud, quod addit supra naturam singularem *personalitas,* et quomodo se habeat ad illam, et quo melius ista non repugnantia intelligatur, esto

ARTICULUS IV.

UTRUM PERSONALITAS CREATA CONSISTAT IN POSITIVO VEL NEGATIVO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *Quodlib. q.* 19.

VIDETUR personalitas creata esse formaliter quid positivum. Persona enim (ut fuit dictum in *Prima parte quaestione* 29. *art.* 1.), *est intellectualis naturae incommunicabilis existentia:* sed negatio [*Quodlib.* q. 19. n. 17.] non est primo incommunicabilis, quia quantum est de se cuicumque potest competere; igitur negatio est incommunicabilis ob incommunicabilitatem positivi, ad quod ipsa negatio consequitur; igitur in illo positivo,

ad quod sequitur negatio communicabilitatis, consistit formaliter proprietas personalis, et non in negativo.

2. PRAETEREA. [*Quodlib.* ib.] Quod excludit formaliter imperfectionem, ipsum perfectum sit oportet, vel saltem aliquid positivum: sed dependere a persona extrinseca est imperfectionis in dependente; igitur personalitas propria, quae excludit formaliter illam dependentiam, est quaedam perfectio vel saltem aliquod positivum. — *Confirmatur,* nam per hoc ponitur singularitas naturae esse aliquid positivum, quia ipsa excludit imperfectionem, quam dividi formaliter importat; unde singulare dicitur *individuum,* idest, in plura indivisibile; igitur cum propria personalitas excludat formaliter dependentiam ad personam extrinsecam, debet pariter consistere in positivo.

3. PRAETEREA. [*Quodlib.* ib.] Negatio non est primo propria alicui enti, sed tantum propter hoc, quod requirit aliquam affirmationem propriam: sed proprietas personalis est primo propria illi cuius est; igitur non in negatione, sed in affirmatione, ad quam sequitur negatio, consistit personalitas.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 7.] Persona est *incommunicabilis existentia formaliter;* ergo formaliter consistit in negatione communicabilitatis naturae intellectualis singularis; et consequenter cum non cogamur ponere aliam entitatem positivam ultra singularitatem in natura, personalitas creata erit formaliter negatio.

RESPONDEO dicendum, non in positivo, sed in negativo esse ponendam rationem personalitatis creatae. Quamquam enim persona sit incommunicabilis alteri ut *quod* et ut *quo,* et primam incommunicabilitatem habeat a positivo singularitatis, ex cuius carentia natura communis est communicabilis inferioribus ut *quod;* secundam nihilominus, scilicet incommunicabilitatem ut *quo,* habet persona creata ab aliquo negativo. *Declaratio:* [*Quodlib.* q. 19. n. 18.] si personalitas creata esset quid positivum, Verbum assumens naturam humanam ipsum quoque assumpsisset, et ita natura humana in Verbo haberet propriam personalitatem, nec esset unita illi personaliter. *Probatur antecedens:* tum ex Damasceno, lib. 3. c. 6. dicente, Verbum assumpsisse totum hominem, idest omnia, quae spectant ad veritatem humanae naturae, ut totum hominem curaret; *quod enim,* inquit, *est inassumptibile, est incurabile:* tum ratione, quia quaecumque natura est simpliciter in potentia obedientiali ad dependendum ad Personam Divinam; igitur si esset aliqua entitas positiva, qua natura in se personaretur, illa entitas esset assumpta a Verbo; atque ita humana natura in Christo esset dupliciter personata, quod est impossibile; ergo si personalitati repugnat intrinsece alteri communicari, cum nullo positivae entitati id formaliter repugnare possit, non debet poni eius ratio in aliquo positivo, sed magis in negatione. — *Praeterea,* [*Quodlib.* ib. n. 19.] si aliqua entitate positiva natura esset formaliter persona creata, Verbum non posset deponere naturam assumptam, nis vel illa maneret non personata, quod est inconveniens, vel oporteret dari sibi denuo aliquam entitatem, qua esset personata: sed hoc est impossibile. *Et probatur;* quia illa nequiret esse entitas accidentalis, quia accidens non est ratio formalis personandi substantiam; nec posset esse aliqua entitas substantialis, quia nec materia, nec forma, nec substantia composita. Nam posita qualibet ex his, tunc natura non maneret eadem quae prius, quia haberet aliam entitatem ma-

teriae, vel formae, vel substantiae compositae. Personalitas igitur creata supra naturam singularem non addit nisi negationem communicabilitatis sive dependentiae quae est in communicari.

AD ARGUMENTA pro omnibus simul est talis responsio: [*Quodlib.*q.19. n.20.] nulli *simpliciter* repugnat esse communicabile, nec tamquam communicabile dependere, nisi sibi insit aliquod positivum intrinsece, quod sit ratio repugnantiae communicabilitatis et dependentiae; tamen communicari et dependere potest *secundum quid* repugnare alicui per solam negationem, quatenus dum negatio illa inest, affirmatio non potest inesse; sed tamen quia affirmatio simpliciter potest inesse, ideo non potest sequi illa negatio ex aliquo positivo proprio intrinsecus conveniente; quia tunc quemadmodum impossibile foret separari a natura existente illud positivum, ita simpliciter repugnaret ei communicari alteri et dependere, et non tantum *secundum quid* illi repugnaret. Quoniam igitur dumtaxat Personae Divinae simpliciter repugnat alteri communicari et dependere, ipsi debet inesse ea negatio ex aliquo positivo. At personae creatae nequaquam perinde communicari et dependere repugnat, sed solummodo *secundum quid,* quatenus scilicet, ut est in se subsistens nequit ad extrinsecam personam dependere. At quia absolute et simpliciter potest, nec habet repugnantiam intrinsecam ad dependendum, negatio illa actualis dependentiae non exigit aliquid positivum proprium in ipsa, nec proinde personalitas in ea est aliquid ultra illam negationem dependentiae, etsi interim ex hoc, quod sibi non repugnat simpliciter communicari, non videatur habere completam rationem personae, sicuti habet Persona Divina.

Ad formam igitur argumenti respondeo, [*Quodlib.*ib.] *incommunicabile* simpliciter, quod scilicet importat repugnantiam ad posse dependere, non convenire primo negationi, sive alicui ratione negationis, sed necessario inesse rationi positivae; at huiusmodi incommunicabilitatem non reperiri in natura creata etiam personata in se, sed tantum *secundum quid;* hanc autem incommunicabilitatem non exigere proprium positivum ad quod sequatur, sed dumtaxat entitatem positivam receptivam negationis dependentiae actualis, estque natura ipsa singularis, quae, quatenus non dependet ad aliam personam, est in se personata.

Et per idem ad aliud *de perfectione;* [*Quodlib.* q. 19. n. 20.] concedo enim, repugnantiam ad dependendum esse propter aliquam perfectionem, vel rationem positivam; sed nego huiusmodi repugnantiam esse in natura humana, sed tantum *secundum quid,* ut dictum est. — Et pariter ad aliud *de negatione* proprietatis, dicendum, incommunicabilitatem *simpliciter* inexistere tamquam propriam illi, cui convenit esse taliter incommunicabile; at incommunicabilitatem *secundum quid* non esse propriam ei, quod est ita incommunicabile, quia alias non esset ab ipso separabilis; est ergo dumtaxat propria ista negatio naturae creatae, quatenus soli naturae intellectuali convenit, sed tamen separabiliter.—*Ad confirmationem* patet ex dictis; quia individuo repugnat simpliciter dividi, et ideo oportet id sibi inesse ex aliqua ratione positiva propria, ad quam illa negatio sequatur.

ITERUM ARTICULUS IV.

UTRUM PERSONALITAS CREATA CONSISTAT IN POSITIVO, VEL NEGATIVO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *Report. ib.* — *Quodlib. q.* 19.

VIDETUR personalitas creata non posse consistere in pura negatione dependentiae ad personam extrinsecam. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 8.-9.] Si negatio enim huiusmodi dependentiae sufficeret ad personalitatem propriam, tunc anima separata esset persona, quia haberet negationem dependentiae ad corpus: hoc autem est plane falsum, quia persona non est anima, neque corpus, sed natura perfecte completa ex utrisque.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 10.] Si personalitas creata consisteret in negativo, persona non esset communis univoce Deo, et creaturis intellectualibus: sed hoc est falsum; quia utrique convenit eadem personae definitio; ergo ratio personalitatis creatae est positiva, sicuti et positiva est personalitas Divina.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 7.] Igitur natura humana in Christo careret illa entitate positiva, quam habuisset, si fuisset personata in se; atque ita non haberet omnem perfectionem naturae humanae, quam habent caeteri homines, imo maxime perfectionis extitisset expers, nimirum personalitatis; quae nihilominus ponitur esse ultima perfectio faciens ad actualitatem, et veritatem humanae naturae.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] rationem personalitatis creatae haud esse ponendam in aliqua entitate positiva addita naturae singulari, sed in negatione dependentiae ad aliam personam; illi enim entitati positivae repugnaret contradictorie communicari alteri personae, ut patet ex eius definitione, imo propter rationem eius repugnat habenti ipsam alteri communicari: sed hoc non potest affirmari de aliqua entitate creata positiva, quae nimirum non possit dependere ad aliam personam, et resistere imperio Divinae voluntatis, praecipientis ipsam dependere; summum enim dominium Dei in eo consistit, quod omnia pendeant ab illo in fieri et conservari, adeo ut nihil esse possit, quod ab eo factum non sit; sicut igitur illa entitas positiva, quae est personalitas, foret creata, ita non repugnaret ei ad aliud extrinsecum suppositum dependere; igitur non est ponenda in positiva, sed potius in negativa ratione, cui proinde in tantum repugnat dependere, quatenus posita dependentia amplius negatio non est.

Est autem sciendum, [*Quodlib.* q. 19. n. 19.] *tripliciter* contingere, et intelligi posse negationem communicabilitatis sive dependentiae; quemadmodum enim possumus intelligere dependentiam actualem, aptitudinalem, et potentialem, ita et percipere negationem actus dependendi, et negationem aptitudinis ad dependendum, et negationem denique possibilitatis dependendi. *Prima* negatio est nuda sive sola; *secunda* est cum inclinatione opposita; *tertia* tandem est cum repugnantia ad actum. *Exemplum: primo* modo superficies si esset sine omni colore existeret non alba: *secundo* modo lapis est sursum, quia in lapide est negatio aptitudinis ad illud ubi: *tertio* modo autem Angelus est non albus, quia sibi repugnat albedo.

Ad propositum, [*Quodlib.* ib.] loquendo de dependentia ad Personam Divinam, sola negatio actualis dependentiae non sufficit ad hoc, ut aliquid dicatur in se personatum, vel persona, quia tunc anima separata (ut argutum est) esset persona; cum habeat negationem actualis dependentiae: tertia autem negatio non invenitur in natura creata, ut ostendit ratio tacta *in solutione:* secunda etiam negatio sola non sufficit ad rationem personae, quia illam habet natura a Verbo assumpta, quae nihilominus caret propria personalitate; illa enim cum sit eiusdem rationis cum caeteris humanis naturis habet aptitudinem ad subsistendum in se sicut aliae, et non habet aptitudinem dependendi ad personam extrinsecam, alioquin violenter quiesceret in persona creata, sicut lapis violenter quiescit sursum, cum habeat inclinationem ad ubi deorsum. Neque mirandum est esse possibilitatem in natura ad dependendum sine aptitudine, quia respectu formarum supernaturalium, licet in susceptivo sit potentia aliqua, non tamen est in eis proprie aptitudo; aptitudo enim proprie non est nisi ad formam naturaliter perfectivam. In natura ergo creata ad rationem proprie personalitatis oportet concurrere simul duas negationes, actualis scilicet, et aptitudinalis dependentiae ad extrinsecam personam, adeo ut negatio aptitudinalis dependentiae sit quasi habitualis necessario conveniens naturae cui convenit, sive sit personata in se, sive in persona aliena. Sed alia negatio, actualis nimirum dependentiae superveniens illi negationi aptitudinali, complet propriam personalitatem in natura intellectuali, et suppositi in aliis naturis substantialibus et completis. Ex quo patet [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 9. seqq.] qualiter non sufficeret negatio actualis dependentiae sine aptitudinali ad complendam rationem personae. Haec tamen negatio aptitudinalis dependentiae, quam diximus semper consequi naturam, seu in se, seu in alio personatam, non ponit repugnantiam ad dependentiam actualem, quia licet natura non dicat aptitudinem ad dependendum, habet tamen aptitudinem obedientiae, quia natura illa est in perfecta potentia obedientiali ad dependendum ad extrinsecam personam per actionem agentis supernaturalis, et quando datur sibi talis dependentia, personatur personalitate aliena; quando non datur personatur in se personalitate propria; et tunc est incommunicabilis ut *quod,* ratione individuationis (singulare enim non est communicabile ut *quod,* nisi sit illimitatum, ut Essentia Divina), et ut *quo* ratione personalitatis, idest habet negationem communicationis actualis, et aptitudinalis, non autem simpliciter repugnantiam, ut sit alteri communicata.

Si quaeras, [*Oxon.* ib.] cum ex dictis natura humana in Verbo retineat negationem aptitudinalis dependentiae, quia est apta nata personari in se, quomodo ergo, non est violenter in Verbo? lapis enim sursum detentus violenter ibi esset, quia habet aptitudinem ut sit in ubi deorsum. —*Dico,* natura humana melius se habet in Verbo, quam esset in se, quia ibi personata personalitate positiva et Divina, et ideo non violenter quiescit: lapis vero melius se habet in centro suo, quam extra ipsum, quia ut proprius locus est locati conservativus, ita alienus et contrarius est locati destructivus.

Ad Argumenta. Ad primum patet ex dictis. Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 10.] iste conceptus communicabilis, negans communicationem actualem et aptitudinalem, univocus est personae Divinae, et creatae; negatio enim est univoca multis, quando idem affirma-

tum a pluribus negatur; sed negatio communicabilitatis, quae includit repugnantiam ad communicari non est univoca, quia talis non est reperibilis in creaturis. Quod si ratio personae exigat ultra duas praedictas negationes etiam istam, non erit perfecta persona, nisi in Divinis.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM UNIO NATURAE HUMANAE AD VERBUM EXIGAT ALIQUAM ENTITATEM ABSOLUTAM NOVAM IN IPSA TAMQUAM PROPRIUM EIUS FUNDAMENTUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1.

VIDETUR unio illa exigere in humana natura aliquam novam entitatem super quam fundetur. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 12.] nisi tale positivum requiratur, mutatio esset primo ad relationem et a relatione, Verbo enim dimittente naturam assumptam, relatio unionis non superesset; ergo si nullum absolutum novum fuisset in quo fundetur, mutatio esset a relatione. Similiter si assumeret naturam modo personatam in Petro, si nullum absolutum novum requireretur in natura ad fundandam illam novam relationem, primus terminus huius mutationis fuisset relatio nova: hoc tamen est contra Philos., 5. *Physicor.*, text. c. 10. dicentem: *in ad aliquid nec motus, nec mutatio;* ergo etc.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Relatio non videtur esse nova, nisi aliquod absolutum sit novum in altero extremo; si enim aliquid omnino eodem modo se habet in se, ergo et ad quodlibet alterum: sed nihil potest poni novum in Verbo, nec in natura assumpta, nisi sit aliquid absolutum novum, super quo fundetur nova relatio; alioquin nulla esset ratio cur magis ista, quam altera natura humana ad Verbum dependeret; ergo illud est ponendum in natura humana.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 13.] Nulla est necessitas comminiscendi in natura humana unita Verbo aliquid absolutum, quod non sit in caeteris hominibus; ergo non est ponenda talis nova entitas.

RESPONDEO ergo, non oportere ponere in natura humana novum absolutum pro fundanda relatione unionis ad Verbum. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 13.] huiusmodi nova entitas fundans relationem unionis ad Verbum vel esset accidendalis, vel substantialis: non accidentalis, quia natura intellectualis est personabilis in se, ut est prior omni accidente; ordo enim accidentalis consequitur substantiam completam, et omnia praedicata facientia ad complementum ipsius; ergo etiam quando personatur in alio, personatur ut est prior omni accidente; igitur nullum accidens potest esse ratio personationis eius, et consequenter nec istius unionis, qua in alio personatur. Si autem illa nova entitas sit substantialis, sane nequit esse aliqua res alia ab illa, quae posset requiri in persona creata; quia tunc, aut materia, aut forma, aut substantia composita esset in Christo secundum humanitatem, et nulla alia eiusdem rationis foret reperibilis in alio homine: deberet igitur esse entitas substantialis eadem materiae, vel formae vel substantiae compositae: sed quidquid est idem alicui substantiae manet manente illa substantia; ergo natura assumpta non potest dimitti a Verbo manente illa entitate absoluta.

AD ARGUMENTA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 14.] Pro solutione *primi in oppositum,* sciendum, relationem posse tripliciter se habere ad funda-

mentum: *primo* cum fundamentum non potest poni sine relatione illa absque contradictione, eo quod fundamentum esse nequeat absque contradictione sine termino illius relationis, nec sine relatione ad terminum; eiusmodi sunt relationes creaturae ad Deum, inquantum Creator. *Secundo* modo, ita se habet relatio ad fundamentum, ut possit ipsum esse sine relatione, quia et sine termino potest existere; tamen positis extremis necessario consequitur ista relatio, ut positis duobus albis necessario consurgit inter ea relatio similitudinis, quorum alterum si destruatur, pariter et relatio destruitur. *Tertio* tandem modo relatio potest non necessario consequi fundamentum, quia non necessario coexigit terminum, nec habitudinem illam ad terminum, neque etiam extremis positis necessario illa relatio consurgit, sed ad hoc ut sit requiritur aliquid aliud ultra omne absolutum positivum in extremis, et hoc pacto se habent omnes uniones communiter absoluti ad absolutum; si enim forma per se esset, et materia per se esset, ut anima rationalis, et corpus organicum, non sequeretur unio eorum, nisi sit aliquid extrinsecum uniens ea. — *Tunc ad Philosophum* dico: [*Oxon.* ib. n. 15.] utique non esse motum nec mutationem ad relationes primo et secundo modo consideratas, nec universim ad relationem de genere relationis, de qua ipsi loco citato est sermo; ea enim est relatio intrinsecus adveniens, idest, necessario consequens fundamentum intrinsecus, puta, quantitatem, vel qualitatem, vel substantiam, quae consequitur non absoluta necessitate, sed posito termino ad quem est relatio, non potest non necessario sequi. At ad relationem tertio modo se habentem, quia illa est extrinsecus adveniens, idest non consequens extrema ex natura extremorum, sed per extrinsecam et contingentem actionem inhaeret, ad huiusmodi, inquam, relationem potest esse mutatio. Unde secundum Philosoph. ibidem. *Motus est ad ubi, et tamen ubi* nullam formam absolutam dicit, sed tantum respectum in corpore circumscripto ad locum circumscribentem, qui respectus est relatio de advenientibus extrinsecus, quales quoque videntur esse omnia sex principia, seu sex ultima Praedicamenta. Argumentum igitur acceptum ex Philosophi auctoritate non concludit novam entitatem absolutam ob unionem naturae humanae ad Verbum, sed omnis novitas referenda est in extrinsecam voluntatem Dei unientis illam naturam Verbo, a qua facta est nova unio, quae esse minime potuisset ex natura et ratione eorum extremorum.

AD SECUNDUM dico, [*Quodlib.* q. 19. n. 25.] dependens habere reipsa aliquam rationem dependendi, qua caret non dependens, idque aliud non esse, quam ipsam dependentiam formalem, sine qua est impossibile aliquid dependere. Si vero sermo sit de ratione fundamentali dependentiae, secundum quam ipsa inest dependentia, non oportere eam rationem esse magis in dependente, quam in eo, quod non dependet actu, cum intelligatur in eo aptitudo ad dependendum. — *Exemplum:* accidens separatum habet fundamentalem rationem dependendi ad subiectum, sicuti cum actu ad illud dependet; nam eius natura est proxima ratio dependendi sine ullo superaddito. Ita pariter et in natura assumpta et non assumpta. Omne igitur novum in natura assumpta fuit formalis dependentia, qua quoniam caruit alia natura, non fuit assumpta.

Ex hactenus dictis constat, neminem ex antiquis aut recentioribus Theologis luculentius, subtilius, ac distinctius Magistro Scoto declaravisse possibilitatem Verbi Divini Incarnationis.

PROOEMIUM.

SAMARITANUS [*Oxon.* 4. d. 1. in Prooemio n. 1-2.] ille piissimus spoliatum videns hominem et atrociter sauciatum, miserationis affectu compatiens medicinam attulit efficacem, qua curatis ipsius vulneribus, ac plena reddita sanitate, in sui principium, a quo descendens ab Hierusalem deviaverat, finaliter reduceretur. Postquam igitur egimus de Deo tam in se ens inter omnia primum, quam omnium aliorum primordiale principium; ac etiam (quantum per materiam licuit) de vitiis et virtutibus; pro consummatione totius Theologici operis superest, ut ad ipsum Salvatorem omnium, et ad ingentia et plane ineffabilia humano generi per ipsum praestita beneficia, nostra consideratio convertatur.

Et *primo* quidem considerandum occurrit de ipso Salvatore: *secundo* de Sacramentis eius, quibus salutem consequimur: *tertio* de fine immortalis vitae, ad quam per ipsum resurgendo pervenimus:

Circa primum duplex consideratio occurrit: *prima* est, de ipso Incarnationis Mysterio, alterum, quod Deus pro nostra salute factus est homo; *altera,* de his, quae per ipsum Salvatorem nostrum Deum Incarnatum sunt acta et passa.

QUAESTIO PRIMA.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Circa primum tria consideranda occurrunt: *primo* quidem de convenientia incarnationis Christi: *secundo,* de modo unionis Verbi incarnati: *tertio,* de his quae consequuntur ad hanc unionem.

Circa primum quaeruntur sex.

1. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari. — 2. Utrum fuerit necessarium ad reparationem generis humani. — 3. Utrum si non fuisset peccatum Deus incarnatus fuisset. — 4. Utrum principalius sit incarnatus ad tollendum originale peccatum, quam actuale. — 5. Utrum conveniens fuerit Deum incarnari a principio mundi. — 6. Utrum eius incarnatio differri debuerit usque ad finem mundi.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT DEUM INCARNARI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 21. *q.* 1. — 3. *d.* 20. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 1. *a.* 1.

VIDETUR non fuisse conveniens Deum incarnari. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 1.] incongrue omnino unirentur illa, inter quae nulla est proportio, qualis esse debet inter unibilia: sed nulla extat proportio inter Deum et carnem humanam, seu inclinatio, aut dispositio ad unionem; ergo non fuit conveniens Deum assumpsisse carnem humanam. *Minor probatur,* quia Deus est infinitus, natura vero humana finita: finiti autem ad infinitum nulla est proportio.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 8. q. 2. n. 1. seqq.] Natura humana caro est composita ac multis obnoxia imperfectionibus; Deus autem spiritus est expers omnis imperfectionis et compositionis: sed minus convenienter uniri videntur simplex omnino et perfectissimum, et multipliciter compositum et scatens defectibus; ergo incongrue Deus carni dicitur unitus vel incarnatus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. per tot.] Nulla ratione Deus appellari potest creatura; huiusmodi enim praedicatum vere de ipso enunciari non potest: sed hoc ipso quod Deus dicitur incarnatus, vel caro factus, vigens occasio praehabita est appellandi ipsum creaturam; ergo id minus convenienter gestum esse videtur. *Minor declaratur:* quia sicuti per incarnationem, quae sunt Dei dicuntur de carne assumpta, ita pariter quae sunt carnis debent dici de Deo, nec vulgo persuaderi potest contrarium, in quo tamen dicitur esse veritas.

4. PRAETEREA. Existimandum est, illa minus convenienter fieri, per quae humanus intellectus apprehendit aliquid inconveniens in Deo: eiusmodi videtur incarnatio; nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 3. — *Quodlib.* q. 19. n. 2. seqq.] non est sane perceptibile quomodo exinde Deus mutatus non sit; per hoc enim, quod natura unitur Deo, ipsa mutata censetur: sed pariter Deus unitur homini; ergo et ipse videtur mutatus. Nec iuvat dicere abesse hic mutationem, quia dumtaxat Deus unionem terminat; etenim tunc non esset perinde unitus naturae, ut haec unitur illi. *Deinde,* absurdum videtur affirmare Deum esse hominem per quoddam accidens respectivum ad ipsum terminatum; et pariter hominem esse Deum, eo quod fundat relationem unionis ad Verbum; ergo videtur minus conveniens Deum incarnari.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 8.] Illud convenientissime factum est per quod manifestantur misericordia et iustitia divina: haec eximie elucent in Verbi incarnatione; ergo mirabili convenientia peracta est. Eluxit enim Dei misericordia homini perdito subvenire volentis, et quantum fieri potest divinae Maiestati debitus honor redditus, cuius iustitiae satisfactum est per Christi passionem, oblatam Deo in remissionem peccatorum.

RESPONDEO dicendum, convenientissimum fuisse Deum incarnari, non solum quia decebat summam et immensam Dei bonitatem manifestare divitias largitatis et magnificentiae suae condendo [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 3. — d. 19. per tot.] in entibus summum bonum, qualis est Christus, ut esset Princeps et Rex universorum, et Ecclesiae caput, a quo in membra descenderent omnes influxus gratiarum et spiritualium donorum; verum etiam conveniens fuit, Verbum sibi unire personae unitate naturam humanam, ut in ea et per eam compleret munus Mediatoris, ac Sacerdotio aeterno fungeretur, reducendo homines ad Deum; cum enim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] homini per culpam facto Dei inimico, disposuisset ac statuisset Deus, se culpam contractam, non remissurum, nec aliquod adiutorium daturum, sive ad remissionem culpae faciens, sive ad consequendam beatitudinem necessarium, nisi per obsequium personae, quae longe gratior sibi foret, quam culpa et offensa generis humani displicuisset; convenientissime Verbum Divinum carnem assumpsit, in qua pro offensa Deo illata, rectissimae iustitiae divinae satisfaceret. Huiusmodi autem persona, quae tantopere esset Deo chara et dilecta, tota communitas generis humani ex se non potuit exhibuisse, aut omnino exhibendam habuisse, quia

totum genus erat Deo inimicum, de una eademque massa perditionis procreatum; ergo convenientissime disposuit ac ordinavit Deus, unam ex Personis divinis carnem sumere, quae simul Deus et homo esset, quaeve libere et sponte acceptaret subire ac perpeti ea omnia, quae pro satisfactione generis humani iuxta iustitiae dictamina facienda censuisset. Convenientissimum igitur fuit Deum incarnari, in quo maximo Omnipotentiae opere Dei iustitia plenissimam satisfactionem pro Adae peccato exigens, et misericordia cuncta sine ullis nostris meritis operans sublimissime elucerent.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 16.] utique inter Deum et hominem nullam esse proportionem quantitativam, qualis est quanti ad quantum; sed reperiri eam, quae est passivi ad activum, et e contra activi ad passivum. — *Et cum dicitur,* quia nulla est inclinatio eorum extremorum ad huiusmodi unionem; *dico,* sufficere ex parte naturae humanae non esse repugnantiam ad illam; ex parte autem Dei pro natura et more bonitatis infinitae esse affectum et propensionem sese communicandi, et ostendendi divitias magnitudinis, largitatis, et beneficientiae suae, et nulla alia ratione id perficere et praestare melius potuisse, quam per opus longe excellentissimum, quod est Incarnatio Filii sui.

Ad secundum dico, hanc unionem naturae humanae cum Verbo Dei aliud non esse, quam relationem dependentiae, fundatam in natura eadem, et terminatam ad personalitatem Verbi, ut longo sermone explicatum extitit *in quaest.praec.:* hanc autem relationem esse inter simplex omnino et multipliciter compositum nullum est inconveniens.

Ad tertium respondeo: [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 6. seqq.] vel nomine creaturae intelligitur id, quod opponitur ei, quod est increatum et aeternum; vel sumitur pro eo, quod producitur ex nihilo; vel tandem vocatur creatura id, quod accipit esse secundum se totum independenter a causa materiali. Primo modo Christus potest vocari creatura; quia id, quod dicit Christus, non fuit ab aeterno, sed in tempore. Aliis duobus modis, nequit vocari creatura, quia nec eius personalitas fuit producta ex nihilo, nec natura humana, qua constat. Et priori sensu Sancti videntur appellare voluisse Christum creaturam, ut August., *De Sermone Domini in monte. Voluit esse creatura, qui est Creator.* Ut Hierony. super Epistol., ad Ephes. super illud, *Ipsius factura sumus,* dicit: *Multi timore trepidant, ne Christum creaturam dicere compellantur; nos autem proclamamus non esse periculum dicere Christum esse creaturam.* Non est ergo inconveniens, nec periculum ullum erroris in hac appellatione, dummodo vocis significatio perspecta sit, et confiteamur Christum esse aequalem Patri secundum Divinitatem, minorem vero secundum humanitatem. Sed de hoc iterum erit sermo *q.* 16. *art.* 8. *et* 10.

Ad quartum dico, facilius intelligitur Deum immutabilem, quam ipsum subsistere in natura humana, et esse hominem. Hoc igitur [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 3.] est creditum, unionem hypostaticam esse talem, ut per ipsam Verbum subsistat in natura humana ut suppositum in natura, atque proinde Verbum formaliter esse hominem. Terminat ergo praecise Verbum hanc specialem dependentiam naturae ad ipsum; et per hoc intelligitur naturae ab se sic dependenti unitum. Nec Deus est homo per accidens respectivum, sed per humanitatem illi unitam; et sicut non diceretur ignem comburere per approximationem, ita nec homo est Deus per unionem, licet

necessario praerequiratur unio, quaecumque [ib. n. 7.] tandem ea sit; quamvis enim esset substantialis, ut eam vocat Damascenus, lib. 3. *cap.* 3. adhuc tamen necessario intelligitur in ordine ad aliud, ut expositum est longo sermone *in quaestione prooemiali.*

ARTICULUS II.

UTRUM NECESSARIUM FUERIT AD REPARATIONEM GENERIS HUMANI VERBUM DEI INCARNARI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — 4. *d.* 15. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 1. *a.* 2.

VIDETUR non fuisse necessarium genus humanum reparari per passionem Christi. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 1.] Non enim fuit necesse reparare Angelos lapsos per Christi passionem; ergo multo minus oportuit per eam reparari genus humanum. *Prob. consequentia:* Angelus est longe nobilior homine; ergo si stante eius excellentia supra hominem, non fuit necesse ipsum reparari per Christi passionem, nec oportuit reparari minus nobile, uti est genus humanum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Quilibet actus Christi sufficiens fuit pro redemptione generis humani; igitur non fuit necessarium Christum pro eorum redemptione perficienda subire passionem. *Antecedens probatur:* quia actus est laudabilior passione; laus enim consistit in actu: sed illa passio Christi habuit meritum redimendi genus humanum, quia erat personae Verbi; igitur quilibet actus eiusdem personae abunde satisfecisset, et redimere potuisset genus humanum; et per consequens non oportuit ipsum subire longe acerbissimam passionem.

3. PRAETEREA. Tunc fuisset necessarium Verbum Dei incarnari pro redemptione generis humani, cum pro eo fine assequendo nullum aliud medium Deo occurrisset: sed innumeri alii modi possibiles erant, per quos perinde redimi potuisset genus humanum; ergo nulla fuit necessitas incarnationis Verbi. *Probatio minoris;* etenim potuisset dimitti offensa ex infinita Dei misericordia citra omnem satisfactionem. — *Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 19. n. 7. — d. 20. n. 9.] si haec omnino requirebatur, potuisset vel alius homo, vel Angelus pro omnibus satisfacere, aut certe quisque pro se; quia omne meritum tantum bonum est, quantum a Deo acceptatur; nam ideo meritum, quia acceptatum, et non e converso. Igitur non apparet ulla necessitatis ratio, ob quam debuerit Verbum incarnari propter redemptionem generis humani.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] Statuit Deus, non esse redimendum genus humanum, nisi per passionem Filii sui incarnati; igitur necesse fuit ipsum incarnari, et pati passionem.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 7. et 10.] pro reparatione generis humani non fuisse necessariam Verbi incarnationem, passionem, et mortem, nisi necessitate consequentiae, et praesuppositionis; quae necessitas stat cum omnimoda contingentia et libertate. Et primum quidem probatur ex Augustino, 13. *De Trinit.,* cap. 10. dicente: *Alius modus redimendi hominem Deo non defuit, eius enim potestati omnia subiacent.* Igitur si in nostrae reparationis negotio Deus alium modum adhibere po-

tuit, profecto nulla necessitate compulsus redemit nos per Filii sui passionem. — *Deinde,* in tantum oportuit genus humanum reparari, in quantum homines erant praedestinati ad gloriam, quam adipisci et potiri non poterant, nisi fuisset satisfactum iustitiae divinae per Christi passionem: sed Deus contingenter praedestinavit quoscumque praedestinavit, adeo ut potuerit non praedestinasse; nam nihil necessario operatur extra se Deus; sicut igitur ordinavit hominem ad bonum supernaturale, ita potuit non ordinasse, et per consequens libere et contingenter pariter fuit praeordinata Christi passio in reparationem hominis lapsi, ut potuerit non praeordinari.

Sed quia reipsa [*Oxon.* ib.] de facto a Deo praeordinatum fuit Verbum incarnari, et redimi genus humanum per eius passionem, sequitur ipsam fuisse necessariam ad eum finem consequendum, necessitate dumtaxat consequentiae, et praesuppositionis; sicuti si animal currit, necessario movetur; sed quemadmodum animal contingenter currit, ita contingenter movetur. Eodem modo Deus contingenter praeordinavit Christi passionem ad salutem hominis lapsi, quia potuit statuisse uti aliis mediis, quae sibi immensus suae providentiae thesaurus suppeditabat. Sed cum ex omnibus, Christi incarnationem, passionem, et mortem praeelegisset, eamque tempore congruo futuram praeordinasset, ex hoc divini beneplaciti decreto, Christi passio fuit necessaria necessitate consequentiae.

Ad Argumenta. Ad primum dupliciter *respondetur:* [*Oxon.* 3.d.20.n.1.] *uno modo,* non debuisse Angelos reparari, sed homines, quia non tota natura Angelorum cecidit, sicut hominum, atque adeo, ne tota species humana periret, necesse fuit hominem reparari. *Alia responsio* est ista: homo alterius suggestione cecidit, nimirum diaboli; Angeli vero propria voluntate, non alicuius suggestione lapsi sunt; debuit ergo homo reparari, non Angelus. Unde Anselmus, 1. *Cur Deus homo,* cap. 21. *Sicuti Angeli,* inquit, *ceciderunt nullo alio nocente, ita nullo alio adiuvante surgere debent.* — *Contra primam* responsionem arguo: quilibet Angelus (secundum ita respondentes) est alterius speciei ab alio, ut tot sint species Angelorum, quot individua: sed quaelibet ex illis speciebus est nobilior specie humana secundum se; igitur cum multi Angelorum ceciderint, maius inconveniens videtur tot species non reparari, quam unum genus humanum. — *Contra secundam* responsionem arguo: *factum est praelium magnum in caelo,* Apocal., 12. Igitur quemadmodum Draco pugnavit cum Michaële, sic eum tentavit, et conatus est fallacibus suggestionibus traducere in sententiam suam, ac consequenter existimandum est prius tentasse eos, qui sibi assenserunt, exinde qui Luciferi partibus accesserant operam dedisse pervertendis aliis, et multos quidem ad rebellandum Deo concitasse; at longe plures divina gratia adiutos in veritate stetisse.

Respondeo igitur aliter, et dico, [*Oxon.* ib. n. 11.] argumentum illud morale concludere contra opinantes unumquemque Angelorum propriam speciem constituere, eamque ab uno dumtaxat individuo exhauriri: cum autem multi Angelorum ceciderint, totidem species penitus interiissent perpetuis addictae suppliciis. Sed illam sententiam non teneo; quia solius formae intensive infinitae proprium est multiplicari et dividi non posse per individua. Existimo ergo plures quidem esse Angelorum species, ac in multa individua existere divisa, perinde ut caeterae species creatae, nec omnes omino Angelos unius speciei Deo rebellasse, et damnatos fuisse, etsi

fortasse de qualibet specie aliqui ceciderint. Convenientius igitur reparati fuerunt homines, quam Angeli, quia tota species humana in primo homine ceciderat, et tota erat interitura, ni Christus per suam passionem gratiam, qua a morte aeterna eriperetur, sibi meruisset. — *Substinendo* responsionem quae accipitur ab Anselmo, dico hominem lapsum esse in peccatum, tum diaboli, tum uxoris suggestione, et Luciferi tentationem, qua Angelos sibi assentientes seduxit, non extitisse adeo efficacem et vehementem et importunam, uti fuit suggestio, qua a diabolo, et ab uxore seductus fuit Adam, tam ex parte causae a qua processit, quam attenta conditione fragilioris naturae. Non igitur Angelorum malorum, sed hominis miseri, decuit Deum esse misertum.

AD SECUNDUM dico [*Oxon.* ib.] utique per bonum *velle* Christum satisfacere potuisse sine ulla passione, ex quo etiam constat hic nullam absolutam necessitatem extitisse, cum aliter cuncta potuerint disponi et geri. - *Et cum dicitur:* actus sunt laudabiliores passionibus; *respondeo,* id verum esse, prout actus virtutis distinguitur contra passionem, quae non accidit ex virtute: at passio ex virtute, idest acceptata, vel imperata ex actu virtutis, esse laudabiliorem, et magis meritoriam, quam sit actus virtutis circa delectabilia separatim. Sed de hoc argumento vide infra, *quaest.* 46. *art.* 1. *et* 2.

AD TERTIUM concedo, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 8. seqq.] multa alia media et modos divinae sapientiae occurrisse citra Incarnationem Verbi, pro reparando genere humano; tametsi nullus alius convenientior extiterit eo, quo de facto uti voluit. Ex quo tantum deduci potest, nullam absolutam intervenisse necessitatem Incarnationis Verbi pro redemptione nostra. Nam vel sine satisfactione potuisset dimittere offensam, vel quamcumque satisfactionem ratam, acceptamque habere. Non fuit hic itaque alia necessitas, quam consequentiae, et praesuppositionis, ut explicatum est.

ARTICULUS INCIDENS.

AN CHRISTI SATISFACTIO FUERIT VALORIS INFINITI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. — *Report. ib.* — 4. *d.* 15. *q.* 1.
S. Thom. 3. *p. q.* 1. *a.* 2.

VIDETUR Christi satisfactio fuisse valoris infiniti. Nam [*Oxon.* 3. d. 19. n. 2. — *Report.* ib. n. 3.] suppositum Verbi exeruit et elicuit operationes illius naturae assumptae; elicuit enim operationes convenientes utrique naturae; ergo virtute suppositi infiniti operationes sunt infinitum bonum, et per consequens mors, et passio, et aliae operationes habuerunt quamdam infinitatem, ut sufficerent infinitis peccatis delendis, et gratiis, et gloriis conferendis.

2. PRAETEREA. [*Report.* ib.] Meritum vel satisfactio pensantur secundum dignitatem personae merentis vel satisfacientis: sed ipsa est infinita; ergo eius meritum et satisfactio erant valoris infiniti.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 6. — d. 19. n. 2.] Anselmus, 2. *Cur Deus homo,* c. 14. inter alia habet, hominem potius debuisse eligere omne aliud a Deo destrui et perire, quam scienter mortem illi homini intulisse aut aliquam laesionem; quia vita eius erat tanti, ut in infinitum esset plus

amabilis, quam peccata infinitorum hominum, si esse possent, sint odibilia; igitur vita eius erat valoris infiniti, et consequenter eius satisfactio, et meritum fuerunt infinitae acceptabilitatis, et ideo mors fuit sufficiens pro redemptione infinitorum hominum.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 19. n. 6.] Homo iste non fuit formaliter infinitus: sed illa humanitas unita personaliter Verbo fuit causa meriti et satisfactionis; ergo nec meritum extitit infinitum, nec satisfactio de se poterit sufficere pro infinitis.

RESPONDEO: etsi meritum dicat ordinem ad mercedem, et satisfactio ad iniuriam compensandam, quia tamen est eadem ratio de utrisque, easdem habens difficultates; atque iisdem actibus, et passionibus Christus meruit et satisfecit pro nobis; hic de merito et satisfactione Christi quoad intrinsecum valorem indiscriminatim agendo, sit

PRIMUM DICTUM: Christi meritum, vel satisfactionem non fuisse ex se valoris infiniti independenter ab acceptatione divina. *Declaratio:* [*Oxon.* 3. d. 19. n. 4. — *Report.* ib. n. 4.] si bonum *velle* Christi Domini quo meruit fuit infiniti valoris et acceptabilitatis; igitur esset tanti, quanti est volitio increata Verbi Divini: sed hoc est impossibile; ergo non fuit infinitae acceptabilitatis. *Probatio sequelae:* nam utrumque *velle,* creatum scilicet et incausatum, esset infinitum, nec posset esse velle creatum magis acceptabile, quam infinite, vel pro infinitis, ex natura sua; igitur esset tanti valoris, quanti velle increatum, quod utique non posset habere maiorem valorem, quam infinitum. *Probatio minoris:* si utrumque *velle* haberet aequalem valorem et acceptabilitatem; igitur Trinitas tantum diligeret *velle* naturae assumptae, quantum *velle* Verbi increatum, quod nemo dixerit. — *Deinde,* si velle creatum animae Christi fuit acceptatum infinite, vel pro infinitis, ipsum fuit formaliter infinitum; nam eodem modo est a Deo acceptatum, quo est bonum; igitur anima Christi potuit ita perfecte frui Deo, sicut Verbum per velle suum infinitum, quod nemo dixerit. — *Denique,* aliquod principium per se essentialiter requisitum ad productionem istius volitionis, qua Christus meruit et satisfecit, est formaliter finitum, etiam acceptum cum quibusvis respectibus ad Verbum; igitur et ipsa volitio debuit formaliter fuisse finita et limitata, et consequenter finite acceptata, nam per eos respectus ad Verbum non habet Persona illa divina aliquam specialem causalitatem super illam volitionem, quam non habuerit tota Trinitas.

Et si contendas, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 5.] Verbum habuisse aliquam specialem causalitatem super illud velle voluntatis creatae Christi; *adhuc ex hoc non potest concludi* ipsum esse formaliter infinitum, seu infinite acceptabile: nam actus formaliter infinitus non potest dependere essentialiter ab aliqua causa finita, quae per se agat ad productionem eius: sed natura assumpta haberet super illud velle essentialem causalitatem, et non accidentalem, quia secundum illam meruit; ergo quamvis Verbum habuisset specialem causalitatem super illum actum, adhuc is actus non potuit fuisse formaliter infinitus, nec infinitae acceptabilitatis; et per consequens secundum iustitiam commutativam fuit finite acceptatus, et finite retributus.

SECUNDUM DICTUM: fuisse nihilominus in actibus voluntatis Christi congruitatem, ut acceptarentur pro infinitis; licet enim bonum *velle* Christi, quo meruit, ex ratione sui, non potuerit acceptari pro infinitis, sed pro

finitis hominibus, et peccatis in satisfactionem; quia tamen [*Oxon.* 3. d. 19. n. 7. — *Report.* ib. n. 9.] meritum illud tantum bonum erat, pro quanto acceptabatur, et ideo meritum fuit, quia acceptatum, non autem e converso quia meritum ideo acceptatum, et tantum potuit acceptari passive, quantum tota Trinitas voluit acceptare active; et de facto, quia homines finiti sunt qui salvantur, et peccata pro quibus satisfactum fuit etiam finita, finite fuit acceptatum. Ex circumstantia tamen suppositi, et de congrua ratione eiusdem suppositi habuit quamdam rationem extrinsecam, ob quam potuit acceptari a Deo in infinitum, scilicet pro infinitis; si autem illum meritum fuisset alterius personae, tunc nec ratione operis nec ratione operantis fuisset congruitas acceptationis illius pro infinitis.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 19. n. 4. — *Report.* ib. n. 5.] Verbum non habuisse aliquam specialem causalitatem super operationes naturae assumptae distinctam a causalitate totius Trinitatis; quam etiamsi habuisset, ex eo tamen non sequeretur operationes naturae humanae Christi esse infinitas formaliter, nam quandoquidem dependerent essentialiter a causa creata, licet increata in eas influeret, necessario essent finitae.

Ad secundum dico, [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 9.] ex eo solum posse deduci esse in Christo Domino aliquam congruitatem extrinsecam, ratione scilicet personae infinitae, ut opera eius meritoria, de se finita, possint acceptari pro infinitis, non vero, quod formaliter sint infinita ex circumstantia Personae: quemadmodum nec sunt infiniti actus nostri, ex eo quod tendant in obiectum infinitum, ita multo minus erunt infiniti ratione principii productivi, quia procedunt concurrente essentialiter natura creata et finita.

Ad tertium respondeo, [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 4.] eam Anselmi, et consimiles loquutiones de vita Christi Domini, esse hyperbolicas, et exponendas. Nam loquendo de natura humana Christi, et actibus eius quibus meruit, non poterant esse tanti valoris et diligibilitatis, sicuti est Verbum divinum. Quod si aliqua nihilominus est iis concedenda infinitas, alia non potest esse, nisi extrinseca, quatenus ex ratione talis suppositi congruum et conveniens fuit, ut meritum eius et satisfactio esset pro infinitis, si infiniti homines fuissent salvandi, aut pro infinitis peccatis satisfaciendum.

ARTICULUS III.

UTRUM SI HOMO NON PECCASSET, DEUS INCARNATUS FUISSET.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 3. — *Report. ib. q.* 4. *et d.* 19.
S. Thom. 3. *p. q.* 1. *a.* 3.

Videtur, Deus non fuisse carnem assumpturus, si homo non peccasset. Nam, Lucae 19. habetur: *Venit filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat.* Item Ioann., 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Rursum, 1. ad Timoth., c. 1. *Christus Iesus venit in mundum, peccatores salvos facere.* Quae doctrina est in Symbolo, et est Fidei articulus: *Qui propter nos homines, et propter nostram salu-*

tem descendit de caelis. Sunt etiam [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 3.] innumerae auctoritates Patrum Athanasii, Nazianzeni, Ambrosii, Augustini, Gregorii, fatentium, Christum venisse, ut redimeret genus humanum, et liberaret nos a servitute diaboli. Si vero Adam non peccavisset, non fuisset traditum genus humanum in servitutem diaboli, sed permansisset in ea libertate, in qua ipsum condiderat Deus.

2. PRAETEREA. Quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis manifestatur: sed in sacra Scriptura ubique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur; ergo si non extitisset primi hominis peccatum, Incarnationis opus non fuisset ordinatum a Deo. *Minor* est manifesta, tum ex *adductis auctoritatibus,* tum ex aliis, quae adduci possent.

3. PRAETEREA. Deus permittit mala fieri, ut inde aliquid melius eliciat. Unde dicitur ad Rom., 4. *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Et in benedictione Cerei Paschalis: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem;* igitur non superabundasset gratia Redemptoris, nisi praecessisset delictum; ergo post peccatum humana natura ad aliquid maius ordinata est et perducta per opus Incarnationis, ac fuerit ante peccatum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 3. — *Report.* ib. q. 4. n. 4.] Si Adae lapsus causa fuisset adventus Christi, ut eo non peccante Verbum carnem non assumpsisset; igitur summum Dei opus esset tantum occasionatum, et non per se intentum; quod videtur valde irrationabile; nam gloria Christi maior est intensive gloria omnium aliorum Beatorum; ergo inverisimile est, imo absurdum videtur, Deum fuisse omissurum opus longe excellentissimum ob bonum factum Adae, scilicet eo quod custodierit, atque obtemperaverit Domini mandatis; fecisse vero, quia peccavit.

RESPONDEO, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 3. — *Report.* ib. q. 4. n. 4.] dicendum, Christi incarnationem non fuisse occasionaliter volitam, sed per se intentam, tamquam fini propinquissimam, adeo ut seu Adam peccasset, seu non, adhuc Christus venisset. Et probatur: omnis ordinate volens primo vult finem, deinde immediatius illa, quae sunt fini propinquiora: sed Deus est ordinatissime volens; igitur sentiendum est eo ordine cuncta voluisse. Sed omnium extra se immediatissima est sibi anima Christi; igitur ante quodcumque meritum et demeritum voluit naturam humanam Christi sibi uniri in unitate suppositi. — *Deinde,* prius est electos ordinari ad gloriam et gratiam, quam in ipsis praevideantur opposita horum habituum, scilicet peccatum et damnatio; ergo prius praevidebatur a Deo electio Adae ad gloriam, quam ipsius lapsus; ergo multo fortius id est verum de illa anima, quae praedestinabatur ad summam gloriam et gratiam, quod prius ipsa praevidebatur, quam Adae peccatum, et non tantum ut possibilis, sed tamquam futura, sicuti futura prius praevidebatur gloria et gratia Adae, quam lapsus ipsius. — *Denique,* nisi homo peccasset, redemptio non fuisset facienda: sed non ob solam istam causam videtur Deus praeordinavisse Animam Christi ad tantam gloriam; ergo licet non peccasset, adhuc incarnatio Verbi extitisset. *Probatio minoris:* gloria animae redimendae non est tantum bonum, quantum gloria Animae Christi; ergo tamquam bonum praestantius, et longe excellentius in se videtur a Deo volitum fuisse, etiamsi non fuisset minus bonum, et etiamsi

ipsa minora bona non fuissent aliquando futura: alioquin maius bonum in entibus esset occasionatum, scilicet propter minus bonum consequendum, quod non videtur probabile; et Animae Christi esset laetandum de lapsu Adae; nam si non peccavisset, ipsa non erat aliquando futura.

Videtur ergo, ipsa obiecta ex natura ipsorum ita esse ordinata: [*Oxon.* ib. n. 6.] in primo signo Deus intellexit se in ratione summi boni; in secundo intellexit omnes alias creaturas possibiles; in tertio voluit summam gloriam et gratiam Animae Christi, ut fini propinquiori; et gratia ipsius Christi elegit plures alios ex Angelis, et hominibus, quorum Christus esset caput et Princeps, et circa alios habuit actum negativum, non praedestinando. In quarto signo praevidit homines praedestinatos casuros in Adam. In quinto signo tandem praeordinavit remedium electorum, et voluit id esse passionem Filii sui, alioquin venturi, cum ante praevisionem lapsus eorum fuerit praedeterminata Christi futuritio. Itaque Christus, quemadmodum et caeteri electi prius praevidebantur et praedestinabantur ad gratiam et gloriam quam praevideretur Christi passio, ut medicina contra peccatum; perinde ac Medicus, qui prius vult sanitatem hominis, quam ordinet et disponat quicquam de medicina ad morbum depellendum, et inducendam sanitatem.

Ad auctoritates Scripturae et Sanctorum potest dici, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 3.] Christum non fuisse venturum ut Redemptorem et passibilem, si homo non cecidisset; quia non fuisset aliqua necessitas, ut Anima Christi gloriosa uniretur carni passibili, si redemptio non fuisset facienda. Fuit ergo volita in primo signo substantia Incarnationis; at post praevisum Adae peccatum, et completum ordinem divinae Providentiae, statutum fuit de modo, ut scilicet veniret in carne passibili, ad subeundam passionem et mortem, idque gratia maioris boni, quia maius bonum est gloria animarum beatarum, quam gloria corporis Christi per modicum temporis, quo fuit impedita, ne redundaret in corpus. Si autem praevisus fuisset Adam in innocentia perstiturus, tunc Christus venisset in carne impassibili et gloriosus, quia non extitisset causa, cur eius corpus a principio animationis non fuisset gloria perfusum, eo modo quo potuit esse gloriae particeps.

Ad secundum *respondeo primo;* [*Oxon.* Prolog. q. 2. n. 15.] multae veritates necessariae non exprimuntur in Scriptura, etsi in ea virtualiter contineantur sicut conclusiones in principiis, circa quarum investigationem utilis fuit labor Expositorum, et Doctorum. Quamvis igitur non contineatur explicite in divina Scriptura aliud motivum Incarnationis, praeter peccatum primi hominis; ex eo tamen quod non dicat non intervenisse praeterea aliam causam, utiliter investigatur et rationabiliter affirmatur Incarnationis Mysterium habuisse alium finem, et rationem longe sublimiorem, ac fuerit Adae peccatum; nec est inverisimile, ut tactum fuit, opus longe excellentissimum non fuisse intentum, nec volitum a Deo, nisi occasione peccati Adae. — *Secundo respondeo*, in Scriptura explicite contineri Mysterium Incarnationis secundum se a Deo volitum independenter a peccato Adae, ut aperte videtur significare Apostolus, *ad Coloss.*, 1. *et ad Ephes.*, 1. Sed et adventum Filii sui in carne [*Oxon.* 4. d. 26. n. 12.] Deum revelasse Adamo ante ipsius peccatum, tradit idem Apostolus., 5. ad Ephes. *Sacramentum hoc magnum est, dico tamen in Christo, et in Ecclesia.* Igitur tunc Adam cognovit Christum futurum ob suam excel-

lentiam, et non propter peccatum suum, quod ipse futurum esse non praeviderat. — *Est responsio* ad hoc, Adamo quidem revelasse Deum Mysterium Incarnationis, sed nescisse causam eius; non enim quicumque cognoscit effectum, oportet ut sciat et causam ipsius. — *Contra,* Adam scivit Christum futurum independenter a suo peccato; ergo putavit praeordinatam esse eius futuritionem ob Mysterii excellentiam in se; id enim venisset in mentem cuivis, nedum Adae in statu innocentiae praesertim constituti; ergo potuit ex eo motivo praecise fuisse praeordinatam: sed haec ratio sublimior est motivo redemptionis humanae; ergo putandum est ad hanc primum Deum aspexisse.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7. — 3. d. 19. n. 6.] Mediatoris gratiam medicinalem superabundasse et cooperuisse nostra delicta, quia magis accepta fuit Trinitati oblatio facta a Christo in carne, quam displicuerit offensa Adae, ad quam sanandam et detergendam Deus ordinavit passionem Filii sui, qui alioquin venisset in mundum non in carne passibili et mortali, ut de facto venit, adimpleturus opus sibi iniunctum a Patre reparationis humanae.

ARTICULUS IV.

UTRUM PRINCIPALIUS CHRISTI INCARNATIO FACTA FUERIT AD TOLLENDUM PECCATUM ORIGINALE, QUAM ACTUALE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. — 4. d. 4. q. 2. *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 1. *a.* 4.

VIDETUR Verbum principalius carnem assumpsisse in remedium actualium peccatorum quam in medelam culpae originalis. Verbum enim carnem passibilem sumpsit propter salutem generis humani: sed huic fini magis adversantur peccata actualia contra legem divinam commissa, quam originale peccatum. *Minor probatur:* illud peccatum magis impedit nostram aeternam salutem, quod est gravius: originali autem culpa cuncta actualia peccata sunt graviora; in his enim perpetrandis propria uniuscuiusque voluntas concurrit, quod non evenit in culpa originali.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 21. q. 2. n. 5.] Existimandum est, Salvatorem principalius venisse in mundum, ut nos a principaliori poena liberaret: sed principalior poena non originali culpae, sed potius actualibus peccatis correspondet; ergo ad haec tollenda principalius venit. *Patet minor;* nam ut illud peccatum commissum fuit aliena voluntate, et transfusum in omnibus, quatenus omnes in Adam iustitiam originalem acceperunt, ita ei debetur minima omnium poena, scilicet sola carentia visionis beatificae; actualibus vero, ultra hanc, etiam poena sensus infligitur, quia per eam damnati cruciantur accerrime sine fine.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d.37. q. 1. n.9.] Rationabiliter videtur Christum principaliter venisse, ut destrueret principaliora mala: sed illud malum est principalius et gravius ex genere, quod opponitur rectitudini meliori; ea autem est melior rectitudo, quae est fini immediatior et propinquior, caeteris paribus; sed meliori rectitudini, ut divinae bonitati, et misericordiae, non originale peccatum, sed magis odium Dei, et desperatio opponuntur, et alia id genus gravissima actualia peccata; ergo ad haec tollenda Salvator principalius in mundum venit.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 6.] Principalior finis adventus Christi in carne passibili in eo statuendus est, per quod ipse est omnium hominum Redemptor et Salvator; ergo principalius advenit, ut liberaret a peccato originali; hoc enim peccato omnes naturaliter propagati infecti nascuntur, excepta B. Matre Christi; actualibus vero peccatis non omnes homines peccant, etsi id eis detur per gratiam Mediatoris.

RESPONDEO dicendum, Christum revera exhibuisse pretium, ac meruisse, ut delerentur omnia omnino peccata, tam actualia, quam originale; verumtamen principaliorem finem adventus sui fuisse ut deleret originale peccatum. Siquidem [*Oxon.* 3. d. 19. n. 5. — *Report.* ib. n. 6] potissima ratio meriti eius illa est, qua meruit, ut inimici et aversi a Deo ipsi unirentur, fierentque eius amici, et filii adoptivi, et haeredes regni caelestis: sed hoc fit per gratiam baptismalem in lege Evangelica, ut eveniebat in lege Moysi per Circumcisionem, et in lege naturae per sacrificia; igitur cum ea fuerint a Deo instituta adversus peccatum originale, ad hoc potissimum tollendum Christus venit in carne passibili. *Assumptum declaratur;* quia quamvis Christus nobis meruerit gratiam secundam, vel recuperandum per poenitentiam, vel augendam per usum Sacramentorum, aliosque actus meritorios, gratia huiusmodi secunda necessario requirit dispositionem in eo, qui vult amissam recuperare, vel cooperationem optantis habitam augere: cum autem meruit nobis gratiam primam, obtinuit per sua merita, ut unirentur etiam illi, qui numquam se disposuerunt; magis igitur meruit gratiam baptismalem et primam, quam quodcumque opus ex gratia ab hominibus repraesentandum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. per tot.] actuale peccatum peccanti gravius et maius malum esse, quam originale; verum quia actualia a nemine tolluntur sine voluntaria eius qui peccavit punitione, et eo quidem graviori, quo gravius delinquit; cum contra [ib. d. 4. q. 2. n. 4.] in baptismate remittatur originale, et infundatur gratia absque ulla suscipientis dispositione, qui si adultus sit, et tantum habeat originale, satis est, ut intendat recipere quodlibet Ecclesia intendit conferre; et si cum actualibus peccatis accedat, plenissimam obtinet omnis culpae, et poenae remissionem, modo saltem atteratur; manifestum est longe excellentius beneficium conferri nobis per merita Christi, prout meruit nobis primam gratiam, qua deletur originale, quam gratiam secundam, qua vel tolluntur actualia, vel prima gratia augetur.

AD SECUNDUM concedo, minorem poenam rependi a Deo ob solum originale, quam propter actualia, sicut minor gloria retribuitur habenti dumtaxat merita aliena sibi applicata, quam ei, qui habet etiam propria; sed tamen dico, non secundum hanc comparationem esse attendendam magis et minus principalem rationem meritorum Christi; sed potius, ut dictum est, in eo quod meruit nobis gratiam et gloriam, magis et minus dependenter a nostra cooperatione.

AD TERTIUM respondeo, actualia illa enumerata, et alia eiusmodi esse in se graviora mala, quam culpam originalem; nihilominus secundum aliam comparationem originale peccatum est maius quovis actuali, quia scilicet istud est commune omnibus filiis Adae, non ita omnia peccata actualia. Quoniam igitur [*Oxon.* 4. d. 43. q. 2. n. 22.] secundum rectam rationem malum commune est magis odio habendum, quam particulare alicuius personae, sicut bonum commune magis diligendum quam parti-

culare; rationabilius existimandum est, Christum principalius venisse ad malum illud commune destruendum, quam particulare cuiuscumque personae. Et revera [ib. 3. d. 3. q. 1. n. 6.] communiter ponitur necessitatem Incarnationis, passionis, et mortis Christi ortum traxisse immediatius a peccato originali quam ab actuali.

ARTICULUS V.

UTRUM CONVENIENS FUERIT DEUM INCARNARI AB INITIO MUNDI.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 1. *a.* 5.

VIDETUR conveniens fuisse Deum incarnari ab initio mundi. Nam [*Oxon.* 4. d. 46. q. 4. n. 1.] secundum Augustinum, 83. qq. q. 3. *Nullo sapiente auctore fit homo deterior;* ergo multo minus Deo auctore fit homo deterior: sed Christo suum adventum differente post multa saecula, genus humanum prolapsum fuit in deterius, ut patet de Idololatria fere toto terrarum orbe propagata, cui malo occurri potuisset per Evangelii promulgationem; ergo convenientius fuisset Deum incarnari ab initio mundi statim post peccatum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. q. 2. n. 1.] Misericors est promptus ad tollendam miseriam alienam: sed Deus est excellentissime misericors, iuxta illud Psalmi, 102. *Patiens, et multum misericors;* igitur decuit tantam misericordiam citissime sublevasse genus humanum de miseria culpae per adventum Filii Dei.

3. PRAETEREA. Quamvis post lapsum primi hominis nulla gratia collata sit hominibus, nisi intuitu passionis Christi praevisae; nihilominus [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2-9.] longe uberior gratia confertur post ipsam exhibitam passionem per Sacramenta, quae ab illa efficaciam acceperunt: sed ex uberiori gratia melius lex custoditur, et subinde evitantur peccata; ergo si passio Christi celerius fuisset repraesentata, et sacramenta instituta, ab innumeris sceleribus homines abstinuissent, et melius proinde consultum esset rebus humanis; igitur convenientiori ordine Incarnatio accelerata fuisset.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 1.] Ad Rom., 1. *Factus est ex semine David secundum carnem.* David autem erat futurus Rex Israëlitarum in Hierusalem, non sub initium mundi, sed post multa decursa saecula a condito orbe, et tempore praefinito in sapientia divina; igitur non conveniebat Deum incarnari ab initio mundi; fieri enim tunc homo nequaquam potuisset ex semine Davidis Regis.

RESPONDEO dicendum, conveniens non fuisse Deum incarnari ab initio mundi. Nam vel venisset modico illo tempore, quo perstitit innocentiae status, vel saltem post lapsum primi hominis quo ipse et posteri eius innocentiam perdiderunt: sed conveniens non fuit ipsum incarnatum esse, stante per illud modicum tempus innocentiae statu; nec statim post lapsum Adae: siquidem statuerat Deus Filium nasci de femina, atque ita de ipsa carnem sumere, ut per omnia esset similis aliis hominibus, quorum esset Rex et caput. At non de qualicumque femina, sed [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 4. seqq.] de Virgine operatione Spiritus Sancti foecundanda,

et quae esset Virgo ante partum, in partu, et post partum. Si natus autem fuisset in statu innocentiae, oportuisset ipsum carnem sumere de Eva, quod quamvis fieri haud dubie potuisset dum erat virgo, cuius virginitatis non esset violata in partu; tamen ipsa erat futura mater aliorum filiorum communi via, idest seminum commixtione propagandorum; igitur non conveniebat Christum nasci in statu innocentiae, ut non conveniebat feminam, quae operatione et virtute Spiritus Sancti semel peperisset, cognosci ab alio viro, et parere puros homines eam, quae Deum, et hominem genuisset.

Sed neque conveniens fuisset statim post commissum peccatum carnem Deum assumere: homo enim [*Oxon.* 3. d. 20. n. 3. seqq.] contemnens Domini praeceptum sponte et volens prolapsus est cum tota sua progenie in peccatum, et fecit sibi impotentiam resurgendi ex illo propriis viribus. Etsi igitur interim [4. d. 1. q. 3. n. 7.] ex sua immensa misericordia Deus, neque ipsum primum hominem neque descendentes ex eo reliquerit sine remedio necessario ad salutem, tam pro curandis actualibus, quam sanando originale peccatis; convenientissime nihilominus fuit differre adventum suum ad homines, nec statim carne indutum apparere post peccatum, ut ea dilatione homo magis cognosceret suam impotentiam, et humiliaretur in conspectu Maiestatis divinae, et qui peccaverat Deum contemnendo, proprio damno saperet, et indueret timorem eius; [*Oxon.* ib. 34. n. 20. — d. 36. n. 32.] iuxta illud Proverb., 1. *Initium sapientiae timor Domini,* qui non est aliud, quam humilitas, quae est principium virtutum: ea autem ex nostrarum miseriarum et impotentiae cognitione nascitur, et exinde humilis reputat parum, aut nihil valere in oculis suis. Conveniens igitur fuit genus humanum ad tempus relinqui, et non statim post lapsum ad eos hominem Deum descendere, ne forte ex excellentissimo beneficio sumerent magis occasionem superbiendi, et propriis meritis dari arbitrarentur, quod a sola misericordia divina ineffabiliter proveniebat, atque inde longe deteriores evaderent, unde oportuisset fieri meliores. — *Deinde,* [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. seqq.] cum Verbum omnino carnem sumere statuisse convenientissimum fuit, ut Deus in hoc altissimo mysterio sensim procederet, et qui fortiter et suaviter solet disponere omnia, et permittere causas secundas agere proprios motus et effectus, multo fortius decuit ita se gessisse in adventu Filii sui, et arduum humanae salutis negotium gradatim promovisse, et prius salvasse quos salvos fecit ob fidem venturi, et tandem electis credentibus in ipsum iam natum, suamque legem servantibus gloriam aeternam largiri; alioquin si subito post lapsum venisset, ordo iste fuisset inversus, nec processisset de imperfecto ad perfectum. Decebat igitur prius praecessisse legem naturae, et legem scriptam, et suis spatiis, et temporibus decucurrisse, et inde venire legis Evangelicae et perfectissimae Christum institutorem, a quo esset gratia et veritas in ea abundantia et efficacia, qua nequiit nec fuit conveniens dari, et extitisse, nec in lege naturae, nec in lege Moysi. — *Accedit* etiam, quod quamvis Incarnatio Filii Dei fuerit opus mere gratiae divinae, adeo ut nullis operibus bonis, ne humanitatis quidem Christi, potuerit promereri; congruum tamen fuit, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] ut respectu eius accelerationis merita Beatae Virginis et Sanctorum habuerint aliquem influxum, quatenus Deus videns ardentissima desideria B. Virginis et aliorum Sanctorum cupidissime, instantissimeque Christi adven-

tum efflagitantium, tandem mitteret Filium suum in mundum citius forte, quam peccatorum hominum demeritis deberetur; non potuissent autem ea merita Sanctorum praecedere, si statim post lapsum venisset.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, per peccatum primi hominis genus humanum prolapsum esse in deterius; sed [*Oxon.* 4. d. 46. q 4. n. 6-7.] sicuti peccati primi non fuit auctor Deus, verum dehortator et vindex, ita nec aliquod deterius generi humano evenit Deo auctore. Et licet Deus potuisset impedire sequentia peccata, iustum tamen fuit ea permittere in poenam peccati primi. Unde ait Augustinus super Psalm.: 5. versic., 4. *Cum punit Deus peccatores malum suum non infert, sed suis malis malos relinquit.* Et quamvis Deus sit causa negativa ipsorum peccatorum, quatenus non impedit, ut posset, non est tamen eorum auctor aut prima causa, quia talis est ipsa voluntas peccatoris. Et porro iustissime Deus ita se gerit, quemadmodum si quis per culpam se praecipitaret in foveam, a qua non posset evadere non solum propriis viribus, sed nullius alterius, nisi virtute eius, quem actu se praecipitando offendit, iustissime in ea impotentia desereretur. Ita de genere humano per Adae culpam vitiato. Ut ergo non fuit a Deo quod vitiaretur, ita nec quod in tot peccata prolaberetur, et nihilominus semper habuit paratam medicinam ad salutem necessariam pro omni lege et statu, sicut dictum est, et amplius dicetur *q.* 61.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 2.] effectum infinitae misericordiae Dei fuisse numquam derelictum esse genus humanum sine remedio necessario ad salutem; sed non oportuisse propterea, nec conveniens fuisse statim post commissum peccatum Deum incarnari, quia etsi deceat misericordem esse promptum ad tollendam miseriam, sicuti de facto Deus talem semper cum hominibus se ostendit, tamen aliquando recta ratio et iustitiae ius exigit inferri miseriam, seu ipsam non auferre; et ita evenit hominibus, qui cum Deum contemnentes peccant, iuste Deus in poenam peccati eos in alia scelera proruere sinit.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. seqq.] verissimum esse uberiorem gratiam conferri post passionem exhibitam, quam per praevisam, ac propterea occurri potuisse celerius hominibus in scelera proruentibus per accelerationem adventus et passionis Christi; sed tamen id conveniens non fuisse, ne inde homo magis occasionem sumeret superbiendi, et parvifaciendi dona caelestia; potius igitur conveniebat ad tempus congruum in sua miseria relinqui, ut inde humiliati discerent et intelligerent, propriis viribus non valere ex malis emergere, sed indigere gratia Dei per Mediatoris merita sibi conferenda.

ARTICULUS VI.

UTRUM INCARNATIO DIFFERRI DEBUERIT USQUE AD FINEM MUNDI.

Doctor, locis infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 1. *art.* 6.

RESPONDEO dicendum, non fuisse conveniens Christi adventum differri usque ad finem mundi. Nam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. — d. 3. q. 4. n. 3.] cum lex Evangelica sit perfectissima omnium aliarum, et cui alia non sit aliquando successura, sed ipsam excipiat status finalis beatitudinis,

atque data non sit pro aliqua particulari gente, ut lex Moysi pro solis descendentibus de Abrahamo, sed pro toto genere humano, omnibusque filiis Adae, conveniens non fuit legem hanc promulgari sub mundi finem; nam eo quod pro omnibus data sit hominibus, per universum orbem est dilatanda, promulganda, et observanda. At si sub fine mundi esset lata, id fieri non potuisset, nisi miraculose, et non [*Quodlib.* q. 21. n. 15.] pro more Providentiae divinae suaviter iuxta ac fortiter disponentis omnia, et proprios motus causas secundas agere sinentis. Igitur quandoquidem legem hanc perfectissimam Christus Dei Filius in mundum erat allaturus, non fuit conveniens ipsum expectare mundi finem, sed opportuno tempore, ante saeculi consummationem hominibus illuminandis advenire.

QUAESTIO SECUNDA.

DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de modo unionis Verbi Divini Incarnati. et *primo,* quantum ad ipsam unionem: *secundo,* quantum ad Personam assumentem: *tertio,* quantum ad naturam assumptam.

Circa primum quaeruntur duodecim.

1. Utrum unio Verbi Incarnati sit facta in natura. — 2. Utrum sit facta in Persona. — 3. Utrum sit facta in supposito, vel hypostasi. — 4. Utrum Persona vel hypostasis Christi post Incarnationem sit composita. — 5. Utrum sit facta aliqua unio Animae et Corporis Christi. — 6. Utrum natura humana fuerit unita Verbo accidentaliter. — 7. Utrum ipsa unio sit aliquid creatum. — 8. Utrum sit idem quod assumptio. — 9. Utrum unio duarum naturarum sit maxima unionum. — 10. Utrum unio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam. — 11. Utrum eam aliqua merita praecesserint — 12. Utrum gratia unionis fuerit homini Christo naturalis.

ARTICULUS I.

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI SIT FACTA IN NATURA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 5. — *Quodlib. q.* 19. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *a.* 1.

VIDETUR unio Verbi facta esse in natura. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 5. n. 1.] per illam rationem convenit Verbo terminare unionem, per quam convenit sibi continere perfectionem suppositi creati, et per quam natura creata est in potentia obedientiali ad Verbum; istae enim assignantur rationes possibilitatis Incarnationis ex parte assumentis, et naturae assumptae: sed haec conveniunt Verbo per essentiam, non per aliquam rationem personalem, quae non est formaliter infinita; igitur unio haec facta est in natura.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Assumens communicat *esse* naturae assumptae: sed *esse* in Divinis est essentiale; igitur aliquod essentiale, quod est praecise ratio essendi, est pariter Verbo ratio terminandi: ratio autem essendi, est natura; ergo est pariter ratio terminandi.

3. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 19. n. 16.] Unio realis habet terminum realem; quae igitur sunt simpliciter idem in re, sunt idem in terminando talem unionem: proprietas et essentia sunt idem simpliciter in re; igitur sicut unum terminat, sic et reliquum terminabit.

4. PRAETEREA. [*Quodlib.* ib.] Ad relativum ut relativum non dependet aliud a suo correlativo; igitur ad Verbum ut Verbum non dependet natura humana, quia solus Pater est eius correlativum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 5. n. 2.] Persona una assumit, et non alia; igitur per illud, quo est haec persona distincta, et determinata: sed hoc tantum est proprietas relativa, cum essentia sit una et communis tribus; ergo unio Verbi incarnati non est facta in natura divina.

RESPONDEO. [*Oxon.* ib. n. 5.] dicendum, non essentiam, sed proprietatem personalem esse rationem terminandi unionem hypostaticam. *Probatio:* in quocumque supposito est ratio formalis terminandi istam unionem, ipsum terminat eam: sed Pater, in quo est essentia divina, non terminat unionem hanc; igitur in ipso non reperitur ratio formalis terminandi; ergo debet esse proprietas personalis Filii, quae non est in Patre. *Probatio maioris:* suppositum non terminat, nisi quia habet rationem formalem terminandi, sicut non creat, nisi quia habet rationem formalem creandi, et ideo in quocumque est ratio formalis proxima creandi, creat; unde tres Personae simul influunt in terminum creationis. Ergo si una, et non aliae terminant istam unionem, est in ipsa ratio terminandi, quae non est in alia.

Fortassis diceretur rationem terminandi esse essentiam; verum [*Oxon.* 3. d. 1. q. 5. n. 6.] quia proprietas est conditio sine qua essentia non terminat, propterea unam personam, et non omnes terminare eam unionem.— *Contra* est, quia in quocumque reperitur formalis ratio agendi, et prius natura, quam terminus sit productus, illud est ei ratio et principium agendi; hinc Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum, et tres Personae ex aequo creant, et Filius non producit se, aut alium filium, quia memoria foecunda est in ipso non prius, sed simul natura cum termino producto. Igitur a simili: illud quod est ratio terminandi istam unionem erit habenti prius ratio terminandi, et quidem ratio praecisa; igitur, cum ea ratio sit in tribus Personis priusquam terminet istam relationem unionis ad ipsam, ut in tribus terminaretur, et nulla proprietas posterior id posset impedire.

Aliter potest responderi sic: [*Oxon.* ib.] etsi essentia sit ratio terminandi unionem, tres tamen Personae non terminant ipsam; quia essentia alio et alio modo est in tribus Personis, et ideo non omnes terminant. — *Contra* hoc arguitur; [*Oxon.* ib. n. 7.] nam haec unio realis est ad terminum realem: sed iste modus habendi essentiam est praecise relatio rationis in ipsa essentia; alias enim essentia realiter referretur ad se, vel ad Personam; ergo essentia, ut sic habita, non est formalis ratio terminandi unionem; ita quod sic haberi sit proxima ratio terminandi eam. *Deinde,* ista diversitas modi habendi essentiam non est nisi diversitas originis, quod scilicet Pater sit a se, Filius ab ipso, et Spiritus Sanctus ab utroque, et ex hac diversitate non oritur Filium terminare debere unionem, si formalis terminus eius sit essentia; quia illa diversitas esset eadem si Pater fuisset incarnatus, et nihilominus Filius non terminaret unionem; igitur propter illam distinctionem, quae necessaria est, non est essentia ratio terminandi uni, et non aliis, quod terminare est contingens.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 5. n. 4-8.] *assumptum* esse falsum; tamen declarantes possibilitatem Incarnationis ex continentia virtuali suppositi creati in assumente, et ex potentia obedientiali in natura assumpta, debent fateri essentiam esse formalem rationem terminandi ipsam unionem, quia continentia virtualis in termino, et potentia obedientialis in dependente spectant ad essentiam infinitam et omnipotentem. Sed aliter a nobis declarata fuit possibilitas Incarnationis in *quaestione fundamentali* de possibilitate Incarnationis.

AD SECUNDUM concedo, assumens communicare esse naturae assumptae, idest existentiam suam incommunicabilem, quatenus existentia incommunicabilis non ex alio, ut puta ex natura. est ratio terminandi dependentiam naturae assumptae. Sed [*Oxon.* 3. d. 1. q. 5. n. 8.] ex tali communicatione non intelligimus esse divinum informare formaliter naturam humanam, nec etiam effective communicare, sic quod persona assumens det effective aliquid naturae assumptae; nam is actus est communis tribus Personis. Istud igitur communicare est terminare dependentiam existentiae actualis naturae assumptae, non quasi terminus eius sit realis existentia naturae assumentis, sed subsistentia, seu incommunicabilis existentia.

AD TERTIUM dicendum [*Quodlib.* q. 19. n. 16.] concludere contra eos, qui non cognoscunt aliquam differentiam realem formalem inter essentiam et proprietatem, non contra nos, qui ponimus distinctionem formalem ante omne opus intellectus.

AD ULTIMUM: [*Quodlib.* ib.] dici potest uno modo, negando *antecedens*. Nam aliud est dependere ad relativum, ut correlativum, et aliud dependere ad ipsum Verbum relativum; licet enim natura humana assumpta a Verbo divino dependeat ad ipsum tamquam ad Verbum; non tamen dependet ad ipsum ut ad correlativum. – *Aliter etiam potest dici,* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 21.] naturam assumptam dependere ad Verbum, sed non proprie, ut ad relativum, sed ut ad incommunicabile subsistens. — *Potest denique responderi,* quamvis relativum, inquantum tale, non possit terminare dependentiam causati ad causam, potest tamen terminare dependentiam, quae est alterius rationis, illam scilicet, quae est naturae ad suppositum inquantum suppositum; ad terminandam enim hanc dependentiam sufficit quaecumque entitas, quae potest esse propria ratio suppositi, qualis ratio ponitur esse relatio in divinis Personis.

ARTICULUS II.

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI SIT FACTA IN PERSONA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *Report. ib.* — *Quodlib. q.* 19.
S. Thom. 3. *p. q.* 2. *a.* 2.

VIDETUR, unio Verbi incarnati non fuisse facta in persona. Etenim [*Quodlib.* q. 19. n. 21.] natura substantialis non est nata dare supposito, nisi *esse* simpliciter, et per consequens non praesupponit esse simpliciter: natura autem dependens ad suppositum alienum praesupponit in ipso esse simpliciter, quia esse naturae propriae; ergo natura substantialis, qualis est humana, non potest dependere ad suppositum Verbi. *Probatur assumptum:* natura substantialis est entitas simpliciter, sicut accidentalis est entitas

secundum quid: sed qualis est aliqua entitas formaliter tale esse tribuit; ergo sicut entitas secundum quid tribuit simile esse, ita entitas simpliciter dat esse simpliciter; igitur non praesupponit esse simpliciter; quod si praesupponat, uniri ei non potest hypostatice.

2. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 19. n. 21.] Omne dependens habet intrinsece aliquid, quod est sibi ratio dependendi, alioquin non esset ratio cur magis dependeret, quam aliud non dependens: sed natura non habet, nec habere potest aliquod tale intrinsece quod sit sibi ratio dependendi ad Verbum. *Probatur minor: tum* quia natura illa potest deponi, nullo absoluto corrupto in ea; si autem esset in ea absolutum novum, a quo dependeret, oporteret tunc illud corrumpi: *tum* quia naturae eiusdem rationis competit similis ratio dependendi ad eiusdem terminum; natura autem Christi et Petri sunt eiusdem rationis, et naturae Petri non convenit illud, quod dependeat ad Verbum, quia tunc violenter subsisteret in se; igitur nec in natura humana Christi est ponendum tale novum absolutum per quod dependeat ad Verbum.

3. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 19. n. 21.] Propria personalitas, quae potest competere humanae naturae Christi, est personaliter eadem sibi; igitur manente hac natura manet habens propriam personalitatem: sed stante in natura propria personalitate, nequit dependere ad extrinsecam personam, quia nec illi personaliter uniri; igitur non potest fieri haec unio in persona Verbi. *Probatur antecedens:* nam huic naturae humanae singulari posset competere propria personalitas; sed haec non potest aliud quid ab ipsa, nec aliquod accidens; accidens enim non potest esse ratio personandi substantiam, cum personalitas sit ultimum complementum naturae substantialis; nec potest alia substantia esse ab hac natura, quia nec substantia composita, nam talis substantia composita non est ratio formalis personalitatis alteri substantiae compositae, nec potest esse sicut pars, quia non maneret eadem substantia composita, nisi maneret eadem utraque pars substantialis.

CONTRA. [*Quodlib.* q. 19. n. 2.] *Verbum caro factum est. Ioann.*, 1. Ubi caro secundum August., *in Ench.*, c. 33. pro homine ponitur: Verbum autem est persona Filii; igitur natura humana singularis unita fuit in persona Verbi per unionem hypostaticam.

RESPONDEO dicendum, unionem Verbi incarnati esse factam in persona ipsiusmet Verbi. Supposita enim veritate ipsius unionis ad Verbum, [*Quodlib.* q. 19. n. 2.] adeo ut natura non sit unita cuilibet Personae Trinitatis, sed soli Filio, utique natura humana dependet speciali dependentia ad Filium, et per consequens haec dependentia non potest esse causati ad causam, quia secundum August., 5. *De Trinit.*, c. 14. *Ad creaturam Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt unum principium.* Sequitur autem, rationem formalem terminandi istam dependentiam non esse aliquod commune tribus Personis; quia in quocumque est illud, quod est formalis ratio terminandi aliquam dependentiam, et prius naturaliter, quam dependentia sit terminata, ad ipsum dependet dependens. Si igitur ratio terminandi esset communis tribus Personis, tota Trinitas terminaret, quod fidei veritas improbat. — Ratio igitur terminandi dependentiam naturae assumptae [*Quodlib.* ib. n. 3.] est entitas personalis Verbi divini. Nam realis unionis est aliqua entitas realis formalis terminus, sive ratio terminandi: sed quaecumque entitas, generalissime loquendo de entitate, vel est entitas

essentialis sive naturae, vel est entitas hypostatica sive personalis, quando est in natura intellectuali, de qua loquimur. Cum haec igitur dependentia non terminetur ad naturam in Deo, debet necessario terminare ad entitatem hypostaticam Verbi. Non est ergo haec dependentia ad aliquod communicabile, ut ad per se terminum, sed magis ad aliquod incommunicabile, sive incommunicabiliter subsistens ut tale, sicut communicari est naturae dependentis vel communicabilis, vel communicatae.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum, [*Quodlib.* q. 19. n. 24.] utique naturam substantialem natam esse dare supposito esse substantiale, sed non oportere id forè primum esse suppositi, habentis per ipsam esse, nisi quando est eius per se suppositum. At quando est eius suppositum non per se, sed per se alterius naturae, tunc suppositum per illam alteram habere prius esse substantiale.

Ad secundum respondeo, [*Quodlib.* ib. n. 25.] *assumptum* est verum intelligendo indifferenter de ratione formali dependendi, vel fundamentali; natura enim assumpta habet rationem formalem dependendi, scilicet ipsam dependentiam, et rationem fundamentalem, imo ipsa est proxima ratio fundamentalis dependentiae, licet non necessario consequatur ipsam talis dependentia actu, sed aptitudine, quod non est aliud, quam ipsius non repugnantia ad dependendum ad personam extrinsecam; et ita si natura deponeretur, non oporteret aliquod absolutum corrumpi, id enim non habuit quod scilicet fuerit necessaria ratio actu dependendi. Sed ipsamet natura sub ratione absoluta fuit proximum susceptivum dependentiae, et sine illa manere potest, sicut sine respectu non necessario consequente potest esse, et manere fundamentum absolutum. — *Ad aliam probationem patet;* quia licet naturae eiusdem rationis habeant aptitudinem similem ad dependendum, non oportet autem, ut si una dependet actu, et alteram similiter dependere, ut constat de accidente coniuncto et separato.

Ad tertium dicendum, procedere de ratione incompleta personalitatis, scilicet de incommunicabilitate ut *quod;* ea enim est naturae identificata, nec ab ipsa ullo modo separabilis; sed non concludere de incommunicabilitate ut *quo,* quae ab illa est separabilis, ut declaratum fuit *art.* 2. et 3. *quaest. fundam.*

ARTICULUS III.

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI SIT FACTA IN SUPPOSITO VEL HYPOSTASI.

Doctor, Quodlib. q. 19. — *Oxon. d.* 2. *q.* 1. *art.* 2. — *Report. ib. q.* 2. *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *art.* 3.

Videtur, unio Verbi incarnati minime facta esse in supposito, sive hypostasi. Nam [*Oxon.* 3. d. 8. n. 4. — 4. d. 12. q. 3. n. 41.] Christus secundum humanam naturam exercebat omnes illas actiones et operationes, quae consequuntur alios homines; ergo Christus secundum naturam humanam oportuit habuisse propriam hypostasim vel suppositum; adeoque unio Verbi non fuit facta in supposito. *Probatio consequentiae:* siquidem actiones sunt suppositorum, et humanae operationes non poterant esse a supposito Divino.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 23. n. 4.] Hypostasis, vel suppositum, vel est idem quod Persona, vel quid diversum ab illa. Si idem, igitur sunt in Christo duo supposita, et duae Personae: quia secundum Boëthium *de duab. nat. Persona,* non est aliud, nisi *rationalis naturae individua substantia.* Verbum autem assumpsit naturam individuam, iuxta Damasc. *lib.* 3. *cap.* 1. est igitur persona. Si vero non est idem, quod suppositum; ergo quamvis unio Verbi incarnati facta sit in Persona, non tamen in supposito; sed supposita, vel hypostases oportet in Christo multiplicari. — *Et si dicatur,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 5 8.] unicam esse rationem personalitatis, et suppositalitatis in Deo, et ideo, si unio facta est in persona Verbi, oportet necessario factam quoque esse in supposito, vel hypostasi. *Contra* si uniretur Verbo divino natura non intellectualis, profecto ea unio non foret ad personam, sed ad suppositum; ergo est alia, et alia ratio personae, et suppositi in Deo; ac proinde potuit natura humana esse unita Verbo sub ratione personae, et non suppositi, seu hypostasis, et ita retinuisse propriam suppositalitatem in Verbo, dimissa vel consumpta ipsius personalitate a Persona Verbi.

3. PRAETEREA. Deus, secundum omnia quae in eo sunt, est extra genus; ens enim finitum dividitur in decem genera, et ita infinitum nequit in genere contineri: sed Christus, secundum quod est homo, est in genere, quia intrinsece finitus secundum humanitatem; ergo ipse secundum humanitatem est individuum humanum, et suppositum humanum, quia [*Oxon.* 3. d. 22. n. 6.] illa sunt per se in genere, quae includunt quidditatem: suppositum autem hominis includit eius quidditatem; ergo est per se in genere, et ita est in Christo suppositum humanum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 8.] Damasc., lib. 3. c. 3. *Christus est nomen hypostasis duarum naturarum existens significativum.* Igitur unio Verbi incarnati facta est in illa ipsa hypostasi Verbi, in qua duae naturae subsistunt.

RESPONDEO dicendum, unionem Verbi incarnati factam esse in supposito vel hypostasi ipsius Verbi. Etenim *ex art. antec.,* ea unio facta est in Persona Verbi, quae Persona in duabus subsistit naturis: sed eadem formaliter est ratio personae, et suppositi seu hypostasis; ergo illa unio est pariter facta in supposito, seu hypostasi. *Declaratur minor:* [*Quodlib.* q. 9. n. 3.] nomine *suppositi,* vel *hypostasis* intelligimus ens per se habens actualitatem ultimam; ita ut non sit ordinabile per se ad aliquem actum simpliciter ultra istum, per quem est in ultima actualitate; qui quidem actus ulterior possit esse actus eius per se, vel primo, vel participative. Haec igitur est ratio suppositi omni substantiae completae per se existenti communis, quae propterea independenter ab omni alio existit et subsistit, estque alteri incommunicabilis ita intellecta in ea ratione ultimae actualitatis. Sed eadem quoque est ratio personae; quae idcirco est alteri incommunicabilis, quia ultimam in se habet actualitatem, ideoque independenter ab omni alio existit et subsistit; ergo nequit esse facta unio Verbi incarnati in persona, quin una facta sit in supposito, hypostasi, quos inter nequit esse alia distinctio, nisi materialis, et connotativa; nam existentia completa et incommunicabilis in natura intellectuali persona est, et dicitur ob gradus altioris dignitatem; eadem ratio in natura substantiali, non intellectuali, suppositum appellatur. — *Denique,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 8.] eo quod Deus sit summe simplex

nequit in eo esse ordo aliquarum realitatum, quarum una contrahat aliam, quia id profecto excluderet summam simplicitatem; igitur nec est in Deo imaginanda aliqua realitas, a qua sit hypostasis determinabilis, a realitate, a qua est Persona; imo nulla est ibi a parte rei diversitas harum realitatum, sed solummodo per rationem comparantem fundamenta diversa dependentiarum ad idem indistinctum. At omnis unio realis est ad terminum realem, et secundum quod est realis: non igitur potest esse unio realis ad Personam, et non ad hypostasim; cum nulla sit ibi distinctio realis, vel antevertens rationem inter Personam, et hypostasim.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 1. d. 12. q. 1. n. 16.] actiones et operationes quidem esse suppositorum, non sic ut ipsa supposita per propriam rationem suppositi eas eliciant, quia effective sunt a ratione formali agendi; sed dicuntur esse suppositorum, quia ab illis actibus supposita denominationem accipiunt; et ita Verbi suppositum dicebatur exercere operationes, quas Christus per naturam humanam efficiebat; sed non propterea propriam hypostasim ea natura habebat, quia tunc non potuisset esse Verbo unita, nec ullatenus Verbum ab actibus humanis aliquam denominationem accepisset.

Ad secundum respondeo: suppositum, vel hypostasis est omnino formaliter idem ac persona, ut declaratum fuit *in solutione — Et cum arguitur,* quia tunc natura humana in Christo est persona, iuxta Boëtii definitionem; *dicendum* [*Oxon.* 1. d. 23. n. 4.] illam Boëtii descriptionem esse declarandam ex Richardo, 4. *De Trinit.,* c. 22. dicente: *Persona est intellectualis naturae incommunicabilis existentia.* Et quoniam natura humana est Verbo communicata, nequit esse persona aut suppositum, esto individua sit. — *Et cum instatur,* quia si Verbo unita foret natura non intellectualis, tunc unio esset ad suppositum, et non ad personam; *neganda est* ista propositio, [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 5 8.] quia nulla est in Deo distinctio realitatum sese mutuo perficientium, seu contrahentium, ideo ea unio naturae non intellectualis esset ad formalem rationem personae seu suppositi, et in tantum non personaretur, inquantum habet alium modum dependentiae a natura intellectuali, quae alietas seu diversitas modorum dependentiae consistit in hoc, quia sicuti lapis in se non foret persona, sed suppositum; ita cum dependet ad alienam substantiam, non est persona, sed suppositum; e contra vero natura intellectualis, quia sibi dimissa est persona, ita si dependeret ad alienum suppositum, pariter esset persona.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 2. d. 3. q. 4. n. 7-8.] in coordinatione praedicamentali sunt omnia, quae per se spectant ad illam coordinationem, et ita sunt ibi genus supremum, intermedium, et species infima, et singulare, de quo species praedicatur, et ipsum de nullo alio, et quidem quatenus abstrahunt ab omni existentia, quia hic homo non magis includit formaliter existentiam, quam homo. Ratio igitur suppositi non est in praedicamentali coordinatione, quia haec existentiam concernit, et operationes, quae non sunt nisi ab existenti. Natura humana quae est in Christo non est in praedicamento substantiae, nisi quatenus ab omni abstrahit existentia, et ita pariter ab ratione suppositi et personae. Quod si ut in Verbo existit velis eam ad Praedicamentum spectare, tunc ut non est persona hominis, ita nec hypostasis vel suppositum humanum. Quia [*Oxon.* 3. d. 6. n. 2.] licet Verbum habeat sibi personaliter unitam

naturam humanam, non duo tamen, sed unus est Christus. De qua re infra, *q.* 17. *art.* 1.

ARTICULUS IV.

UTRUM PERSONA CHRISTI POST INCARNATIONEM SIT COMPOSITA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 6. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *a.* 4.

VIDETUR, Persona Christi esse composita appellanda post incarnationem. [*Report.* 3. d. 6. q. 3. n. 1.] Siquidem compositum eum vocat Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 7. dicens: *Composita facta, quae prius erat simplex Verbi Dei hypostasis, composita quidem ex duabus perfectis naturis, divinitate scilicet et humanitate;* ergo etsi Christi Persona fuerit simplex ante Incarnationem, tamen per unionem naturae humanae composita effecta est.

2. PRAETEREA. Illud in quo duo conveniunt potest dici compositum in eis: sed in Christi hypostasi conveniunt divina et humana natura, in quibus ea Persona subsistit; ergo recte appellatur composita ex duabus naturis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 6. q. 1. n. 8.] Christus, esto non appelletur ens per accidens, quia forte ea locutio esset simplicium aurium offensiva, revera tamen est unum includens duo, quorum unum advenit alteri habenti esse completum, ac propterea non perficiens illud, nec constituens tertium: sed huiusmodi adunatio duorum simplicitatem excludit, alioquin non intelligerentur unita in unum reali nexu: ergo illud unum, in quo fit unio, debet esse compositum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 5.] Damascenus, lib. 3. c. 3. *Si Christus esset compositus, neque esset Deus, neque homo:* Sed verissime Christus est Deus et homo; ergo ipsius Persona non est composita post incarnationem.

RESPONDEO, [*Oxon.* 1. d. 8. q. 1. per tot. agit de Dei simplicitate.] dicendum, certum esse de fide Verbi divini Personam subsistere in duabus naturis post incarnationem, sed non propterea esse compositam appellandam; nam [*Oxon.* 3. d. 6. q. 3. n. 2.] neutra earum naturarum est actus alterius existentis in potentia; neque ex illis integratur aliquod unum, quemadmodum dicuntur elementa confluere ad alterius productionem, secundum Philosophum. Cum igitur ibi nullum genus compositionis possimus excogitare, praesertim cum Verbo divino repugnet ratio partis, et quod componitur ex partibus constat et coalescit, sequitur, proprie loquendo non posse vocari post Incarnationem Personam Christi compositam, etsi in duabus revera naturis subsistat; in una a qua habet primum *esse,* in alia quasi adventitia unde accipit secundum *esse.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 2.] non aliud Damascenum tali in loquutione intellexisse, nisi revera in Christi Persona reperiri divinam et humanam naturam illi unitam, non secus ac si ipsam componerent Personam; sed revera, ut ibi procul abest omnis compositio, ita proprie loquendo nequit ea Persona appellari composita. Quod et in sententia docet idem Damascenus, lib. 3. c. 3. *Si secundum Haereticos,* dicens, *unius naturae compositae Christus extitit, ex sim-*

plici natura versus est in compositam, et neque Deus vocatur, neque homo; quemadmodum ex anima et corpore hominem esse aimus, vel ex quatuor elementis corpus, et neutrum componentium est. Quoties ergo invenitur appellasse Christi Personam *compositam,* est exponendus, uti dictum fuit, nec sibi contradixisse videatur.

AD SECUNDUM respondeo: [*Oxon.* 3. d. 6. q. 3. n. 2.] illud in quo duo conveniunt non potest recte dici compositum, nisî ea duo aliquo genere compositionis illud unum componant. Unde quamvis Trinitas superexaltata Personarum sic conveniat, ut tres Personae sint unum in essentia; nihilominus etiam stante distinctione numerali trium, nullam efficiunt compositionem. Quapropter [*Oxon.* 1. d. 24. n. 1.] etsi in Christi Persona sit numerus duarum naturarum; quia tamen divina Persona, ob infinitatem, neque est potentialis, neque est actus naturae, neque potest esse pars alicuius, ideo, sicuti nullam omnino facit compositionem, ita nequit appellari compositá.

AD TERTIUM dico: [*Oxon.* 3. d. 6. q. 3. n. 2. — *Report.* ib. n. 5.] Christi Persona est simplicissima sicuti reliquae duae Personae Divinae. Et quamvis Christus includat naturam humanam, secundum quam unctus est a Spiritu Sancto prae omnibus membris corporis sui mystici, ab ea tamen natura nec perficitur, nec eam perficit tamquam actus, nec ambae concurrunt ad aliquod tertium efficiendum, quod non sit ipsa Persona, et natura umana; adunatio ergo illa simplicitatem non excludit, et ideo nec inducit ullam compositionem.

ARTICULUS V.

UTRUM SIT FACTA ALIQUA UNIO ANIMAE ET CORPORIS IN CHRISTO.

Doct., Report. 3. *d.* 6. *q.* 3. *et* 22. — *Oxon. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *a.* 5.

VIDETUR haud facta esse aliqua unio animae et corporis Christi. Nam si anima extitisset corporis actus, priusquam a Verbo assumeretur, iam inde factus esset hic homo: sed hic homo non est ad alienum suppositum assumptibilis; ergo si praecessisset unio animae et corporis, non fuisset homo ille a Verbo assumptus. *Probatio minoris:* hic homo est suppositum et persona: persona autem non est alteri personae communicabilis; igitur non esset homo a Verbo assumptus.

2. PRAETEREA. Si oportuisset fieri unionem animae et corporis in Christo, maxime ut illa caro foret et diceretur esse corpus Christi: sed perinde fuisset citra animae informationem; ergo non est ponenda eiusmodi unio animae et corporis. *Probatio minoris:* etenim fatendum est in triduo mortis non extitisse eam unionem: sed tunc corpus illud exanime perinde erat Christi corpus, ac fuerit ante mortem; ergo non oportet ponere aliquam unionem inter corpus et animam.

3. PRAETEREA. Eatenus praecedere debuisset animae et corporis unio in Christo, quatenus sine anima corpus illud vitae expers fuisset: sed sine animae unione ad ipsum vivere poterat; ergo non oportebat sibi animam unire. *Probatur minor:* nam corpus illud erat unitum Verbo principio omnis vitae, et activi eminentissimi contentivo omnium formarum; ergo citra unionem animae vitam corpori tribuere poterat.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 6. q. 3. n. 1.] *De Haereticis, cap. Cum Christus,* Alexander, III. in Concilio Lateranensi condemnavit hanc sententiam: *Mandamus,* inquiens, *quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de caetero audeat dicere Christum non esse aliquid secundum quod homo: quia Christus sicuti verus est Deus, ita verus est homo ex anima rationali et humana carne subsistens.*

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 3. d. 6. q. 3. n. 2.] oportuisse omnino animam Christi uniri corpori eius tamquam partem hominis essentialem, ad hoc, ut Verbum humanam naturam in athomo assumeret. *Probatur primo;* nam ad rationem essentialem hominis spectant ex aequo anima rationalis et corpus, quatenus ex ipsis fit per se unum, quod est homo, in tantum ut, si intelligatur anima, aut corpus seorsim, et non reali unione unita, homo minime sit, nec dicatur: sed revera Verbum hominem assumpsit, vel naturam humanam in athomo; ergo anima erat unita corpori, qua ex unione partium effectus est homo. — *Deinde,* si anima non extitisset corpori unita, cum Verbo hypostatice uniebatur natura humana in Christo, esset imperfectior, quam in caeteris hominibus; sed hoc non est verisimile; ergo erant per se partes illae unitae. *Sequela* ex eo constat, quia in caeteris hominibus, nedum sunt partes illae essentiales, sed etiam est per se unum, constans partibus illis; et hoc in Christo non inveniretur. — *Denique,* anima suapte natura inclinatur ad perficiendum corpus, et vicissim corpus habet inclinationem naturalem, ut perficiatur ab anima; igitur eae partes in Christo perpetuo forent in statu violento, quia numquam ipsarum inclinatio naturalis expleretur; semper enim sunt permansurae eodem modo, quo a principio assumebantur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Report.* 3. d. 6. q. 3. n. 3.] propositionem illam, *Persona Verbi assumpsit hunc hominem,* de rigore sermonis non esse veram; sed proprie loquendo, hanc, *Persona Verbi assumpsit naturam humanam in athomo;* esse concedendam. Et rationem esse, quia assumens non est assumptum; at hic homo est Deus. Non potest itaque cum omni proprietate sermonis pronunciari, *Deus assumpsit hunc hominem.* Quoties ergo inveniuntur Patres dicere, *Verbum assumpsisse hunc hominem,* exponendi sunt, eos intelligere, ac accipere *hunc hominem* pro toto positivo, per quod est hic homo; at huiusmodi positivum melius exponi per naturam humanam in concreto metaphysico, a quo nempe est humanitas, quam per hunc hominem. Negandum est igitur naturam humanam in athomo non esse assumptibilem ad subsistendum in aliena persona; cum enim in se non intelligatur incommunicabilis, nec proinde est in se personata, bene tamen foret in instanti sequenti, et ideo in eodem a Verbo assumpta est, et in ipso personata. Caeterum [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 3. — d. 3. q. 1. n. 15-16.] eamdem habet veritatem, si admittatur illa loquutio, *Verbum assumpsit hunc hominem.* Nam *hic homo* non est persona, sed personabilis in instanti sequenti, cum scilicet intelligitur individuum independens; in instanti autem priori nec est dependens, nec indepedens ad aliud suppositum.

AD SECUNDUM dico, necessarium praesertim fuisse animam Christi corpori uniri, ut Verbum naturam assumeret humanam in athomo, quae exinde unio erat disrumpenda per mortem. Sicuti ergo alioquin Verbum non assumpsisset hominem, ita nec homo Deus factus esset, nec quidem mortuus; nam anima semper a corpore separata extitisset.

AD TERTIUM respondeo: necessarium erat animam corpori uniri, ut inde efficeretur natura humana a Verbo assumptibilis, unde Christus verus esset Deus et homo; et sicuti corpus sine anima non est homo, ita nisi informetur ab anima, non est formaliter vivum. — *Cum itaque dicitur,* Verbum ex ratione actus eminentissimi supplere potuisse quicquid erat anima praestitura; *respondeo:* [*Rep.* 3. d. 16. q. 1. n. 9.] Verbum supplere potest effective, non formaliter, idest, efficere valet id, quo formaliter corpus animetur; ex hoc enim quod contineat omnia per infinitatem perfectionis, nequit esse alicuius actus informans, quia haec ratio informativi sequitur rationem limitatam et finitam actus.

ARTICULUS VI.

UTRUM NATURA HUMANA FUERIT UNITA VERBO DEI ACCIDENTALITER.

Doctor., 2. *Oxon. d.* 7. *q.* 1. — *Report. ib. d.* 6. *q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *a.* 2.

VIDETUR natura humana esse unita Verbo Dei accidentaliter. Etenim [*Oxon.* 3. d. 6. q. 1. n. 1.] Christus est unum per accidens; ergo unio naturae humanae cum supposito Verbi est accidentalis. *Probatio antecedentis:* siquidem Christus est unum suppositum in duabus naturis; igitur vel erit duo entia, quod est falsum, vel est unum ens per accidens.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 7.] Ista praedicatio, *Deus, vel Verbum est homo,* non est praedicatio per se primo modo, quia praedicatum non cadit in definitione subiecti; nec per se secundo modo, quia humanitas non est passio Verbi incarnati; nec in universum praedicatur aliquo modo per se, quia nulla est inter extrema necessaria habitudo; igitur est praedicatio per accidens, adeoque illa unio debet esse accidentalis.

3. PRAETEREA. Humanitas advenit subiecto existenti in actu completo, ita ut possit ab eo abesse; igitur habet id praedicatum similem habitudinem respectu subiecti, qualem habet praedicatum accidentis quinti praedicabilis; igitur natura humana fuit unita Verbo Dei accidentaliter.

4. PRAETEREA. [*Rep.* 3. d. 5. q. 3. n. 1.] Haec praedicatio, *Christus est homo,* vel *Verbum est homo,* non est praedicatio formalis, sed habitualis: sed cum praedicatur habitus de subiecto, accidentaliter praedicatur: ergo et accidentalis erit praedicatio cum enunciatur homo de Verbo. *Probatio maioris:* etenim Christus est homo secundum habitum ex illo Apostol., ad Philip., 1. *Habitu inventus ut homo.* Quod multis pertractat Augustinus, lib. 83. *qq. q.* 3. ex quibus Magister Sentent., 3. d. 6. lit. G. infert: *His verbis aperte innuere videtur Augustinus, Deum dici factum hominem secundum habitum;* igitur accidentaliter unita fuit Verbo humana natura.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 7.] Damascen., lib. 3. cap. 3. *Substantialem dicimus illam unionem;* igitur non est accidentalis, nec recte dicitur natura humana Verbo accidentaliter unita.— *Rursus,* [*Report.* 3. d. 7. q. 1. n. 7.] praedicatio per accidens 5. *Metaph., cap. De uno,* vel est accidentis de subiecto, vel e contra, vel accidentis de accidente, ista praedicatio nulla earum est; igitur nec accidentalis.

RESPONDEO dicendum [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 6. seqq] aliter accipi accidens apud methaphysicum, et aliter apud logicos. Et quidem primo modo, accidens est ens primae intentionis; at secundo modo est secunda intentio. Loquendo ergo de accidente metaphysice, quatenus scilicet unum accidit alteri, vel ambo tertio, sicuti patet 5. *Metaphy.*, cap. *De ente et uno,* sic ista praedicatio, *Verbum est homo,* non est per accidens, nec unio naturae ad Verbum est accidentalis. *Probatio:* nam quod vere est nulli accidit: natura humana vere est substantia perfecta; ergo non est accidens Verbo divino; et per consequens nec unio inter illa extrema est accidentalis, quia neutrum eorum est accidens; et ideo substantialem vocat eam Damascen., *loc. cit.* his verbis: *Substantialem enim dicimus unionem, scilicet veram, et non secundum phantasiam: substantialem autem, non ut duabus naturis perficientibus unam compositam naturam.* — Licet tamen [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 7.] metaphysice loquendo non sit praedicabile per accidens, exinde nihilominus non potest inferri esse praedicationem per se logice loquendo: praedicatum enim cum sit extra per se intellectum subiecti, propositio non potest esse vera per se, sed per accidens, sicuti nec ista, *rationale est animal,* est per se vera logice loquendo, sed per accidens, licet neutrum extremum realiter per accidens insit alteri.

Sed quia [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 5.] nulla unio est similis isti, propter quam praedicatio est et dicitur vera; nam neque est essentialis, neque accidentalis, sed substantialis; ideo nullum est adinvenire praedicatum dictum de subiecto habens eam habitudinem, seu rationem inhaerentiae, quam habet natura humana respectu Verbi. Et quidem quantum est ex parte praedicati, videtur esse species, quia non est genus, nec differentia, nec proprium. Sed quantum est ex parte modi se habendi respectu subiecti, quia non est de ratione eius, cui ita advenit, ut possit non abesse ab illo, videtur habere rationem accidentis quinti praedicabilis; nam [ib. n. 6.] non est de ratione huius intentionis secundae, ut sit tantum in illa intentione prima quae est accidens metaphysicum, sicuti nec de ratione generis, vel speciei est, ut tantum fundetur in re substantiae. Et si esse lignum adveniret albo existenti in actu, ita quod non est praedicatum de essentia subiecti, nec convertibile cum subiecto, esset ibi intentio accidentis logice loquendo.

Sed numquid [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 8.] est eadem ratio de ista alia, *Christus est homo?* Videtur haec esse per se vera logice, quia subiectum includit praedicatum; secundum enim Damascen., lib. 3. cap. 3. *Christus est nomen hypostasis, duarum naturarum existens significativum.* Christus ergo, significat existens in natura humana, et ita includit hoc praedicatum *Homo,* sicut Petrus. Sed quod non possit esse praedicatio omnino per se logice loquendo, probatur. Quia secundum Philosoph., 5. *Metaph.*, cap. *De falso. Ratio de se falsa, de nullo est vera;* ergo similiter conceptus qui non est in se unus per se, de nullo uno per se enunciatur, nec aliquid sic unum de eo; ergo cum Christus non sit unum per se logice, de ipso nihil unum per se potest enunciari. Quia tamen revera subiectum includit praedicatum, illa propositio non est omnino per accidens, nec omnino per se, ob causam dictam, et similis illi est haec altera. *Homo albus est coloratus.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico: [*Oxon.* 3. d. 6. q. 1. n. 8.] si acci-

piatur ibi proprie *per accidens,* ut aggregat res duorum generum, Christus non est ens per accidens; quia natura divina in nullo genere est; natura etiam humana nulli accidit, quia vere est. Si tamen dicatur unum per accidens proprie quodcumque includit duo, quorum unum advenit alteri habenti esse completum, et non est forma informans, illud per se constituens tertium, potest vocari ens per accidens, licet in proposito non bene sonet.

AD SECUNDUM, concedo *assumptum,* non praedicari hominem de Verbo nullo ex modis *per se;* sed ex eo non sequi praedicari per accidens metaphysice, quasi natura humana sit accidens, vel accidat Verbo, ut albedo parieti, vel ambo accidant tertio. Potius ergo re ipsa est praedicatio per se, quam per accidens: licet non inveniatur hic aliquis modus perseitatis, est enim haec unio omnino diversa ab omni alia unione; et ideo inhaerentia huius praedicati ad subiectum habet diversam rationem ab omnibus aliis, et propterea non potest dici neque accidentalis, neque essentialis, sed tantum substantialis.

AD TERTIUM, patet ex dictis, quia si alicui ex praedicatis traditis in Logica posset assimilari haec praedicatio logica, utique non est aliud, quam illud accidentis quinti universalis.

AD QUARTUM, nego *assumptum;* quia ea est praedicatio formalis, non habitualis.— *Et cum probatur* auctoritatibus Apostoli, et Augustini, *dicendum,* [*Oxon.* 3. d. 6. q. 1. n. 3. — *Report.* ib. n. 2 3.] loquutionem illam esse mutuatam ex aliqua similitudine huius naturae assumptae ad habitum, sed non propterea naturam illam extitisse habitum Verbi. Sicuti igitur habens habitum non mutatur, sed magis mutatur ipse habitus, non secundum aliquid absolutum, sed penes habitudinem passivam, quae est proprie habitus, ita Verbum in ista assumptione nullam subivit mutationem, sed magis humana natura mutata est, non secundum aliquid absolutum, sed per novam unionem in se receptam: et quemadmodum habens habitum, sub habitu quodammodo occultatur, et latet, ita Divinitas sub humana specie cunctorum oculis obvia latebat occulta, et ita humanitas Christi habitus praeseferebat similitudinem.

ARTICULUS VII.

UTRUM UNIO VERBI DEI CUM NATURA HUMANA SIT ALIQUID CREATUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *Report. ib.* — *Quodlib. q.* 19. *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *a.* 7.

VIDETUR unio Verbi Dei cum natura humana non esse aliquid creatum. Etenim illa unio est in Verbo divino: sed in Verbo non potest poni aliquid creatum; igitur illa unio non est creata.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 2. n. 4.] Filius Dei est incarnatus; ergo est subiectum vel terminus istius actionis, quae est incarnare; *incarnari* enim significat passionem, quam oportet ponere in subiecto, vel in termino: sed est incarnatus per unionem cum natura humana; ergo sicuti naturam humanam et quae in ea sunt oportet creata esse, ita quae sunt in subiecto, vel termino istius incarnationis, non possunt esse creata.

3. PRAETEREA [*Oxon.* 3. d. 9. n. 6.] Unio naturae humanae ad Verbum est adoranda adoratione latriae, et summe diligenda; sed nulla pura creatura est prosequenda tali adoratione et dilectione, cum ne Beatissima quidem Mater Christi ita colatur; ergo illa unio non potest esse aliquid creatum. *Maior probatur* ex Damasceno, lib. 3. cap. 8., dicente: *Christus Deus perfectus, et homo perfectus, quem adoramus cum Patre, et Spiritu Sancto una adoratione, una cum incontaminabili carne eius.* Haec ille. Nequit autem adorari cum carne, nisi pariter et ipsa unio nectens carnem cum Verbo adoretur.

CONTRA. [*Quodlib.* q. 19. n. 2.] Ista unio facta fuit in tempore, quando *Verbum Caro factum est;* ergo est creatura Dei actione creata.

RESPONDEO: unio ista (sicuti *in quaest. fundam.* fuse extitit declaratum) non dicit de suo primario conceptu aliquid absolutum, quia quocumque absoluto intellecto, in altero extremo non intelligitur perfecta ratio unionis, quia unio non intelligitur ad se, sed ad aliud. Est igitur formaliter unio relatio. Sed non est in proposito unio haec relatio communis, quae scilicet sit eiusdem rationis in utroque extremo, qualis est similitudo, quia etsi natura assumpta per hanc relationem in se fundatam uniatur et referatur ad personam assumentem, haec nihilominus quamquam uniatur naturae isti, ad eam tamen non refertur, nisi per relationem rationis. At natura assumpta refertur per relationem realem, quia alioquin unio non esset realis. Est igitur haec unio disquiparantiae realis in uno extremo, cui in altero non correspondeat ulla relatio realis, atque ita relatio ista est ordinis dependentiae posterioris ad prius, scilicet naturae assumptae ad Verbum; non est autem ordinis causati ad causam; quia haec est communis toti Trinitati causanti incarnationem; neque causati posterioris ad causatum prius, quia Verbum non est aliquid causatum: est ergo alterius omnino rationis ab omni dependentia, et ordine causati ad causam; nam haec habet pro primo termino naturam divinam, in qua est vis creativa, et non personam, quae sola terminat dependentiam naturae assumptae; sicut ergo entitas naturae est omnino alterius rationis ab entitate personae, ut persona, ita dependentia ad unum est alterius rationis a dependentia ad aliud.

Hanc [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 5.] unionem sic declaratam esse quid creatum declaratur; etenim actioni reali Trinitatis, qua Verbi incarnatio peracta est, correspondet aliquis effectus, vel passio realis: sed obiectum illius actionis est natura humana, et terminus est aliquid in natura humana, scilicet unio formalis illius naturae ad Verbum; ita quod unitio Trinitatis, quae est actio eius, est ad unionem formalem naturae illius ad Verbum, quae unio est realiter in natura humana; igitur est verissime quid creatum, cum post non esse acceperit esse per realem actionem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, patet ex dictis, quia ista unio non est in Verbo, nisi terminative, et in ipso non est aliqua relatio realis correspondens illi, quae est in natura humana assumpta; ut ergo Verbum praecise terminavit eam in tempore, ita tunc fuit creata.

AD SECUNDUM dicendum, [*Oxon.* 4. d. 11. q. 2. n. 5. — 3. d. 1. q. 1. n. 16.] incarnatum esse, idem importare, ac unitum esse carni in unitate personae; sed sic esse unitum, non praeseferre in persona unita relationem realem ad naturam assumptam, sed solum rationis, vel nullam. — *Et cum dicitur,* incarnari correspondet actioni reali Trinitatis etc.; *dictum* fuit in

probatione conclusionis, quatenus actioni illi reali correspondet effectus realis, scilicet obiectum, quod est natura humana, et terminus, qui est unio ipsa in natura humana ad Verbum, in tantum ut illa actio quae est unitio sit ad unionem formalem, quae est in ipsa natura humana. — *Et cum arguitur;* quia *Incarnatum esse* dicit passionem, sicuti *incarnare,* actionem; *responsio:* quamvis incarnari, vel incarnatum grammatice importet passionem propter modum significandi, non tamen realiter in illo, de quo dicitur, sed tantum in alio, quod connotat illi uniri, et illud aliud dicitur, esse subiectum passionis importatae realiter per *incarnari,* quae scilicet correspondet illi actioni, quam importat *incarnare.*

Ad tertium respondeo: [*Oxon.* 3. d. 9. n. 14.] Christi caro non excluditur a termino adorationis, licet ipsa non sit ratiô adorandi. Est igitur sensus: adoramus Verbum cum carne, idest habens carnem sibi unitam, atque ita adoratio confuse tendens in obiectum exhibetur toti, et totum adoratur summa adoratione. Et si pariter dilectio tendat confuse in obiectum, potest concedi Christum esse summe diligendum, quatenus est habens naturam humanam, esto in hac natura non sit ratio diligibilitatis, nec in unione illa; sed exinde tamen non sequitur et naturam, et unionem non esse quid creatum; nam neque natura humana, neque unio illa praecise consideratae beatificarent naturam intellectualem, bene tamen terminus ipse unionis, quia est bonum infinitum.

ARTICULUS VIII.

UTRUM UNIO VERBI INCARNATI SIT IDEM, QUOD ASSUMPTIO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — 4. *d.* 11. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *a.* 8.

Videtur unio Verbi Incarnati idem esse ac assumptio. Etenim unitum et assumptum idem sunt: siquidem eadem natura humana assumpta est pariter et unita Verbo Dei; ergo oportet idem quoque esse unionem et assumptionem. *Prob. consequentia:* nam [*Oxon.* 4. d. 11. q. 2. n. 4.] unius fundamenti realis una est relatio realis ad terminum sub eadem ratione; ergo si eadem natura assumpta est unita, indistincta pariter erit assumptio et unio ad Verbum Dei.

2. Praeterea. Assumens et uniens idem reipsa sunt; ergo pariter unius eiusdemque rationis erunt unio et assumptio. *Prob. antecedens:* nam [*Oxon.* ib.] si sumatur assumens pro principio effectivo assumptionis, eadem Trinitas efficit et assumptionem, et unionem; si vero accipiatur pro termino istius relationis, pariter ad Verbum est terminata assumptio et unio; ergo assumens et uniens idem sunt, ac consequenter etiam unio et assumptio.

3. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Per actionem de genere actionis aliquid accipit esse reale, tamquam terminus ipsius: sed per actionem unientis accipit esse reale unio naturae humanae ad Verbum; ergo cum eadem fuerit ratio assumentis, assumptio quae accipit esse per illam idem est ac unio.

Contra. [*Oxon.* ib. n. 4. seqq.] Actio et terminus ipsius non sunt eadem res: sed assumptio est actio, qua accipit esse unio hypostatica; ergo impossibile est assumptionem idem esse ac unionem.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 16. — 4. d. 11. q. 2. n. 5] esto *uniri* sit idem quod *assumi,* unionem tamen non esse idem quod est assumptio. Quia *assumere* idem est, ac ad se sumere: sumere autem, ut absolute significat actionem, aequaliter est totius Trinitatis; opera enim ad extra indistincta conveniunt tribus, ob indistinctam naturam et virtutem, et ita ex aequo quodlibet productum attingitur a tribus cum ordine originis. Sed sumere *ad se,* ut notat terminum actionis, est Verbi terminantis dependentiam naturae humanae assumptae. Atqui in hoc quod est *uniri* notatur, et exprimitur idem terminus terminans dependentiam naturae creatae; igitur uniri et assumi videntur esse synonima idem importantia significatum. Ex hoc tamen non sequitur unionem esse assumptionem; unio enim est relatio realiter fundata in natura humana, et terminata ad Verbum; assumptio vero, ut importat actionem, transit in naturam humanam, ut in obiectum extra, et per ipsam accipit esse unio illa realis naturae humanae ad Verbum; igitur nullo modo fieri potest ut unio sit ipsa assumptio, sicuti terminus actionis, non potest esse ipsa actio. — *Rursus,* [*Oxon.* ib. d. 2. q. 1. n. 4.] ex vi unionis solum Verbum est praesens naturae assumptae secundum esse personale; ergo unio non potest esse ipsa assumptio; nam per hanc est praesens suo modo natura assumpta tribus Personis, quia ab omnibus illis exiit virtus, per quam fuit effective assumpta; per hoc autem, quod Verbum ad se sumpsit illam, nihil effecit, sed praecise terminavit dependentiam eius.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, concesso *antecedenti,* negando *consequentiam.* — *Et cum probatur,* quia super eodem fundamento est eadem relatio fundata ad eumdem terminum; *dico,* [*Oxon.* 4. d. 11. q. 2. n. 5.] actio, qua exprimitur *assumere,* habet pro obiecto naturam humanam, et pro termino unionem illius ad Verbum. Unde non assumptio est fundata in natura, sed unio, quae sequuta est ad actionem assumptionis. Actio autem illa est totius Trinitatis, ut dictum est.

AD SECUNDUM, cum probatur *antecedens,* quia eadem Trinitas effecit et assumptionem, et unionem; dico hanc rem esse ita exprimendam, ne subrepat falsa imaginatio, et aequivocatio: Trinitas [*Oxon.* 4. d. 11. q. 2. n. 5.] actione assumptionis univit Verbo divino naturam humanam; non ergo ipsa assumptio est terminus actionis, sed potius est ipsa actio, qua accepit *esse* unio illa naturae humanae ad Verbum, ac proinde differunt, sicuti via ad terminum, et ipse terminus.

AD TERTIUM, patet responsio ex proxime dictis, quia assumens assumptione assumpsit et univit Verbo naturam humanam: terminus autem eius actionis a Trinitate procedentis extitit unio in natura humana fundata, qua Verbo Dei unita est, et ideo praecise ad Verbum terminata.

ARTICULUS IX.

UTRUM UNIO DUARUM NATURARUM IN CHRISTO SIT MAXIMA UNIONUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 1. — *d.* 6. *q.* 1. — 4. *sent. d.* 49. *q.* 2. — *Report. ibid. q.* 2. *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *art.* 9.

VIDETUR unio duarum naturarum in Christo esse omnium unionum maxima. Nam [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1.] August., 13. *De Trinit.,* cap. 19.

In rebus, inquit, *per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo;* igitur ista unio est maior unione, quae est per habitum gloriae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Idem August., *ibidem* cap. 9. Arguit per locum a minori: *Si Filius Dei naturalis factus est filius hominis, igitur magis credibile est, quod filius hominis naturalis, sit gratia filius Dei.* Si autem consequentia tenet universaliter a minori; igitur in Christo posito antecedente, necessario ponitur consequens, scilicet, quod ex habitu gratiae necessario fruatur; igitur cum sit felicissimus per fruitionem, quae oritur necessario ex unione hypostatica, sequitur hanc esse longe potiorem illa.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Bernardus ad Eugenium Papam, *Haec est maxima,* inquit, *unitas post illam, quae est in Trinitate;* ergo, etc.

CONTRA. Optabilius est habere gratiam cum operatione, quam habere unionem ad Personam divinam sine fruitione Dei; igitur unio, quae est per habitum gloriae est praestantior ea, quae est per unionem hypostaticam. — *Rursus,* unio haec potest esse etiam inter Personam divinam et naturam irrationalem, quae utique non frueretur Deo, nec foret beata: unio vero per habitum gloriae est solius naturae intellectualis; ergo sicuti haec praestat non intellectualibus naturis, ita unio per habitum gloriae est maior unitate hypostatica.

RESPONDEO: [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 10] comparatio simpliciter sicuti est in simpliciter univoco *ex* 7.*Physicor.,* 24. ita omnis comparatio est inter ea, quae aliquo modo conveniunt univoce. Cum enim dicitur *hoc ens est perfectius illo,* si quaeratur in quanam ratione sit perfectius, opus est assignare aliquid commune utrique, adeo ut determinabile comparativi si commune utrique extremo comparationis; non enim homo est perfectior homo quam asinus, sed perfectius animal. Ad propositum igitur [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 10.] cum istae duae uniones, hypostatica scilicet et beatifica, sint alterius et alterius rationis, et neutra necessario includat alteram, sunt enim ad invicem separabiles, non videtur inter se posse proprie comparari, nec una maior aut excellentior altera dici, cum in nulla una ratione inter se convenire inveniantur, nisi nomine tenus.

Quod si contendas, posse omnino inter se eas uniones comparari.; *dicendum,* [*Oxon.* ib.] unionem hypostaticam esse maiorem unione beatifica, quantum ad actum primum, non vero quoad actum secundum. *Probatur prima pars;* quia per unionem hypostaticam communicatur *esse* personae assumentis naturae assumptae, quod esse spectat ad actum primum, sicuti ultimum complementum naturae, per quod potest ut persona operari. De *facto* enim haec unio involvit et includit aliam unionem, scilicet beatificam. Nam de facto nedum unitur natura humana Verbo, sed etiam ipsa fruitur Deo. At quantum ad actum secundum, et esse beatificum, secunda unio est maior prima; quia beatitudo consistit in operatione, qua unitur obiecto beatifico, et fruitur eo. De *possibili* ergo, separando istas duas uniones, sicuti hypostatica antecellit beatificae quoad actum primum, ita haec praestat illi quoad actum secundum. Ex quibus patet, [*Oxon.* 4. d. 49. q. 2. n. 10.] qualiter aliquis illapsus simpliciter perfectior in actu primo, non est beatificus, et aliquis minus perfectus simpliciter, quia actus secundus, est beatificus. Nam si ille esset necessario vel formaliter beatificus, non posset illabi quoad unionem hypostaticam Deus

nisi creaturis intellectualibus. Caeterum habere gratiam quoad actum primum, absque scilicet operatione fruitionis, longe minus est, quam habere unionem hypostaticam.

AD ARGUMENTA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 11.] AD AUCTORITATEM AUGUST. dicendum, esse summam gratiam in ista unione, accipiendo gratiam pro gratuita condescensione voluntatis divinae, quae fuit utique summa in hac assumptione; sed loquendo de gratia habituali, quamvis et haec fuerit summa concomitanter et de congruo, non tamen necessario infuit ex vi unionis. Unde et ipse Augustinus loquitur de facto de rebus post tempus ortis, quod inter illas summa gratia est in unione naturae ad Verbum divinum; sed ex hoc non habetur consequentia deducta, nisi probetur gloriam necessario inesse per hypostaticam unionem.

Et per idem [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 11.] respondetur ad aliam AUCTORITATEM eiusdem Augustini. Verum quidem est, minus possibile videri, ut Filius Dei realiter evadat filius hominis, quam quod filius hominis per gratiam sit Filius Dei; et ideo si illud est possibile, multo magis istud, quod minus impossibile videtur. Sed non tamen sequitur, quod si filius Dei est filius hominis, ut ille idem filius hominis sit per gratiam filius Dei; imo negatur communiter, Christum esse filium Dei adoptivum. Satis igitur est, ut aliquis alius sit filius Dei per gratiam. Et sane Augustinus fecit comparationem illam ad aliquem indeterminate, et non ad hunc determinate; non igitur sequitur ex unione hypostatica inesse gratiam habitualem summam naturae unitae; et si sequeretur, non posset exinde inferri, oportere ipsum habere unionem fruitionis, nec subinde illam esse maiorem ista, eo modo quo dictum est.

AD ALIUD BERNARDI dicendum, [*Oxon.* 3. d. 6. q. 1. n. 9.] dupliciter unitatem posse esse et dici maximam, scilicet vel ex privatione distinctionis, vel ex perfectione unitorum in ipsa unitate. *Primo modo,* non esse hic maximam unionem, cum maxime distingui manifestum sit. *Secundo modo,* esse maximam unionem post illam Trinitatis, concedendum est. Ipsa enim unita sunt perfectissima, unum siquidem est infinitum, et alterum est substantia perfecta in se, et ex unione ad aliud participat Dei praedicata.

ARTICULUS X.

UTRUM UNIO DUARUM NATURARUM IN CHRISTO SIT FACTA PER GRATIAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 2. — *Report.* 3. *d.* 2. *q.* 1.
S. Thom. 3. *p. q.* 2. *a.* 10.

VIDETUR unio duarum naturarum in Christo esse facta per gratiam, seu mediante gratia. Etenim [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 1.] natura humana non potest uniri Verbo unione beatifica sine habitu gratiae, quia tam ipsa unio quam terminus unionis excedunt facultatem naturae creatae; ergo cum unio ad Verbum divinum magis excedat, quia est summa gratia, secundum August., 13. *De Trinit.,* cap. 19. multo minus fieri potuit sine praecedenti gratia.

2. PRAETEREA. Natura nequit meritorie operari, nisi habeat habitum

gratiae sanctificantis, a quo sunt Deo accepta opera nostra; ergo neque poterit Deo hypostatice uniri, nisi hanc unionem gratia praecedat. *Probatur consequentia:* [*Report.* 3. d. 2. q. 1. n. 8.] quia multo sublimius est naturam elevari ad subsistentiam divinam, quam ad agendum meritorie; ergo si actionis meritoriae non est capax natura sine gratia, multo minus poterit uniri Deo hypostatice sine illa.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 1.] Illapsus generalis Dei est ad creaturam secundum *esse* eius primum; ergo similiter illapsus iste specialis est ad hoc *esse* primum, ut antecedit omnem habitum.

RESPONDEO dicendum, habitum gratiae sanctificantis non praecessisse in anima Christi ipsam unionem naturae humanae in Persona Verbi. *Declaratio:* [*Oxon.* ib. n. 12. — *Report.* q. 1. n. 8.] in illo instanti naturae, in quo natura personaretur in se, si non assumeretur, in eodem instanti personatur in alio, quando assumitur; nam nec ante illud instans est nata assumi, quia non prius natura singularis, nec post illud instans assumitur, quia tunc esset persona in se. Sed prius naturaliter personaretur in se, quam haberet habitum gratiae, quia habitus est principium operandi, et per consequens perfectio eius, qui convenit operari: operari autem est suppositi; igitur prius naturaliter in se haberet rationem suppositi, quam gratiam, vel habitum aliquem; ergo et quando assumitur prius naturaliter est personata, quam sibi gratia detur, et per consequens non fit ea unio mediante gratia. *Confirmatur:* quia quod est alicuius in se, prius inest ei, quam quod est eiusdem per accidens; sed si natura sibi fuisset dimissa, fuisset personata in se ex seipsa: igitur personari prius naturaliter competit sibi, seu in se, seu in alio, quam quivis habitus accidentalis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo sic: [*Oxon.* ib. n. 15.] si accipiatur gratia pro gratuita Dei voluntate, Deus dicitur ex gratia operari omne illud, quod non includitur in operibus naturae, sed magis excedit facultatem eius; atque ita quoniam subsistere in Verbo excedit facultatem naturae humanae, gratuite hoc Deus operatus esse, et ex gratia summa dicendus est, quia summa gratuita condescensione contulit naturae humanae donum illud sublimissimum, ad quod ipsa totius naturae viribus pertingere numquam potuisset; ideoque maxime ipsam excedit. Sed si intelligatur gratia pro habitu creato informante, licet illa concomitetur naturam unitam, non est tamen necessaria ad unionem. — *Cum itaque arguitur* quasi a minori, [*Oxon.* ib. n. 16.] quia gratia est necessaria ad unionem beatificam; igitur magis ad hypostaticam; *negandum est consequentia;* quia unio beatifica est per operationem et actum secundum, in quem non potest anima, nisi habeat formam. Ista vero unio est *ad esse* primum, ad quod, non praesupponitur aliquod accidens in natura unita: sicut etiam ad esse primum supernaturale, quod habetur per habitum gratiae, non requiritur aliquod elevans naturam, alias iretur in infinitum, sed immediate dat *esse* primum, et perficit naturam; ita hic esse a Verbo communicatum, potest esse immediate principium unionis.

AD SECUNDUM respondeo, [*Report.* 3. d. 2. q. 1. n. 10.] operantem ex se non esse dispositum ad meritorie agendum, ideo oportere disponi per gratiam, a qua sint accepta Deo opera ipsius; at naturam de se esse sufficienter dispositam ut personetur in aliena hypostasi, quemad-

modum gratia ulla, nec aliquod accidentale medium requireretur, si ipsa fuisset personanda in se. Sed videndus de hoc argumento *artic.* 6. *quaest.* 6.

ARTICULUS XI.

UTRUM UNIONEM VERBI INCARNATI ALIQUA MERITA PRAECESSERINT.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 2. *q.* 1. — 3. *d.* 7. *q.* 3. — *d.* 20. — *Report. ib.* 3. *d.* 7. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 2. *a.* 11. — *De hoc vide* art. 3. q. 19.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] in universis operibus Dei non fuisse nec esse aliquod opus mere gratiae, nisi tantum Incarnationem Filii eius. In divina enim ordinatione fuit praedestinata tanta gloria animae Christi, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 2.] quantam congruum non fuit conferre purae creaturae non subsistenti in Verbo; et ideo ea natura ordinabatur ad unionem Verbi; igitur nec unio nec gloria cadere poterat sub merito. Nam quia volita fuit ei animae summa gloria et summa gratia, ideo assumpta est et unita Verbo Dei; igitur si non cadebat sub merito gloria et gratia multo minus unio ad Verbum. *Declaratur assumptum:* [*Report.* 3. d. 7. q. 4. n. 2.] nam a sapiente prius praeordinatur finis, et secundo alia quae sunt ad finem; et sic, primo praeordinabatur gloria summa Christo; deinde unio naturae ad Verbum, per quam posset attingere ad tantam gloriam. Quia universim primum in intentione in omnibus gerendis est ultimum in exequutione. Ideo in exequutione prius fuit unio ad Verbum, quam summa gloria collata Christo. Quamvis autem Incarnationis substantiam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] nulla merita potuerint promereri, quibus scilicet deberetur unio personalis Verbi divini; inconveniens tamen non est ponere B. Virginis Mariae aliorumque piissimorum vota eius accelerationem promeruisse. Credibile siquidem est eorum ardentissima desideria, adventum Dei in carne mortali efflagitantium, flexisse divinam clementiam ad citius mittendum in mundum Verbum humanatum, cuius dispensationi adimplendae mundi scelera plurimum obsistebant.

ARTICULUS XII.

UTRUM GRATIA UNIONIS FUERIT HOMINI CHRISTO NATURALIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 10. — *Report. ib.* — *S. Thomas* 3. *p. q.* 2. *a.* 12.

VIDETUR gratia unionis esse non potuisse homini Christo naturalis. Etenim [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1. — q. 2. n. 1. et 15.] quae eveniunt ex gratuita Dei condescensione, et non ex praeexigentia naturae, appellari nequaquam possunt naturalia, sed magis gratuita: sed gratia unionis est ex Dei gratuita condescensione, et non ex aliqua conditione naturae; ergo appellari nequit gratia unionis aliquo modo naturalis. *Minor patet* ex Augustino, 13. *De Trinit.*, cap. 19. dicente: *In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo.*

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] Nihil spectans ad ordinem gratiae in caeteris naturis intellectualibus est illis naturale; ergo multo minus naturalis appellari potest gratia unionis, quae fuit Christo collata. *Probatur consequentia:* nam gratia, quae confertur aliis a Christo, promerita fuit a Mediatore, in tantum ut iuste conferatur illis. At Christi gratia est opus liberalitatis divinae nullius prorsus merita respiciens; ergo si gratia in aliis non est naturalis, quamvis merita praesupponantur saltem extrinsece, multo minus erit naturalis in Christo.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 12.] In tantum gratia unionis Christi posset appellari naturalis, in quantum congruum videtur ipsam consequi ad unionem naturae humanae ad Verbum: sed ea de causa illi talis appellatio non congruit, quia illa unio fuit ex gratia; nulla enim poterant praeestitisse merita ad ipsam; ergo multo magis gratia unionis nequiit fuisse naturalis.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 16.] Caecus natus naturaliter videt semel per miraculum illuminatus; ergo quamvis largitatis divinae ineffabile donum fuerit unio hypostatica humanae naturae cum Verbo Dei, ad ipsam tamen iam factam, quasi naturaliter sequebatur gratia, quatenus congruum erat Patris Unigenitum esse plenum gratiae et veritatis.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 10. per tot.] cum naturale sit illud, quod consequitur naturam secundum se, Christo homini minime esse potuisse naturalem gratiam unionis, cum ea non sequatur naturam humanam de se, sed ex gratuita Dei condescensione, summaque liberalitate. Verum quia non conceditur Christum esse Dei Filium adoptivum, cum sit naturalis, idest, non habens extraneitatem ab haereditate paterna, sed magis ius ex vi nativitatis suae in ipsam, dici potest iuxta hoc, gratiam illam habitualem summam esse, et fuisse illi naturalem, non quasi infuerit ei vel in primo signo naturae, cum oporteat illi praeintelligere subiectum, vel praevenerit in anima Christi ipsam unionem hypostaticam; oppositum enim fuit ostensum *art.* 10. Sed naturalem [*Report.* 3. d. 10. q. 1. n. 4.] quatenus ex vi generationis eius concomitanter de congruo habuit ius, quo haeres erat potiundi gloriae et caeterorum bonorum paternae possessionis. Nam generatio Christi hominis naturaliter requirit concomitanter habere ius in paternam haereditatem; hoc enim requirit unio hypostatica de congruo, habere nimirum habitum gratiae sanctificantis perfectissimum. Imo magis de congruo hunc unio illa exigebat, quam passio exhibita pro aliis. Sed si aliquis ex generatione naturali haberet concomitanter passionem Christi sibi applicatam, de congruo haberet concomitanter ius compotem fiendi omnium supernaturalium bonorum; igitur magis generatio naturae humanae unita Verbo.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, distinguendum est de ipsa unione, et de gratia, quae sequebatur ad unionem. Et de ipsa quidem unione, [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 11. — q. 2. n. 15. — d. 18. q. 1. n. 12.] videtur intellexisse Augustinus, cum dixit: *In rebus per tempus ortis,* etc. quia eius unica causa extitit gratuita Dei voluntas. Gratia autem sanctificans sequebatur ad illam unionem, ad quam nulla pariter potuerunt praecessisse merita, sed tamen ex parte naturae, quae erat illam receptura, adeo ut dispositio de congruo, propter quam dici quodammodo potest naturalis, quatenus homo ille fuit per unionem filius Dei naturalis.

AD SECUNDUM dico sic: non unio hypostatica est dicenda naturalis, sed gratia data Christo intuitu unionis eius, quia enim unio praecessit, gratia sanctificans extitit summa, quia talis decebat Unigenitum Filium Dei.

AD TERTIUM, concedo unionem extitisse ex gratia, nulla dispositione praecedente ex parte naturae; sed tamen ipsammet disposuisse ad recipiendam summam gratiam, adeo ut potuit dici naturalis gratia ipsius unionis. *Exemplum:* [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 16.] quod Corpus Christi fuerit passibile et mortale ex miraculo est; sed eo semel posito miraculo, naturaliter patiebatur et moriebatur approximata sibi violentissima passione.

QUAESTIO TERTIA.

DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unione ex parte personae assumentis. *Et circa hoc quaeruntur octo.*

1. Utrum assumere conveniat Personae Divinae. - 2. Utrum conveniat Naturae Divinae. - 3. Utrum natura possit assumere abstracta personalitate. - 4. Utrum una Persona possit assumere sine alia. - 5. Utrum quaelibet Persona possit assumere. - 6. Utrum plures Personae possint assumere unam numero naturam. - 7. Utrum una Persona possit assumere duas numero naturas. - 8. Utrum magis fuerit conveniens de Persona Filii Dei quod assumpserit humanam naturam, quam de alia persona Divina.

ARTICULUS I.

UTRUM PERSONAE DIVINAE CONVENIAT ASSUMERE NATURAM CREATAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. *et d.* 5. *q.* 1. — *Report. ib.* *S. Thom.* 3. *p. q.* 3. *art.* 1.

VIDETUR non convenire divinae Personae aliquid assumere. Siquidem [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 1.] actus purus et infinitus non est alicui componibilis: sed Persona Divina est talis actus; ergo nihil assumere potest; componeretur enim cum eo quod assumeret.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 4.] Si conveniret Personae Divinae assumere, id esset, vel quia contineret virtualiter perfectionem cuiuscumque personae creatae, vel quia esset independens respectu naturae dependentis: sed ex neutra ratione potest id ei competere; ergo Personae Divinae non est assumere. *Probatio minoris:* tum quia proprietas personalis non est perfectio simpliciter: si conveniret autem ipsi ob continentiam, foret infinita, et perfectio simpliciter: tum quia, si ratione continentiae conveniat sibi assumere, multo magis naturae esset assumere, quae est absolute infinita et continet omnia. Sed neque quia independens, [*Quodlib.* q. 19. n. 5.] nam si independentia faceret, ut independens posset termi-

nare dependentiam; igitur independentia talis faceret, ut independens terminaret hanc dependentiam: hoc autem est falsum; quia omnis substantia est independens independentia accidentis ad subiectum, et tamen non quaelibet substantia potest terminare dependentiam omnis accidentis, sicut lapis non potest terminare dependentiam sapientiae, etc.

3. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 7.] Persona Divina est simpliciter independens per essentiam infinitam, qua constat: sed si assumere poneretur esse personae, maxime ob hanc absolutam independentiam; ergo cum sit talis ratione essentiae, huius per se et primo erit assumere, et non personae.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 1.] *Verbum caro factum est;* Verbum est secunda Persona Divina; ergo convenit Divinae Personae assumere.

RESPONDEO dicendum, Personae Divinae competere assumptionem alterius naturae. Nam [*Report.* 3. d. 5. n. 2. — *Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 20.] hoc quod est assumere aliud non est quam *ad se sumere;* id autem necessario competit supposito. Quamvis enim in Verbo *sumere* notetur actio realis, quae est communis toti Trinitati, in dictione tamen illa, *ad se,* importatur terminus actionis, qui est persona terminans dependentiam naturae assumptae. — Et quod non sit ulla repugnantia cur id personae conveniat, (licet sit ostensum *in quaestione fundamentali*) declaratur etiam hic breviter. Quia quamcumque dependentiam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 4. — *Report.* ib. q. 1. n. 7.] cuiuscumque rationis potest terminare illud, quod est independens illa independentia: sed aliqua est persona, ut divina, cui repugnat dependere aliqua dependentia; igitur illa est independens omni independentia; ergo sibi non repugnat, imo convenit de possibili terminare quamcumque dependentiam.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 16.] infinitum non esse componibile tamquam partem, quia parte totum est perfectius, et nihil est perfectius infinito; infinitum tamen esse unibile, idest posse terminare dependentiam alterius ad ipsum, nullum est inconveniens.

AD SECUNDUM dico, Personae Divinae competere assumere terminative, ob independentiam oppositam dependentiae naturae assumptae. — *Et cum arguitur* contra hoc [*Quodlib.* q. 19. n. 7.] *dicendum,* consequentiam valere nisi obstet aliqua imperfectio independentis, ut puta limitatio, quae necessario consequitur independentiam substantiae creatae, quod non accidit in independente simpliciter, ut patet. Et quamvis prima substantia simpliciter independens non possit terminare dependentiam accidentis, potest tamen terminare dependentiam priorem ista, scilicet alicuius causat prioris ipso accidente; atque ita mediate terminare dependentiam ipsius accidentis.

AD TERTIUM dico sic: [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 7.] licet nulla perfectio simpliciter conveniat Personae Divinae, nisi ratione essentiae, tamen imperfectio potest repugnare Personae Divinae, et non ratione essentiae; quia etsi imperfectio non repugnet illi, quod potest esse imperfectum; tamen potest repugnare illi, quod necessario non est imperfectum; ideo cum personalitas divina qua talis non sit formaliter perfecta, nec imperfecta, potest tamen esse quod sibi necessario repugnet imperfectio, et nihilominus non repugnat sibi esse perfectum, et infinitum; et propterea ipsa personalitas, ut talis est, necesse esse ex se, ut distinguitur contra pos-

sibile. Unde necesse esse, si sit incommunicabile non infert, nec involvit formaliter infinitatem, sed tantum excludit possibilitatem.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM SUPPOSITUM CREATUM POSSIT SUSTENTARE HYPOSTATICE ALIAM NATURAM CREATAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 4. — *Report. ib. q.* 5.
S. Thom. 3. *p. q.* 3. *art.* 1. *Ad secundum.*

VIDETUR suppositum creatum posse sustentare aliam naturam creatam. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 4. n. 1.] maior est proportio naturae creatae ad suppositum creatum quam ad suppositum increatum, ut patet. Et praeterea, hic suppositum est absolutum, et ita simile alteri personae, quae nata est esse huius Naturae, in Divinis vero suppositum est relativum; igitur si persona relativa potest sustentare aliam naturam a sua, multo magis hic.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Deus potest dare creaturae omnem perfectionem et bonitatem non repugnantem sibi: suppositum autem creatum posse sustentare aliam naturam creatam, non ponit infinitatem in eo; nam suppositum, et alia natura sunt finita; finitum vero additum finito non facit infinitum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Superius continet inferius in natura finita; igitur perfectio superioris continet perfectionem naturae inferioris; igitur suppositum perfectius, ut est Angelus, poterit supplere vicem suppositi imperfectioris.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Natura creata et suppositum creatum sunt adaequate proportionabilia; ergo neutrum excedit alterum; igitur sicut natura non potest esse eadem plurium suppositorum, sic nec unius suppositi plures naturae.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 2.] sustentare naturam potest accipi dupliciter, scilicet *effective,* et *terminative. Et primo modo* certum est, suppositum creatum non valere sustentare aliam naturam a sua, quia alia natura ad talem unionem non est nisi in potentia obedientiali, alias esset violenter sub proprio supposito, sicut grave sursum. Potentia autem obedientialis in creatura respicit efficientiam primi Principii, non aliam potentiam activam naturalem, quae solum potest reducere ad actum secundum potentiam naturalem, quamquam nec totam potentiam naturalem quia capacitas animae rationalis est maior, quam sit potens vis naturalis ad eam perficiendam.

Loquendo vero *terminative* [*Oxon.* ib. n. 2.] ex suppositione quod personalitas creata consistat in positivo, adducuntur rationes pro parte negativa, quae non videntur ostendere propositum, et potiores sunt istae. *Prima,* quia suppositum creatum non est infinitum et illimitatum, et subinde non continet totam perfectionem suppositi creati; igitur non potest supplere defectum ipsius, nec terminare dependentiam alterius naturae ad se. *Haec ratio est nulla;* quia nec suppositum divinum, ut terminans naturam creatam est infinitum, ut alibi declaratum fuit, et tamen terminat, quia independens. — *Ideo aliter arguitur:* solus Deus potest illabi naturae

illapsu generali; ergo et illapsu illo speciali. *Consequentia est neganda;* nam implicat aliud a Deo habere illapsum generalem, qui ei competit, ut prima causa; at non ostenditur propterea implicare illapsum specialem, de quo loquimur competere alteri a se. — *Tertia* ratio: [*Oxon.* ib. n. 3.] si duae naturae essent in eodem supposito creato, se haberent per modum actus et potentiae: sed tunc non esset altera hypostatice unita, quia non remanerent impermixtae. *Sed assumptum hic negandum,* quod non videtur de facili probari posse. — *Quarta* ratio; suppositum cui fit ista unio debet esse simpliciter independens: suppositum creatum non est huiusmodi; ergo, etc. *At hic assumptum habet instantiam;* quia subiectum terminat dependentiam accidentis, et tamen non est simpliciter independens. — *Quinta* ratio est ista; naturae completae substantiales sunt incompossibiles in eodem supposito creato; nam una est naturalis illi, et per se ei competens; igitur nec per se, nec per accidens potest eidem altera competere: comparatae vero ad suppositum divinum, omnes sunt accidentales. *Haec pariter non concludit;* quia eamdem repugnantiam haberent in supposito increato, seu accidentaliter, seu per se illi competerent; perinde enim albedo, et nigredo sunt incompossibiles in pariete, sive sint formae accidentales ipsi, sive substantiales, sive indefinitae realiter, sive non.

Si ergo [*Oxon.* ib.] non apparet ratio ulla ostendens incompossibilitatem conclusionis, est tenendum id esse possibile; non est enim ponendum aliquod esse impossibile absque omni ratione. Si vero poneretur suppositalitas creata esse quid negativum formaliter; tunc non est probabile hanc formaliter posse terminare dependentiam alterius naturae creatae; nam relatio positiva realis nequit habere pro termino, cui sit realiter positive unita, quid negativum.

Quod si ostendatur repugnantia [*Oxon.* ib.] nec fieri posse, ut suppositum creatum habeat sibi unitam hypostatice aliam naturam: *respondeo* ad ARGUMENTA facta pro parte affirmativa.

AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 4.] dico non requiri proportionem convenientiae ad istam unionem, sed proportionem naturae dependentis, et suppositi independentis, qualis forte ostenderetur non esse inter naturam creatam, et suppositum creatum alterius naturae, sed solum ad suppositum increatum. — *Et cum additur;* de absoluto; *dico,* absoluti rationem non efficere sustentificationem, sed eam esse solummodo ab independentia subsistentis, adeo ut non sit natum esse actum, vel potentiam per actum alterius unibilis.

AD ALIUD [*Oxon.* ib.] concedo, non concludere eam unionem illimitationem, neque ex hoc capite negatur eius rei possibilitas; sed quia duae naturae in eodem supposito creato habent incompossibilitatem, quam duas naturas in tali supposito non habere perfectum argumentum non probatur.

AD TERTIUM [*Oxon.* ib.] negandum est, omne superius continere totam perfectionem inferioris; et quamvis suppositum Angelicum esset perfectius humano, non exinde tamen sequeretur posse supplere defectum suppositi humani, sicuti non potest supplere potentiam visivam, esto habeat potentias longe perfectiores.

Tenendo tamen partem affirmativam [*Oxon.* ib.] *respondeo* ad ARGUMENTUM factum pro negativa, et dico, revera unam naturam non posse simul dependere a pluribus suppositis; non sequi tamen exinde, unum suppositum nequire terminare pariter dependentiam plurium naturarum.

Quia etsi unum causatum non possit simul terminare dependentiam plurium causarum totalium, et eiusdem generis, et ordinis, non inconvenit tamen unam causam simul terminare dependentiam plurium causatorum.

ARTICULUS II.

UTRUM DIVINAE NATURAE CONVENIAT ASSUMERE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 5. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 3. *a.* 2.

VIDETUR convenire Divinae naturae assumere. Etenim [*Oxon.* 3. d. 5. q. 1. n. 1.] Persona Divina assumpsit naturam humanam; ergo et naturam Divinam pariter assumpsisse oportuit. *Probatur consequentia:* quae sunt eadem realiter respectu cuiuscumque actionis realis sunt eadem, sive se habeant ad illam ut principium, sive ut terminus: actio enim realis est a principio reali ut res, et non ut intentio tantum; ergo et ad terminum realem comparatur et terminatur ut res.

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 5. n. 1.] Si suppositum Divinum fuisset absolutum, pariter potuisset assumere naturam creatam, ut assumpsit de facto; nam non est maioris perfectionis relativum de facto, quam foret si esset absolutum, secundum aliquos; igitur et tunc natura assumpsisset. *Probatur consequentia:* nam tunc non fuisset differens a Persona re, sed solum ratione; igitur modo potest natura assumere, et etiam assumpsit; quia eadem natura esset sub supposito absoluto, et relativo.

3. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 1.] Assumere actus est actionis transeuntis ad extra; ergo oportet eum actum esse communem toti Trinitati: sed quaecumque ex aequo competunt tribus Personis insunt ratione essentiae, et non per personales proprietates; ergo non personae, sed solius Divinae naturae est assumere.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 5. q. 1. n. 1.] Natura Divina est intensive infinita, idest in linea entis, includens subinde et continens omnem perfectionem uniuscuiusque entis; igitur oportet ut includat etiam perfectionem et rationem omnis suppositi; ergo ipsa poterit supplere vicem cuiuslibet suppositi creati, et subinde personare naturam creatam, atque ita assumere convenit Divinae naturae.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 5. q. 1. n. 2.] Si Natura assumpsit, cum ista sit una eademque in tribus, sequeretur pariter tres Personas assumpsisse, quod est erroneum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 5. q. 1. n. 2.] secundum exposita *q. praec. art.* 1. *et* 2. Divina essentia non est ratio formalis terminandi istam unionem, licet sit ratio efficiendi eam. Utrum autem possit esse et ipsa ratio terminandi, dicetur *art. seq.* Itaque si loquamur de ratione faciendi istam unionem, natura Divina est ratio efficiendi eam assumptionem; non est autem ratio terminandi de facto, quia tunc manifeste sequeretur, non solum Filium, sed tres Divinas Personas assumpsisse naturam humanam, quod est omnino a fidei veritate alienum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 3. d. 5. q. 1. n. 3.] videri difficile opinantibus personalem proprietatem tantum ratione differre a natura. Sed nos declaravimus *in prima parte,* entitatem incommunicabilem ex natura rei et ante omnem operationem intellectus distingui for-

maliter ab entitate communicabili; juxta hoc igitur comparando eas formalitates ad quodcumque tertium, non oportet quod competens uni secundum suam formalem rationem competat et alteri hubenti aliam formalem rationem; et tale est assumere, quod convenit incommunicabiliter subsistenti inquantum huiusmodi ut termino.

AD SECUNDUM respondeo, [*Report.* 3. d. 5. n. 4.] si Persona esset absoluta, posset assumere perinde ut relativa, sed tunc natura quoque assumpsisset, quia non differt a supposito, nisi sola ratione; sed nihilominus de facto non assumpsit natura Divina humanam, quia suppositum est relativum, nec sola ratione differt suppositalitas a natura; at in hypotesi quod esset idem formalis conceptus naturae et personalitatis absolutae, tam Persona, quam suppositum terminarent; at illa suppositio est falsa, et non admittenda. Vel potest dici ex hypotesi, quod si personalitas Divina esset absoluta, non aliter se haberet ad essentiam, quam relativum, quia etiam est ponenda incommunicabilis, et essentia communicabilis, ac proinde non sequi, si Persona terminat dependentiam eamdem, et naturam Divinam formaliter terminare.

AD TERTIUM, [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 12.] concedo ad Divinam essentiam spectare assumere effective, seu causare in genere causae efficientis istam unionem naturae humanae, quae est eius actionis terminus; sed cum hoc bene stare posse eam unionem non ad essentiam Divinam, sed ad unam ex tribus Personis esse per se, et primo terminatam.

AD QUARTUM respondeo sic: [*Oxon.* 3. d. 5. q. 1. n. 3.] infinitas non est ratio terminandi unionem naturae personabilis, sed magis ratio hypostasis, seu personalitatis, aut substantiae independentis. — *Et cum dicitur,* quia per infinitatem continet omnia; ergo potest supplere vicem cuiuslibet suppositi creati; *respondeo,* terminus istius unionis de facto est quid incommunicabile, quia immediate terminatur ad Verbi hypostasim: incommunicabile vero non est idem quod infinitum, quia essentia formaliter infinita est in tribus; ex hoc igitur quod contineat rationem omnium suppositorum potest tantum deduci, ab eo posse effici hanc unionem terminatam ad incommunicabile. Quod si [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 6.] in termino sufficiat ratio subsistentis independentis, seu sit incommunicabile, seu non, tunc essentia Divina potest esse per se terminus istius unionis, esto de facto terminata sit ad Personam Verbi.

ARTICULUS III.

UTRUM NATURA POSSIT ASSUMERE ABSTRACTA PERSONALITATE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 2. — *d.* 5. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 3. *a.* 3.

VIDETUR natura, abstracta personalitate, non posse assumere. Etenim [*Report.* 3. d. 5. n. 2.] assumptio non potest esse nisi ad terminum naturaliter incommunicabilem: sed natura Divina est naturaliter communicabilis, cum sit simul in tribus; igitur sola Persona in Divinis est independens ad suppositum, ac propterea ipsa sola potest assumere.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 10.] Si natura Divina assumeret, ad quam unitatem esset illa assumptio? non ad unitatem naturae,

quia tunc esset eadem natura assumpta cum assumente; nec ad unitatem Personae, quia Persona non est terminus illius unionis, ut supponimus, sed essentia; igitur ad nullam unitatem esset assumptio; videtur ergo impossibilis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 10.] De facto quia primus terminus unionis est Persona, ideo sequitur; ergo assumptum unitur in unitate Personae; ergo in hypothesi praesenti pariter sequitur: natura Divina est primus unionis terminus; igitur assumptum unitur in unitate naturae. Quae autem ita uniuntur sunt unum per identitatem; ergo est impossibilis unio naturae creatae, cuius primus terminus sit essentia Divina.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 2] Anselmus, *De Incarnat. Verbi,* et secundo *Cur Deus homo,* c. 9.: *Plures Personae,* inquit, *eumdem hominem assumere omnino nequeunt.* Sed si ad naturam Divinam humana terminaretur natura, tres Personae eumdem hominem assumpsissent, sicuti illa est in tribus; ergo id est impossibile.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1 q. 2. n. 2.] Multiplicato supposito creato multiplicatur natura; ergo similiter et increato; ac proinde si natura humana uniretur naturae Divinae, multiplicaretur assumpta natura ad pluralitatem suppositorum, in quibus est natura cui esset unita. *Probatur consequentia:* nam suppositum increatum supplet vicem suppositi creati; igitur ita distinguit sicut creatum distingueret.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 1. n. 1.] Persona potest assumere; ergo et essentia. *Probatur consequentia;* nam essentia per se subsistit, idest independenter existit, perinde ut Persona; igitur, etc.

RESPONDEO dicendum, essentiam Divinam, quatenus ab personalitatibus praescindentem, posse esse primum terminum istius unionis, ac subinde posse assumere naturam creatam. *Declaratio:* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 6.] essentia Divina nullum *esse* habet a personalitatibus, sed est prius naturaliter quam sit in personis iisdem dans *esse* personis; est enim natura illa de *se haec,* et *per se* subsistens, idest, habens *esse* actualissimum ante personalitates, non expectans ab eis aliquam actualitatem aut perfectionem; igitur nulla apparet repugnantia quominus sit primus terminus unionis naturae assumptae ad ipsam.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, *assumptum* esse falsum; quia [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 6.] incommunicabilitas non est necessario propria ratio terminandi istam dependentiam, sed subsistentia singularis, sive sit incommunicabilis, seu non; ac propterea cum hanc habeat essentia Divina, poterit et ipsa immediate assumere naturam creatam.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 10.] eam unionem esse ad unitatem, non identitatis, vel compositionis, sed unionis naturae huius ad illam, et hanc unionem esse specialem dependentiam naturae ad naturam similem illi, quae nunc est naturae ad personam. Non ergo concedendum, naturam tunc assumptam fore eamdem cum assumente, nec assumptionem esse ad unitatem naturae; bene tamen esse unionem ad naturam, vel ad unitatem unionis naturae cum natura. Caeterum non est hic ulla difficultas realis, sed magis grammaticalis; in re enim sicut unitas personae non communicatur formaliter naturae assumptae, sed tantum ut terminus dependentiae, ita nec unitas naturae communicaretur formaliter naturae assumptae, si natura poneretur esse immediatius terminus unionis; et quemadmodum ex persona assumente

et natura assumpta, non fit aliquod tertium compositum, ita pariter nec ex natura et natura. Dumtaxat igitur modus loquendi est alius, dicendo unitatem naturae, et unitatem personae; in primo enim notatur unitas identitatis, vel compositionis, in secundo vero non notatur nisi unio ad personam ut ad terminum; quamquam reipsa utrobique unio, et unita per ipsam, pariter se habeant in facta hypothesi.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 10.] licet prima consequentia teneat, quia id significat consequens, quod antecedens ex vi constructionis unitatis cum τό *Personae,* tamen secunda consequentia est neganda, quia antecedens significat naturam esse terminum unionis, sed consequens significat unitatem identitatis naturae ad naturam, vel compositionem ex natura et natura, quorum utrumque est impossibile; igitur propositio subintellecta sub primo enthimemate, nempe haec, *Quod unitur personae, unitur ad unitatem, vel in unitate personae,* vera est, sicuti est plane falsa illa, quae intelligenda venit in secundo enthimemate, nimirum ista, *Quod unitur naturae, unitur ad unitatem, vel in unitate naturae.* Caeterum est difficultas mere nominalis, ut dictum est.

AD QUARTUM dico, Anselmi sententiam esse veram; [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 8.] cum primus terminus unionis est Persona, sicuti de facto natura est assumpta; tunc enim fieri non potest, ut a pluribus personis eadem assumeretur natura, ut declarabitur infra, *art.* 6. Sed si Personae ponantur dumtaxat mediate assumere, tunc nullum inde sequi inconveniens.

AD QUINTUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 8.] concludere, quando suppositum incarnatum est primus et proximus terminus unionis, non vero quando mediatus, quia tunc natura assumpta una potest esse in multis propter unitatem naturae illius, cui primo unitur; nec alioquin naturae assumptae de se, et immediate convenire esse in tribus, sed tantum per illam naturam infinitam, cui primo ipsa unitur.

ARTICULUS IV.

UTRUM UNA PERSONA POSSIT ASSUMERE SINE ALIA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 1. — *Report. d.* 1. *q.* 2.
S. Thom. 3. *p. q.* 3. *a.* 4.

VIDETUR una Persona Divina assumere non posse humanam naturam sine alia. Nam [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 1.] August., 2. *De Trinit.,* cap. 8. *Eamdem,* inquit, *voluntatem habet Pater, et Filius etc., et indivisa utriusque est operatio;* igitur ista operatio seu assumptio non competit uni personarum, sed toti Trinitati; nequit ergo una persona assumere naturam creatam sine altera.

2. PRAETEREA. Si Verbum est incarnatum, Deus est incarnatus; quia Verbum est Deus: sed Deus est unus in tribus Personis Divinis: ergo nequiit una Divina Persona incarnari sine altera.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 1.] *Verbum Caro factum est; Ioann.,* 1.

RESPONDEO dicendum, nullam esse repugnantiam quominus una Persona assumat, altera non assumente. *Declaratio:* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 4.] nam licet respectus consequens naturam, et terminum creationis, et etiam hunc respectum terminare sit commune tribus Personis Divinis, ob

eamdem essentiam in ipsis repertam; nihilominus, non oportet, ut iste conceptus, qui non consequitur entitatem quidditativam, sed personalem, sit tribus communis; nam omnis entitas personalis independens potest sufficienter terminare istam dependentiam: sed entitas cuiuscumque Personae etiam, ut distincta ab alia, est talis, nimirum independens, et per se subsistens; igitur terminata ista unione ad unam Divinam Personam, non est necesse, ut terminetur ad aliam.

AD ARGUMENTA. [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 12.] AD AUCTORITATEM AUGUSTINI dicendum; principium agendi Incarnationem esse totam Trinitatem, terminum vero unionem unius Personae ad naturam humanam formaliter. Quamquam igitur nihil possit agere una Persona quod non agat altera, quaelibet tamen terminare potest aliquam dependentiam specialem, non terminantibus et aliis; potest igitur unaquaeque Persona specialem aliquam relationem terminare, quae non sit communis reliquis Personis; de facto, non est ulla alia realis specialis ultra istam, quae ad Personam Filii terminetur.

AD ALIUD respondeo, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 8.] eatenus Deum esse, et dici incarnatum, quatenus Verbi Persona fuit incarnata, ad quam primo terminata est unio hypostatica humanae naturae. Quoniam igitur non primo ad essentiam Divinam est dependens humana natura, sed magis ad hypostasim Verbi, nec tres Divinae Personae sunt incarnatae, nec oportuit omnes carnem assumpsisse ad Verbi incarnationem.

ARTICULUS V.

UTRUM QUAELIBET PERSONA DIVINA POTUERIT NATURAM HUMANAM ASSUMERE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 5. — *Quodlib. q.* 19. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 3. *art.* 5.

VIDETUR non quamlibet ex Divinis Personis naturam humanam assumere potuisse. Filius enim aeternus [*Oxon.* 1. d. 14. n. 2.] potuit assumere naturam humanam, quia potuit *mitti.* Unde Augustin., 2. *De Trinit.*, cap. 6. ait. *Proinde mitti Filius a Patre sine Spiritu Sancto, non potuit.* Ubi loquitur de Verbo Incarnando, intelligens *missionem* ipsam incarnationem. Pater autem [*Oxon.* ib. n. 1.] non potest *mitti* ex Augustino, 4. *De Trinit.*, cap. 20. *Sed Pater*, inquit, *cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus, non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat.* Igitur Pater non potest assumere naturam humanam.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 8. n. 1.-18.] Secundum *Anselmum* Filius est Incarnatus, non alia Persona, ne fieret confusio in proprietatibus; si enim assumpsisset naturam humanam Pater, esset simul Pater et Filius; at confusio dedecet Personam Divinam sic, ut ei tamquam imperfectio repugnet; igitur Patri vel etiam Spiritui Sancto assumere repugnat; pariter enim confusio sequuta esset, si Spiritus Sanctus incarnatus fuisset, quia et Filius matris suae, et Spiritus Sanctus et diceretur et esset.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 2.] Quod convenit alicui ut distinguitur ab alio, non potest inesse alii: Incarnatio convenit Filio, ut distinguitur a Patre; ergo non potest competere Patri. *Minor* est manifesta;

quia convenit sibi secundum proprietatem ejus, secundum quam distinguitur a Patre, et etiam a Spiritu Sancto.

AD OPPOSITUM est solutio *antec. art.*

RESPONDEO dicendum, quamlibet Personam Divinam potuisse et posse assumere naturam humanam. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 4. n. 2.] etsi de facto soli Verbo conveniat sustentificare naturam humanam formaliter, sive terminative, ut effective toti Trinitati, posset tamen idem caeteris Divinis Personis competere; quia [*Report.* 3. d. 1. q. 2. n. 6.] entitas personalis propria cuiuscumque Personae, etiam ut distinguitur ab alia, est simpliciter independens, cum cuicumque Divinarum Personarum repugnet contradictorie dependere ad aliud suppositum; igitur quemadmodum de facto una earum Personarum sustentificat naturam assumptam formaliter, ita valent et reliquae terminare et sustentificare naturam creatam. — *Confirmatur:* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 5. n. 7. — *Quodlib.* q. 19. n. 3.] quia si Pater et Spiritus Sanctus non possent assumere, quemadmodum Filius assumpsit et terminat dependentiam naturae humanae; id profecto aliunde esse nequiret, nisi quia Pater est a se, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio: sed hoc non inducit repugnantiam ad assumptionem in ipsis; quia si Pater fuisset incarnatus, et non Filius, adhuc Pater esset a se, et Filius a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque; haec enim assumptio accidentalis est omnino extrinseca ordini originis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 1. d. 14. per tot.] revera Patrem non *mitti*, quia non habet de quo sit; *mitti* enim connotat respectum in Persona missa, quatenus manifestatur eius processio aeterna. Quamvis autem Pater non manifestetur procedere, quia a nullo procedit, manifestari tamen potest absolute, seu manifestari quod producat; licet haec manifestatio non significetur per *mitti*. Ita igitur quoniam est simpliciter independens, ut Filius, non repugnat sibi terminare dependentiam naturae, ut Filio; quamvis tunc non diceretur *missus*, ut Filius, cum non habeat a quo mittatur.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 3. d. 8. n. 18.] si Pater esset incarnatus, fuisset confusio, quia filiatio temporalis diceretur de eadem Persona, in qua esset paternitas aeterna, et ita confuse una eademque Persona posset vocari Pater, et Filius respectu diversorum; verumtamen ex eo aliquam impossibilitatem, aut imperfectionem non sequi in Divinis Personis, si assumerent naturam creatam, manifestum est. Solummodo igitur est hic aliqua congruitas, qua sapientissime disposuit Deus consulere humanae imbecillitati, respectu cuius solius esset illa confusio.

AD TERTIUM respondeo: de facto Incarnatio convenit Filio quatenus a Patre distinguitur, quia ipse solus naturam humanam assumpsit. Sed [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 4.] quia ea unio fieri potuit ex eo quod Persona in se subsistens sit, et reliquae Divinae Personae eamdem independentiam habeant, omnes proinde pariter poterunt assumere aliquam naturam, vel multas, perinde ut Filius unam humanam naturam sibi personaliter univit.

ARTICULUS VI.

UTRUM PLURES PERSONAE DIVINAE POSSINT ASSUMERE UNAM NUMERO NATURAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 2. — *Report. ib. q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 3. *art.* 6.

VIDETUR plures Personae assumere posse eamdem numero naturam. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 1. — *Report.* ib. q. 3. n. 1.] haec natura antequam assumatur ab aliqua Persona est assumptibilis a quacumque divisim: agant igitur omnes simul ad assumptionem eius; aut assumunt, et habetur propositum; aut nulla assumit, quod videtur inconveniens; aut aliqua tantum, et non est maior ratio de una, quam de reliquis, cum omnes ex aequo ponantur agere.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 1. — *Report,* ib. q. 3. n. 1.] Priusquam naturam hanc assumeret Filius, ipsa erat assumptibilis a Patre; ergo etiam modo. *Probatur consequentia;* nam erat assumptibilis per hoc, quod fuit in potentia obedientiali ad ipsum: sed hanc non amisit natura per assumptionem a Filio; non enim fuit eadem potentia ad Patrem, et ad Filium; ergo stante Filii assumptione, potest assumi et a Patre, respectu cuius habet propriam potentiam ut assumatur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 2. — *Report.* ib. q. 3. n. 1.] Idem accidens potest esse in duabus substantiis; igitur et eadem natura in duobus suppositis. *Probatur consequentia:* habitudo accidentis ad subiectum est simillima unioni naturae humanae ad Verbum, ut dictum fuit *quaest. fundam. art.* 1. *Probatur igitur antecedens:* possunt esse simul corpus gloriosum et non gloriosum; igitur habent idem *ubi,* quod est accidens locati. Quod vero sit idem *ubi* patet, quia est idem locus: idem autem locus habet unam circumscriptionem activam; igitur sibi correspondet una circumscriptio passiva, quae est *ubi.*

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 6.] Nullum est inconveniens plures relationes eiusdem rationis esse in eodem subiecto, ut idem album pluribus albis esse simile; igitur non erit inconveniens pluribus dependentiis eiusdem rationis eamdem numero naturam ad plures Personas dependere.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 1. q. 3. n. 2.] Anselmus, 2. *Cur Deus homo,* cap. 9. *Plures Personae,* inquit, *eumdem hominem assumere omnino nequeunt.* Neque est dicendum, Anselmum intellexisse per *hominem* personam, vel hypostasim, non vero naturam singularem, cui id non repugnat, etsi nequeat assumi persona: *tum,* quia non solum a tribus nequit assumi persona, sed ne ab una quidem: *tum,* quia eodem modo Anselmus negat eumdem hominem posse assumi a tribus, quo asserit esse assumptum ab una Persona: homo autem assumptus a Verbo est natura singularis propria carens personalitate.

RESPONDEO dicendum, fieri non posse, ut una natura simul assumatur a pluribus Personis Divinis — *Probatio:* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 5.] in omni dependentia essentiali unum dependens non dependet praecise nisi ad unum, quod penitus terminat eius depedentiam: in ista unione est dependentia essentialis unius naturae, et una persona terminat omnimode eam;

igitur eadem natura non potest sic dependere simul ad plures personas. *Maior* declaratur in omni dependentia causati ad causam; non potest enim idem causatum habere plures causas totales in eodem genere causandi; quia tunc essentialiter dependeret ab aliquo ut causa, a quo non existente nihilominus esset; nam esset ab alia causa totali, qua etiam circumscripta, adhuc esset ab alia. Igitur non esset dependentia essentialis inter ista, contra suppositum, et unaquaeque esset causa totalis, et neutra. Et ita pariter in aliis dependentiis. Cum enim dependentia alicuius fuerit prorsus terminata ad aliquod unum, ipsum non potest dependentia eiusdem rationis dependere ad aliud. *Minor probatur:* quia personalitas creata omnino terminaret ipsam, et illa stante, non potest simul esse cum alia persona creata, vel increata; sed non minus terminat naturam et dependentiam eiusdem personalitas quaecumque Personae Divinae, quam terminaretur in se.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 7. — *Report.* ib. q. 3. n. 9.] tres Personas Divinas posse agere simul ad assumptionem, sed unam earum praecise fore terminum eius unionis. Nam impossibile est, ut simul uniatur pluribus, quia impossibile est omnimode dependere dependentia eiusdem rationis ad plures personas, cum nata sit terminare ad unam personam tantum; et ad incompossibilia nequeunt Divinae Personae simul agere, ut scilicet ad unamquamque earum sit dependentia illa pariter terminata.

Ad secundum dicendum, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 7. — *Report.* ib. q. 3. n. 9.] si una sit potentia obedientialis in natura, qua possit uniri simul tribus disiunctim, illam esse reductam ad actum per hoc, quod assumpta sit ab una persona. Si vero sint in ipsa tres potentiae, tunc omnes non reduci ad actum per assumptionem unius personae; et posse quidem reduci alias duas; sed non cum actu alterius potentiae ob incompossibilitatem actuum, sicut potentia ad albedinem non potest reduci ad actum cum nigredine.

Ad tertium [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 7. — *Report.* ib. q. 3. n. 9.] negandum est *assumptum* de accidente, et subiecto. — *Et cum probatur* de *ubi; dicendum,* respectu duorum corporum esse duo *ubi,* et tamen ab uno loco circumscribente, sed loco materiali, in quo essent duae locationes formaliter.

Ad quartum dico, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 6.] non repugnare relationi, qua relatio est, ut multiplicetur in eodem fundamento, sed repugnare alicui relationi qua *talis* relatio est: sicut est dependentia essentialis, quae si sit ad terminum penitus terminantem, non relinquit fundamentum dependens capax admittendi similem dependentiam ad quodcumque aliud valens terminare illam, quia tunc non esset dependentia terminata, ut supponitur esse.

ITERUM ARTICULUS VI.

UTRUM PLURES PERSONAE DIVINAE POSSINT ASSUMERE UNAM NUMERO NATURAM.

Doctor, et S. Thom. loc. art. praec. cit.

Videtur, nullam esse repugnantiam, quominus plures Divinae Personae eamdem assumere valeant naturam creatam. Nam [*Oxon.* 3. d. 1.

q. 2. n. 3.] sicuti prius absque ulla contradictione potest esse sine suo posteriori, ita et manere potest eodem plurificato posteriori: sed prius est naturam esse singularem, quam personatam; verbum enim assumpsit naturam singularem sine propria personalitate; igitur potest manere eadem individua natura, licet plurificentur personalitates extrinsecae respectu illius naturae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 3.] Distinctio relationis non est causa sufficiens distinguendi absoluta: sed distinctio Divinarum Personarum est relativa; ergo per huiusmodi distinctionem non oportet ut distinguatur natura absoluta; potest igitur assumi a tribus sine distinctione sui. Et ita quemadmodum anima eadem potest esse in diversis partibus corporis simul, et idem corpus in diversis locis per Dei potentiam, ita una eademque natura simul esse in duobus suppositis, cum eadem supposita extrinseca sint, et non eadem illi naturae.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 1.] Natura existens in Verbo habet inclinationem ad proprium suppositum, quia illa inclinatio est sibi naturalis; ergo habet inclinationem ad quodcumque potens supplere vicem proprii suppositi: talis est persona Patris; ergo cum hoc quod personatur a Filio, stat potentia in ipsa, ut personetur a Patre.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 2.] Anselmus, *Cur Deus homo,* cap. 9. *Plures Personae eumdem hominem sumere omnino nequeunt.*

RESPONDEO dicendum, fieri omnino non posse, ut tres Divinae Personae eamdem numero naturam simul assumant, ut ex ratione essentialis dependentiae ostensum est, *art. sup.* Et ulterius arguitur ad ostendendum id esse impossibile. Nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 4.] ideo concluditur Divinam Essentiam esse infinitam, quia simul potest esse in tribus Personis; ergo si humana pariter esse posset in tribus, videretur infinita; qua enim ratione posset esse in tribus, posset esse in infinitis simul. — *Nec iuvat* dicere Essentiam Divinam esse infinitam, quia est eadem tribus, quod non accideret hic. Nam sicut forma substantialis, si perficeret plura supposita, esset actu illimitata, ita accidens consequens illam formam foret illimitatum; sicut enim est illimitata anima respectu partium corporis, ita scientia consequens animam. Igitur quemadmodum Essentia Divina est infinita, quia est essentialiter trium suppositorum, ita natura humana esset infinita, licet accidentalis et adventitia tribus suppositis. — *Denique,* si natura posset simul habere plures personalitates perfectas increatas; igitur posset habere simul personalitates creatam, et increatam, vel plures creatas, quod illi non concedunt. *Sed probatur:* quia non magis repugnant simul esse personalitatem creatam, et increatam in natura una, quam plures personalitates increatas, quarum utraque perfecte supplet vicem personalitatis creatae.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo sic: [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 9.] eadem ratione si concluderet, probaretur quoque naturam posse habere personalitatem propriam et alienam, quod illi negant. Est igitur dicendum, non semper prius manere idem multiplicato posteriori; sed solum quando ex multiplicatione non sequitur implicantia, quam hic sequi constat ex dictis.

AD SECUNDUM distinguo *assumptum:* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 9.] distinctio relationum sequentium et posteriorum non infert distinctionem absoluti, concedo: relationum priorum, negatur. Haec autem natura as-

sumpta non praecederet relationes, seu subsistentias relativas divinas, sed sequeretur, et ideo secundum eas distingueretur. *Exemplum* de anima in diversis partibus corporis, et uno corpore in diversis locis, non est ad propositum; quia non includitur ibi aliquod incompossibile, sicuti includitur in una natura respectu duarum personarum simul.

AD TERTIUM dico: [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 7.] quemadmodum natura assumpta etsi habeat inclinationem ad propriam suppositalitatem, (quod tamen est dubium, cum longe sublimius *esse* habeat in Verbo, quam in se), non tamen una potest suppositari in se, et in Verbo; quia alias esset dependens, et non dependens ad alienum suppositum. Ita stante in ipsa inclinatione ad Personam Patris, non tamen sequitur una posse suppositari etiam in Patre stante unione ad Filii hypostasim. Itaque ex naturali illa inclinatione tantum potest concludi naturam posse dependere et uniri hypostatice tribus Personis Divinis divisim, et successive, non simul, et in sensu composito.

ARTICULUS VII.

UTRUM UNA PERSONA DIVINA POSSIT ASSUMERE DUAS NATURAS HUMANAS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 1. *q.* 3. — *Rep. ib. q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 3. *art.* 7.

VIDETUR una Persona Divina non posse sibi assumere plures naturas humanas. Nam si assumeret [*Oxon.* 3. d. 1. q. 3. n. 1.] vel esset tunc unus homo, aut plures: non unus homo, quia non una natura tantum; non plures, quia non plura supposita. *Prima consequentia probatur per oppositum:* siquidem tres Personae sunt unus Deus. *Secunda probatur* per hoc, quia habens plures scientias propter unitatem suppositi est unus sciens.

2. PRAETEREA [*Oxon.* ib.] Natura habet unitatem et numerationem a supposito, natura enim ut abstracta ab individuis, non numeratur; igitur si unum suppositum, et una natura.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 2. q. 7. n. 47. — 4. d. 10. q. 3. n. 1. — d. 6. q. 2. n. 7] Quaecumque uni, et eidem sunt eadem, sunt inter se eadem; ergo etiam quae uni et eidem sunt unita, pariter et inter se sunt unita. Igitur si uni Divinae Personae hypostatice uniantur duae naturae humanae, eae forent inter se eiusdem generis unione unitae, vel saltem aliqua reali unione. Id autem monstrum quoddam videretur; ergo non videtur probabile eamdem Divinam Personam posse simul duas naturas creatas sustentificare.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 3. n. 1.] Alia natura potuit assumi, ista non assumpta; igitur et modo sunt assumptibiles plures simul. *Probatio consequentiae;* nam potentia alterius naturae non est reducta ad actum per hoc, quod haec est assumpta, nec relatio ex parte Verbi assumentis habet istam naturam adaequatam sibi in ratione terminati dependentis ad terminans independens. Etsi enim unum causatum non possit dependere omnimoda dependentia ad plures causas, tamen bene potest una causa penitus terminare dependentiam multorum causatorum.

RESPONDEO dicendum, unam Personam Divinam posse simul assu-

mere plures naturas humanas; nam [*Oxon.* 3. d. 1. q. 3. n. 2.] alia natura non assumpta est assumptibilis, potens proinde habere dependentiam eiusdem rationis cum dependentia naturae assumptae; igitur simul cum ipsa actu dependere potest ad Divinam Personam; non est enim in hoc repugnantia ulla ex parte ipsarum naturarum. Actualis enim dependentia unius naturae non repugnat dependentiae alterius naturae; nec est repugnantia ex parte Verbi, quia per hoc non ponerentur, nisi plures relationes reales praecise terminari ad ipsum: hoc autem non est impossibile: sicuti de facto tota Trinitas terminat omnes relationes creaturarum. Cum igitur hic nulla appareat impossibilitas, vel incompossibilitas, fieri profecto potest, ut una Persona Divina simul sustentaret plures naturas creatas.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 3. d. 1. q. 3. n. 3.] *dicitur,* in eo casu non esse unum hominem, nec plures. — *Contra;* unum, et multa sunt opposita immediate dividentia ens; igitur etiam hoc ens, quod est homo, vel erit unus, vel plures. *Item,* unum, et non unum circa quodcumque ens includunt contradictionem: sed non unum in ente est multa necessario; ergo Persona Divina habens plures naturas humanas vel esset unus homo, vel plures. — *Aliter dicitur* fore unum hominem, ob suppositi unitatem, sicuti unus sciens, licet pluribus scientiis polleat. — *Contra;* igitur tunc ob plurificationem suppositorum deberet plurificari tale concretum et natura, et ita plures Personae Divinae essent plures Dii. — *Dicendum* est ergo sic: [*Report.* 3. d. 1. q. 4. n. 11.] si duae scientiae essent in hoc sciente, et dicerentur de eo in abstracto, tunc essent duo scientes; quia terminus numeralis semper est adiectivum, et ponit suum significatum circa suum substantivum subintellectum in hoc *est duo.* Sed quando est terminus substantivus, cui additur terminus numeralis, denotat eum immediate numerari; ideo si Filius assumeret plures naturas simul, esset quidem unus humanatus, sed tamen plures homines. Nec ex hoc sequitur, quod habens plures scientias, sit plures scientes, quia unus solummodo esset dicendus sciens, eo modo quo extitit declaratum *in prima parte q.* 36. *art.* 4. Patrem et Filium esse unum spiratorem et duos spirantes.

Ad secundum dicendum, *Assumptum,* et *consequentiam* esse falsam; licet enim natura, ut abstracta ab individuis, nequeat numerari, potest tamen ut contracta ad individua, et ut sic contracta [*Oxon.* 3. d. 1. q. 3. n. 3.] praecedit suppositum; plures ergo naturae singulares quantum ad hoc possunt esse in eodem supposito.

Ad tertium respondeo sic: [*Oxon.* 1. d. 13. n. 21.] quando comparantur duo ad tertium illimitatum, secundum illud, secundum quod comparantur ad tertium, non sequitur ex unione eorum in tertio unio eorum inter se. *Exemplum:* si ego sum cum Deo hic, et Papa sit cum Deo Romae, ergo ego sum cum Papa, non sequitur; quia Deus est illimitatus secundum praesentiam, cum ubique sit. Quoniam pariter Divina Persona est subsistens illimitatum, potest terminare dependentiam plurium naturarum; sed ex earumdem unione ad illam non sequitur esse inter se unitas nisi quatenus omnes conveniunt in eadem ratione dependentis ad externum suppositum, quae non est alia unitas et convenientia, quam rationis. Nullam itaque physicam aut realem inter se haberent unionem, virtute scilicet illius, qua unaquaeque uniretur Personae Divinae.

ARTICULUS VIII.

UTRUM FUERIT MAGIS CONVENIENS, QUOD PERSONA FILII ASSUMERET HUMANAM NATURAM, QUAM ALIA PERSONA DIVINA.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 3. *art.* 8.

VIDETUR non fuisse magis conveniens Filium Dei incarnari potius quam Patrem aut Spiritum Sanctum. Nam [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. per tot.] incarnationem potissimum voluit Deus, vel ut repararet hominem lapsum, vel ob sublimitatem eius mysterii in se. Si principale motivum fuit restauratio hominis, convenientius Pater carnem assumpsisset: omnipotentiae enim Patri attribuitur; ergo sicut creatio hominis fuit omnipotentiae opus, ita et restauratio eius operis erat a Patre perficienda; eiusdem enim artificis est condere opus, et restaurare labem passum. Si vero volita fuit Incarnatio ob sublimitatem ipsius mysterii in se, nulla scilicet alia de causa, aut occasione, sed ut manifestaretur immensa Dei liberalitas et bonitas; ergo magis congruum fuit incarnari Spiritum Sanctum, cui bonitas appropriatur, et a quo descendere dona dicuntur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.-9. — d. 15. q. 1. n. 7.] Quodcumque principale motivum Incarnationis fuerit, de facto tamen omnem gratiam et sanctificationem Christus nobis promeruit per suam passionem; igitur convenientius Spiritus Sanctus carnem assumpsisset. *Patet consequentia:* quia sicut attribuitur sapientia Filio, ita charitas et sanctificatio Spiritui Sancto adscribuntur; igitur quoniam omnis gratia, quae confertur hominibus ab Incarnatione est, magis decebat id fieri per eam Personam divinam, cui sanctificatio attribuitur, quam per alteram eiusmodi non habentem appropriationem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 5-6.] Ex hoc, quod Filius assumpsit humanam naturam, verissime ipse dixit, *Pater maior me est,* Ioann. 14. nempe quia erat minor secundum humanitatem, quamvis illi per omnia aequalis secundum naturam divinam: ex ea autem veritate Ariani accipientes occasionem sui erroris, et blasphemantes dixerunt, Christum esse puram creaturam; cum sit aeternus omnium Creator. Si autem Pater humanam carnem assumpsisset, nec ea occasio errandi extitisset, nec Ariana haeresis in Ecclesia exorta esset; ergo convenientius Pater incarnatus fuisset.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 8. n. 1.] Damascenus, *Cur Deus homo,* cap. 9. Filius est incarnatus, non alia Persona, ne fieret confusio in proprietatibus. Sumendo autem carnem Filius Dei, nulla est confusio in proprietatibus; quia eadem Persona est Filius Dei, et Filius hominis: si filiatio autem temporalis diceretur de Patre, ut evenisset si carnem assumpsisset, eadem Persona confusa diceretur nunc Pater, nunc Filius; et si Spiritus Sanctus incarnatus esset, etiam foret in proprietatibus confusio, vel saltem non tanta distinctio, omnis ambiguitatis expers, sicuti modo est in Persona Filii; igitur magis conveniens fuit hanc incarnarti, quam aliam.

RESPONDEO dicendum, convenientissime Filium Dei fuisse incarnatum, adeo ut parem convenientiam in aliis Personis Divinis haud licuerit in-

veniri. Nam pro dispensatione carnis adimplenda, ut decreverat Deus, Divina aliqua Persona erat in mundum mittenda; igitur [*Oxon.* 1. d. 15. n. 4.] nequivit haec Persona extitisse Pater, quia Pater nec mittit se, nec ab ulla alia Persona Divina mitti potest. Cum enim *mitti* sit manifestari Personam procedere, atque Pater de nullo procedat, mitti proinde non potest. Et tametsi ex hoc capite Spiritus Sanctus carnem assumere congruum fuisset, quia ex Patre, Filioque procedit; aliae tamen congruentiae, quae in Persona Filii elucescunt, non concurrissent.

Quarum *prima* est, quia persona incarnanda pro salute generis humani erat futura mediatrix inter Deum et homines, qua scilicet mediante, homines, qui Deo per Adae peccatum inimici evaserant, illi reconciliarentur, ac proinde gratiam omnem, in qua fundatur amicitia inter Deum et intellectuales creaturas, erat eis ob merita Mediatoris danda. Sed Filio prae caeteris Divinis Personis congruit officium et munus mediatoris, per quem [*Oxon.* 4. d. 14. q. 4. n. 3. seqq.] extrema ad primum principium reducantur; ex vi enim suae processionis ipse tenet medium inter Divinas Personas, quarum Pater est prima a nullo procedens, et ultima Spiritus Sanctus procedens a Patre et Filio; igitur Filio convenientissime commissum a Patre est officium mediatoris, ut qui tenet medium in superexaltata Trinitate mediatoris quoque fungeretur officio inter ipsam Trinitatem et homines, atque ad eamdem extrema reduceret per carnis dispensationem. — *Deinde,* [*Oxon.* 1. d. 32. q. 2. n. 8.] Verbum ex vi productionis suae habet notitiam actualem sibi communicatam: notitiae autem actuali, ut actuali, convenit declarare; declarare igitur magis convenit cum proprio Filii, quam cum proprio aliarum Personarum, adeoque recte sibi appropriatur; igitur magis conveniens fuit, ut ipse Filius per hominem assumptum declararet mysteria abscondita hominibus per Legis Evangelicae promulgationem et magnitudinem dilectionis Dei, qua sic dilexit mundum, ut Filium suum daret. — *Ulterius,* [*Oxon.* 1. d. 2. q. 3.] Verbum ex Augustino, 6. *De Trinit.,* cap. ult. *Est Ars omnipotentis Dei plena omnium rationum viventium;* est igitur Filius per appropriationem Ars, Virtus, et Sapientia Patris; ergo per ipsum Filium potius, quam per aliam Personam, cui non appropriatur Ars, et Virtus, et Sapientia, erat perficiendum illud opus excellentissimum humanae redemptionis, in qua magis [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 8.] quam in ipsa creatione eluxerunt Dei Sapientia, et Virtus, et Artificium, quo et Divinae iustitiae satisfactum fuit per passionem, et oblationem, magis gratam, quam fuerit odio prosequenda offensa illata per primum hominem, et maxima Dei misericordia, et sapientia talia disponentis, ac acceptantis, et charitas Christi, qua ultro se offerre voluit in mortem pro inimicis Trinitatis. — *Postremo,* [*Oxon.* 3. d. 20. — 4. d. 15. q. 1. n. 7.] Personae incarnandae commissum erat ut per gratiorem oblationem, quam fuerat odiosa offensa, reconciliaret toti Trinitati genus humanum, iterumque ius in haereditatem gloriae caelestis acquireret per merita Personae incarnandae sibi gratia collata; igitur talem Personam decuit fuisse Dei Filium. *Probatio consequentiae:* siquidem [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 11.] per gratiam conferendam hominibus promeritam a Persona incarnanda erant evasuri homines filii Dei adoptivi; igitur convenientissime haec gratia et adoptio promerenda erat a Filio Dei naturali, ut scilicet ipse esset primogenitus in multis fratribus adoptionem filiorum recipientibus per Filium Dei naturalem.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo; ex quocumque motivo principaliter Incarnatio fuerit, Dei Filium decuisse incarnari. Quia sicut Deus per Verbum fecit genus humanum et omnia, ita per Verbum erant restauranda quae ex humana imbecillitate, et daemonis astutia fuerant labefactata, et mirabiliter sarcienda quae erant illata detrimenta. Ipse enim est ars, et sapientia, et virtus Patris, et ideo per ipsum erat perficiendum opus longe arduum et excellentissimum, et quale decuit Dei virtutem, et Dei sapientiam. — *Et cum dicitur* bonitas: et liberalitas appropriantur Spiritui Sancto; ergo opus incarnationis per Spiritum Sanctum perficiendum erat; *respondeo,* [*Oxon.* 1. d. 18. n. 6. seqq.] Spiritum Sanctum esse donum Patris et Filii, quia ab utroque liberaliter productum, et ab aeterno spiratum: est ergo Spiritus Sanctus Filii donum; et consequenter magis conveniens fuit, ut Filius Dei liberalitatem et misericordiam nobis revelaret in homine assumpto.

Et per idem ad secundum. Quia etsi sanctificatio Spiritui Sancto attribuatur, tamen magis congruum fuit ut causa meritoria ipsius esset Filius, et secunda Persona, a qua Spiritus Sanctus procedit, tamquam eius donum, ac sic per mediam Personam, ut dictum fuit, opera Mediatoris perficerentur.

Ad tertium dicendum, nedum Arianorum haeresim, sed [*Oxon.* Prol. q. 2. n. 8.] omnes alias ortum traxisse ex Scripturis male intellectis, nempe quia (ut ait Augustinus, lib. 83. *qq. q.* 69.) praecedentia et sequentia conferre neglexerunt. Quamquam igitur Salvator testatus fuerit se esse Patre minorem, quia tamen alibi expressit se esse illi aequalem et unam cum illo habere virtutem et Essentiam, quia eamdem operationem [*Quodlib.* q. 3. n. 4.] ut Ioann., 5. cum ait: *Quaecumque ille* (scilicet Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit,* evidenter concludere potuissent, Christum non nisi per humanitatem esse Patre minorem; nec posse attribui rationem creaturae illi, per quem facta sunt omnia, ut Evangelista Ioannes testatur, et [*Oxon.* 2. d. 1. q. 2. n. 2.] iam pridem scripserat Moyses dices: *In principio creavit Deus caelum, et terram.* Caeterum videtur Arius ex adducta Scripturae auctoritate, *Pater maior me est,* occasionem arripuisse potius, vel ad speciem confirmandi suum errorem, quam ipsum concipiendi; eam enim blasphemiam hausisse ex Platonicis dogmatibus, narrat ecclesiastica Historia; et aemulatione exinde exorta cum Alexandro Episcopo ob primatum, disseminare nefariam et horrendam haeresim incoepisse; qua de causa iterum et tertio ab Ecclesiae corpore segregatus est. Quoniam igitur [*Oxon.* 2. d. 1. q. 2. n. 5.] Plato putavit aliquid sempiternum esse, et tamen possibile non esse; Ariani sempiternum quidem affirmabant Filium Dei, et omnium creaturarum principium, sed tamen creaturam Patris dicebant, et ideo potentiam habere non essendi, quod puris convenit creaturis.

QUAESTIO QUARTA.

DE MODO UNIONIS EX PARTE NATURAE HUMANAE ASSUMPTAE. IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unione ex parte assumpti. Circa quod *primo* considerandum occurrit de his, quae sunt a Verbo Dei assumpta: *secundo* de coassumptis, quae sunt perfectiones, et defectus. Assumpsit autem Dei Filius humanam naturam et partes eius.

Unde circa *primum* triplex consideratio occurrit: *prima* est, quantum ad ipsam naturam: *secunda* est, quantum ad partes eius: *tertia,* quantum ad ordinem assumptionis.

Circa primum quaeruntur sex.

1. Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis a Filio Dei, quam aliqua alia natura. - 2. Utrum assumpserit personam. - 3. Utrum assumpserit hominem. - 4. Utrum fuisset conveniens, quod assumpsisset humanam naturam a singularibus separatam. - 5. Utrum fuisset conveniens, quod assumpsisset humanam naturam in omnibus eius singularibus. - 6. Utrum fuerit conveniens, quod assumeret humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adae progenito.

ARTICULUS I.

UTRUM NATURA HUMANA FUERIT MAGIS ASSUMPTIBILIS A FILIO DEI, QUAM ALIQUA ALIA NATURA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 1. — *Report. ib. q.* 2.
S. Thom. 3. *p. q.* 4. *art.* 1. — *Henricus Quodl.* 13. *q.* 5.

VIDETUR non fuisse assumptibilis aliqua alia natura a Verbo, praeter naturam humanam, et praesertim irrationalis. Si enim fuisset assumptibilis irrationalis; igitur [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1.] natura non personabilis personaretur, quod videtur impossibile. *Sed probatur sequela:* natura quae unitur Personae in unitate suppositi personatur: sed natura irrationalis non est personabilis; ergo nec unibilis Personae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1] Ex hac unione sequeretur communicatio idiomatum, sicuti de facto est in Christo; igitur tunc Deus diceretur esse lapis, vel ignis; imo perfectior videretur idiomatum communicatio tunc, cum quaelibet pars lapidis sit lapis, quod non est verum de homine.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 5.] Sicut Deus se habet ad omnem creaturam in illapsu generali quantum ad *esse* et *operari,* ita videtur se habere ad hanc naturam in illapsu speciali, quantum ad hanc operationem et hoc *esse.* Sed primo modo nulli potest illabi ad *esse,* nisi cui illabitur ad operationem, secundum Philos., 4. *Metheor. in fine;* quia unumquodque est tale, cum potest agere, cum autem non potest agere non est tale; igitur non potest illabi isti naturae illapsu speciali quantum *ad esse,* nisi possit ei illabi quantum ad operationem specialem: operatio autem specialis respiciens obiectum supernaturale est ope-

ratio videndi et fruendi, quae nullo modo competere possunt naturae irrationali.

4. PRAETEREA. Ea dumtaxat natura assumptibilis censenda est, quae aliquam habet congruentiam ad huiusmodi unionem (nam potentiam passivam nulla creatura habet ad ea, quae trascendunt ordinem naturae): sed ea sola est natura humana, ob dignitatem ipsius iuxta ac necessitatem; ergo nulla alia est assumptibilis. *Minor* ex eo constat, quia cum sit rationalis potest attingere Verbum per intellectum, et voluntatem, et quia subiacebat originali peccato indigebat reparatione; ergo cum aliis ab ista desint aut ambae, aut altera ex praefatis congruentiis, non erant, nec sunt a Verbo assumptibiles.

CONTRA [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1.] In triduo immediate uniebatur caro Verbo Dei, et tamen non fruebatur; sed quidquid Verbum potuit conservare sibi unitum immediate, potuit et immediate assumere.

RESPONDEO dicendum, non solum naturam humanam, sed quamlibet aliam creatam esse assumptibilem a Verbo in unitate hypostasis. *Declaratio:* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 5. — *Report.* ib. q. 2. n. 7.] etenim quod natura intellectualis dependeat hac dependentia ad suppositum alterius naturae, est in ipsa imperfectionis; igitur si id repugnaret alteri naturae ab ipsa, esset ratione perfectionis: sed natura intellectualis est perfectior caeteris non intellectualibus; igitur si potest ipsa sic dependere, multo fortius aliae naturae ab ipsa. — *Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 7.] si Verbum esset hypostasis independens, et non Persona, posset terminare dependentiam naturae non personabilis; sed per hoc quod est Persona nihil tollitur ab ipso, quod faceret ad rationem formalem terminandi dependentiam alterius; igitur poterit nunc terminare; nam propterea natura lapidis assumpta esset persona, quia personari non tantum dicit uniri, sed etiam sic uniri; ita quod ille modus respiciat fundamentum unitum sive assumptum, et sequatur necessario ex illo, ut si sit fundamentum illud natura intellectualis dicatur uniri in persona, sin minus, in unitate suppositi.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patet responsio ex supradictis. Quia [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 13.] natura non intellectualis non diceretur personari in Verbo si ab eo assumeretur, sed tantum sustentificari ob diversitatem dependentiarum, ortam ex diversitate fundamentorum, ex quibus oritur alius et alius modus unionis ipsorum ad Verbum.

AD SECUNDUM [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 13. — *Report.* ib. q. 2. n. 9.] de communicatione idiomatum, concedo, tunc posse dici, *Deus est lapis, et lapis est Deus,* et utramque fore veram praedicationem. — *Et cum additur* fore perfectiorem idiomatum communicationem, quia quaelibet pars lapidis est lapis; *respondeo:* quamquam pars lapidis recipiat praedicationem lapidis in communi, ut pars homogenea, vel subiectiva in suo toto, non tamen recipit praedicationem illius, cuius est pars integralis; sicut nec totum integrale praedicatur de parte integrali: nec enim dicimus, *paries est domus.* Ad propositum, Verbum in casu non est lapis in universali, sed hic lapis aliquis totus, et quoniam nulla pars lapidis esset hic lapis, ideo nulla pars lapidis praedicaretur de eo.

AD TERTIUM [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 16.] concedo, illapsum specialem fore ad *esse* quo naturae creatae communicatur *esse* Verbi, atque ita illapsum hunc specialem *esse* ad operari, quo scilicet Verbum operaretur ope-

rationes illius naturae. Sicut igitur Verbum diceretur ignis, si assumpsisset eius naturam, ita diceretur calefacere calefactione ignis; at non oporteret perinde illapsum hunc esse ad operationes repugnantes tali naturae, sicut operationes beatificae; nec diversimode contingit in illapsu generali, quo Deus illabitur cuilibet creaturae ad *esse,* et ad *operationem* sibi convenientem; non autem ad aliquam operationem disconvenientem, aut repugnantem naturae cuiusque entis.

AD QUARTUM respondeo, probari dumtaxat ea ratione, congruum fuisse assumi magis naturam humanam quam aliam de facto, quod negandum non est; sed tametsi aliae naturae non habeant passivam potentiam ad unionem hypostaticam in Verbo, habent nihilominus obedientialem, quae sufficit ad ostendendam rei possibilitatem, de qua solutio procedit.

ARTICULUS II.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT PERSONAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 5. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thomas* 3. *p. q.* 4. *a.* 2.

VIDETUR Filius Dei assumpsisse vel assumere potuisse personam. Nam [*Oxon.* 3. d. 5. q. 2. n. 1.] natura fuit assumpta; igitur et persona. *Probatur consequentia:* quae sunt eadem realiter, respectu cuiuscumque actionis realis sunt eadem, sive se habeant ad illam ut principium, sive ut terminus: sed Persona creata est eadem naturae; si enim est aliud, igitur aut substantia, aut accidens; non accidens, quia nullum accidens est ratio subsistendi alicui in se. Si substantia, aut materia, aut forma, aut compositum: quodcumque autem ex istis foret, sequeretur in composito esse plures substantias eiusdem rationis, quod non videtur probabile.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 5. q. 2. n. 1.] Omne pertinens ad dignitatem in creatura est aliquid positivum: sed omne positivum potest assumi; igitur persona est assumptibilis, et consequenter assumpta.

3. PRAETEREA. Verbum assumpsit humanam naturam, ut eam sanaret, et medicinam salubrem pararet, qua peccatorum vulneribus mederi posset; ergo et naturam et ipsam personam assumpsit. *Probatur consequentia:* [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 7.] nam Damascenus, lib. 3. cap. 6. *Totum,* inquit, *quippe me totus assumpsit, ac totus toti unitus est, ut toti salutem afferret; nam alioqui ne medicina quidem ei allata est, quod assumptum non est;* ergo si persona non fuisset assumpta, ipsi medicina allata non foret, quod nemo dixerit, cum personae praesertim conferantur dona supernaturalia per Christi merita.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 5. q. 2. n. 1.] Si persona creata a Verbo assumpta est; igitur duae personae essent una persona, quod est impossibile, et erroneum.

RESPONDEO [*Oxon.* 3. d. 5. q. 2. n. 4. — *Report.* ib. n. 3.] iam declaratum fuisse, *q. fun. art.* 4. qualiter persona creata formaliter dicit et importat duplicem negationem, actualis scilicet et aptitudinalis dependentiae ad aliud, ut ad suppositum illius naturae, adeo ut quantum est ex parte suppositi habentis negationem dependentiae aptitudinalis, semper sibi ea negatio inesset actu, sicut anima separata semper dependeret a corpore quantum est ex parte sui. Persona igitur formaliter est indepen-

dens utraque independentia: si autem assumeretur, dependeret ad personam extrinsecam; igitur dependeret, quia assumpta; non dependeret quia persona; ergo contradictio manifesta est personam creatam posse assumi, aut esse assumptam a Verbo; quia tunc, vel esset persona assumpta, et ita duae hypostases in Christo, vel ab ipso non dependeret, ut ad personam.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, *consequentiam* esse falsam. *Et cum probatur* de identitate personalitatis cum natura, *dicendum* [*Oxon.* 3. d. 5. q. 2. n. 5.] positivum importatum et repertum in persona, quod est singularitas, esse utique realiter identificatum cum natura; at singularitate non constitui complete personam, quia ulterius requiritur alia incommunicabilitas; cum enim intelligitur individua non est incommunicabilis ut *quo*, nec proinde persona. Haec autem incommunicabilitas inest naturae individuae per negationem dependentiae actualis et aptitudinalis ad extrinsecum suppositum. Et quia constat posse naturam individuam dependere ad extrinsecum suppositum, liquet incommunicabilitatem ut *quo* non esse cum natura individua identificatam; at naturae propria personalitate independenti repugnare dependere ad aliam personam.

AD SECUNDUM dicendum [*Oxon.* 3. d. 5. q. 2. n. 5.] personam in creaturis non importare dignitatem, nisi materialiter, scilicet ratione intellectualis naturae quam connotat, non autem formaliter ratione incommunicabilitatis quam superaddit. Vel potest *esse* ipsa negatio dignitatis in persona, pro quanto indignitatis esset, si opposita affirmatio ipsi inesset, sicuti dignitatis est in Rege, non esse mercatorem.

AD TERTIUM dico: si ratio personae consisteret in aliqua entitate positiva, tunc revera urgeret inconveniens deductum ex Damasceno: sed nos putamus [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 9. seqq.] eam rationem esse negationem actualis et aptitudinalis dependenitae (ut longo sermone extitit declaratum *in quaest. fundam.*), et propterea omne positivum naturae fuisse a Verbo assumptum, et totum pariter fuisse curatum.

ARTICULUS III.

UTRUM PERSONA DIVINA ASSUMPSERIT HOMINEM.

Doctor, Report. 3. *d.* 6. *q.*3. — *Oxon. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 4. *a.* 3.

VIDETUR Persona Divina assumpsisse hominem. Etenim id expresse dicit August., *De Praedest. sanct.*, cap. 15. *Ille homo*, inquit, *ut a Verbo Patri coaeterno, in unitatem Personae assumptus*, etc. Idem quoque habet in libris *De Trinit. super Evangelium Ioann.* et alibi frequenter; ergo Persona Divina hominem assumpsit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 8.] Haec est vera, *Deus factus est homo*, quia verum est Verbum factum esse hominem: sed eatenus Verbum factum est homo, quatenus hominem vel carnem assumpsit; ergo Divina Persona assumpsit hominem.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 11. q. 3. n. 5.] *Iste homo* non potest supponere, nisi pro supposito naturae humanae: sed suppositum naturae humanae vel est inassumptibile, vel non fuit assumptum; ergo nec hominem Persona Divina assumpsit.

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 3. d. 6. q. 3. n. 3. — *Oxon.* ib. n. 1.] de rigore sermonis hanc *Verbum assumpsit hominem,* non esse veram: nam assumens non est assumptum: sed hic homo est Deus; ergo hic homo non fuit assumptus. Quoties igitur invenitur Augustinum dicere Verbum assumpsisse hunc hominem, explicandus est, ut voluerit intelligere et accipere, *hunc hominem* a toto positivo, per quod est *hic homo.* Proprie igitur loquendo non fuit a Verbo assumptus hic homo, sed natura humana in individuo.

Et per hoc patet responsio AD PRIMUM.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 8.] omnium propositionum exprimentium unionem naturae humanae ad Verbum, haec est prima *Natura humana unita est personaliter Verbo;* ex qua immediate sequitur haec alia, *Verbum est homo* et exinde illa, *Deus est homo,* quia virtute unionis Verbum est subsistens in natura humana. Et eodem modo est in fieri, nempe quia natura humana in athomo unita est Verbo, *Verbum factum est homo,* quia incoepit in ea natura subsistere; non quia ergo hominem assumpsit illa est vera, sed potius quia subsistere incoepit in natura humana Verbo Dei personaliter unita. — Quod si videatur retinenda loquutio Augustini, et aliorum Patrum, qui frequenter inveniuntur pronunciasse, *Personam Divinam hominem assumpsisse,* respondetur ad argumentum adductum *in oppositum: cum dicitur:* [*Oxon.* 3. d. 11. q. 3. n. 5.] iste homo non potest supponere, nisi pro supposito naturae; *dico,* id verum esse regulariter, et de facto; tamen potest supponere pro illo, ut est suppositum non naturae humanae, sed in natura humana. *Exemplum:* sortes albus supponit pro substantiae supposito, tamen ut existens in albedine. Et ita quamvis iste homo in casu supponat pro supposito, non oportet nihilominus tale suppositum esse proprium, quia satis est ipsum subsistere in alieno, a quo praeventus fuit, et factum ne in propria subsisteret hypostasi. Vide *supra q.* 2. *art.* 4. *Ad primum.*

ARTICULUS IV.

UTRUM FILIUS DEI DEBUERIT ASSUMERE HUMANAM NATURAM ABSTRACTAM AB OMNIBUS INDIVIDUIS.

Doctor, Oxon. 1. *d.* 25. — *d.* 12. *q.* 1. 3. *d* 18-19. — *Quodlib. q.* 17. *S. Thom.* 3. *p. q.* 4. *a.* 4.

RESPONDEO dicendum [*Oxon.* 1. d. 25. n. 3.] cum natura universalis sit illa, quae ex sua ratione formali est natura tantum, secundum Avicennam, 5. *Metaph.*, cap. 1. quatenus scilicet de se nata est recipere rationem universalitatis in intellectu attribuente eam illi, ut una praedicetur de pluribus in quae est multiplicabilis, et rationem singularis per esse terminatum in supposito; manifestum est qualiter natura abstracta ab omnibus individuis non est existens, itaque nec ullo modo assumptibilis; cum enim [*Oxon.* 1. d. 12. q. 1. n. 16.] rationes sint suppositorum, idest nequeuntes denominare ultima denominatione nisi suppositum, vel habens modum suppositi, ut est anima separata; etiamsi assumeretur, non esset nata elicere in Persona Verbi actiones meritorias, [*Quodlib.* q.17. n. 3. seqq.] quae debent esse personales; et profecto actus huiusmodi non

forent personales, quia natura illa ut communicabilis non est personabilis; nam natura personabilis in se est natura athoma, seu individua, et ideo personabilis in alio. Verbum autem assumpsit carnem humanam passibilem [*Oxon.* 3. d. 18. — d. 19. per tot.] ut in corpore passibili posset mereri electis gratiam, quam perdiderant in primo parente; si igitur in ea natura abstracta ab omnibus individuis non potuisset Christus mereri, manifestum est, non debuisse Verbum illam assumere, etiamsi potuisset. Nam absolute id impossibile fuit, cum non sit assumptibile nisi existens existentia reali; debet enim fundare relationem realem unionis ad Verbum; et natura communis in nullo signo reali habet existentiam realem in se, sed tunc primo incipit realiter existere, cum est in individuis. Ut ergo humana natura intelligitur abstracta ab omnibus individuis, nullo modo est assumptibilis a Verbo Divino.

ARTICULUS V.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMERE DEBUERIT NATURAM HUMANAM DE OMNIBUS INDIVIDUIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 18. *et* 19. *et* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 4. *a.* 5.

RESPONDEO dicendum: [*Oxon.* 3. d. 18-19. per tot.] stante praesenti ordine rerum, cum Filius Dei debuerit venire in carne passibili, qua pati et mereri potuisset cum plenitudine gratiae liberalissime a Deo sibi collatae, profecto eam gratiam mereri nequiit, neque gloriam, qua in instanti conceptionis suae anima illa felicissima perfundenda erat. In praesenti ergo Divinae providentiae ordine Christus non sibi, sed aliis meruit gratiam et gloriam, iis videlicet, pro quibus ipse merita sua et efficaciter obtulit, et efficaciter fuerunt acceptata. Si vero Verbum assumpsisset humanam naturam de omnibus eius individuis, omnes illae animae de congruo habuissent aequalem gratiam, et paria dona supernaturalia illis, quae de facto Christo donata fuere. Habuissent ergo summam gratiam et gloriam correspondentem illi sine meritis; non opus ergo habuissent homines meritis alienis, et per consequens, cum Christus neque sibi, neque aliis quicquam mereri potuisset, non congruebat ei status merendi; igitur stante hoc rerum ordine non debuit Verbum assumere naturam humanam de omnibus individuis. — Accedit etiam [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 4. seqq.] quod Christus stante praesenti dispositione Divinae providentiae habet rationem mediatoris: hanc vero habere non posset, si de omnibus individuis Verbum carnem assumpsisset; quia nemo hominum opus haberet sua mediatione, quorum omnes naturae aequaliter essent unitae Verbo Dei.

ARTICULUS VI.

UTRUM CONVENIENS FUERIT, UT FILIUS DEI ASSUMERET NATURAM HUMANAM EX STIRPE ADAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — *Report. ib. S. Thom.* 3. *p. q.* 4. *art.* 6.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 7. et 9.] quamquam potuerit Deus alia via atque ratione redimere genus humanum, secundum

Augustinum, 13. *De Trinit.*, cap. 10. congruum tamen fuit Filium Dei assumpsisse humanam naturam de stirpe Adam; etsi non videatur impossibile purum hominem aut Angelum satisfacere Deo pro genere humano obnoxio culpae originali, si Deus satisfactionem alia via faciendam decrevisset, et acceptare voluisset. Stante tamen praesenti Dei ordinatione, id fieri non potest; nam [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 7.] nequit homo satisfacere Deo pro peccato Adae, nisi reddat Deo totum quod abstulit illud peccatum: sed abstulit Deo quidquid de natura humana Deus facere proposuerat. Proposuerat autem de omnibus istis complere numerum electorum, ad quem numerum perficiendum factus est homo. Sed hoc reddere aut facere nulla ratione potuit homo peccator; etenim peccator peccatorem iustificare nequit. Nec decuit, ut aliquis innocens non descendens ex Adamo redimeret nos per mortem, nisi Deus, quia non fuisset homo restitutus ad pristinam dignitatem, ut soli Deo serviret; fuisset enim obligatus illi homini quasi tantum pro redemptione, quantum Deo pro creatione. Congruum igitur fuit [*Oxon.* ib. n. 11.] ut Filius Dei assumeret ex Adamo descendentem naturam humanam, quamquam non peccato originali obnoxiam. Unde ait Apostolus ad Hebraeos, 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae.* Haec est Anselmi doctrina, 1. *Cur Deus homo*, cap. 23. et 24.

QUAESTIO QUINTA.

DE MODO UNIONIS EX PARTE PARTIUM HUMANAE NATURAE, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de assumptione partium humanae naturae.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus. - 2. Utrum assumere debuerit corpus terrenum, scilicet carnem et sanguinem. - 3. Utrum assumpserit animam. - 4. Utrum assumere debuerit intellectum.

ARTICULUS I.

UTRUM FILIUS DEI DEBUERIT ASSUMERE VERUM CORPUS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 16. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 5. *art.* 1.

VIDETUR Filius Dei assumere non debuisse verum corpus. Quia [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 7.] corpus quod Verbum assumpsit numquam fuit ab eo dimissum, secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap* 27: sed hoc falsum esset si fuisset verum corpus; ergo Dei Filius assumere non debuit secundum veritatem corpus humanum. *Probatur minor:* si corpus illud in via non fuit gloriosum, erat passibile corruptibile, et mortale; igitur eius partes fluebant, et corrumpebantur per actionem caloris naturalis in contrarias qualitates; ergo successu temporis, quod erat assumptum fuisset dimissum,

et aliud de novo generatum, quod vel non fuisset unitum, vel oportebat tunc adhibitum fuisse novum miraculum, novamque assumptionem.

2. PRAETEREA. Dei Filius illo eodem corpore, quod assumpsit, mortem et passionem pertulit: sed corpus quod passioni subiectum fuit non extitit verum corpus; ergo nec illud quod assumpsit. *Probatur minor:* corpore, quo Christus passus est, post resurrectionem manducavit et bibit: sed [*Oxon.* 2. d. 8. n. 5.] ii actus comedendi et bibendi non erant tunc vere actus vitales, quia Beati non indigent cibo corporali; ergo quemadmodum ille apparenter edit et bibit, ita apparens et phantasticum erat corpus, et ita non verum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 4. n. 7.] Corpus assumptum a Verbo erat formatum de purissimis sanguinibus B. Virginis opere Spiritus Sancti, in tantum ut ipsa diceretur verissima Mater Christi: nulla autem foemina est mater, nisi gignat verum hominem: atqui verus homo non est, nisi constet vera anima rationali et corpore humano; ergo Verbum assumpsit verum corpus.

RESPONDEO dicendum, Verbum debuisse assumere verum corpus humanum; debebat enim esse tale eius corpus, ut [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6. — d. 15. n. 37.] in ipso posset sustinere mortem et passionem, quam Deus decreverat esse medicinam et remedium peccati Adae, et descendentium ab ipso; ut per Mediatorem longe gratissimum reconciliarentur Deo, quem offenderant. Si autem non fuisset corpus verum, sed fictum seu phantasticum, in eo ipse non sustinuisset veram passionem et mortem, sed solummodo apparenter et ficte; igitur debuit assumere verum corpus, ex quo et anima rationali fieret verus homo. — *Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 22. n. 4. — *Report.* ib. n. 5.] secundum Damasc., *lib.* 3. *cap.* 12. si Christus habuisset corpus de caelo assumptum, et per Virginem transiens, ut dicebant haeretici, et non veram carnem de Virgine substantialiter sumptam; igitur ipse non esset homo univoce nobiscum; sunt autem homines unius naturae, quia omnes habent animam rationalem, et verum corpus, quae pertinent ad humanam naturam; igitur, cum Christus fuerit verus homo, debuit habuisse verum corpus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 7. seqq.] vere partes corporis Christi fluxisse per actionem mutuam causarum naturalium ex suppositione, quod fuerit viator, nec gloriosus secundum corpus; quia activo et passivo approximatis, et naturaliter agentibus, necesse est sequi consumptionem. — *Et cum dicitur: quod semel assumpsit numquam dimisit; respondeo,* id verum esse de principalibus partibus corporis, quae concurrunt ad perfectionem hominis, sicuti sunt partes heterogeneae; non autem de partibus materialibus, nec de ipsa humanitate, quia illam dimisit in triduo, in quo fuit ille homo vere mortuus. Nec partes, quae per nutritionem restaurabantur, Verbo uniebantur per novum miraculum, quia sicut generativa habet generare distinctum secundum *esse,* ita virtus nutritiva habet generare idem et unitum, quia nutritio est aggeneratio unius ad aliud per identitatem et unitatem cum eo. Generatio ergo novae partis unitae corpori est naturalis; at quod haec uniretur Verbo fuit miraculum, non quidem novum, sed illud antiquum, quo uniebatur humana natura in unitate personae in Verbo Divino.

AD SECUNDUM respondeo, concessa *maiori,* negando *minorem.* Ad *minorem probationis,* dico, commestionem Christi post resurrectionem

fuisse veram commestionem, non fictam, neque apparentem; et quamvis tunc cibo corporali minime indiguerit, tamen [*Oxon.* 2. d. 8. n 5.] ostendere eo facto voluisse, vere se eodem corpore quo passus fuerat a mortuis resurrexisse; sicuti ergo vere mortuus fuit, ita verum corpus humanum habuit, per quod inflictam sustinuit passionem, et nostram redemptionem operatus est. Et tametsi illa Christi commestio eius resurrectionem se sola forte minime sufficienter ostendat, nihilominus una cum aliis argumentis, quibus praebuit seipsum vivum, cumulate illam demonstrat, de qua re infra, *q.* 55. *art.* 66.

ARTICULUS II.

UTRUM DEI FILIUS DEBUERIT ASSUMERE CORPUS TERRENUM, SCILICET CARNEM ET SANGUINEM.

Doctor, loc. cit. art. antec. — *Oxon.* 3. d. 2. *q.* 3. — *d.* 4. *q.* 1.
S. Thom. 3. *p. q.* 5. *art.* 2.

RESPONDEO dicendum, debuisse assumere corpus terrenum, habens scilicet carnem et sanguinem. Nam alias, ut puta, si assumpsisset corpus caeleste, non potuisset adimplere dispensationem iniunctam sibi a Patre, nec redimere genus humanum per passionem et mortem: pati enim et mori non potuisset, nisi habens corpus passibile, et mortale. Potens autem haec sustinere non est corpus caeleste, sed humanum.— *Ad haec,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 3. n. 4-7. -- d. 4. q. 1. per tot.] nec potuisset esse Filius Mariae, nec generari in eius utero, nec esse eiusdem rationis cum aliis hominibus, nisi haberet corpus humanum compositum ex carne et sanguine, ut dictum fuit *art. antec.* — *Denique,* Ioann., 19. legitur, qualiter milites invenientes Iesum mortuum, unus eorum *lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.* Illud autem corpus mortuum fuit idem cum corpore Christi viventis, quod asserit Hieronymus super illud Ionae, 2. *et sublevabis de corruptione;* dicens, *Illud ipsum corpus, et eamdem carnem resurgere, quae humo condita fuerat.* Igitur habuit corpus humanum ex carne et sanguine coagmentatum, et non aliud, alioquin ficte et apparenter, omnia quae gessit in corpore fecisset, quod opinari absurdissimum est. Quapropter [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 1.] Salvator ut hanc necessariam veritatem Ecclesiae suae testatam relinqueret (quamvis ea de re Discipuli ne tantillum quidem ambigere possent), cum a mortuis resurrexisset, atque illis visendum se praebuisset, dixit eis: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum, palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Lucae, ult.

ARTICULUS III.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT ANIMAM.

Doctor., Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 2. — *Report. ib. q.* 1. *et d.* 15.
S. Thom. 3. *p. q.* 5. *art.* 3.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 2.] Verbum revera assumpsisse animam rationalem; ipsum enim certum est assumpsisse hominem, sed nisi et animam rationalem informantem corpus sibi univisset, non

assumpsisset hominem; cum igitur assumpserit hominem, et animam assumpsit. *Probatur minor:* quia ideo [*Oxon.* 3. d. 22. n. 1. et 18.] Verbum non fuit homo in triduo mortis Christi, quia eo tempore non uniebatur, nec informabat corpus illud anima rationalis; ergo si in prima assumptione non assumpsisset et animam, idest nisi assumpta fuisset natura humana ex corpore et anima rationali integrata, nec hominem suscepisset, nec homo dici potuisset. — *Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 3. n. 5.] nisi prius natura quam assumeretur homo a Verbo Dei fuisset verus homo, idest habens corpus et animam rationalem, B. Virgo non genuisset hominem; hominem enim generare non est corpus procreare: nam homo ultra corpus importat praeterea animam intellectivam essentialiter; ergo in tantum genuit hominem, et fuit assumptus hic homo, quia habebat animam rationalem. — *Denique,* in Evangelio habetur, Christum dixisse: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Sed [*Oxon.* 3. d. 15. n. 4. et n. 12.] tristitia est de his, quae nobis nolentibus accidunt, ex Augustino, 14. *De Civit.,* cap. 15. igitur ideo tristata fuit eius anima, quia ei acciderunt quaedam, quae aliquo modo nolebat. Nequit autem noluisse aliquid nisi per voluntatem, quae est potentia animae intellectivae.

ARTICULUS IV.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMERE DEBUERIT INTELLECTUM.

Doctor, loc. cit. art. antec. — Oxon. 3. *d.* 14. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 5. *a.* 4.

RESPONDEO dicendum, assumere debuisse intellectum, ut patet ex dictis. Quia debuit assumpsisse animam rationalem, quae esse nequit sine potentia intellectiva. *Et ulterius,* [*Oxon.* 3. d. 14. per tot.] quia homo assumptus erat caput hominum, et Angelorum, in tantum ut debuerit habere summam gratiam, de qua omnia membra acciperent, et summam scientiam, a qua illuminarentur: sicut autem summa gratia non est nisi in voluntate, ita et summa scientia non est nisi in intellectu; igitur debuit assumpsisse intellectum.

QUAESTIO SEXTA.

DE MODO ASSUMPTIONIS QUANTUM AD ORDINEM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ordine assumptionis praedictae.

Circa quod quaeruntur sex.

1. Utrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima. - 2. Utrum assumpserit animam mediante spiritu, scilicet mente. - 3. Utrum anima Christi fuerit prius assumpta à Verbo quam caro. - 4. Utrum caro Christi fuerit prius a Verbo assumpta, quam animae unita. - 5. Utrum tota natura humana sit assumpta mediantibus partibus. - 6. Utrum sit assumpta mediante gratia.

ARTICULUS I.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMPSERIT CARNEM MEDIANTE ANIMA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 2. — *Report ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 6. *art.* 1.

VIDETUR Filius Dei assumpsisse carnem mediante anima. Nam [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 1.] Damasc., lib. 3. cap. 6. *Unitum igitur,* inquit, *est carni mentis medio Verbum Dei, mediantis inter Dei puritatem, et carnis castitatem.* Idem dicit Augustinus, *De agone Christiano,* cap. 6.; igitur assumpsit carnem mediante anima.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Illud videtur immediatius assumptum a Verbo, quod est magis dependens. Nam quod magis dependet in se, immediatius personatur in se, quia per prius terminari dependentia indiget. Sed magis dependet corpus, vel caro, quam anima; quia plus dependet materia a forma, quam e converso; materia enim facta est propter formam, et non forma propter materiam; igitur assumpsit carnem mediante anima.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Si haec unio primo fieret per partem, vel partes, idest, si assumeretur caro mediante anima, non esset unica assumptio sed plures; nam per primam assumeretur una, per alteram alia pars.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 5.] dupliciter potest intelligi medium: *quod,* et *quo.* Et *primo* modo est medium agens proximum medians inter agens remotum et effectum. *Secundo* modo est medium forma agentis, est enim ratio, qua agens agit. Pariter inter recipiens et receptum potest intelligi medium *quod,* et medium *quo.* Et quidem virtus receptiva ipsiusmet subiecti est sibi medium, quo mediante recipit ut forma propriam passionem. Ad propositum, in ista passiva assumptione naturae humanae ad Verbum, nullum fuit medium *quod* inter Verbum et ipsam naturam humanam, sed ipsa natura humana fuit immediate assumpta. *Probatur:* quod est in se primo personabile si sibi dimitteretur, hoc in alio primo personatur quando assumitur: sed tota natura est primo et immediate hoc modo personabilis in se, si sibi dimittatur, et non pars, vel partes; igitur tota primo assumitur, et personatur in alio. *Probatur maior:* nam in eodem instanti naturae, in quo in se personaretur sibi dimissa, personatur

in alio, vel ab alio, quia nec ante illud instans assumitur, quia non est natum assumi, cum ante non fuerit natura singularis; nec post illud instans assumitur, quia tunc est persona in se. *Probatur minor principalis:* quia in eodem instanti naturae, in quo materia praecedit totum, vel formam, neutrum natum est esse persona, sed tunc primo, quando ex istis unitis est tota natura, tunc ipsa tota est persona in se, si non impediatur ab assumente.

Loquendo vero [*Oxon.* ib.] de medio *quo,* potest admitti animam esse huiusmodi medium in ista assumptione respectu totius; nam anima ista est formalis ratio huius naturae, qua haec natura est unibilis, sicut ipsa est qua formaliter homo est risibilis. Quatenus igitur anima est formalis ratio constitutiva huius naturae, ab ipsa habet natura ut possit assumi hac speciali assumptione personalitatis; igitur potest recte et vere dici, animam respectu huius assumptionis, esse medium *quo,* non *quod;* quia ipsa non prius unitur, sed mediante ipsa tota natura simul unitur.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 6.] ex Damasceno et Augustino, dicendum, animam revera mediare inter carnem et Verbum, quia anima est forma naturae totalis primo assumptae, cuius naturae caro est pars, et ideo illud, quo tota est assumptibilis, et assumpta est, quia etiam caro suo modo est assumptibilis, vereque ipsa est assumpta, recte dicitur medium *quo.*

Ad secundum, de quocumque medio procedat, nego Verbum assumpsisse animam mediante carne. Nam si intendat argumentum de medio *quod,* ratio *solutionis* ostendit contrarium; in nullo enim signo corpus est personabile, priusquam anima informetur intellectiva. Si vero procedat de medio *quo;* quamvis ex corpore et anima rationali essentialiter constituatur homo, tamen anima est ratio specifica eius, et non caro, ac propterea recte dicitur corpus assumptum mediante anima, non autem e contra.

ARTICULUS II.

UTRUM DEI FILIUS ASSUMPSERIT ANIMAM MEDIANTE SPIRITU SIVE MENTE.

Doctor, Quodlib. q. 15. — *Oxon.* 2. *d.* 16. — 3. *d.* 2. *q.* 2.
S. Thom. 3. *p. q.* 6. *art.* 2.

Respondeo dicendum, [*Quodlib.* q. 15. n. 5. seqq.] quoniam secundum Augustinum, 15. *De Trinit.,* cap. 7. *Quod excellens in anima mens vocatur;* et post: *Homo non secundum omnia, quae ad naturam eius pertinent, sed secundum solam mentem imago dicitur.* Et lib. 14. cap. 8. *Imago,* inquit, *ibi invenienda in nobis est, quo etiam natura nostra nihil habet melius.* Secundum autem dicta in *art. antec.,* anima est medium *quo* inter Verbum et carnem, quatenus est ratio humanae naturae, ut possit assumi in unitate personae a Verbo; igitur si mens est quid melius omnibus, quae sunt in anima, adeo ut reliqua non sint adeo praestantia, videtur pariter dicendum Verbum assumpsisse animam mediante mente, veluti medio *quo,* nempe quia essentialiter anima constat ipsa mente, quemadmodum homo conflatur essentialiter corpore et anima rationali ut

parte praestantiori. In rei autem veritate [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 14. — 2. d. 16. n. 1. seqq.] non est in anima unum praestantius alio, quia est indivisibilis, et sibi ipsa identificata et etiam potentiis; ergo in re non potest esse in anima ordo excedentiae unius ad aliud; sed in ratione solius actus primi potest ibi inveniri supremum, quatenus essentia, cum sit fundamentum potentiarum, dici meretur supremum in anima.

ARTICULUS III.

UTRUM ANIMA CHRISTI FUERIT PRIUS ASSUMPTA A VERBO, QUAM CARO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 6. *art.* 3.

VIDETUR Verbum prius assumpsisse animam, quam carnem. Pars [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 1.] enim est prior toto via generationis, sicut incompletum completo, secundum Comm., 1. *Phys.*, com. 28. ergo similiter in assumptione; nam eo ordine partes assumebantur, quo natae erant assumi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Prius est a quo non convertitur subsistendi consequentia: sed sequitur; assumpsit totum, ergo assumpsit partem: non e converso; ergo prius assumpsit partes; sed praestantior pars est anima; igitur haec prius assumpta fuit.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si assumpsisset primo totum; ergo aliquando dimississet quod semel assumpsit, ut in morte: *consequens* est contra Damasc., *lib.* 3. *cap.* 22.; ergo prius assumpsit partes.

CONTRA. Natura non nata frui potest assumi a Verbo Divino, ex dictis *q.* 4. *art.* 1.; igitur [*Oxon.* ib. q. 1. n. 16.] anima rationalis non necessario mediat inter Verbum Divinum et carnem.

RESPONDEO: quamvis *aliqui* [*Oxon.* ib. q. 2. n. 2.] hic dicere voluerint in *primo* instanti fuisse Verbo unitam animam rationalem, et in *secundo* unitam esse animam corpori, et in *tertio* tandem Verbum univisse sibi personaliter corpus mediante anima; *dicendum est* tamen, animam non fuisse unitam prius Verbo, quam carnem, sed in uno eodemque instanti reali animam, et corpus univisse sibi Verbum Divinum. *Probatur:* quia si Verbum prius assumpsisset animam, et postea corpus, sequeretur ipsum non esse primo homo; nam ideo assumens est homo, quia assumptum est homo; igitur si hic primo assumptum non est natura humana, sed pars ipsius naturae humanae, assumptum non erit primo homo; et sicut in instanti assumptionis se habuit ad totum et partes, ita et modo se habet; igitur et modo non est primo homo, sicut Sortes est primo homo; quod videtur absurdum, cum non appareat ex parte praedicati alia ratio in Sorte, et in Christo; Christus enim est homo univoce cum aliis hominibus. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 3.] de ratione personae est incommunicabilitas ut *quo,* et ut *quod,* ut supra explicata fuit ratio personae: sed haec incommunicabilitas magis convenit materiae, quam formae; nam haec communicatur materiae, ut dans *esse;* igitur sicuti in natura, quae personatur in se, magis personalitati accedit materia, quam forma, idest magis est capax incommunicabilitatis, quam forma, ita cum personatur natura in altero, si esset ordo inter partes, prius conveniret personari corpori, quam animae, vel saltem ex aequo videtur personabile corpus, et in

eodem instanti quo personatur anima, ut etiam in 1. *art.* extitit declaratum.

Ad Argumenta. Ad primum neganda est *consequentia;* quia [*Oxon.* ib. n. 13.] licet in generatione partes exigant produci prius quam totum, non tamen eodem ordine personantur; nam ipsae partes non personantur nisi in toto; in illo ergo instanti naturae, quo totum est totum, ipsum est personabile in se, vel in alio, et ideo quicquid praecedit ipsum naturaliter, non praecedit ipsum in personalitate, quia ut prius non est personabile.

Ad secundum, *minor* est falsa loquendo de assumptione illa partium, quae facta est eo tempore, quo assumptum est totum; tunc enim [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 14. — *Report.* ib. q. 1. n 9.] convertibilia sunt, partes assumi, et totum assumi. Sed loquendo de alia unione partium, sicut fuerunt unitae in triduo, non sunt extrema convertibilia, sed nihil contra conclusionem. Potest etiam concedi, partes esse priores toto secundum consequentiam, non vero secundum causalitatem; licet enim sequatur, aer, igitur calidus: ignis, igitur calidus, et non convertitur; tamen tam ignis, quam aer sunt quid prius simpliciter quam calor iisdem substantiis inhaerens.

Ad tertium dicendum, [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 15.] Christum vere quando fuit mortuus, non habuisse aliquam entitatem, quam habuit dum viveret; nec tamen deposuisse naturam, quam assumpsit quantum ad partes essentiales; nec aliud intelligere *loco citato* Damascenum. Vult enim animam, et corpus in morte, non fuisse in propria hypostasi, sed in hypostasi Verbi. Quod si propterea dicantur partes assumptae fuisse nova assumptione, quia immediate uniebantur, quae prius unitae fuerant ratione totius, non est hic de voce contendendum, cum constet rem ita se habuisse.

ARTICULUS IV.

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT PRIUS A VERBO ASSUMPTA QUAM ANIMAE UNITA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 6. *a.* 4.

Respondeo dicendum, ut dictum fuit *art.* 1. *et* 3. *huius quaestionis,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 5.] in ista passiva assumptione naturae humanae ad Verbum non fuisse aliquod medium *quod* inter Verbum et ipsam naturam humanam, idest neque corpus fuisse assumptum mediante anima, quasi fuerit medium *quod,* neque e converso, corpus fuit prius assumptum, et postea anima rationali informatum, Verboque exinde unitum; sed potius totam naturam fuisse primo et immediate assumptam, quia sic ipsa erat in Verbo personabilis, et non per partes. Eodem pacto etiam erat in Verbo personabilis quo fuisset personata in se: in se autem non fuisset personata secundum corpus prius, aut secundum animam prius, sed tota natura per se primo et immediate; igitur taliter quoque assumebatur a Verbo, absque ullo medio, aut successione partium eius. — *Praeterea,* si albedo constaret duabus partibus physicis, sicuti constat homo anima et corpore, per hoc quod reciperetur in pariete pars materialis albedinis, non esset, nec diceretur paries albus, quia talis natus est esse solummodo

per receptionem ipsius albedinis ; igitur cum solus ille sit et dicatur homo, qui constat anima et corpore, et non tantum alterutro eorum, Verbum Divinum non fuisset homo quando univit sibi carnem sine anima, quia homo non est corpus vel caro. Quando tamen assumpsit carnem, iuxta Evangelium, *Verbum caro factum est.* Ioann., 1. secundum Sanctos Patres fuit homo, *per carnem* intelligentes naturam humanam in athomo; igitur tunc non assumpsit solam carnem, sed carnem animatam, idest hominem singularem sine propria personalitate.

ARTICULUS V.

UTRUM TOTA NATURA HUMANA SIT ASSUMPTA MEDIANTIBUS PARTIBUS.

Doctor, loc. cit. art. antec. — S. Thomas 3. *p. q.* 6. *a.* 5.

RESPONDEO dicendum, non fuisse naturam humanam assumptam mediantibus partibus, sed magis ipsas partes mediante tota natura, quatenus scilicet sunt partes eius. Et quidem [*Report.* 3. d. 2. q. 1. n. 6. seqq.] partes non proprie personantur, sed tantum per accidens, quia sunt totius, quod primo assumitur; nam si ponerentur partes personari primo, non per hoc tota natura personatur; sed ponendo totam naturam personari, licet partes eius non personentur nisi per accidens, sufficit; non est ergo ponendum partes prius assumi vel personari, et illis mediantibus totum, cum assumptio vel personatio partium non sufficiat sine personatione totius, et haec sufficiat sine illa. Quia ut intelligitur assumptum totum, et partes oportet esse assumptas; sed non e converso, ut patet; siquidem in triduo mortis Christi erant ipsae partes unitae et assumptae a Verbo, non vero ipsum totum, quod per mortem fuerat destructum.

ARTICULUS VI.

UTRUM HUMANA NATURA SIT ASSUMPTA MEDIANTE GRATIA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 2. — *Report. ib. q.* 1 — *S. Thom.* 3. *p. q.* 6. *a.* 6. *S. Bonav.* 3. *q.* 2. *a.* 6.

VIDETUR humana natura assumpta fuisse a Verbo mediante gratia. Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] secundum Augustinum, 13. *De Trinit.*, c. 19. *Summa gratia in rebus per tempus ortis est, quod homo in unitate personae sit Deo coniunctus.* Igitur cur homo sit Deo coniunctus, ex summa gratia est; videtur ergo gratia fuisse medium saltem congruentiae unionis naturae humanae ad Verbum.

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 2. q. 1. n. 8.] Longe maius et sublimius est naturam humanam elevari ad subsistentiam divinam, quam ad operationem meritoriam: sed gratia est medium meritorie operandi, et quidem medium necessitatis; ergo pariter erit medium et ratio cur assumatur a Verbo ad subsistentiam divinam natura humana, et si non necessitatis, saltem congruentiae.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 13. n. 9.] Verbo uniebatur corpus in

triduo mortis Christi immediate, quia ipsum non erat subiectum capax gratiae; ergo quia dum assumebatur homo erat capax gratiae per animam, oportuit gratia fuisse ornatum, saltem ad congruentiam, iuxta regulam Augustini, 3. *De lib. arb. Quicquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc Deum magis fecisse, quam non fecisse.*

CONTRA. [*Report.* 3. d. 2. q. 1. n. 8.] Natura, si sibi dimitteretur, nata est immediate personari sine omni accidente; igitur sic quoque immediate personatur in Persona Divina, scilicet sine omni accidente medio; alioquin Persona Divina non immediate suppleret vicem suppositi naturae creatae.

RESPONDEO dicendum, gratiam sanctificantem non extitisse medium ne congruentiae quidem, ut natura humana Christi a Verbo assumeretur. *Declaratio:* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 12.] in illo eodem instanti, in quo humana natura assumpta personata fuisset in se, personata est in Verbo; siquidem ante illud instans non erat personabilis, et post fuisset personata in se; et ita vel in Christo forent duae personae, vel natura creata non fuisset assumpta: utrumque autem est haeresis. Sed cum natura personatur in se, prius naturaliter est persona, quam habeat habitum gratiae; habitus enim est principium operandi, et ideo non est perfectio nisi suppositi, cuius est operari; ergo etiam cum personatur per alienam personalitatem, prius oportet esse personam, et deinde habere habitum gratiae, quo mediante operatur meritorie, vel etiam fruitur; non igitur gratia praevenit istam assumptionem, tamquam medium congruentiae. — *Deinde,* realis et actualis existentia accidentis naturaliter praesupponit existentiam subiecti: sed gratia est in anima Christi sicut accidens in subiecto; ergo realis et actualis ipsius existentia praesupponit existentiam realem animae: sed Christi anima numquam habuit existentiam realem nisi in Verbo: ergo prius ordine naturae assumebatur a Verbo, quam esse posset gratiae subiectum; ergo gratia praecedere non potuit unionem ad Verbum tamquam medium. — *Denique,* [*Report.* 3. d. 2. q. 1. n. 8.] in illo priori instanti ad assumptionem naturae humanae ad Verbum, cum scilicet ultimo peragebatur corporis Christi organizatio et animatio, certe natura illa erat pura creatura; etenim homo factus est Deus per communicationem idiomatum ex hypostatica unione; sed minime conveniebat, Deum dedisse tantam, idest summam gratiam purae creaturae, quantam habuit anima Christi, quia Unigenitus est Patris; igitur magis congruum est, ut divina personalitas sit medium ad summam gratiam, quam summa gratia ad personalitatem, idest ut natura humana subsistat in divina personalitate. Quod [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 12.] non obscure innuere videtur Evangelium *Ioann. p.* illis Verbis: *Vidimus gloriam eius, quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Christum igitur esse Unigenitum Patris est proxima ratio congruentiae cur donatus sit plenitudine gratiae; atque ita prius unita fuit natura Verbo, et exinde summa est illi collata gratia; nequiit ergo gratia fuisse medium congruentiae ad assumptionem naturae humanae ad Verbum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 15.] gratia potest accipi, et pro gratuita Dei voluntate, et pro habitu formaliter animae inhaerente. *Primo modo,* Deus dicitur ex gratia operari omne illud, quod non includitur in natura rei, sed magis excedit facul-

tatem eius; quoniam igitur naturam humanam in Verbo subsistere superat omnem potentiam creatam, summa profecto gratia et condescensio liberalissima voluntatis Dei fuit, id factum esse. Praecessit itaque istam unionem gratuita Dei voluntas, quia ab ea effecta est; sed tamen non fuit necessario praerequisitus habitus gratiae animae illi inhaerens ad hoc, ut Verbo uniretur; imo nec congruum id fuit, quia non par erat, puram creaturam tantam habere gratiam, quantam habet Unigenitus Patris.

AD SECUNDUM, neganda est paritas (ut dictum fuit *sup. q.* 2. *art.* 10.), quia [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 16.] unio beatifica est per operationem et actum secundum, in quem non potest anima, nisi habeat formam vel habitum gratiae; sed unio hypostatica est *ad esse* primum, ad quod non praesupponitur aliquod accidens in natura unita, imo ex se est disposita ut recipiat actum primum subsistendi per personalitatem Verbi; nam alioquin si opus haberet forma aliqua supernaturali, qua disponeretur illa forma, eadem ratione praeexigeret aliam dispositionem in ipso, et esset processus in infinitum.

AD TERTIUM concedo, corpus Christi non extitisse subiectum gratiae in triduo, quia gratiae erat incapax. *Et cum infertur;* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 8.] igitur anima cum assumebatur erat gratiae plena, quia capax; *nego consequentiam*, quia haec non est causa praecisa, imo gratia replebatur potius, quia erat unita Verbo Divino, et anima Unigeniti a Patre; nam nulli alteri data est illa plenitudo gratiae, esto fortassis non repugnaret Deum conferre parem gratiam alteri naturae non assumptae.

QUAESTIO SEPTIMA.

DE GRATIA CHRISTI, PROUT EST QUIDAM HOMO SINGULARIS, IN TRESDECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de coassumptis a Filio Dei in humana natura. Et *primo,* de his, quae pertinent ad perfectionem: *secundo,* de his, quae pertinent ad defectum.

Circa primum consideranda sunt tria: *primo,* de gratia Christi: *secundo,* de scientia eius: *tertio,* de potentia ipsius.

De gratia autem Christi considerandum est dupliciter: *primo* quidem de gratia eius secundum quod est quidam singularis homo: *secundo,* de gratia eius, secundum quod est caput Ecclesiae; nam de gratia unionis iam dictum est.

Circa primum quaeruntur tresdecim.

1. Utrum in anima Christi sit aliqua gratia habitualis. - 2. Utrum in Christo fuerint virtutes. - 3. Utrum in eo fuerit fides. - 4. Utrum fuerit in eo spes. - 5. Utrum in Christo fuerint dona. - 6. Utrum in Christo fuerit timoris donum. - 7. Utrum in Christo fuerint gratiae gratis datae. - 8. Utrum in Christo fuerit prophetia. - 9. Utrum in eo fuerit plenitudo gratiae. - 10. Utrum talis plenitudo sit propria Christi. - 11. Utrum Christi gratia fuerit infinita. - 12. Utrum potuerit augeri. - 13. Qualiter haec gratia se habeat ad unionem.

ARTICULUS I.

UTRUM IN ANIMA CHRISTI SIT ALIQUA GRATIA HABITUALIS.

Doctor, Report. 3. *d.* 18. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 7. *art.* 1.

VIDETUR in anima Christi non fuisse aliqua gratia habitualis. Siquidem [*Report.* 3. d. 18. q. 3. n. 3.] anima Christi erat unita Verbo: sed Verbum omnia supplet; igitur non fuit in ipso alia gratia praeter substantialem, quae est natura divina.

2. PRAETEREA. Si oporteret ponere in Christi anima charitatem; maxime ob fruitionem: sed ad hanc non fuit necessaria; igitur non est ponenda in Christo gratia habitualis. *Probatur minor:* [*Report.* 3. d. 18. q. 3. n. 1.] nam fruitio est effectus nobilissimus, coniungit enim et unit obiecto nobilissimo; igitur debet esse a Deo immediate; debet enim esse proportio inter causas et effectus.

3. PRAETEREA. [*Report.* ib.] Quando aliqui effectus sunt inseparabiliter ordinati, unus est ab alio, et ambo a causa communi, ut patet de calefactione, et rarefactione aëris: sed visio beata et fruitio sunt inseparabiliter ordinatae; ergo fruitio est a visione, et ambae ab obiecto beatifico viso; ergo non est a charitate, et consequenter non necessario ponitur in Christo.

4. PRAETEREA. [*Report.* ib. n. 8.] Sicut se habet voluntas ad dilectionem, praesupposita fide in viatore, sic videtur se habere ad actum fruitionis, praesupposita perfecta visione patriae: sed voluntas viatoris non requirit habitum, ut fruatur bono ostenso sibi per fidem; ergo nec voluntas

comprehensoris. *Probatur minor:* quia si viatori opus esset habitu charitatis ad fruendum Deo ostenso per fidem; igitur posset cognoscere et certo scire quando haberet charitatem; haberet enim quando posset, et ea careret, quando non posset exire in actum diligendi Deum: hoc autem est falsum; ergo non oportet ponere in Christo charitatem habitualem.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 18. q. 3. n. 9.] Operatio supernaturalis sequitur suppositum ratione alicuius formae supernaturalis; fruitio est operatio supernaturalis; igitur pro fruitione debuit Christus habere habitum charitatis. — *Rursus,* [*Report.* ib. n. 1.] operatio non est delectabilis, nisi sit a potentia proportionata obiecto: sed fruitio est operatio maxime delectabilis, obiectum vero beatificum est supernaturale; igitur oportet voluntatem, quae est potentia naturalis, perfici per charitatem, per quam proportionetur obiecto tali; et ideo Ioann., 1. habetur: *Vidimus gloriam eius quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.*

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 3. d. 18. q. 3. n. 2.] in anima Christi Domini fuisse gratiam habitualem. *Declaratio:* virtus est dispositio perfecti ad optimum, idest potentiae ad actum perfectum: sed omnis potentia, quae est nata perfici aliqua perfectione, ex qua eius potentiae operationes redduntur meliores, indiget illa perfectione; igitur cum anima Christi sit nata perfici charitate ea indiguit ad operationes perfectas. *Minor probatur:* etenim perfectibilia unius rationis indigent perfectione eiusdem rationis: sed fide tenems voluntatem Christi esse eiusdem speciei cum nostra: nostra autem indiget charitate ad merendum; igitur etiam, ut anima Christi meritorie operaretur dum erat in vita mortali, indigebat charitate. — *Deinde,* secundum Augustinum, 13. *De Trinit.,* cap. 19. *In rebus per tempus ortis illa est summa gratia, ut homo fieret Filius Dei.* Quod dictum non solummodo est accipiendum sic, quasi in ista unione fuerit summa gratuita condescensio voluntatis divinae; fuit enim revera condescensio, et maxima; sed praeterea eam condescensionem sequebatur summa gratia habitualis in anima Christi ob hypostaticam unionem, non quidem necessario, sed congruo; sed sic de congruo ut de potentia ordinaria nequiverit Deus non dare naturae sibi personaliter unitae hanc gratiam habitualem, qua esset quantum potuit perfecta et sibi grata, et aptissima ad merendam gloriam et gratiam electis. — *Denique,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 4. — 1. d. 17. q. 2. n. 36.] potissima ratio ponendi charitatem creatam, est ut actus diligendi Deum sit in potestate voluntatis. Nullum enim agens habet in potestate sua actum, nisi in potestate eius sit totum illud, quod necessario requiritur ex parte eius ad talem actum. Voluntas autem creata ex puris naturalibus non habet in potestate sua actum diligendi bonum increatum meritorie, ut actus eius sit acceptus Deo; ergo necesse est ipsam habere illud aliud, per quod possit Deum meritorie diligere: sed fruitio multo magis excedit naturam voluntatis humanae, quam actus meritorius; quia fruitio est actus vel forma magis supernaturalis ac sit actus meritorius; igitur fruitio non est in potestate humanae voluntatis, nisi ipsa habeat aliquam formam supernaturalem, qua possit uti ad istum actum eliciendum; adeoque cum voluntas Christi sit voluntas naturae humanae univoce cum nostra, ipsa nec mereri nec frui potuit sine charitate.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Report.* 3. d. 18. q. 3. n. 3.] unionem naturae humanae ad Verbum esse unionem ad suppositum ut

ad terminum formalem: suppositum autem Divinum ex hoc, quod terminat istam unionem, non ponere in anima Christi aliquam perfectionem absolutam, et ideo ipsam animam esse secundum se receptivam cuiuscumque perfectionis, cuius alioquin foret capax nisi esset Verbo unita. Et quoniam stante unione debetur sibi de congruo omnis perfectio, quae non debetur aliis, et inter eas potissima est gratia, tenendum est hanc, et quidem excellentissimam, datam sibi fuisse.

AD SECUNDUM respondeo, [*Report.* 3. d. 18. q. 3. n. 4.] si teneatur voluntatem animae Christi se habere active sive elicitive ad fruitionem, tunc omnino ipsam indigere charitate, manifestum est, quia sine illa non potest ita perfecte agere, ut cum illa. — *Et cum dicitur:* effectus nobilissimus, etc. *Respondeo,* id verum esse de effectu nobilissimo *simpliciter,* qualis est supremus Angelus, qui nequit esse ab alio quam a Deo; sed fruitio est nobilissima *secundam quid,* quatenus scilicet unit nobilissimo; alioquin enim substantia est perfectior omni accidente.

Quod si teneretur [*Report.* ib.] voluntatem Christi se habere mere passive ad fruitionem, tunc et ipsam indigere charitate constat ex eo, quia sicut agens naturale non solum inducit formam, sed etiam dispositionem congruam ad ipsam, ita agens supernaturale constituen- beatum in esse perfecto beatifico, non solum inducit ipsum actum ses cundum fruitionis, sed etiam dispositionem, quae est charitas, et actus primus, quo natus est perfici beatus, quem oportet esse perfectum omni modo sibi possibili, et perfectior est habens utrumque, quam alterum solum.

AD TERTIUM, [*Report.* ib. n. 5.] patet ex statim dictis; quia seu voluntas creata Christi ponatur passiva, seu ponatur activa respectu fruitionis, adhuc debet pollere charitate.

AD ULTIMUM [*Report.* ib. n. 10.] concedo, voluntatem in via, praesupposita cognitione fidei, posse in actum aliquem fruitionis, sed eum esse admodum imperfectum; at charitate informatam posse in longe perfectiorem; et ita quoque in Patria nequire frui Deo clare viso aeque perfecte sine charitate, ac cum ipsa, ac proinde actum e charitate non egredientem non fore proprie beatificum, quia minime esset adaequatus cognitioni, nec amaretur ab illa voluntate summum bonum, quantum proportionabiliter cognoscitur; quae non habere locum in voluntate Christi manifestum est.

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT VIRTUTES.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 34. — d. 2. q. 1. — *d.* 33. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 7. *a.* 2.

VIDETUR in Christo non fuisse virtutes. Quod [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 4.] continet perfectionem omnium virtutum coniunctum alteri potest in communem operationem sine virtutibus: essentia divina est huiusmodi continens; ergo unita animae Christi haec potuit in omnes actus virtutum sine ipsis habitibus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 33. n. 5.] Virtutes sunt in nobis pro

moderandis passionibus inordinatis: in Christo nihil tale fuit, quia ipse erat impeccabilis, et expers fomitis peccati; igitur in ipso erat conformis appetitus sensitivus rectae rationi, et per consequens non opus ipsi fuit habere aliquas virtutes morales.

3. PRAETEREA. Christus habuit habitum excellentissimum charitatis, ut dictum est *art. antecedente;* igitur anima eius sufficienter perficiebatur ea virtute theologica; adeoque nulla fuit in ipso virtus moralis.

CONTRA. In intellectu animae Christi fuerunt omnes habitus scientiales; ergo et in eius voluntate omnes virtutes morales; ut enim decuit eum habere omnem perfectionem sibi possibilem secundum potentiam intellectivam, ita et secundum volitivam.

RESPONDEO dicendum [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 4.] in anima Christi fuisse virtutes morales infusas, quemadmodum ponitur communiter a Theologis *d.* 13. *et* 14. 3. *sentent.* Ex quibus rationibus probatur in Christo extitisse habitum charitatis, et gratiae sanctificantis, ut nimirum essent ipsi actus meritorii, et ut perfecte frueretur obiecto beatifico; ita consimilibus probatur necessitas habituum moralium ob perfectionem actuum virtutum moralium. *Ulterius* potest declarari sic: [*Oxon.* 3. d. 34. n. 14. — *Report.* ib. n. 8.] sicut per virtutes theologicas homo viator est perfectus in ordine ad Deum in se, ita per morales perficitur circa omnia alia a Deo, quatenus intelligibilia ratione practica, et ut appetibilia vel sibi, vel alteri; quod adeo est verum, ut secundum gradum harum virtutum in specie sua, sit homo viator perfectus. Si enim sint in gradibus remissioribus sit minus perfectus; si autem intentissimae quantum possunt esse in via, sit homo simpliciter perfectus, quantum potest esse in via. Cum igitur Christus fuerit simpliciter perfectus, et perfectissimus in via, habuit quoque virtutes perfectissimas sibi a Deo infusas, per quas simpliciter perficiebatur circa omnia alia a Deo.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 4.] ex eo sequi posse Deum se solo producere quicquid effective producit cum causa secunda; sed tunc non fore eos effectus causarum secundarum, nec etiam posse adscribi animae Christi etsi unitae Deitati, quia Deitas non est ratio formalis agendi animae; opus est ergo ipsam habere habitus infusos, ut simul cum illis agat quantum perfectissime potest.

AD SECUNDUM, concedo in Christo non fuisse fomitem peccati, nec rebellionem appetitus sensitivi adversus intellectivum et rectam rationem; sed nego, propterea in eo non extitisse virtutes. Quia [*Oxon.* 3. d. 33. n. 5.] virtutes morales non tantum ponuntur in potentiis, ut per ipsas potentiae agant recte, sed ut delectabiliter, et prompte, et perfectius agant. Siquidem in statu innocentiae nulla futura erat rebellio partis sensitivae contra rationem, et tamen fuissent virtutes morales, quia homines extitissent perfecti secundum ipsas.

AD TERTIUM patet, qualiter voluntas Christi per charitatem perficiebatur praecise in ordine ad Deum, adeo ut nullus actus eliciatur a charitate, nisi eius obiectum ad quod terminatur sit Deus, etiamsi per alia obiecta media terminetur. Non solum autem possum ordinate velle Deum, vel hoc bonum in ordine ad Deum, sed etiam bonum hoc, inquantum habet talem bonitatem convenientem mihi secundum propriam rationem, et sic velle hoc bonum est ex alio habitu, quam ex charitate; igitur non est viator absolute perfectus, nisi ultra charitatem habeat quoque virtutes morales.

ARTICULUS III.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT FIDES.

ARTICULUS IV.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT SPES.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 31. — *d.* 18. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 7. *art.* 3. *et* 4.

VIDETUR in Christo esse ponendam fidem atque spem. Nam ex dictis *articulo praecedenti,* tenendum est ipsum praeditum fuisse virtutibus moralibus: sed illis longe praestant habitus fidei et spei, sicuti horum habituum obiectum antecellit materiae, circa quam versantur virtutes; ergo sunt ponendi in Christo.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] *Actum* primo legitur: *Coepit Iesus facere, et docere* nempe tamquam magistrum efficacissimum decuit prius repraesentasse quae docturus erat sed ipse non raro docuit: et exegit fidem exprobrando incredulitatem Discipulorum; ergo et ipsum fidem habuisse oportuit.

3. PRAETEREA. Spe tendimus in bonum commodum absens: sed Christo erant absentia complura bona ad commodi affectionem pertinentia quae sibi competere poterant; ergo spem habuit. *Minor* inde constat, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] quia etsi ipse fuerit beatus, tamen gloria animae non redundabat in corpus, et ideo erat passibile et mortale: sperabat ergo consequi impassibilitatem et immortalitatem; est ergo in eo ponendus habitus spei.

4. PRAETEREA. Si spes in Christo locum non habuisset, maxime quia erat beatus: sed non propterea est ab ipso spes removenda; ergo spei habitum habuisse existimandum est. *Probatur minor:* nam [*Report.* 3. d. 31. n. 5.] charitatis habitus est in Beatis: sed illo eodem diligimus Deum praesentem et absentem; ergo pariter erit in Beatis habitus spei, quo tendimus in bonum commodum absens, et in idem ut praesens per actum tensionis, ut eodem actu et desideretur absens et teneatur praesens.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 18. q. 3. n. 3.] Christus fuit beatus; ergo neque fides neque spes in ipso locum habere potuit.

RESPONDEO dicendum, in Christo esse non potuisse fidem aut spem. Nam [*Oxon.* 3. d. 31. n. 2. — *Report.* ib. d. 18. q. 3. n. 3.] fides est habitus inclinans ad assentiendum vero complexo, cuius evidentia non apparet. Ut enim dicit Apostolus ad Hebraeos, 11. *Fides est argumentum non apparentium.* Similiter spes est desiderium absentis ut summum bonum desiderantis. Animae autem Christi, cum fuerit beatissima a primo instanti suae unionis ad Verbum, nihil erat occultum: videbat enim Deum clare, non ut quid absens, sed magis ut sibi intime praesens, quippe quae fuerit unita Verbo actu beatifico per fruitionem; ergo non habebat neque fidem, neque spem. Ideo enim in Patria ponuntur hi duo habitus evacuari, quia non sunt ibi necessarii; nam non est inevidentia

obiecti beatifici, propter quam fides est in viatoribus, neque eiusdem absentia, ob quam nobis est necessaria spes. Sicuti igitur superflue poneretur in Beatis, ita et in Christo, qui fuit beatissimus. Unde [*Report.* 3. d. 31. n. 2.] Apostolus de spe loquens ad Romanos 8. *Spes,* inquit, *quae videtur, non est spes; nam quod quis videt, quid sperat? Si autem quod non videtur speramus, per patientiam expectemus.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, obiectum fidei et spei esse perfectius materia omni circa quam virtutes versantur morales, et ex hoc utique capite fatendum est nullam repugnantiam extitisse quominus iis habitibus Christus polleret; sed ex alio capite eorumdem habituum oportuit expertem fuisse. Quoniam [*Report.* 3. d. 31. n. 2.] enim fides tendit in verum latens, et spes in bonum absens, actum in Christo nequiverunt habuisse, cuius intellectui erat intime praesens Verbum, in quo intuitive cernebat omnia, et voluntatis actu fruebatur bono infinito sibi ab intellectu ostenso; non habebat ergo quid speraret, ac proinde frustra spei habitum illi Deus dedisset.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 1. d. 41. n. 2.] initium fidei, ut caetera supernaturalia dona, a Deo esse; verumtamen ideo interdum infidelitatem discipulis exprobrasse, ac fidem exegisse, quia ad credendum requiritur voluntatis cooperatio. — *Cum itaque dicitur:* ergo Christus debebat fidem habuisse, alioquin non praeivisset operibus doctrinae quam edocebat; *respondeo:* quae gerenda fuerunt a fidelibus circa observantiam externorum mandatorum Dei, Salvator prius ipse repraesentavit; sed quantum attinet ad actus internos fidei et spei, si non exemplo praeivit, quia id erat impossibile, infudit tamen initium credendi et sperandi; ea quippe sunt dona Dei misericorditer praevenientis.

AD TERTIUM dico, propter verba Apostoli supra relata. *Si autem, quod non videtur speramus, per patientiam expectemus,* non videtur inconveniens ponere spem in Christo respectu gloriae corporis sui futurae, quam non videbat ex speciali dispensatione Dei, sed per patientiam expectabat, et eam videtur ipsum meruisse, non quidem directe, quia nec unionem hypostaticam, nec gloriam suae animae mereri potuit, sed indirecte, quatenus meruit amotionem impedimenti, scilicet desitionem miraculi prohibentis redundantiam gloriae in portionem inferiorem, et in corpus.

AD QUARTUM respondeo, [*Report.* 3. d. 31. n. 5.] ex natura rei non apparere in habitu spei aliquam repugnantiam quominus remaneat in Patria idem ut habitus charitatis; sed quia Scriptura dicit hunc habitum evacuari, non autem charitatem, oportet fateri habitum spei respicere obiectum specificatum per absentiam, et fidei specificatum per inevidentiam, quae specificationes cum absint in Patria, quia ibi est maxima obiecti beatifici evidentia, et tensio eiusdem, necesse est, et ipsos habitus evacuari, et consequenter esse non potuisse in Christo.

ARTICULUS V.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT DONA.

ARTICULUS VI.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT DONUM TIMORIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 34. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 7. *a.* 5. *et* 6.

VIDETUR in Christo non fuisse dona Spiritus Sancti. Etenim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1.n. 7 9.] ipse extitit causa meritoria omnium donorum, quae Deus largitur hominibus; siquidem de plenitudine illius omnes accipiunt; ergo non fuerunt in Christo dona, sed quid excellentius, [*Oxon.* 1. d. 17. q. 2. n. 31.] per quod dona elargiuntur Ecclesiae membris, nimirum plenitudinem charitatis, quae est excellentissimum donorum, quibus perficitur mens humana.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 34. n. 14.] Christi anima perfundebatur excellentissima charitate, et ulterius habuit perfectissimas virtutes morales; ergo quatenus viator erat simpliciter perfectus; igitur non oportuit ponere in ipso alios habitus ab illis, qui omnino superflui dati essent, et nullam ulteriorem perfectionem animae Christi praebere potuissent.

3. PRAETEREA. Donum timoris frustra poneretur in Christo; ergo non est existimandum tale donum eum habuisse. *Probatur antecedens:* nam per hunc timorem non timuit passionem, quia perinde timuisset sine eo; nec timere potuit peccatum mortale, quod recta ratio dictat prae omnibus extimescendum, quia sciebat se esse impeccabilem; nec poterat timere amissionem beatitudinis, quia nec alii quidem Beati hunc habent timorem; ergo multo minus Christus; ac subinde non est ponendum in ipso donum timoris.

4. PRAETEREA. Videtur fortitudinem frustra adstrui in Christo, quatenus ponitur donum distinctum a moralibus virtutibus; ergo fuit expers fortitudinis, quatenus est donum. *Probatur antecedens:* [*Oxon.* 4. d. 49. q. 6. n. 22.] quia etsi fortitudo Christo fuerit necessaria ad fortiter ferendam acerbissimam passionem et mortem; tamen satis fuit habuisse perfectam virtutem moralem fortitudinis, per quam, *Fortis politicus* (secundum Aristotelem, 3. *Ethic.*, c. 11.) [*Oxon.* 3. d. 15. n. 26.] *sustinet mortem, et vulnera,* ut civitas bene se habeat, et bonum publicum salvetur suo exitio.

CONTRA. Isaiae, 11. De Christo scribitur: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, et intellectus, Spiritus consilii, et fortitudinis, Spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini;* ergo fuerunt in Christo dona Spiritus Sancti, et signanter donum timoris Domini.

RESPONDEO dicendum, in Christo omnia Spiritus Sancti dona, et praesertim donum timoris extitisse; sed ea haud esse habitus diversos a charitate, et caeteris moralibus virtutibus. Quamvis enim dona aliqua diversis nominibus exprimantur, ac theologicae atque morales appellentur virtutes, nihilominus eosdem habitus variis vocibus circumloqui, determinatum fuit 1. 2. *q.* 68. *art.* 6. et nunc breviter declaratur. Nam dona sunt, ut enumerat *Isaias sup. cit.*, sapientia, et intellectus consilium et fortitudo, scientia et pietas, et septimum est donum timoris. Et incipiendo ab hoc

ultimo, timor [*Oxon.* 3. d. 34. n. 20. — *Report.* ib. n. 11.] idem est ac humilitas, licet alio modo et nomine ab illa appelletur, ut significat Augustinus super illud Matthaei, 5. *Beati pauperes spiritu.* Nam pauperes spiritu recte intelliguntur iusti, ac timentes Deum, non habentes inflantem spiritum. Unde Scriptura frequenter commendans timorem Domini, atque ad timendum exhortans, humilitatem commendat, atque ad illam hortatur, et Salomon, Proverb., 1. *Initium,* inquiens, *Sapientiae est timor Domini,* humilitatem intelligit, quae est principium virtutum. Quanta ergo fuit in Christo humilitas, tantus erat in ipso Domini timor: eximiam autem oportet extitisse in eo humilitatem, cum perinde ac si nil aliud docuisset, monuerit ac provocaverit sectatores suos, ut ab se humilitatem addiscerent, *discite a me,* dicens, *quia mitis sum et humilis corde;* quod ipsum illo emphasi videtur ab Propheta fuisse non obscure significatum. *Et replebit eum Spiritus timoris Domini,* qua phrasi non fuit usus in aliorum enumeratione donorum. Quemadmodum igitur singularissima enituit humilitate, ita et repletus fuit Spiritu timoris Domini, ut nihil supra. — Porro sapientiae donum charitas est. Etenim sapientia est habitus, quo sapit habenti illud obiectum, quod est in se sapiendum, quo nimirum placet mihi bonum eius in se, et illud volo mihi. Haec igitur sapientia est charitas. — Donum autem *consilii* aliud non est, quam prudentia, quae est habitus syllogizandi practice, et huiusmodi syllogizare est consiliari. — *Pietas* vero non est aliud, quam misericordia, quae est species iustitiae. — Caetera dona *intellectus* videlicet, *et scientiae, et fortitudinis,* non oportet distinguere ab habitibus intellectualibus et moralibus, queis instructam et cumulatam fuisse animam Christi primo suae creationis instanti, certissimum est. Sicut ergo Christus obtinuit omnes habitus virtutum moralium et infusarum; ita et repletus fuit donis Spiritus Sancti, seu eadem dona sint illi ipsi habitus virtutum, ut existimamus, sive alii habitus intellectuales, ut quibusdam videtur, de quo videnda *cit. q.* 68. 1. 2.

Ad Argumenta. Ad primum concedo, charitatem esse omnium donorum creatorum longe perfectissimum, atque hanc in gradu excellentissimo extitisse in Christo. Verumtamen, quemadmodum ultra hanc ponuntur in ipso alii habitus intellectuales, et moralium virtutum, ita pariter esse ponenda in eodem et Spiritus Sancti dona.

Ad secundum, [*Oxon.* 3. d. 34. n. 14.] concedendum, est ad Christi absolutam perfectionem, quatenus fuit viator, satis fuisse, habitus virtutum moralium, et charitatis, ultra alios, quibus potentia eius intellectiva perficiebatur; et ideo putamus non esse in eo ponendos alios habitus ab illis distinctos, cum etiam sufficiant ad rationem omnium donorum.

Ad tertium concedo, ex memoratis capitibus non fuisse Christi animam repletam spiritu timoris Domini, quia timuit passionem secundum partem sensitivam, nec peccatum timere poterat, nec beatitudinis amissionem. Sed anima illa felicissima cum longe maiorem cognitionem haberet de Essentia Divina, ac sit in caeteris Beatis simul; eo magis coram tanta Maiestate humiliabatur, et prae infinita illius celsitudine reputabat se haud dignam tantis honoribus et donis, quibus ab infinita liberalitate Dei fuerat plenissime cumulata. Haec igitur erat causa timendi, idest [*Oxon.* 3. d. 36. n. 1.] sese humiliandi, et exaltandi Maiestatem infinitam Dei supra suam, quantumvis sublimissima, conditionem.

AD QUARTUM concedo, donum fortitudinis in Christo idem fuisse, ac perfectissimam virtutem moralem fortitudinis, una cum aliis sibi infusam.

ARTICULUS VII.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT GRATIAE GRATIS DATAE.

ARTICULUS VIII.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT PROPHETIA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 9. — *Miscell. q.* 6. — *S. Thom.* 3. *p.q.* 7. *art.* 7. et 8.

VIDETUR in Christo non fuisse gratias gratis datas. Etenim in Christo fuerunt omnes illae perfectiones, quae spectabant ad plenitudinem gratiae sanctificantis, et ad perfectionem faciebant intellectus sui: sed [*Miscell.* q. 6. n. 9.] gratiae gratis datae non spectant ad gratiam sanctificantem, cum sine gratia interdum Deus eas quibusdam contulerit, ut legitur *Num.* 28. de Baalam; nec faciunt ad scientiae plenitudinem; quia intellectus animae Christi erat simpliciter perfectus et instructus omni habitu scientiali in ordine ad se, citra omnem respectum ad alios; igitur non habuit gratias, quae dicuntur gratis datae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 11.] Gratiae gratis datae dicuntur impertiri a Deo, ob commodum et bonum aliorum in aedificationem corporis Christi, quod est Ecclesia: sed Christus tradidit Apostolis Ecclesiam aedificandam per ipsorum praedicationem; ergo illis congruebant gratiae gratis datae, et non Christo, super quem fundata est Ecclesia. Unde etsi legatur Christum complura miracula fecisse, non tamen constat alias gratias gratis datas se habere demonstrasse, quia nec legitur diversitate linguarum aliquando usum, imo sermonem vulgarem videtur usurpasse, quia familiariter cum quibusvis loquebatur.

3. PRAETEREA. In Christo locum non habuerunt spes, et fides ex dictis supra, *art.* 3. et 4.; ergo neque in ipso esse potuit prophetia. *Probatur consequentia:* nam ideo fides videtur repugnare Christo, quia cum fides innitatur veritati dicentis et revelantis, ei, qui cuncta clare et distincte intuetur, non convenit habere fidem: sed etiam [*Miscell.* q. 6. n. 12.-17.] prophetia innititur veracitati revelantis, ea quae per Prophetiam pronuncianda sunt; ergo quia pariter Christus ea omnia habebat praesentia per visionem Essentiae Divinae, non potuit in eo esse prophetia.

4. PRAETEREA. Si quia Christus enunciavit futura, quae erant sibi in Verbo praesentia, dicendus esset Propheta, aut prophetiam tamquam donum accepisset, pariter cum Beati aut Angeli revelant aliquid futurum, oporteret dicere eos esse Prophetas, et per prophetiae donum futura praedicere: hoc autem est falsum; ergo neque Christus est Propheta dicendus, quia futura sibi praesentia fore aliquando revelavit. *Minor* ex eo constat, quia prophetiae donum est Ecclesiae militantis, et non triumphantis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 18.] Christus praedixit Discipulis suam passionem futuram eo ordine, quo gesta est. Item excidium Hierosolymorum, mundi finem, et alia multa, ut legenti Evangelium est manife-

stum. Unde Lucae 7. scribitur: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis;* extitit ergo verissime Propheta et Dominus omnium Prophetarum, quorum ora ipse aperiebat ad praedicendam veritatem.

RESPONDEO dicendum, Christo datas fuisse omnes gratias gratis datas, quas videlicet Deus interdum communicare solet in bonum Ecclesiae, ut gratiam sanctificantem dat in bonum et perfectionem ipsius recipientis. Gratiae autem gratis datae enumerantur ab Apostolo, 1. *ad Corinth.*, cap. 12. dicente: *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eumdem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alii gratia sanitatis in uno spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* His omnibus, inquam, et praesertim prophetia, Christum praeditum fuisse sentiendum est. *Et declaratur;* quia sibi collata fuit plenitudo gratiae sanctificantis, qualem congruum fuit accepisse hominem unitum hypostatice Filio Dei; ergo pariter accepit plenitudinem donorum et gratiarum, quibus prodesse posset Ecclesiae, idest illis, quibuscum vitam erat acturus; sicuti et reipsa praestitit: etenim sanitati restituit varios infirmos, mortuos ad vitam revocavit, daemones compescuit et eiecit, et alia gessit, quae narrantur in Evangelica Historia, Fatendum est ergo plenitudinem donorum supernaturalium accepisse, quamvis fortasse non omnibus usus sit, quia id inopportunum erat. Si enim has gratias et dona Deus distribuit membris Ecclesiae, ut sint adiumento aliis membris indigentibus, dubitari non potest multo magis illis praeditum fuisse Christum Ecclesiae ipsius caput, unde in membra corporis mystici descendunt.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, utique dona gratiarum, quae ab Apostolo enumerantur, ut supra retulimus, non spectare ad plenitudinem gratiae sanctificantis, sed potius perficere intellectum, non in ordine ad se, sed prout in commodum aliorum eius operatio cedere potest. Caeterum gratia sanitatum ab imperio pendet voluntatis, quemadmodum et fides; quia nemo credit, nisi credere velit. Utcumque tamen, et cuiusvis potentiae sint actus, oportuit Christum, Ecclesiae caput, iis donis praeditum fuisse ut dictum est.

AD SECUNDUM concedo, Deum Apostolis, aliisque Discipulis, quorum opera et laboribus disseminata est per orbem Evangelica doctrina, et dona et gratias tanto muneri opportunas contulisse; sed ex eo non sequi Christum illis caruisse, imo omnibus et quidem in gradu excellentissimo praeditum fuisse oportuit; tum pro capitis perfectione, tum in utilitatem Ecclesiae suae, cui profutura erant quae acceperat supernaturalia dona; et alioquin [*Oxon.* Prol. q. 2. n. 10.] miracula in attestationem suae doctrinae adhibuit, et insuper iisdem se esse Deum ostendit. – *Et cum dicitur,* quia dum esset inter homines, non ostendit se habere omnes gratias gratis datas; *respondeo,* Christum, cum esset humillimus et mitissimus non ad ostentationem signa et prodigia fecisse, sed ad utilitatem et ad eruditionem Ecclesiae, ea quae gerebat, edidisse. Et porro sapientiam, et scientiam, et gratiam sanitatum, et interpretationem sermonum, et prophetiam, cum esset opportunum satis ostendisse; dono generum linguarum non legitur praeditum se ostendisse, quia non oportuit; verumtamen quia sciebat omnia, multo magis poterat ea eloqui quibus verbis voluisset.

AD TERTIUM, concedo fidem atque spem locum in Christo habere minime potuisse; sed nego tamen, pariter esse ab eo removendum donum prophetiae. — *Et cum dicitur:* quia prophetia innititur veritati revelantis ea, quae per Prophetam pronuncianda sunt; — dico id interesse [*Miscell.* q. 6. n. 9.] quia Propheta experimentaliter cognoscit Deum sibi loquentem, estque ita certus, ut non possit non credere iis, quae mentis experimento attingit. Unde dicebat Balaam Num. 28. *Non potero aliud loqui, nisi quod Deus dederit.* At adhaerentia fidei subest voluntati; nam nemo credit, nisi volens. Itaque [*Miscell.* q. 6. n. 16.] differt cognitio fidei a cognitione prophetiae, sicut cognitio illius, qui audit narrantem sibi vera, a cognitione eius, qui experitur rem, quam mente attingit. Propheta enim expertus est, Deum sibi esse loquutum; alius autem credit, quia audit Prophetam narrantem. Etsi igitur Christo repugnaverit fides, quia cuncta sibi patebant in Divina essentia; tamen dono prophetiae pollebat, imo in tanta excellentia eius possessor erat, quanto firmius et tenacius sciebat ea esse futura, quae praenunciabat; excellentissime ergo extitit Propheta et princeps omnium Prophetarum.

AD QUARTUM respondeo, utique Angelos et Beatos non esse appellandos Prophetas, quamvis Deus per ipsos futura nobis annunciaret: prophetiae enim [*Report.* 4. d. 6. q. 8. n. 5. — *Miscell.* q. 6. n. 17.] donum, est Ecclesiae militantis, non triumphantis, ut dicit Apostolus, 1. *ad Corinth.* cit.; quia datur in utilitatem et bonum membrorum corporis Christi, ut peregrinantur a Domino, 2. *ad Corint.,* cap. 5. Quamvis igitur Christus nequeat nunc esse Propheta, quia est in statu perfectae beatitudinis, quamdiu tamen erat in corpore mortali et mortalitati subiectus, sibi non repugnabat donum prophetiae, ac proinde, cum futura praediceret, erat vere Propheta.

ARTICULUS IX.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT PLENITUDO GRATIAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 13. *q.* 1. *et* 2. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 7. *a.* 9.

VIDETUR in Christo non fuisse plenitudo gratiae. Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 1. n. 1.] anima Christi non potest esse summum gratificabile, quia non est summa natura intellectualis; igitur nec summam gratiam potuit recepisse, nec habere consequenter plenitudinem gratiae. *Probatur consequentia:* natura intellectualis excellentior est capax maioris perfectionis et excellentioris gratiae; capacitas enim perfectionis est secundum gradum naturae perfectibilis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Si gratia animae Christi esset summa, seu si ipse haberet plenitudinem gratiae, adeo ut non posset esse maior illa; aut id esset ex ratione ipsius gratiae in se, aut ex parte efficientis, vel susceptivi. Non primum, quia ipsa est participatio charitatis infinitae, et ita potest in infinitum crescere. Non secundum, quia efficiens est infinitum. Nec tandem tertium, quia forma recepta semper ampliat capacitatem recipientis, charitas enim dilatat.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Gratia, quam anima Christi potuit reci-

pere, necessario fuit finita, et in certo gradu, quia in *facto esse,* et non *in fieri:* sed ultra istum gradum posset fieri gratia maior. *Probatio:* si intelligitur gratia in aliquo gradu minori, non propter hoc intelligitur infinita, sed finita; gradus enim finitus non repugnat perfectioni creaturae; ergo non est contradictio fieri aliquid perfectius isto, et illud non esset aliqua forma in specie alia a gratia, quia ista species est suprema in perfectionibus supernaturalibus.

4. PRAETEREA. [*Report.* ib. q. 1. n. 1.] Quo habitus est perfectior, eo et actum esse perfectiorem oportet, cum ab habitu suam actus accipiat perfectionem, et quanto exinde actus accipit de perfectione, tantumdem habitum intendit et perficit; igitur quo fuit perfectior actus voluntatis Christi a charitate proveniens, eo magis ipsum habitum augere debuit; igitur non potuit sibi collatam esse gratiae plenitudinem, quia semper magis magisque per actus augebatur.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 13. q. 1. n. 3.] Ista natura potuit assumi ad summam unionem quantum *ad esse;* ergo et quantum *ad operari:* summa unio quantum ad operari non est nisi per summum habitum gratiae, quae est principium operandi; ergo in Christo fuit plenitudo gratiae.

RESPONDEO dicendum, in Christo fuisse plenitudinem gratiae, quae plenitudo dicitur summa gratia. Sed prius declarandum est [*Oxon.* ib. q. 4. n. 2.] summam hanc gratiam fuisse unica creatione creabilem, accipiendo nimirum *summum* negative, quatenus scilicet non potest ab alio excedi; non autem positive, quatenus sic aliam excedit, ut non repugnet esse sibi aequalem; (hoc enim pacto non est ponibilis summa gratia, cum cuilibet creaturae possit esse alia aequalis). *Probatur,* igitur huiusmodi gratiam esse creabilem unica creatione: nam accepta aliqua gratia determinata infima, quaero, ascendendo, aut est status in aliquo supremo gradu, et habetur propositum: aut potest procedi in infinitum; ex quo sequitur manifeste eo gratiam esse perfectiorem, quo excedit illam determinate acceptam, adeoque eam, quae in infinitum excedit, esse in infinitum perfectiorem, et esse intensive infinitam; et nihilominus hanc, quam videt intellectus divinus, ut unum creabile, posse unica creatione creari, eritque creatura infinita, quod est impossibile; licet habeatur propositum, fore nimirum ea in suppositione, creabilem unica creatione.

Hoc posito [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 5.], *probatur* huiusmodi summam gratiam potuisse conferri animae Christi; nam subiectum receptivum accidentis convenientis, habentis gradum, quod non ordinatur ex se ad aliquem gradum certum, potest quantum est ex se recipere illud accidens secundum omnem sui gradum. *Declaratur* haec propositio per oppositum; ideo enim aqua non potest quemcumque gradum caloris recipere, quia calor est accidens disconveniens aquae in aliquo gradu: aliquis enim gradus caloris non potest esse in aqua, manente aqua in sui natura, quia oportet ipsam corrumpi. Sed anima est huiusmodi susceptivum respectu gratiae, quod est accidens apprime conveniens illi; ergo quantum est ex se potest recipere gratiam, quoad omnem gradum eius. *Praeterea,* [*Oxon.* ib. n. 6.] Angelus et anima comparantur ad gratiam secundum eamdem rationem susceptivi; ipsa enim ut recipitur est forma eiusdem rationis, et ista recipientia inquantum talia sunt

eiusdem rationis. *Exemplum:* albedo in lapide et ligno est eiusdem rationis, et ista susceptiva, ut comparantur ad eamdem formam, non sunt alterius rationis: sed gratia animae Christi et Angeli est eiusdem speciei; alioquin universe una excederet aliam, et ita omnis gratia Angeli esset maior quacumque gratia animae, vel e converso, quod est falsum; ergo ambo illa comparantur ad gratiam, non ut sunt in substantia alterius rationis, sed ista alteritas accidit eis, ut recipiunt tale accidens; ergo quantam potest recipere Angelus, tantam potest anima recipere: summam gratiam creabilem potest aliquis Angelus recipere, quia summum gratificabile; ergo et anima Christi.

Ex his solvitur quaestio; *dicendum* enim est [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 9.] Deum tantam gratiam contulisse Christo, quantam potuit conferre: potuit autem summam, ut ostensum est; ergo dicendum est, de facto contulisse. In commendando enim Christum malo excedere, quam deficere a laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere. *Confirmatur* per illud Augustini, 3. *De lib. arbitr., Quicquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc Deum magis fecisse quam non fecisse.* Videtur autem simpliciter melius secundum rectam rationem, summam gratiam esse alicui collatam, quam non esse collatam; quia in hoc manifestatur summa misericordia Dei, in dando summum bonum gratiae sine meritis. Igitur dicendum est, hoc esse factum, et non in alio, quam in anima Christi. — *Denique,* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] Ioann., 3. *Non dat Deus enim spiritum ad mensuram,* loquitur de Christo. Et Ioann., 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Gratia non ad mensuram est gratia summa possibilis. Plenitudo autem, quae potest participari ab omni alia gratia secundum aliquem gradum, non videtur intelligibilis, nisi in summa gratia.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 10. seqq.] esto anima non sit summum gratificabile, cum ipsa sit Angelus perfectior, quia tamen ex se non determinatur ad certum gradum huius perfectionis sibi convenientis, est in potentia obedientiali, et potest perfici a qualibet gratia, et a summa proinde; falsum est ergo perfectius perfectibile esse capax maioris perfectionis, quia totum perfectibile in communi respicit totam perfectionem in communi, et quodlibet quamlibet. Nam etsi perfectius perfectibile exigat maiorem perfectionem accidentalem naturalem, quae perfectio seu quae accidentia causantur a principiis intrinsecis subiecti, quod perficiunt in esse naturali, respectu tamen gratiae, quam non exigit natura, imo est ei accidens, apprime tamen conveniens, non habet argumentum aliquam probabilitatem.

Ad secundum dicendum, ex omnibus praetactis capitibus sequi statum in gratia. Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 14.] si deberet posse esse infinita, quia est participatio charitatis infinitae, sequeretur idem de qualibet alia forma, quia omnes sunt infinitae formae participationes; necessario ergo charitas possibilis fieri determinat sibi gradum, ultra quem alia non possit fieri: similiter efficiens infinitum efficit de nihilo naturam limitatam; pariter tandem capacitas alicuius finiti non est ad formam infinitam. — *Et cum dicitur:* charitas auget capacitatem, quia dilatat; *hoc est plane falsum;* quia materia est aliquo modo prior forma, saltem origine, ad constituendum compositum; igitur forma non dat aliquid spectans ad propriam causalitatem materiae; igitur, nec aliquam capa-

citatem (quae est sua potentialitas) auget sibi. Et cum charitas in quocumque sit forma eiusdem rationis, et capacitas pariter eiusdem rationis, aliqua capacitas non potest augeri per charitatem receptam, sed tota praesupponitur naturaliter. In natura igitur est summa, vel minima capacitas ante omnem formam, nec illa augetur, vel minuitur per ullam formam receptam, vel receptibilem. Nam *posse habere gratiam* (secundum Augustinum, *De Praedest. sanctit.*, cap. 5.) *inest homini a natura*, idest ea potentialitas fundatur in natura animae ut est talis essentia, et per nullum extrinsecum potest augeri, vel minui, aut aliquo modo variari.

Ad tertium, neganda est *minor*. Ad eius *probationem* dico, *tripliciter* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 12 seqq.] posse intelligi fieri aliquem gradum perfectiorem gratia Christi. *Primo modo* absolute in quacumque natura; quo pacto concedendum est supra totum genus qualitatum nobilissimarum, cuiusmodi sunt istae perfectiones supernaturales, posse fieri, et esse aliquid perfectius, et sic infima substantia est perfectior toto genere qualitatis. Neque hoc est inconveniens, minimam substantiam excedere omne accidens, licet aliquod accidens supernaturale, in coniungendo obiecto supernaturali, excedat substantiam in perfectione naturali. Sed hoc modo intelligendo non est ad propositum. *Secundo modo* potest intelligi esse possibilem gratiam perfectiorem, idest, perfectioris et altioris speciei. Et tunc ponendo gratiam esse summam speciem, illa propositio includit contradictionem, sicuti contradictio est aliquem colorem esse supra summum album. Quod si gratia non sit summa perfectio supernaturalis, sed fruitio, vel lumen gloriae; tunc concedo illam propositionem, sed non facit ad propositum, ut patet. *Tertio* igitur *modo*, potest intelligi, ut sit sensus, quamcumque gratiam finitam posse excedi; ergo per additionem ulterioris gradus intra eamdem speciem; et tunc negandum est hoc esse possibile de gratia Christi. — *Et cum probatur;* quia intelligendo fieri eam additionem, adhuc esset finita; ergo possibilis; *negatur consequentia;* quia licet non sit ibi infinitas, est tamen incompossibilitas. Sicuti si intelligeretur album addi nigro in perfectione specifica, non esset profecto tunc infinitas, sed incompossibilitas; et ideo illa duo uniri, non est quid intelligibile, nisi quatenus intellectus est de se falsus, et terminatus ad obiectum includens contradictionem.

Ad quartum respondeo [*Report.* 3. d. 13. q. 3. n. 15.] *assumptum* verum esse, nisi operans sit in termino; habitu enim existente in termino, nequit amplius per actus augeri, sed est in eo status; et ita quoniam Christo fuit data summa gratia creabilis, ea non potuit ulterius augeri.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM POSSIBILE FUERIT VOLUNTATEM ANIMAE CHRISTI HABERE SUMMAM FRUITIONEM POSSIBILEM NATURAE CREATAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 13. *q.* 4. — *Report. ib.*
Cf. De his 1. *p. q.* 12. *art.* 6. *autem ubi Thomistae.*

Videtur voluntas animae Christi non potuisse habere summam fruitionem possibilem creaturae. Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 3. n. 1.] voluntas

elicit actum merendi et fruendi: sed voluntas animae Christi non potest habuisse summam rationem activi in eliciendo actum merendi; non enim habet summam virtutem activam, quae consequitur naturam eius; igitur non potuit summe frui.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 13. q. 3. n. 1.] Si tanta gratia data esset Angelo quanta animae Christi, cum Angeli voluntas sit perfectior et activior subinde voluntate humana Christi, et reliqua concausa utrobique fuisset aequalis; igitur cum voluntate angelica, utpote perfectiori, habuisset perfectiorem actum fruendi; igitur Christi fruitio non est summa possibilis.

CONTRA. [*Oxon.* 3 d. 13. q. 3. n. 2.] Possibile est Christi animam habere summam gratiam; ergo et summam fruitionem. *Consequentia probatur:* actus naturaliter elicitus ab aliqua forma aequatur in perfectione illi formae: fruitio est actus supernaturalis, et per consequens elicitus a causa supernaturali, quae est gratia, et quidem naturaliter, quia gratia non est formaliter libera; ergo secundum quantitatem gratiae potest esse quantitas fruitionis.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 18.] quaestionem posse habere duplicem sensum: an scilicet ipsa voluntas possit habere summam fruitionem *a se elicitam,* vel habere *in se receptam* formaliter, a quocumque tandem causetur. Et hoc secundo modo dicendum, possibile esse ipsam habere summam fruitionem creabilem. *Probatur;* nam ipsa est receptiva cuiuscumque accidentis convenientis sibi, et in summo, quia non determinat sibi certum gradum eorum, ut patuit *art. praec.* Sed fruitio est quoddam accidens absolutum possibile creari a primo causante immediate, sine actione voluntatis creatae; igitur potest recipere summam fruitionem. — Sed *elicitive* intelligendo non videtur ipsa voluntas creata Christi habere summam fruitionem possibilem; quia voluntas angelica est ipsa perfectior et activior; igitur cum aequali gratia posset in fruitionem perfectiorem. At de facto voluntas Christi habet maximam elicitive, eique nulla fruitio aliarum creaturarum est aequalis; quia etsi ea voluntas sit minus perfecta, quam voluntas Angelorum, quia tamen nemo Angelorum habet summam gratiam, ut ipsa, potest cum summa gratia perfectiorem fruitionem elicere, quam quivis alius Angelorum habentium longe minorem gratiam. Videtur quoque dicendum ipsum habere etiam summam fruitionem possibilem; quia summa fruitio factibilis est unum creabile, sicuti summa gratia; ut ergo habuit summam gratiam factibilem, ita et summam fruitionem possibilem. In commendando enim Christum praestat excedere, quam deficere a laude sibi debita, cum per ignorantiam oportet in alterum incidere.

AD ARGUMENTA [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 20.] patet, ipsa concludere de fruitione elicitive, quo sensu concedo Christum non potuisse habere summam, ut dictum est. — *Argumentum in oppositum* concludit ipsum potuisse summe frui formaliter, quod concedo. Tamen id argumentum deficit in hoc, quod videtur probare fruitionem esse a gratia, ut a causa totali, quod est falsum: est enim praeterea a voluntate, ut a causa partiali, habente modum tendendi in obiectum libere, quamquam altera concausa agat naturaliter, sed haec non utitur voluntate, sed magis e converso.

ARTICULUS X.

UTRUM PLENITUDO GRATIAE SIT PROPRIA CHRISTI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 13. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 7. *art.* 10.

VIDETUR plenitudo gratiae haud esse propria Christi. Etenim [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4.] illud proprie Christo videtur convenire, quod ita ipsi inest, ut alteri nequeat competere: sed par gratia illi, qua ipse donatus est, potuisset alteri dari; ergo habere plenitudinem gratiae non est quid proprium Christi. *Probatio minoris:* etenim omne ens creatum, eo quod infinitum non sit, potest habere similem in perfectione; ergo parem gratiam illi, quae Christo collata est, potuit Deus alteri naturae creatae dedisse.

2. PRAETEREA. Tunc gratiarum plenitudo videretur propria Christo, quando data illi fuisset virtute alicuius actus, qui ipsi tantum posset inesse; alioquin non apparet qua ratione ea gratiae plenitudo sit ei propria. Sed [*Oxon.* 4. d. 13. q. 1. n. 6.] nihil talem gratiam antecedens potest excogitari in Christo; ergo non est ei propria gratiae plenitudo. *Probatur minor:* quia summa gratia data est animae Christi citra omne meritum ipsius; ergo non est propria Christi gratiae plenitudo.

3. PRAETEREA. Gratiae plenitudo non alia ratione potest esse propria Christo, nisi [*Oxon.* 3. d. 20. n. 7.] quia ipsi soli iniunctum est opus Redemptionis humanae: sed non fuit ulla necessitas, ut ipse foret Redemptor noster; quia secundum Augustinum, 13. *De Trinit.*, cap. 10: *Alius modus redimendi hominem Deo non defuit;* ergo si alius a Christo potuisset nos reparare et redimere, non fuit ipsi proprium possidere gratiae plenitudinem, quia ille alius Redemptor pariter gratiarum omnium repletus fuisset.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 7.] Secundum leges a Divina sapientia praefixas, Deus statuit non dare gratiam alicui peccatori, nisi virtute et intuitu meritorum Christi; ergo de facto proprium est ipsi habere plenitudinem gratiae, a qua factum est, ut magis acceptaretur foretque gratum obsequium ab illo Deo exhibitum, quam displicuisset offensa per Adae transgressionem, et aliorum hominum peccata ei illata.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] Deum de potentia absoluta, absque ulla contradictione posse dare alteri naturae assumptae, sive etiam non assumptae, tantam gratiam, quantam de facto contulit Christo Domino; sed de potentia ordinaria non posse alteri conferre; nam secundum leges iam positas a sapientia Divina, non erit nisi unum caput in Ecclesia, a quo sit influentia gratiarum in membra; ergo sicut congruum est esse dumtaxat unum caput in Ecclesia, et non duo, ut nec duo suprema in eodem ordine, sic plenitudo gratiae est ita propria Christo, ut non sit alteri collata, nec quidem possit conferri. — *Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] si gratiae plenitudo conferretur alicui alteri a Christo; igitur posset tantum proficere in meritis quantum Christus: hoc autem videtur absurdum. Nam [*Oxon.* 3. d. 19. n. 8.] Christi merita sunt tanti, ut meruerit omnibus primam gratiam, et etiam augmentum eius. — *Denique,* Ioann., 1. dicitur: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a*

Patre, plenum gratiae, et veritatis. Igitur cur habuerit plenitudinem gratiae fuit filiatio Dei: haec autem est ita propria Christi Domini, ut nulli alteri conveniat; ergo etiam habere plenitudinem gratiae, quae est capitis Ecclesiae, nulli alteri potest convenire.

Ad Argumenta. Ad primum clara est responsio *ex dictis;* quia licet Deus sine repugnantia posset conferre alteri naturae parem gratiam illi, quam contulit Christo de potentia absoluta; de facto tamen statuit nemini alteri dare, et propterea secundum potentiam ordinariam solius Christi est habere plenitudinem gratiarum.

Ad secundum dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] gratiam nemini dari ex propriis meritis intrinsecis de condigno, quia alioquin non foret gratia; et ita multo minus potuit datam esse Christo illam, quae est summa gratia creabilis; extitit ergo de facto propria illi, quia praedestinatus est esse Filius Dei in virtute; unde et factum est, ut caput et haeres universorum constitueretur, et congruam tantae eminentiae gratiam reciperet, quam oportuit esse summam, ut de illius plenitudine omnes acciperent.

Ad tertium respondetur [*Oxon.* 3. d. 20 n. 48. — 4. d. 15. q. 1. n. 4-7.] procedere de potentia absoluta, nos autem loqui de facto et de potentia ordinaria. Accedit, quod si plures alii modi redimendi genus humanum Deo occurrebant, inter illos potuit esse, ut redimeremur sine summa gratia, in quo nulla videtur esse repugnantia.

ARTICULUS XI.

UTRUM CHRISTI GRATIA SIT INFINITA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 13. *q.* 4. — *Report. ib. q.* 3.
S. Thom. 3. *p. q.* 7. *a.* 11.

Videtur Christi gratia esse infinita. Nam [*Report.* 3. d. 13. q. 3. n. 14] Ioann., 3. habetur: *Non ad mensuram dat Deus Spiritum,* Filio scilicet; sed quod caret mensura non habet terminos circumscribentes; igitur est infinitum; infinitum enim aliud non est, quam perfectio carens termino.

2. Praeterea. Illud est infinitum in entitate, quod potest partecipari ab infinitis, seu habere effectus infinitos: sed talis est gratia Christi, quae sufficeret infinitis hominibus, si tot futuri essent; omnes enim gratiam de Christi plenitudine acciperent atque participarent; igitur oportet esse infinitam.

3. Praeterea. Gratia Christi habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiae; ergo eiusmodi recte appellatur infinita. *Probatio consequentiae;* nam si quicquid ad rationem gratiae pertinet fuit Christo collatum, profecto data est illi gratia non ad mensuram; ergo gratia in ipso non limitatur, ac proinde est infinita; est ergo data Christi animae gratia, sicut cuidam universali principio gratificationis in humana natura, et consequenter, licet quatenus ea gratia est quoddam ens sit limitata et finita, secundum tamen propriam rationem gratiae est infinita.

Contra. Gratia Christo collata fuit recepta in voluntate ipsius: sed Christi voluntas est finita; ergo nequit informari nisi forma finita; igitur gratia Christi, quamvis summa, est nihilominus finita.

Respondeo dicendum, gratiam Christi esse quidem summam, ut di-

ctum est *art. praec. et* 9. at nequaquam infinitam. Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 14.] charitas, quam Deus contulit animae Christi, est quaedam participatio Essentiae Divinae; ergo oportet ipsam secundum aliquem gradum determinatum capere partem infinitae perfectioris; igitur necessario includit gradum determinatum respectu charitatis infinitae; igitur est formaliter et essentialiter finita. — *Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 13. q 4. n. 14.] Deus efficienter creavit ipsam de nihilo: sed quaecumque hoc pacto accipiunt *esse* habent naturam limitatam; ergo et gratia Christi. — *Denique,* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 14.] quamvis capacitas animae sit ad quemcumque gradum possibilem reperiri in forma gratiae, ita ut ad omnem inclinetur, et quantumvis intensam possit recipere, non tamen capacitas alicuius entis finiti est ad formam infinitam; igitur cum anima Christi sit ens finitum, nequiit recepisse formam infinitam, sed potius finitam.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum, [*Report.* 3. d. 13. q. 3. n. 14.] maiorem esse falsam, et implicare manifeste contradictionem, nimirum charitatem datam Christo esse creaturam, et non mensuratam. Igitur Deum dedisse illi gratiam non ad mensuram, aliud non est, quam contulisse quantam potuit conferre, at infinitam nequiit.

Ad secundum respondeo, ex dictis, *q.* 1. *art.* 2. *in incid.;* si forent homines infiniti, omnes utique esse participaturos gratiam Christi, non quia ipsa sit intrinsece infinita, sed quia ex circumstantia personae, cui est unita natura humana Christi, meretur ut intuitu eius Deus largiretur gratiam infinitis hominibus.

Ad tertium concedo, gratiae Christi nihil defuisse eorum, quae poterant spectare ad rationem gratiae, si unica actione Creatoris erant factibilia; nego tamen eam gratiam posse appellari infinitam. — *Et cum probatur:* quia non habet certam mensuram, estque illimitata; *respondeo,* declaratum fuisse in responsione *ad primum,* quid sit Deum dedisse spiritum Filio non ad mensuram; ea enim loquutione innuitur summam quidem extitisse Christi gratiam, quantam scilicet Deus potuit unica creatione attingere; at non propterea fore infinitam, quia haec ratio repugnat enti limitato et finito, qualis ponitur entitas gratiae; nec talem entitatem reddunt infinitam effectus infiniti, vel homines, qui valent ab illa gratia mutuare iustificationem, seu gratificationem; quia nec homines iustificandi sunt infiniti, nec si essent id concludi potest, ut dictum est in responsione *ad secundum.*

ARTICULUS XII.

UTRUM GRATIA CHRISTI POTUERIT AUGERI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 13. *q.* 4. — *Report. ib. q.* 3.
S. Thom. 3. *p. q.* 7. *a.* 12.

Videtur gratia Christi potuisse augeri. Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 1. — *Report.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] 13. *De Trinit.,* cap. 5. ait Augustinus: *Beatus est ille qui habet quicquid vult, et nihil mali vult;* nempe ille est beatus, qui habet quicquid potest recte velle. Potest autem Michaël velle habere tantam gratiam, quantae natura eius est capax, quia velle liberum semper est rectum, quando conformatur voluntati naturali, quae

semper est recta; voluntas autem naturalis Michaëlis est ad tantam gratiam, quantae natura eius est capax. Natura autem animae Christi non est ita excellens, nec per consequens tantae gratiae capax; ergo ipsa de facto non habet tantam gratiam, quantam habet Michaël, si ipse est beatus; igitur ipsa potuisset augeri.

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 13. q 2. n. 2. — *Oxon.* ib. n. 1.] Non est ponenda tanta gratia in anima Christi, nisi quanta requiritur ad beatitudinem illius animae: sed perfecte beatificatur si tota inclinatio eius terminetur; potest autem perfecte terminari, quamvis non habeat summam inclinationem ad illam. *Exemplum:* aqua quietaretur etsi non esset in centro, quia non habet summam gravitatem.

3. PRAETEREA. Perfectibile perfectius capax est amplioris perfectionis: sed [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 17. — *Report.* ib. q. 1. n. 1.] Angelus est nobilior anima Christi; ergo ipsius voluntas est capax perfectioris gratiae ac habuerit Christus; igitur gratia Christi poterat fieri perfectior a Deo, ac proinde potuit augeri.

4. PRAETEREA. Ex dictis supra, *art.* 9. gratia Christi summa quidem est, sed dumtaxat *negative,* cui nempe posset par creari, sed nequaquam perfectior; igitur possibile est, Deum creare parem gratiam illius, quae collata est Christo: sed ex hoc sequitur Christi gratiam posse augeri. *Et probatur,* nam nulla esset implicantia, Deum copulare et unire in unum ambas illas gratias creatas; una enim alteri non repugnaret, cum constent gradibus homogeneis, et non propterea evaderet infinita; gradus enim formae accidentalis sunt partes materiales eiusdem, quae possunt esse simul, et forma, quanto est sub talibus pluribus gradibus formae, tanto est intensior et perfectior.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] Augustinus, 13. *De Trinit.,* cap. 19.: *Summa gratia in rebus per tempus ortis est, quod homo in unitate personae sit Deo coniunctus.* Ex hac enim summa gratia [*Report.* 3. d. 13. q. 3. n. 14.] declaratur summa Dei misericordia, dantis nimirum summam gratiam sine ullis meritis, ea enim quae daret summam gratiam ob aliqua merita praecedentia, non videretur summa misericordia.

RESPONDEO dicendum, Christi gratiam non potuisse augeri, quia ut patuit ex solutione *art.* 9. ipsa erat summa; igitur ipsa non potuit esse maior et intensior.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 2. d. 13. q. 4. n. 15.] beatum esse qui habet quicquid potest recte velle, non de potentia absoluta, sed de potentia ordinata, iuxta leges praefixas a sapientia divina; Deus enim statuit non debere aliquam voluntatem libere velle maiorem gloriam illa, quam sibi contulit, et ideo nequit recte velle maiorem. Inclinatur nihilominus creata voluntas ad habendam gratiam summam, et cum hoc potest quietari in minima, quia non habet principium intrinsecum determinans eam ad aliquem gradum determinatum. — *Et cum dicitur,* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 16.] voluntatem liberam esse rectam, dum consonat voluntati naturali; *dicendum,* non semper id esse verum, sed praecise quando est praeterea consona voluntati superiori, scilicet divinae, quando nempe vult quod Deus vult eam velle. Aliquando autem non vult voluntatem liberam velle, quod naturalis appetitus appetit. In casu enim vult nos amplecti mortem, quam tamen appetitus naturalis refugit. Etiam idipsum accidit in gloria et gratia, quae non ex eo potest augeri,

quod Michaël habet excellentiora naturalia quam Christus, quia ut dictum est *art.* 9. Angelus et anima comparantur ad gratiam sub eadem ratione; et quia neutrius voluntas est determinata ad certum gradum gratiae, potest utraque recipere summam, seu omnem gradum creabilem, seu sit prima forma in natura intellectuali, seu infima, sicuti est anima rationalis.

AD SECUNDUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 17.] esto anima Christi non habeat summam inclinationem ad summam gratiam, quantum est ex parte fundamenti inclinationis; habet tamen inclinationem ad summam gratiam, qua posset summe coniungi obiecto. Et ita licet posset quietari per quamcumque gratiam, sicuti et quaecumque alia anima, non tamen summe quietaretur sine summa gratia; quia nec summe coniungeretur obiecto in quo est perfecta quies, nisi haberet summam gratiam creabilem. *Ad exemplum* dicendum, gravia determinari ad certum gradum per gravitatem, atque iuxta illos petere magis et minus centro approximari. Anima vero non est determinata ad certum gradum gratiae, et ideo posse ex aequo esse sub minima, et maxima, et quietari sub utraque, sed perfecte nonnisi quatenus mediante summa gratia perfectissime unitur obiecto beatifico.

AD TERTIUM respondeo: [*Report.* 3. d. 13. q. 3. n. 17.] si comparetur perfectibile ad perfectionem accidentalem, *assumptum* esse falsum, quamvis cum comparatur ad ipsius perfectiones intrinsecas, possit admitti; quia eiusmodi perfectio determinatur ad tantam perfectionem per principia intrinseca suppositi; at extrinseca perfectio, sicuti est gratia, non determinatur ad certum aliquem gradum ex intrinseca ratione perfectibilis perfectioris et imperfectioris, et ideo maxima gratia potest informare infimum perfectibile in natura.

AD QUARTUM dico, id argumentum destruere suppositum, et ideo non spectare ad praesens quaesitum, sed magis ad *art.* 9. *cit.* ubi illud declaratum fuit. Nihilominus respondeo, et dico, posse Deum creare parem gratiam illius, quae data est Christo, et nego ambas posse coalescere in unum; non quia non constent gradibus eiusdem rationis, nec quoniam inde gratia exurgeret infinita; sed propterea quod habeant incompossibilitatem ad talem unionem; nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 12.] aliquod finitum intelligibile potest repugnare alii finito intelligibili, sicuti si intelligeretur album addi nigro in aliqua perfectione, utrumque componens est quidem finitum, et nihilominus impossibile est ita fieri; quia ipsa quae intelliguntur componi, secundum intellectum includentem contradictoria sunt incompossibilia. Et ita si summa gratia de facto collata sit Christo, quia est quid creabile unica creatione, quamvis pariter par gratia sit creabilis, non sequitur posse ambas illas coalescere in unum, tametsi nulla inde esset futura infinitas, quia habent ea extrema incompossibilitatem ad unionem ex ratione specificae entitatis, idest eo quod ea gratia sit tantae perfectionis, ut nullus gradus ei desit; nam si possent addi alii gradus, omnes ii defuissent in priori creatione, quod est contra suppositum.

ARTICULUS XIII.

QUALITER GRATIA CHRISTI HABITUALIS SE HABEAT AD UNIONEM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 2. — *Report. ib. q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 7. *a.* 13.

RESPONDEO dicendum, gratiam habitualem animae Christi subsequi naturaliter ad unionem humanae naturae cum Persona Divina. Nam Ambrosius, 3. *De Spiritu Sancto,* cap. 2. scribit: *Spiritus Domini misit Filium suum,* sicut legitur Isaiae, 61.: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me.* Etenim [*Oxon.* 1. d. 15. n. 2. et 4.] Filius hominis est missus, et unctus; secundum enim Deitatem Spiritus Sanctus non est super Christum, sed in Christo. Quando igitur ait Propheta Christum missum a Spiritu Sancto, intelligitur de Christo homine, non vero de missione Verbi aeterni incarnandi; igitur iuxta hoc, prius homo fuit Filius Dei per unionem hypostaticam, et postea unctus est, et missus a Spiritu Sancto: unctus est autem per gratiam habitualem; igitur haec sequitur ad gratiam unionis hypostaticae, estque unione ipsa posterior natura. — *Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 12.] Ioann., 1. legitur: *Vidimus gloriam eius quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Videtur ergo dicere, proximam rationem congruentiae, aut quamvis aliam quare Christus habeat plenitudinem gratiae, esse ipsum extitisse unigenitum Patris; igitur prius erat natura humana subsistens in Verbo, quam ipsi daretur tanta gratia habitualis; ergo gratia sequebatur in anima Christi ad unionem ipsius in Verbo. — Huc faciunt dicta *q.* 2. *art.* 10. *et q.* 6. *art.* 6.

QUAESTIO OCTAVA.

DE GRATIA CHRISTI UT EST CAPUT ECCLESIAE, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiae.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum Christus sit caput Ecclesiae. - 2. Utrum sit caput hominum quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas. - 3. Utrum sit caput omnium hominum. - 4. Utrum sit caput Angelorum. - 5. Utrum gratia Christi secundum quam est caput Ecclesiae sit eadem cum gratia habituali eius secundum quod est homo singularis. - 6. Utrum esse caput Ecclesiae sit proprium Christo. - 7. Utrum diabolus sit caput omnium malorum. - 8. Utrum Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT ECCLESIAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 13. *q.* 4. — *d.* 19. — *d.* 25. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 8. *art.* 1

VIDETUR Christus non esse caput Ecclesiae. Nam si foret Ecclesiae caput, utique poneretur talis ad hoc, ut influeret in membra corporis Ec-

clesiae, scilicet in fideles: sed hoc non urget. *Et probatur:* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 1.] quia summa natura non est facta, quae influere deberet in inferiores naturas; ergo nec summa gratia, a qua esset influxus ille; nam quacumque natura facta, possibile est alteram excellentiorem fieri, quia summa designata adhuc esset finita. *Consequentia* igitur *probatur:* ordo universi magis consistit in speciebus, quam in individuis; magis enim attenditur perfectio universi secundum species, quam penes individua; ergo convenientius videtur esse factam summam naturam, quae differret ab aliis naturis secundum speciem, quam supremam gratiam esse factam, quae differret ab aliis gratiis secundum numerum tantum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. q. 4. n. 17.] Non oportuit Deum condidisse summam naturam, quia ipse influit immediate in omnia, omnesque effectus causarum, in quas influeret summa natura si creata fuisset: sed etiam ipse Deus influit immediate gratiam in omnes, qui eam recipiunt; ergo non oportet ponere summam gratiam in aliquo, a quo tamquam a capite sit influentia gratiarum.

3. PRAETEREA. Influentia gratiarum in membra corporis mystici est a Christo, quatenus Deus; ergo ipse est caput illius corporis, non quatenus homo, sed ut Deus. *Probatur assumptum:* nam cum Salvator dixit Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* Ioann., 20. id non dixit ut homo est, quia nisi ut est secunda persona divina habet auctoritatem dandi vel mittendi Spiritum Sanctum; ergo gratiam non influit in membra corporis nisi quatenus Deus, ac proinde nequit esse caput corporis mystici, quod est Ecclesia, inquantum homo.

CONTRA. [*Oxon.* ib. q. 2. n. 2.] Ioann., 3.: *Non enim dat Deus Spiritum ad mensuram,* Filio scilicet, et ibidem cap. 1. *De eius plenitudine omnes non accepimus.* Gratia non ad mensuram est gratia summa possibilis; plenitudo autem est, quia potest participari ab omni alia gratia secundum aliquem gradum; igitur cum eam plenitudinem habuerit Christus, ipse est caput Ecclesiae.

RESPONDEO dicendum, Christum esse caput Ecclesiae, a quo est omnis influxus gratiarum in membra. Nam [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] Christi Incarnatio non fuit occasionaliter praevisa a Deo, sed videbatur ut finis; Christus igitur in natura humana, cum sit caeteris omnibus propinquior fini, praedestinabatur fuitque volitus prius quam caeteri homines praedestinati. Tunc autem habebat plenitudinem gratiae, scilicet tantam quanta decebat Unigenitum Patris; igitur ipse est caput omnium electorum, habet enim plenitudinem gratiae, et est prius omnibus aliis praedestinatis. — *Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 10.] Ecclesiae corpus mysticum est unum per fidei unitatem, et fideles salvantur per fidem in Mediatorem. Unde ait Apostolus *ad Hebraeos,* 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Nam sicut fides de Creatore semper fuit necessaria ad salutem, ita fides in Redemptorem vel Mediatorem est necessaria ad salutem; igitur nemo potest salvari, nisi per fidem in Redemptorem; adeoque Redemptor iste est caput salvandorum, in quem tenemur credere, ut per ipsum Deus det nobis gratiam suam; meruit enim [*Oxon.* 3. d. 19. n. 8.] omnibus, qui primam gratiam accipiunt, collationem illius, adeo ut ibi non cooperetur voluntas nostra, nisi in adultis baptizatis, ubi requiritur aliqua bona dispositio voluntatis; idque fit potissimum in merito suo, meruisse scilicet non

coniunctos coniungi. Habet ergo proprissime rationem capitis, quia [*Miscell.* q. 4. n. 1.] sicuti in corpore naturali sunt multa membra naturalem colligantiam habentia, et virtute animae dirigentis et regentis, quod uni superfluit derivatur ad alia, ita in corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, sunt complures fideles, quorum Christus est caput dirigens et regens et influens dona supernaturalia ab se promerita, quorum ipse non indiget. — *Denique,* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] licet Deus de potentia absoluta possit conferre alicui alteri naturae assumendae, vel etiam non assumptae eamdem plenitudinem gratiae, de facto tamen alteri non contulisse, nec conferre posse, iuxta leges a sua providentia praefixas, debemus affirmare. Quia sicuti unum est in quocumque ordine supremum, ita et in Ecclesia non est nisi unum caput, scilicet ille, qui habet gratiae plenitudinem, et alius non est, quam Unigenitus Patris.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum, [*Oxon.* ib. n. 17.] esto summa natura non esset facta, non propterea negandum est id de summa gratia. Quia summa natura, si creata fuisset, non haberet influere in alias naturas inferiores, sicuti nec modo superior species in universo necessario influit in inferiores. Summum autem in gratia influit secundum esse gratiae in inferiora, et ideo maior est necessitas ponendi summum hic, quam in natura.

Ad secundum respondeo sic: [*Oxon.* ib.] quoniam in omni opere naturae manifestatur summa potentia et sapientia Dei producentis de nihilo, et idem habetur ex aequo in summa et in minima natura, in coordinatione naturarum non fuit necesse, ut conderetur summum, quo etiam producto, eamdem influentiam haberet Deus in omnia. At quia misericordia et iustitia, quae pertinent ad hierarchiam naturarum intellectualium quantum ad esse morale, non summe manifestantur in quocumque opere gratiae, summa enim misericordia non videtur summe manifestari, nisi dedisset sine ullis meritis summam gratiam, et gloriam alicui, sicuti de facto contulit Christo Domino, ideo efficere voluit summum gratum, quod scilicet mereri potuisset omnem gratiam, quae erat daturus aliis tamquam membris sub capite, quam etsi det immediate, recipientibus tamen non daret, nisi summum gratum pro illis eam meruisset.

Ad tertium dicendum, vere Christo dumtaxat, ut est secunda Persona Divina, competere missionem Spiritus Sancti, sicuti et creare gratiam, et infundere membris corporis mystici; sed quia gratia non largitur iisdem membris nisi intuitu meritorum Christi per assumptam humanitatem acquisitorum, vere quoque habet rationem capitis inquantum homo, cui Deus contulit gratiam non ad mensuram; ideoque omnes de illius plenitudine accipiunt, tamquam a capite sumentes sensum et motum vitae spiritualis. Unde [*Oxon.* 4. d. 19. n. 1.] Augustinus, *De Baptismo contra Donatistas,* lib. 5. *A peccato,* inquit, *non absolvit nisi columba, idest, Christus, vel membra Columbae,* significans, gratiam infundi quidem per Spiritum Sanctum, qua delentur peccata, sed per Christum, quia illam nobis promeruit. Ab ipso ergo tamquam a capite in membra perfunditur influentia gratiarum et caelestium donorum.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT HOMINUM QUANTUM AD CORPORA, VEL SOLUM QUANTUM AD ANIMAS.

Doctor, locis art. praec. adnot. — S. Thom. 3. *p. q.* 8. *art.* 2.

VIDETUR Christus non esse caput hominum quantum ad corpora, sed dumtaxat respectu animarum. Etenim [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] ex dictis *art. praec.* Christus est Ecclesiae caput, quatenus ab eo est influentia gratiarum in membra: sed membra non excipiunt eas influentias quantum ad corpora, quae caelestium donorum et gratiae incapacia sunt, sed praecise quoad animas, in quibus recipiuntur; ergo est Ecclesiae caput solummodo quoad animas.

2. PRAETEREA. Ex influxu huiusmodi bonorum supernaturalium a capite in membra corpora non roborantur, nec accipiunt aliquid emolumenti; imo interdum evenit [*Oxon.* 3. d. 30. n. 10.] ut affligantur, et tali ex afflictione aut persecutione electi quique proficiunt in virtutibus et gratiae incremento; unde Salvator exhortans ad fortiter ferendas persecutiones extrinsecas Tyrannorum, dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, et postea non habent amplius quid faciant.* Igitur influxus Christi capitis non pertingit ad corpora, sed solum est respectu animarum.

3. PRAETEREA. Si esset admittendus aliquis influxus istius capitis in corpora, maxime quia in Resurrectione corpora Beatorum perfundentur gloria, iuxta ipsorum capacitatem: sed hoc non convincit Christum habere capitis praerogativam quoad corpora; nam hanc excellentiam Christus obtinuit in primo instanti suae conceptionis: influxum vero illum in corpora non erat habiturus, nisi post resurrectionem; ergo non spectat ad rationem capitis Ecclesiae influere in corpora.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3.] Membra Ecclesiae militantis sunt homines merendi et demerendi capaces, anima et corpore consistentes tamquam partibus componentibus eorum naturam et essentiam; ergo cum Christus sit caput mysticum horum membrorum; oportet eius influxum ad ipsum hominem pertingere, non ad animas praecise, nec ad corpora, sed ad totum hominem, et subinde ad ipsius partes, ordine convenienti naturae partium earumdem.

RESPONDEO dicendum, Christum esse caput hominum, quoad animas et corpora, adeo ut in animas principaliter influat, in corpora vero minus principaliter, et in ordine ad animas. Ut enim dictum fuit *art. ultimo quaestionis antecedentis,* gratiae plenitudo in Christo sequitur ad gratiam unionis, tamquam natura posterior; itaque infuit illi gratia habitualis plenissima, quatenus natura humana erat unita hypostatice Verbo Divino; ergo eodem modo influit in membra eius, quatenus scilicet sunt homines spectantes ad Ecclesiae corpus. Homo autem non est solum anima, vel solum corpus, sed utrumque. Nam [*Oxon.* 2. d. 9. q. 2. n. 30.] anima non tantum unitur corpori, ut operetur circa corpus ut obiectum, sed unitur, ut totum compositum sit, cuius ipsa est pars, ita quod totum operans habet corpus non tantum pro obiecto, sed pro parte operationis. Quamvis ergo gratiae subiectum sit ipsa anima, et

in ipsam proprie et per se et primo influit caput, quia tamen datur ille influxus in ordine ad operationem, quae est totius, et non animae tantum, secundario influit etiam in corpus; quod [*Oxon.* 4. d. 49. q. 12. n. 5.] etsi non sit beatificabile beatitudine proprie dicta, sicut loquitur Augustinus, *ad Dioscorum,* quae scilicet est in actu intellectus et voluntatis, tamen est *secundum quid* beatificabile, sive illa beatitudo corporis sit immediate a Deo, sive ex redundantia beatitudinis animae. Totus enim homo meruit, [*Oxon.* ib. q. 13. n. 2.] et ideo totus erit beatus, eo pacto scilicet quo fuit ordo in merendo. Patet igitur qualiter influxus gratiarum a capite est principaliter in animas, secundario vero in corpora; quod erat declarandum.

Ad Argumenta. Ad primum concedo, influxum capitis per se primo respicere et recipi in animas, sed quia illae influentiae dantur in ordine ad operationes, quae sunt totius hominis, et non animae (quae a corpore seiuncta non est capax operationis meritoriae aut demeritoriae), consequenter et secundario spectant ad corpora, ut dictum est.

Ad secundum respondeo, bona supernaturalia gratiae dari potissimum in ordine ad gloriam finalem, et non intuitu commodorum praesentis vitae. Persecutiones itaque externae corporum patienter tolleratae faciunt ad exaltationem quoque ipsorum, in quibus sustinentur, quatenus amplior gloria redditur in Patria iis, qui revertuntur amplioribus meritis cumulati: influxus itaque gratiae supernaturalis, sine qua utiliter persecutiones ferri non possent, spectant quoque ad corpora, quatenus etiam retritutio ad eadem est perventura.

Ad tertium concedo, influxum Christi capitis spectare et se extendere ad corpora, ratione gloriae futurae. — *Et cum dicitur,* quia Christus excellentiam capitis obtinuit a primo suae conceptionis instanti; *respondeo,* verum esse, sed completive id eventurum post resurrectionem, quemadmodum iudiciariam quoque obtinuit potestatem, sed tamen complementum consequutus est per passionem, et exercitium eius perfectum erit in iudicio finali.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT OMNIUM HOMINUM.

Doctor, loc. cit. art. 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 8. *a.* 3.

Videtur Christus non esse caput omnium hominum. Caput enim dicitur per relationem ad membra, ex quibus et capite unum corpus constituitur: sed infideles non spectant ad Corpus Christi, quod est Ecclesia, cuius membra sunt dumtaxat fideles uniti inter sese, et cum capite per fidem et charitatem; ergo cum infideles non habeant fidem, et multo minus charitatem, non spectabunt ad hoc mysticum corpus, nec Christus erit eorum caput.

2. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 42. n. 12.] Corpus, cuius Christus ponitur mysticum caput, est Ecclesia, non habens maculam neque rugam, ut ait Apostolus, *ad Ephes.,* 5. idest carens omni inquinamento peccati: sed plerique hominum, etiam fidelium, multis gravantur peccatis et sceleribus; igitur horum Christus non est caput.

3. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 20. n. 24.] Si Christus esset caput hominum influens in ipsos ut in membra dona supernaturalia, id maxime esset per fidem et charitatem: sed fieri posset, ut omnes discederent et desererent rectam fidem, atque ita etiam charitatem; ergo tunc Christus non esset caput hominum: non videtur autem aliqua praerogativa attribuenda Christo, cum dependentia a vertibili voluntate hominum, praesertim cum suapte natura valde proni sint ad malum.

AD OPPOSITUM est resolutio *articuli primi,* unde Apostolus, 1. *ad Timoth.,* 4. *Est Salvator,* inquit, *omnium hominum, maxime fidelium.* Salvare autem homines, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] et redimere, nulli hominum, iuxta leges praefixas a Sapientia Divina, competere de facto potest, nisi ei, qui ob plenitudinem gratiae magis est Trinitati acceptus, quam displicuerint eidem omnium hominum peccata: id vero est esse hominum caput.

RESPONDEO dicendum, Christum revera esse caput hominum omnium, sed diversimode. Quamvis enim redemerit per passionem suam omnes homines, sitque proinde omnium Salvator, quemadmodum enim [*Oxon.* 3. d. 19. n. 1.] a reatu nullum liberum reperit, sic salvandis omnibus venit; non eodem tamen modo pro omnibus meruit, nec obtulit passionem suam Trinitati pari efficacia pro omnibus, nec fuit pariter eodem modo acceptata, alias omnes salvarentur, cum tamen constet plures damnari. Quoniam igitur [*Oxon.* ib. n. 6.] prius fuerunt electi ad gloriam praedestinati, quam fuerit passio Christi praevisa, exinde passionem eamdem Deus ordinavit in remedium peccatorum occasione lapsus Adae futurorum, quo pacto medicus prius vult sanitatem aegroto, quam ordinet praescribatque medicinam ad sanitatem inducendam. Christus enim praevidens passionem suam efficaciter esse offerendam Patri pro electis, sic eam efficaciter obtulit, fuitque Deo acceptata. Pro aliis autem, qui non fuerunt electi, obtulit quidem, sic ut eorum saluti consequendae satis fuisset; at quia futurum ex eorum malitia erat, ut damnarentur, nec efficaciter oblata, nec consequenter acceptata fuit. Cum igitur aliter ex hoc capite descendant influxus supernaturalium donorum in electos ad gloriam, atque aliter in eos, qui gloria aeterna non sunt potituri, diversimode est caput electorum, et non electorum. Ipsi quoque electi, qui divinae praeordinationis terminum attigerunt, quia inseparabiliter capiti Christo uniti sunt, aliter recipiunt ab ipso influxus, quam dum erant in via; et alio denique modo illi, qui per fidem ei uniuntur, atque ii, qui numquam ad fidei veritatem pervenerunt, vel ab ipsa defecerunt.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, quamvis infideles non sint uniti capiti Christo per fidem et charitatem, tamen esse membra Christi quamdiu sunt viatores, quia et ipsi possunt salvari per merita Christi. Is enim meruit gratiam et gloriam pro omnibus hominibus, etiam si fuissent infiniti; ex ratione enim suppositi infiniti, [*Oxon.* ib. n. 7.] cui uniebatur natura humana, habuit congruitatem, ut merita illa acceptarentur pro infinitis; quatenus igitur pro infidelibus Christus meruit, possuntque per Christi merita salvari, ut dictum est, sunt membra eius, sed in potentia. At cessante statu merendi, et potentia ad salutem consequendam, desinunt esse membra Christi.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 42. n. 12.] homines viatores, qui credunt in Christum, esse membra eius, quatenus ipsi capiti uniuntur

per fidem et aliqualem dilectionem; ideoque ipsa membra saepe inquinantur, quia non perfecte capiti uniuntur. In Patria vero erunt unita per visionem et perfectam fruitionem, evadentque membra sponsae non habentis maculam, neque rugam. De Ecclesia itaque triumphante est intelligendum dictum Apostoli, non de militante, de qua dictum est [*Oxon.* 2. d. 20. q. 1. n. 2.] per Ioann.: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

AD TERTIUM respondeo, Christi excellentiam non pendere a voluntate mutabili hominum, sed ex divina ordinatione, qua, ut ipse est omnium hominum caput constitutus, ita sancitum est, ne unquam [*Prologi,* q. 2. n. 9. — *Quodlib.* q. 20. n. 24.] inter homines desit fides sincera, et charitas, ut etiam in terris hoc caput influat in membra, ex quibus compactum est mysticum corpus Ecclesiae militantis, quod expresse constat ex verbis Christi Lucae, 22. *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.*

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS SIT CAPUT ANGELORUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 18. *et* 19. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 8. *a.* 4.

VIDETUR Christus non esse caput Angelorum. Etenim ideo ponitur caput hominum, quia meruit illis gratiam et gloriam: sed Angelis non meruit gratiam et gloriam; ergo non est caput Angelorum. *Probatur minor:* Christus meruit per mortem et passionem suam: sed non pro Angelis mortuus est et passus, sed propter nos homines, et propter nostram salutem; igitur non est Angelorum caput.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 1.] Christus secundum portionem superiorem erat perfecte beatus; ergo per nullum actum passionis eius potuit mereri, et per consequens meritum Christi prorsus est refundendum in portionem inferiorem, secundum quam potuit pati et mori, ac proinde quandoquidem venerit in carne passibili ad redimendum genus humanum, eius meritum ad Angelos non pertinet, nec ab ipso ullam influentiam excipiunt tamquam a capite.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Secundum doctrinam Dionysii, *De Angelorum Hierarch.* illuminationes bonorum Angelorum fiunt ordinate, prius enim superiores, deinde inferiores Angeli illuminantur: sed Christi anima est infima formarum intellectualium; ergo ab Angelis illuminatur, quia excellentioris naturae; et per consequens Christus non est Angelorum caput.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 21. q. 2. n. 10.] Homines et Angeli spectant ad unam civitatem et regnum Christi, unam efficientes congregationem, quam Apostolus pluries appellat corpus mysticum per comparationem ad corpus naturale: sed unius corporis decet unum esse caput; ergo Christus non solum hominum, sed etiam Angelorum est caput.

RESPONDEO dicendum, Christum esse caput Angelorum; nam per prius fuit volita unio naturae humanae ad Verbum Divinum, et praedestinatus Christus esse Filius Dei, ac fuerit volita gloria quorumcumque Angelorum. Omnis enim [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] ordinate volens, prius

vult finem, et ea, quae sunt fini immediatiora, et exinde ea, quae sunt ad finem. In illo igitur priori fuit volita animae Christi plenitudo omnium gratiarum, et donorum, ut nihil gratiae esset unica creatione creabile, quod non fuerit ei animae volitum, et reipsa collatum; igitur ex ea plenitudine descendit et accipitur quicquid supernaturalium donorum et gratiarum reperitur in omnibus inferioribus, idest, intuitu summi grati et immediate voliti post volitionem finis datur omne id per quod sunt Deo grata, omnia quae sunt gratiae et charitatis capacia. Igitur Christus est caput nedum hominum, sed etiam Angelorum, quia omnes per partes acceperunt, et accipiunt de plenitudine gratiae, vel praevisae, vel collatae Christo. Et hoc est, quod scribit Apostolus, *ad Ephes.*, cap. 1. *Constituens* (Christum scilicet) *ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, et omnia subiecit sub pedibus eius, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.*

Ad Argumenta. Ad primum concedo, Christum meruisse etiam Angelis gratiam et gloriam, idest Deum voluisse dare gratiam Angelis, qua gloriam mererentur intuitu meritorum Christi. Est enim eadem ratio de prima gratia data hominibus, et Angelis, et sicut in illis descendit de plenitudine Christi, ita in istis. In universis enim operibus Dei [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] non fuit aliquod opus mere gratiae, nisi Incarnatio Filii sui; ergo quia Angeli primam gratiam sibi promereri non potuerunt, data fuit illis ex meritis Christi. — *Et cum arguitur contra:* quia Christi merita fuerunt ex eius passione et morte, quam subivit pro genere humano, non pro Angelis; *dico,* [*Oxon.* 3. d. 18. n. 5. seq.] Christum habuisse alia merita, ac per passionem, nimirum per portionem superiorem, secundum quam summe dilexit Deum et proximum, sicuti habebat summam gratiam, et puto magis meruisse per huiusmodi actus dilectionis Dei, quam per passionem. Intuitu ergo horum meritorum dedit Deus primam gratiam Angelis, et reliqua dona, per quae pervenerunt ad coronam gloriae, ideoque merito est constituendus eorum caput.

Ad secundum, quae est instantia contra praemissam responsionem, concedo [*Oxon.* 3. d. 18. n. 5.-6.] Christi animam secundum portionem superiorem fuisse perfecte beatam; nego tamen propterea non meruisse; quia enim illa Persona non erat penitus extra viam, (fuit enim simul comprehensor, et viator) habebat aliquam circumstantiam specialem, ob quam poterat mereri, qua carentes alii beati, positi omnino in termino, facultatem merendi habere non possunt, iuxta leges a Divina Providentia praefixas. Et porro cum tali conditione praevisum fuisse Christum in primo instanti, ex eo constat, quia si praevisus fuisset prorsus in termino, et beatus secundum portionem inferiorem, nequaquam pro posterioribus signis eius passio et mors decerni a Deo potuissent, quippe qui modi omnino repugnant corpori glorioso.

Ad tertium concedo, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 20.] illuminationes bonorum Angelorum cum ordine mirabili fieri, ut primo superiores, postea inferiores illuminentur; sed tamen eas illuminationes non geri in caelesti Hierarchia secundum ordinem naturarum, bene tamen iuxta dispositiones gratiarum a Deo decretarum. Quia igitur in anima Christi, quamvis inferioris naturae, ac sint Angeli, est plenitudo gratiae, qualis scilicet decet

Unigenitum Patris, in ea incipiunt, et per eam perficiuntur Angelorum illuminationes.

ARTICULUS V.

UTRUM GRATIA CHRISTI, SECUNDUM QUAM EST CAPUT ECCLESIAE, SIT EADEM CUM GRATIA HABITUALI EIUS, SECUNDUM QUOD EST QUIDAM HOMO PARTICULARIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 9. — *d.* 13. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 8. *a.* 5.

VIDETUR gratia Christi, qua est Ecclesiae caput, non esse eadem cum illa, quam habebat ut homo particularis. Etenim per gratiam sanctificantem ille homo particularis est longe gratissimus et acceptissimus Trinitati: ut autem est Ecclesiae caput habet influere gratiam et dona supernaturalia in membra corporis mystici; ergo plurimum haec ab illa gratia distare videtur, ac proinde una non est eadem alteri.

2. PRAETEREA. Christus si non foret Ecclesiae caput, eamdem haberet gratiam personalem; ergo cum praeterea sit corporis mystici caput, alia est illi gratia attribuenda. *Probatur assumptum:* nam gratia illa personalis sequuta est de congruo unionem naturae humanae ad Verbum: sed prius praevidebatur eiusmodi unio, quam praeviderentur membra, in quae influeret; ergo etiamsi Deus non dedisset futuritionem aliis electis, quorum Christus esset caput, adhuc eamdem gratiam personalem habuisset; ergo gratia capitis est alia ab gratia sibi concessa ut homo particularis, cum hanc praerogativam in secundo signo acceperit.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 9. n. 9.] Christus est Ecclesiae caput iuxta Augustinum super illud Ioann., 15. *Ego sum vitis vera,* secundum illam naturam in qua et per quam est mediator generis humani: sed nisi mediator et Redemptor extitisset, adhuc foret plenus gratiae et veritatis, quia Unigenitus Patris; ergo per opus redemptionis alia est sibi gratia superaddita, qua valeat influere gratiam in Ecclesiam, quam redemit pretio magno, et Sanguine suo acquisivit.

CONTRA. Ex *art.* 12. *qu. praec.* gratia Christi animae collata tanta fuit, ut minime potuerit per additionem alterius augeri; ergo eamdem penitus oportet in eo esse gratiam personalem, et gratiam capitis.

RESPONDEO dicendum, gratiam habitualem, qua anima Christi sanctificata fuit, esse eamdemmet cum gratia capitis Ecclesiae. Etenim [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] gratia Christi personalis tanta fuit, ut maior creari una creatione non potuerit, nec ei ullus gradus ulterior superaddi; ergo per hoc quod constitutus sit Ecclesiae caput influens gratiam in homines et Angelos, nihil gratiae ei additum fuit, aut quicquam perfectionis acquisivit, imo magis perficit et prospicit suis membris, ut inter se et cum capite unita persistant, ut inde excipere valeant influentias caelestium donorum. Nam [*Oxon.* 1. d. 2. q. 7. n. 4.] in omni ordine agentium est status ad aliquod principium activum simpliciter perfectum in suo ordine, quod scilicet agens ex plenitudine perfectionis agit, et dicitur agens ex liberalitate, secundum Avicennam, 6. *Met. suae cap. ult.,* idest, non expectans aliquam perfectionem ex sua actione. Cum igitur Christus in linea gratuiti sit simpliciter perfectus, quia plenus gratiae et veritatis, quamvis

caeteri omnes de illius plenitudine accipiant, ac ipse in praesenti et futuro saeculo influat bona gratiae et gloriae, ex sui nihilominus perfectione agit liberaliter, nihil expectans per suam actionem retributionis, quod nempe faciat ad gratiae ulteriorem perfectionem; ergo evidens est unicam esse gratiam Christi, per quam est homo ille acceptissimus Deo, et habet rationem capitis Ecclesiae. Verumtamen [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 6.] arbitrandum non est Christum influere supernaturalia dona in membra corporis sui mystici effective et formaliter quatenus homo; id enim praestat praecise qua Deus, cuius solius est gratiam, aliaque id genus creare. Sed Christus sub ratione capitis habet influere moraliter et meritorie dumtaxat; quia enim [*Oxon.* 3. d. 19. n. 8.] meruit omnibus electis gratiam et gloriam, Deus intuitu eorum meritorium dat gratiam omnibus recipientibus eam, ut frequenter tactum est.

Ad Argumenta. Ad primum dico, ea ratione solummodo probari unam eamdemque gratiam fundare diversos respectus secundum dici; quia enim est summa gratia, ideo Christus est summe gratus Trinitati, et ob eamdem rationem quia sibi nihil mereri potuit, meruit pro aliis, quorum est constitutus excelsum caput.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 18. — 4. d. 2. q. 1.] quia Deus elegit hominem illum ad unionem hypostaticam, et ad summam gratiam, voluit ut de illius plenitudine omnes alii acciperent. Elegit ergo prae omnibus Christum, tamquam fini propinquissimum, sed alios videtur elegisse in eodem signo, in quo tamen praevidebantur ea obiecta ex natura eorum ordinata, et adhuc potuit Christus gratiam et gloriam omnibus promeruisse, quia actus dilectionis Dei in se ex summa charitate elicitus meretur, ut Deus aliis det bona supernaturalia, cum diligenti nequiret retribuere quicquam tale ob ipsius summam perfectionem independenter ab omnibus meritis acceptam.

Ad tertium dico: per passionem et mortem Christus nihil sibi promereri potuit, nisi forte executionem alicuius praerogativae iam acceptae in instanti suae conceptionis, et pro adimplenda carnis dispensatione hactenus suspensae. Unde [*Oxon.* 3. d. 18. n. 14.] omnia illa merita pro nobis Trinitati obtulit; ideoque omnium Redemptor et Salvator extitit, quamvis efficaciter pro solis electis ea fuerint acceptata, et pro iis dumtaxat a Christo oblata efficaciter. Quapropter erat omnium caput ante ipsam praevisam passionem ob gratiae plenitudinem, quae gratia, cum augeri nequiverit per passionis merita, est eadem omnino cum gratia capitis.

ARTICULUS VI.

UTRUM ESSE CAPUT ECCLESIAE SIT PROPRIUM CHRISTO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 13. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 8. *a.* 6.

Videtur esse caput Ecclesiae sic Christo convenire, ut etiam competat aliis. Nam eatenus Christo attribuitur ratio capitis Ecclesiae, quatenus influit in membra ipsius corporis mystici: sed etiam alii a Christo habent influxum seu potestatem super idem mysticum corpus; ergo pariter et aliis a Christo competit ratio capitis Ecclesiae. *Probatur minor:* quia [*Oxon.* 4. d. 21. q. 2. n. 5. — d. 19. n. 4.] Sacerdotes ordinati iuxta claves

Ecclesiae in persona propria sententiant et absolvunt a peccatis membra corporis istius mystici; ergo habent capitis praerogativam; nam qui iudicat membra corporis, illis praesideat oportet, ac proinde esse illorum dominum et caput.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 20.] In omni Politia actus principales ad ipsam Rempublicam spectantes exercentur, et sunt personae alicuius principalis in illa Politia a qua caeteri pendent, gubernantur, et reguntur: sed actus principalissimus in Ecclesia est conficere corpus Christi verum spectans ad solos Sacerdotes; ergo Sacerdos in Ecclesia persona est principalis, ac proinde habet capitis rationem respectu aliorum, quemadmodum et Principes Rerumpublicarum Rectores.

3. PRAETEREA. [*Miscell.* q. 4. n. 12.] Multorum Martyrum et Sanctorum tanta extiterunt merita in via, ut de iis confletur Ecclesiae thesaurus, cuius dispensatio commissa est Ecclesiae Praelatis; igitur horum virtute directiva derivantur merita Martyrum in fideles, ut ipsis sint satisfactoria poenarum peccatis debitarum; igitur non solummodo merita Christi applicantur pro satisfactione poenarum fidelibus, sed etiam aliorum Sanctorum; igitur etiam istis competit ratio capitis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 19. n. 5. seqq.] In Ecclesiastica Hierarchia unus est Hierarcha summus visibile caput omnium fidelium; ergo pariter et invisibilis Hierarchiae unum oportet esse supremum caput, cuius est imago et vicesgerens Hierarcha visibilis. *Probatur consequentia:* nam per hoc quod omnia ordinantur in Ecclesiastica Hierarchia ad unum, membra ad invicem communicant, quibuscum recte agitur, quia hac ratione apposite admodum disponuntur, secus eventurum si biceps haec respublica foret. Sed Hierarchia invisibilis longissimo intervallo praecellit isti quae oculis obiicitur; ergo multo magis debent esse omnia optime ibi disposita, ut optime gubernentur et dirigantur; unus est ergo ipsius Princeps et invisibile caput.

RESPONDEO dicendum: [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] quoniam de potentia ordinata Dei, (uti dictum fuit, *qu. anteced. art.* 10.) non potest fieri alia gratia aequalis gratiae collatae Christo Domino, cum ipse sit caput Ecclesiae, ex illa plenitudine gratiarum, quae decet Unigenitum Dei, sequitur habere hanc dignitatem capitis esse taliter proprium Christo, ut nequeat alicui alteri de potentia ordinata tribui. Nam sicuti non possunt esse duo suprema in uno ordine, sic nec duo capita in Ecclesia, cum satis sit unum, a quo dimanent omnes influxus gratiarum, per quas membra et inter se et cum ipso capite mirabiliter colligantur, alioquin influxum capitis non exceptura, quemadmodum dirigi et regulari a capite nequeunt ea membra, quae vel sunt ab aliis separata, vel cum ipso capite non nectuntur, prout exigit recta corporis dispositio ac membrorum symmetria. — At loquendo de *exteriori* gubernio, [*Oxon.* 3. d. 35. q. 1. n. 6. seqq.] sunt in Ecclesia multi qui praeficiuntur aliis per Praefectos instruendis in fide verbo veritatis et exemplo honestatis, quos in suo ordine non incongruit appellare capita, quae sub Christi Vicario Romano Pontifice continentur. De hoc [*Quodlib.* q. 20. n. 16.] potest accipi illud 7. *q.* 1., et notat Hieronymus ad Rusticum Monachum: *In Apibus Princeps unus est. Grues sequuntur unam; Roma autem condita duos fratres Reges simul habere non potuit.* Et sequitur: *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archidiaconi, et omnis Ecclesiasticus ordo suis Rectoribus regitur.* Haec ille. Nec

tantum requiruntur Rectores in Ecclesia pro corrigendis erratis, sed etiam ad reconciliationem faciendam peccatorum per orationes Ecclesiae, et hostiam salutarem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, Sacerdotes in Christi Ecclesia, quatenus Sacramenta veracia conferunt, et fideles ad eorum susceptionem rite recipiunt, esse ministros Christi et dispensatores misteriorum Dei; continentur igitur sub capite Christo, quatenus vel Eucharistiam conficiunt, vel super corpus mysticum Ecclesiae sententiam sacramentaliter ferunt. Ut vero sunt Ecclesiarum Rectores, vel Provinciarum curam gerunt, ut Episcopi, Pontifici subduntur Romano, Christi altissimi Vicario in terris.

AD SECUNDUM, concedo Sacerdotes tenere gradum excellentem in Ecclesia, et exercere actus nobilissimos super corpus Christi verum et mysticum; nec ea de causa esse Principes et capita fidelium et inferiorum, quibus ii actus competere nequeunt, sed pertinere tamen ad externum Ecclesiae gubernium, ut dictum est.

AD TERTIUM respondeo, Christum contulisse Praelatis Ecclesiarum dependenter a Pontifice Romano potestatem dispensandi de Ecclesiae thesauro, quo conduntur merita Christi, et ea pariter, quae quasi superfuerunt Sanctis; idque pertinere ad Ecclesiae gubernium et administrationem Sacramentorum, in quibus tamen Christus est influens gratiam, et condonans poenas debitas culpis, ut omnium caput et invisibilis Princeps, cuius curae et providentiae commissa est Ecclesia, quam acquisivit Sanguine suo.

ARTICULUS VII.

AN DIABOLUS SIT CAPUT OMNIUM MALORUM.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 37. — *d.* 5. *q.* 2. — *d.* 11. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 8. *a.* 7.

VIDETUR diabolus non esse caput omnium malorum. Nam iuxta dicta in antecedentibus *in hac quaestione,* ad rationem capitis spectare praesertim putatur ut influat in membra, quorum est caput: sed diabolus non videtur hunc influxum in omnes malos exercere; ergo nec omnium malorum debet appellari caput.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 8. n. 12.] Angelis malis non permittit Deus intueri cordium secreta, quamvis possent ea attingere; ergo diabolus non influit in peccata, quae homines in cordis secreto committunt, ac proinde non est caput omnium malorum.

3. PRAETEREA. Si diabolus foret caput malorum omnium, maxime quia Adam induxit ad peccandum, quo ex peccato originem traxerunt omnia mala: sed etiam mulier cooperatæ fuit ad lapsum Adae, [*Oxon.* 2. d. 21. q. 2. n. 1. et 4.] imo potiorem influxum videtur habuisse, secundum Magistrum, 2. d. 22. litt. E. *quia Adam exteriori tentatione,* inquit, *pulsatus cecidit, tanto gravius plectendus erat.* Exterior autem ea tentatio a muliere fuit, secundum Augustinum, 12. *sup. Gen., cap. ult.* ergo prima mulier quoque foret dicenda caput malorum, si diabolo capitis rationem attribuamus.

CONTRA. [*Oxon.* 2. d. 5. q. 2. n. 17.] *Diabolus homicida erat ab initio, et in veritate non stetit,* Ioann., 8. Ergo princeps est et caput omnium malorum.

RESPONDEO dicendum, diabolum non esse caput malorum hominum, et Angelorum, sic ut influat formaliter et directe aliquo modo malitiam in illos. Nam [*Oxon.* 2. d. 37. q. 2. n. 19.] licet diabolus esset creaturarum nobilissima, quae ex eo, quod caret perfectione sibi proportionata diceretur summum malum, quatenus est status in malo, scilicet ad unum bonum creatum, carens summa perfectione sibi conveniente; nihilominus ab hoc malo summo non essent mala particularia positive, nec positivum a positivo, neque privatio a privatione. Non influit igitur summum malum in mala particularia directe et formaliter, scilicet per modum capitis; quia malum formaliter est carentia rectitudinis, quae deberet inesse actui, cui inest obliquitas; igitur praecisa et omnimoda causa mali ea profecto dicenda est, quae non causat rectitudinem in actu, seu actum non elicit secundum rationem rectam, ut oporteret; id vero non est nec fieri potest ab alia causa extra voluntatem creatam, quia tunc malum non esset, si in eius potestate non foret, idest, nisi aliter facere posset. — Sed loquendo de capite, ut importat rationem externae gubernationis et regiminis, diabolus est caput omnium malorum, quos inducere et allicere ad perpetrandum malum non cessat. Nam [*Oxon.* 2. d. 5. q. 2. n. 17.] homicida est ab initio, et in veritate non stetit, Ioann., 8. quod explicans Augustinus super Gen., lib. 11. cap. 16., inquit: *Quod ab initio homicida fuit, et in veritate non stetit, quia ex quo homo conditus fuit, ipsum per invidiam in mortem praecipitavit.* Quia ergo diabolus primus omnium peccavit, exemplo suo provocans, et assiduis suggestionibus peccata affricare hominibus contendens, recte dicitur caput esse omnium malorum. Ideo [*Oxon.* 2. d. 11. n. 8.] nobis est data assistentia bonorum Angelorum, secundum Hieronymum super illud Matthaei, 18.: *Angeli eorum semper vident faciem Patris. Quia*, inquit, *etsi nil aliud facerent, tamen custodiunt nos a multis impugnationibus daemonum.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: propterea quod diabolus per invidiam hominem praecipitavit in mortem, ut ait August., in illo primo homine totum genus humanum mortis sententiam subivit, et revera in ipso peccante originali culpae obnoxium fuit. Quem ergo influxum diabolus in primum hominis peccatum exercuit, videtur quodammodo processisse et extendisse in totius generis humani massam damnatam. Quamvis igitur causa ipse non sit omnium malorum quae actualiter ab hominibus committuntur, quia tamen originem omnia trahunt a culpa originali, et in haec eadem ille videtur causaliter et originative influere.

Et per hoc patet responsio AD SECUNDUM.

AD TERTIUM dicendum, [*Oxon.* 2. d. 21. q. 2. n. 4.] Evam peccasse, et quidem viro gravius, et ad peccandum Adamum pellexisse non ad malum intendentem, nec exitium viro sibi et posteris creare putantem, sed levitate quadam animi, insolita quaedam et impossibilia appetendo, et diaboli suggestionibus fidem praestando, seductam in mortem sese praecipitasse. At diabolum ex certa malitia fraudibus mulierem circumvenientem, ad rebellandum Deo una cum viro adduxisse. Hunc igitur solum esse appellandum caput malorum, non tantum quia omnium primus Dei mandata contempsit, sed etiam quoniam malus ad malum intendens, ut peccato inobedientiae se primus homo innodaret, et una pro omnibus iustitiam originalem ammitteret nequiter effecit.

ARTICULUS VIII.

UTRUM ANTICHRISTUS POSSIT ETIAM DICI CAPUT OMNIUM MALORUM.

Doctor, Oxon. Prol. q. 2. — 4. *d.* 4. *q.* 9. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 8. *a.* 8.

RESPONDEO, Antichristum ob excellentem malitiam et singularissimam nequitiam posse dici caput omnium malorum. Nam [*Oxon. Prol.* q. 2. n. 11. seqq.] Antichristus erit hominum tristissimus et nequissimus, et malis daemonum artibus, quibus erit familiarissimus, faciet tot signa et prodigia, ut si fieri posset, ut ait *in Evangelio* Salvator, perverteret etiam electos; sed et sedebit in templo et ambiet adorari ut Deus, ob quod atrocissimum scelus appellat eum Apostolus, 2. ad Thessal. *hominem peccati, et filium perditionis.* Eique [*Oxon.* 4. d. 4. q. 9. n. 2.-3.] hominum pessimo in fine mundi adhaerebunt Iudaei, veluti membra capiti, ut praedixit Christus, Ioann., 5. *Ego,* inquiens, *veni in nomine Patris mei, et non recepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis.* Sed et adversus Christi Ecclesiam, Evangelium et Sacramenta excitabit longe acerbissimam et cruentissimam persecutionem, quippe cui nulla similis extiterit nec sit futura; eumque inhabitabit Sathanas corporaliter, ut *inquit Hieronymus,* non quidem informando corpus eius, sed instigando ad opera mala, quorum erit solertissimus inventor et potentissimus executor; donec post tempora et tempus, et dimidium temporis, idest expletis in sathannico suo principatu ac totius orbis monarchia tribus annis cum dimidio, interficiet eum Dominus Iesus Spiritu oris sui.

QUAESTIO NONA.

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMUNI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de scientia Christi. Circa quam duo consideranda sunt: *primo,* quam scientiam Christus habuerit: *secundo,* de unaquaque scientiarum ipsius.

Circa primum quaeruntur quatuor.

1. Utrum Christus habuerit aliquam scientiam praeter divinam. - 2. Utrum habuerit scientiam, quam habent Beati vel Comprehensores. - 3. Utrum habuerit scientiam inditam, vel infusam. - 4. Utrum habuerit aliquam scientiam acquisitam.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT ALIQUAM SCIENTIAM PRAETER DIVINAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 9. *a.* 1.

VIDETUR in Christo non fuisse aliam scientiam praeter divinam. Nam si Christus ultra divinam alia scientia praeditus diceretur, utique id esset

ne in ipso aliqua ignorantia locum habere posset: sed etiamsi nullam aliam scientiam praeter divinam habuisset, adhuc omnis ignorantiae expers fuisset; ergo superflue in ipso aliqua alia scientia adstruitur. *Probatur minor:* quia Christus per scientiam divinam sciebat omnia.

2. PRAETEREA. Potentia perfecta non potest in proprium actum, in quocumque supposito reperiatur, nisi ob imperfectionem, quia scilicet caret proprio actu, et ideo augmentativa in Beatis nullum potest habere actum; ergo quamvis Christus habuerit potentiam intellectivam perfectam, secundum quam eas scientias habere poterat, quas alii intellectus creati; quia tamen erat in supposito perfectissimo, habebatque proprium actum, quo attingebat omnia, citra hanc scientiam nullius alterius fuit capax.

3. PRAETEREA. Quando duo agentia concurrunt ad aliquem effectum, ex hypothesi quod unum illorum possit supplere vicem alterius, minor perfectio requiritur in alio, et nulla est necessaria, si penitus suppleat: sed in eadem Persona Christi est intellectus divinus et humanus tamquam duae causae sciendi sibi; et divinus scit omnia, per quem Persona illa est omnisciens; ergo supplet omnem scientiam seu causalitatem, quam humanus intellectus esset habiturus respectu obiectorum scibilium.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Christus nullam assumpsit ignorantiam, secundum Magistrum, 3. d. 15. cap. 2. quia nobis non expediebat tali defectui eum esse obnoxium: si vero caruisset omni alia scientia a divina, profecto ignorantiae defectum assumpsisset; igitur praeter divinam aliam scientiam habuit.

RESPONDEO dicendum, ultra scientiam divinam, Christum habuisse alias scientias, de quibus in sequentibus. *Declaratio:* [*Oxon.* 3. d. 14. n. 4.] actus intelligendi est perfectionis in intellectu creato; cum enim de se non habeat perfectionem omnium intelligibilium, atque ipse sit passivus respectu cuiuscumque obiecti intelligibilis, carere tali perfectione sibi possibili, et apprime convenienti est in eo imperfectionis. Quoniam ergo debemus attribuere intellectui animae Christi omnem possibilem perfectionem, quae sibi non repugnat, cuiusmodi est intelligere et nosse obiecta intelligibilia, modo naturaliter conveniente ipsi potentiae intellectivae, sequitur Christum, ultra scientiam divinam, etiam scientiam creatam habuisse.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, *minorem* esse falsam. — *Et cum probatur,* quia intellectus animae Christi per scientiam divinam sciebat omnia; *respondeo,* intellectum animae Christi per scientiam divinam non novisse omnia nisi denominative, quatenus natura humana cuius erat intellectus hypostatice uniebatur Verbo divino scienti omnia. Verumtamen ille creatus intellectus omni scientia propria destitutus sub maxima extitisset imperfectione; tantum enim dedecebat ipsum non attingere scibilia modo sibi naturaliter proprio et convenienti, quantum in perfectiori gradu reperiebatur sublimatus.

AD SECUNDUM respondeo, scientiam divinam non fuisse, nec esse actum potentiae intellectivae animae Christi, sed potius operationem intellectus Divini, ideoque praeter hunc, quia Christus verissime habebat naturam humanam, corpore et anima rationali constantem, anima illa secundum partem intellectivam caruisset perfectione sibi competente, si propriam scientiam attingibilem viribus naturalibus ipsius caruisset, postquam in speciebus infusis erant sibi praesentia in ratione obiectorum intelligibilium.

AD TERTIUM patet ex dictis *ad primum;* quia stante in divino intellectu scientia infinitorum obiectorum, per quam Persona Verbi est omnisciens, et etiam natura humana sibi unita denominative, quia tamen scientia est perfectio ultimata potentiae intellectivae sibi inhaerens, nisi humanus intellectus habuisset propriam scientiam, et notitiam competentem sensibilium, sub maxima fuisset imperfectione. Unde *minor* subiuncta est neganda; tantum enim abest, ut illi duo intellectus, quamvis unius personae, sint duae causae respectu eiusdem effectus; imo quisque in suo ordine est causa completa et adaequata attingendi obiecta ipsis respective praesentia modo iisdem proportionato et naturali.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT SCIENTIAM, QUAM HABENT BEATI VEL COMPREHENSORES.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 2. *et* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 9. *a.* 2.

VIDETUR Christus non habuisse scientiam Beatorum. Etenim talis scientia in Christo foret perfectissima omnium aliarum, si reliqua omnia ponantur in Christo attingere supremam perfectionem possibilem: sed [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 1.] hoc esse nequiit, secundum Augustinum, 83. qq. q. 32. dicentem: *Eamdem rem non posse alium alio plus attingere, non est dubitandum.* Quod et probatur ab ipso hac ratione: nam quisquis aliquam rem aliter, quam illa res est intelligit, fallitur, omnis enim qui fallitur illud, in quo fallitur, non intelligit; ergo qui intelligit rem aliter ac est, non eam intelligit, ac proinde nequit quicquam intelligi, nisi quomodo est; igitur nequit intellectus animae Christi perfectius videre Verbum, quam quaecumque alia anima; et per consequens ipse non habet scientiam Beatorum, quae nequit in illo esse perfectissima, sed aliam hac excellentiorem.

2. PRAETEREA. Scientia Beatorum spectat ad rationem saltem extensivam beatitudinis: sed Christi beatitudo tantum antecellit beatitudini aliorum comprehensorum, quantum praestat caput caeteris membris corporis; ipse enim est caput omnium hominum et Angelorum; ergo altior scientia congruit Christo, quam sit scientia Beatorum.

3. PRAETEREA. Christus est Deus substantialiter: sed Deus non habet scientiam Beatorum, quae inest ipsis ex eo quod Deus voluntarie se intellectui eorum ostendit; ergo Christus caruit scientia Beatorum, quia habet scientiam divinam.

CONTRA. Christus secundum quod homo videt Deum, cui est natura illa humana hypostatice unita; sed scientia Beatorum consistit in Dei visione; ergo Christus habet scientiam Beatorum.

RESPONDEO dicendum, Christum habuisse scientiam Beatorum, et quidem perfectissimam. Etenim anima ipsius Christi in primo instanti suae conceptionis fuit perfecte beata: etsi autem beatitudo intellectualis creaturae formaliter non ponatur consistere in visione obiecti beatifici, nihilominus necessario ipsam praerequirit; ergo fieri non potuit, ut Christi anima Dei essentia frueretur, quin haberet scientiam Beatorum, vel visionem obiecti beatifici, in quo beatificatur. — *Deinde,* anima illa Christi

quo ad partem intellectivam poterat habere hunc actum intuitive videndi Deum, cui uniebatur; si ergo tale obiectum non attigisset, ad quod maxime inclinabatur, caruisset praecipua perfectione, cuius erat capax, quave maxime poterat perfici, atque ita extitisset sub maxima imperfectione; cum autem Christus fuerit expers omnis imperfectionis, debuit habuisse scientiam Beatorum. — *Denique,* anima illa ab initio suae creationis potita est fruitione Dei perfectissima, tantae nimirum perfectionis, quantae erat capax aliqua creatura; ergo pariter tantam habuit visionem et scientiam Beatorum, quanta potuit tribui alicui intellectui creato.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 5. — *Report.* ib. n. 12.] dictum Augustini posse exponi per illud, 2. *Physicor.,* text. com. 18. *Abstrahentium non est mendacium.* Abstrahens enim non intelligit rem aliter ac in se sit, licet intelligat rem aliter esse, ac est; adeo ut alietas in abstractione determinet suam intellectionem, dicatque modum intelligendi, non vero determinet obiectum, vel implicet modum ipsius obiecti. Consimiliter cum ait Augustinus: qui intelligit rem aliter ac est fallitur; falli enim est intelligendum si aliter determinet obiectum; at non falli, si determinet actum intelligendi; tunc enim sensus est, intelligi obiectum sub aliqua ratione sibi competente, licet non intelligatur secundum omnem rationem, quam habet ipsum obiectum: nam per se notum videtur unum intellectum posse plus intelligere, vel perfectius attingere obiectum, quam alium intellectum; actum scilicet unius posse esse intensiorem actu alterius respectu eiusdem obiecti: neutrum autem falli certum est, sed tantum unum clarius altero videre.

Ad secundum concedo, visionem obiecti beatifici spectare sic ad beatitudinem, ut sine ea nemo possit esse beatus.—*Et cum dicitur,* Christi beatitudo excelsior est beatitudine cuiusvis alterius; *concedo,* quia eius gloria est quasi Unigeniti a Patre, et exinde solummodo potest inferri visionem Divinae Essentiae in Christo esse excellentissimam, attamen ea intellectus creati est, et similis scientiae Beatorum, quia sicuti caeteri Beati sunt tales ex visione et fruitione Dei, ita et anima Christi, esto ipse sit caput omnium comprehensorum.

Ad tertium dico, Christum ita esse substantialiter Deum, ut sit etiam verus homo. Quatenus ergo verus homo non habet scientiam divinam, sed propriam potentiae intellectivae creatae, sine qua foret in ipso imperfecta. Et quoniam Deus, quamvis hypostatice unitus illi humanitati, adhuc voluntarie se illi ostendit, proinde ut caeteris Beatis, Christus ut homo habet scientiam Beatorum.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT SCIENTIAM INDITAM VEL INFUSAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 9. *a.* 3.

Videtur Christus non habuisse scientiam inditam, vel infusam, qua cognoscere potuerit scibilia, ut sunt in se, vel in genere proprio. Nam [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Lucae 2. legitur: *Iesus proficiebat aetate, et sapientia coram Deo et hominibus.* Sed si habuisset scientiam infusam proficere non potuisset aliquid sciendo de novo. Nec iuvat dicere, pro-

fecisse secundum humanam apparentiam, et non secundum rei veritatem, quia Ambrosius, *De Incarnationis Dominicae Mysterio,* cap. 7. concludit aliquem alium sensum a divino in Christo, ex eo quod secundum aliquem sensum profecit, qui nequiit esse sensus divinus. Quae sane probatio non concluderet, si intelligeretur de profectu secundum apparentiam, quia etiam secundum intellectum divinum potuisset in dies magis magisque ostendere hominibus suam sapientiam.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Christus fuit nobiscum Viator; igitur habuit cognitionem scientificam competentem Viatori: sed haec secundum *Philos., 1. Meth., et 2. Post. in fine,* est ex multis actibus et experientiis; ergo talem quoque cognitionem habuit Christus, et non infusam.

3. PRAETEREA. In Christo fuit scientia beata, qua attingebat divinam Essentiam *ex art. antec.;* ergo non potuit fuisse in eius intellectu aliqua alia scientia. *Probatur consequentia:* quia visio divinae Essentiae erat eius potentiae intellectivae adaequatissima; igitur non erat capax alterius scientiae; tunc enim visio beata non ei extitisset plenissime adaequata.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Angeli per species ipsis infusas noverunt essentias rerum; ergo multo magis anima Christi, quae fuit perfecta summa perfectione, supernaturali pariter et naturali.

RESPONDEO dicendum, Christi animam habuisse scientiam infusam. Etenim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 4.] nosse abstractive per species infusas rerum quidditates est perfectionis in intellectu creato, ipse enim est passivus respectu cuiuscumque obiecti intelligibilis; cum enim non habeat in se perfectionem omnium intelligibilium, quia tunc de necessitate esset actus purus, nisi attribueretur sibi perfectio intelligibilium per species infusas repraesentantes eorum quidditates, quas Angelis fuisse infusas fert communis sententia, intellectus ille esset sub maxima imperfectione, quia habere huiusmodi species infusas non est imperfectio in eo, imo magna perfectio, ut dictum est, nec ita cognoscere rerum quidditates sit quid impossibile cognitioni in Verbo, quia secundum Augustinum, 4. *super Genes.,* cap. 23. simul stat cognitio in Verbo, et cognitio eiusdem obiecti in proprio genere.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, vere Christum profecisse aetate et sapientia, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 8.] non solum quoad humanam apparentiam, sed secundum rei veritatem, non quia acquisierit cognitionem abstractivam aliquorum obiectorum, quia quantum ad hoc nihil profecit, nec alterius obiecti speciem intelligibilem eius Essentiam repraesentantem de novo habere potuit; bene tamen profecisse secundum cognitionem intuitivam tam actualem, quam habitualem.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 8.] processum illum a Philosopho assignatum quoad cognitionem intuitivam esse in nobis necessitatis, quia alio ordine in nostro intellectu talis notitia innasci nequit, sed non quoad cognitionem abstractivam. Et ita profecto evenisse in Christo concedendum est, quia quoniam fuit nobiscum viator, secundum cognitionem intuitivam profecit eo ordine quo dicit Philosophus. At quia abstractiva cognitio potest haberi non tantum per species abstractas a rebus, sed etiam a Deo infusas, ideo non necessario talis notitia oritur ex actibus experimentalibus.

AD TERTIUM *nego consequentiam;* quia, ut tactum est *in solutione,*

cognitio in Verbo et in genere proprio eiusdem obiecti sese ad invicem compatiuntur secundum Augustinum. — *Et cum probatur,* quia visio beata est intellectui animae Christi adaequatissima; *respondeo,* [*Oxon.* 3. d. 18. n. 17.] esse adaequatam intensive, quatenus scilicet perfectiorem habere nequit; at non adaequari illi extensive, sic nimirum ut aliam minus perfectam habere non possit; alioquin nemini beatorum quicquam in proprio genere cognoscere liceret, quod non est probabile.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT ALIQUAM SCIENTIAM ACQUISITAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 9. *a.* 4.

VIDETUR Christus non habuisse aliquam scientiam acquisitam. Nam scientiam abstractivam quidditatum rerum scibilium non acquisivit, sed accepit a Deo infundente species sibi ab instanti suae conceptionis, ut accepisse dicuntur Angeli: sed neque intuitivam acquisivisse ponendum est; ergo nullam habuit scientiam acquisitam. *Probatio minoris:* Christus habuit scientiam abstractivam per species intelligibiles sibi a Deo infusas: sed etiam fieri potuit, ut sibi darentur species repraesentantes rerum essentias, ex quibus cognoscerentur ipsa obiecta intuitive; quia nulla est repugnantia Deum infudisse illi animae species omnium cognoscibilium; multo enim maiora largitus est ei; ergo existimandum est ita factum fuisse.

2. PRAETEREA. Cognitio perfecta et imperfecta eiusdem obiecti repugnat in eadem potentia, quia adveniente cognitione perfecta evanescit imperfecta, et resolvitur in perfectam, ut minor lux in lucem maiorem, a qua tenuior et remissior absorbetur: sed scientia acquisita rerum est imperfecta, et notitia eorum obiectorum in Verbo est perfectissima; ergo non stant simul: sed Christi intellectus creatus videbat omnia in Verbo per scientiam beatam; ergo nullius obiecti de novo cognitionem acquirere potuit.

3. PRAETEREA. Sicut Christus habuit plenitudinem gratiae, ita obtinuit a Deo scientiam plenissimam, iuxta illud Ioann., 1. *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis.* Sed per hoc quod habuit gratiae plenitudinem, nulla est ei gratia suspendenda; imo de eo procedit, tamquam a fonte omnis gratia in Ecclesiam; ergo pariter neque ullius scientiae novae fuit capax; alioquin enim non fuisset donatus plenitudine scientiae, et proinde habere nequiit aliquam scientiam acquisitam.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Lucae, 2. *Iesus proficiebat aetate et sapientia coram Deo et hominibus.* Et ad Hebraeos, *didicit,* inquit, Apostolus, *ex his quae passus est obedientiam.* Si igitur aliquid didicit, profecto habuit scientiam acquisitam.

RESPONDEO dicendum, Christum habuisse scientiam acquisitam, non per actus abstractivae cognitionis (de qua actum est *art. praec.*), sed intuitivae. Ea porro intuitiva cognitio [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 6.] est de natura, vel singulari, ut concernentibus actualem existentiam; et est duplex, perfecta scilicet, quae est de obiecto ut praesentialiter existente,

et imperfecta, qualis est opinio de futuro, vel memoria de praeterito. Et quoad intuitivam *perfectam,* Christum acquisivisse sibi scientiam, *probatur:* quia secundum hanc notitiam intellectus animae Christi non noverat omnia in genere proprio, et habitualiter in Verbo; igitur quando cognovit aliqua, ut praesentialiter existentia, novam scientiam sibi acquisivit. *Probatur assumptum:* Christus non habuit cognitionem, quae terminaretur ad res omnes secundum se existentes; quia multae nec fuerunt, nec erunt; neque habuit cognitionem terminatam ad aliquid in quo potuerit intueri omnia, ut existentia, praeter cognitionem beatam: haec autem etsi possit vocari intuitiva, non est tamen cognitio rerum in proprio genere; non enim est nata sic cognosci sessio Petri, nisi esset praesens in se; igitur Christus non habuit cognitionem intuitivam perfectam de omnibus in proprio genere, cum multa obiecta non fuerint, nec potuerint esse praesentia illi intellectui secundum existentiam actualem illorum. — Nec [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 6.] huiusmodi obiecta existentia, quatenus talia, potuit nosse per species infusas. Nam species intelligibilis infusa repraesentat obiectum, ut abstrahit ab actuali existentia: etenim eodem modo repraesentat, seu existat seu non existat; ergo talis species nequit esse ratio cognoscendi existens, ut existens. — *Ulterius,* multas veritates contingentes novit illa anima, sed non potuit eas didicisse per species intelligibiles sibi infusas; ergo per scientiam acquisitam. *Minor probatur:* quia esto complexiones necessariae includantur in rationibus ipsorum terminorum, qui in speciebus relucent; nihilominus in iisdem terminis vel speciebus abstrahentibus ab actuali existentia, non includuntur complexiones contingentes, quae actualem existentiam concernunt: praecisa enim actuali existentia, nusquam contingentia intelligitur in entibus; igitur anima Christi non novit omnia cognitione intuitiva perfecta in genere proprio per species infusas, sed secundum hanc proficiebat perinde ut caeteri homines.

Quantum etiam attinet ad cognitionem intuitivam *imperfectam* [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 6.] quae est de praeterito, non scivit omnia in genere proprio, ac proinde secundum hanc scientiam pariter profecit. Etenim illa cognitio imperfecta praesupponit cognitionem intuitivam perfectam de iisdem obiectis, quorum quis recordatur; ergo cum non noverit omnia praesentia in proprio genere cognitione intuitiva perfecta, neque imperfecta. Atque idem pariter dicendum de imperfecta intuitiva, quatenus est futurorum; nam futura non poterant movere ad cognitionem intuitivam, quia non aderant intuenti, nec aliquae eorumdem species infusae; quae species, quemadmodum non poterant causare cognitionem intuitivam perfectam de obiectis praesentibus quoad complexiones contingentes, si ad eademmet non esset cognitio terminata; ita absque concursu obiectorum futurorum aliquae species nequibant movere ad cognitionem eorum. Caeterum si cognoscebantur futura ab intellectu animae Christi in divina Essentia, aut per revelationem, non erat cognitio intuitiva in proprio genere.

Ad Argumenta. Ad primum [*Report.* 3. d. 14. q. 3. n. 12.] dicendum, fieri non potuisse, ut darentur animae Christi species, quibus ab ea cognoscerentur obiecta intuitive, quoad cognitiones contingentes in proprio genere, est enim contradictio aliquid intuitive cognosci in genere proprio, et non esse praesens intellectui sic cognoscenti in sua naturali existentia. Cum igitur species eodem modo repraesentent obiecta, sive existant, sive non;

in ipsorum profecto speciebus non includuntur complexiones contingentes, sed dumtaxat necessariae, ac proinde intellectus animae Christi habuit de illis scientiam acquisitam.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 23. n. 19.] cognitionem imperfectam resolvi in perfectiorem, quando ambae habentur in eodem lumine; si autem perfecta habeatur in lumine supernaturali, et imperfecta in lumine naturali, tunc in eodem intellectu esse impossibiles; et ita evenire in casu; per hoc enim quod intellectus animae Christi per scientiam beatam videbat cognoscibilia in Verbo, non minuebatur virtus eius, quominus potuerit se convertere ad intelligenda obiecta cognitione intuitiva in genere proprio, imo expeditior inde fiebat, ut perfectissime perciperet quae sibi in dies de novo obiecta occurrebant.

AD TERTIUM dico, utique scientiae infusae animae Christi, quoad cognitionem abstractivam, non potuisse quicquam superaddi, quia perfectissima atque plenissima fuit; sed [*Oxon.*ib. d. 13. q. 3. n. 8.] quia per illam non poterant apprehendi et cognosci omnia in genere proprio cognitione intuitiva, propterea secundum hanc potuit, et reipsa acquisivit novam scientiam, tam actualem, quam habitualem.

ITERUM ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS HABUERIT ALIQUAM SCIENTIAM ACQUISITAM.

Doctor., Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 9. *art.* 4.

VIDETUR Christus habuisse scientiam acquisitam, ac secundum illam profecisse. Etsi enim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 2.] habuerit scientiam infusam omnium rerum, ita ut actu omnia per ipsam attigerit, nec quicquam hoc modo proficere potuerit; nihilominus minime pollebat scientia acquisita omnium rerum, adeo ut nequiverit ipsa scientia augeri. Nam in Christo erant intellectus agens et passibilis, perinde ut in caeteris hominibus; ergo proprias oportet habuisse operationes; alioquin eae vires frustra in ipso fuissent. Operatio autem propria intellectus agentis est abstrahere species intelligibiles a phantasmatibus, et infundere intellectui passibili; ergo dicendum est reipsa eos intellectus proprias in Christo operationes habuisse, et ita per scientiam acquisitam profecisse.

2. PRAETEREA. Sicuti scire per lumen desuper infusum est modus proportionatus naturae Angelicae, ita scire per lumen intellectus agentis est connaturale animae humanae; ergo quamvis anima Christi fuerit donata plenissima scientia per lumen desuper infusum, habuit nihilominus modum sciendi sibi connaturalem per species abstractas ab intellectu agente; igitur scientia pollebat acquisita, ac secundum ipsam profecit.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Ad Hebraeos., 5. dicit Apostolus: *Cum esset Filius Dei, didicit ex his, quae passus est obedientiam.* Ubi Glossa, idest, *expertus est,* inquit. Fuit ergo in Christo aliqua experimentalis scientia, quae est scientia acquisita.

CONTRA. Potentiae quantumvis perfectae nequeunt operationibus attingere proprium actum nisi illis careant. Hinc in Beatis augmentativa potentia et quaedam aliae non possunt in actus earumdem, quia sunt ultimate actuatae; ergo si intellectus animae Christi sciebat omnia in proprio

genere per scientiam infusam, nequibat eadem addiscere per scientiam acquisitam.

RESPONDEO dicendum, extitisse revera in Christo scientiam acquisitam, atque secundum eamdem profecisse; verumtamen eum profectum non spectasse ad scientiam acquisitam abstractivam (huic enim nihil potuit superaddi, ut de gratia dictum est supra *q.* 7. *art.* 12.), sed quoad intuitivam, (ut *antec. art.* fuit declaratum) non sciebat omnia, sed in dies augebatur, ipseque Salvator proficiebat, ut narrat Evangelica Historia. Caeterum si scientia abstractiva animae Christi talis erat, ut per illam sciverit prorsus omnia, et universalia, et particularia, item contingentia, et necessaria, non videtur qua ratione potuerit acquirere earumdem rerum iam perfecte cognitarum novam notitiam. Unde etsi *conclusio haec,* de profectu animae Christi per acquisitionem novae scientiae, tenenda sit ab omnibus Theologis, non videtur tamen cohaerere cum hoc principio, nempe Christum attigisse per scientiam infusam omnia scibilia. Nam [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 2.] si eadem deinde didicisset per scientiam acquisitam, igitur duo accidentia eiusdem speciei simul fuissent in eodem subiecto, quod negatur ab eo, qui ità opinatur. *Probatur consequentia,* ex eo quia cognitio infusa, et acquisita eiusdem rei in proprio genere sunt eiusdem speciei.—*Et si dicatur,* imo specie distingui, quemadmodum specie differre dicuntur cognitio vespertina, et matutina eiusdem rei, quatenus nimirum idem cognoscitur in Verbo per matutinam, et in genere proprio per vespertinam cognitionem; *contra* tamen hoc facit, quia recte eae cognitiones specie distinguuntur a Theologis, cum per unam res in alio, et per alteram eadem res in genere proprio, seu in se dicatur cognosci. Infusa autem et acquisita cognitione attingitur eadem res in se, seu in genere proprio ; non videtur ergo qua ratione hae duae cognitiones specie distinguantur: non habent enim aliam distinctionem, nisi ex distinctione principii effectivi, quae profecto minime inducit specificam distinctionem, secundum Augustinum ad *Deo gratias.* Unde Ambrosius, *De Incarnatione: Disparitas,* inquit, *ortus non facit distinctionem naturae,* ut est evidens de Adamo, qui conditus fuit a Deo, et de aliis hominibus naturaliter propagatis. Et quamvis de eodem obiecto possibilis sit duplex cognitio, alterius, et alterius rationis, una per se infusa, altera acquisita, ut de eodem articulo fides supernaturalis, et fides humana; tamen hoc est impossibile de quocumque obiecto, ac proinde si omnia scibilia Christo innotuerunt per scientiam infusam, quaedam ex illis non potuisset attingere scientia acquisita, nam fuissent duo accidentia eiusdem rationis in eodem subiecto. — *Ulterius,* quamvis duae cognitiones eiusdem speciei possent esse de eodem obiecto, quarum quaelibet esset imperfecta, tamen duae cognitiones perfectissimae eiusdem rationis omnino nequeunt esse simul de eodem obiecto. Nam, aut unaquaeque ex illis cognoscit obiectum perfecte quantum est cognoscibile, et tunc altera superfluit; aut non, et tunc neutra profecto foret perfectissima, quia talis est ea, quae obiectum attingit quantum est cognoscibile.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, in Christo fuisse omnem perfectionem naturaliter consequentem animam rationalem, et ita intellectum agentem et passibilem. Sed nego hos intellectus potuisse habere proprias operationes in Christo; non ex illorum imperfectione, sed quia praeveniebantur ab agente supernaturali infundente scientiam omnem, quam po-

tuissent acquirere. Aut ergo oportet ponere per scientiam infusam, Christum non omnia obiecta attigisse sub omnibus rationibus, aut certe, si omnia pervasit, nequiit rursus eadem scire per scientiam acquisitam. Sicuti et vegetativa in Beatis, quoniam habet actum perfectum, non potest in ulteriorem actum; quaevis enim potentia perfecta non potest in proprium actum, si ab aliquo agente praeveniente iidem inducti sunt, non ex ipsius potentiae imperfectione, sed propter positionem termini positi ab alio agente praeveniente earum activitatem potentiarum.

AD SECUNDUM respondeo per idem, animam Christi nequisse uti modo sciendi sibi connaturali, quia praeventa fuit ab agente supernaturali infundente omnem scientiam, quam propriis viribus potuisset adipisci.

AD TERTIUM concedo, Christum habuisse scientiam acquisitam, ac plurima per propriam experientiam didicisse, ac profecisse, ut narrat Scriptura, quia omnia illa, quae in dies de novo attingebat, non didicerat per scientiam infusam, ut *art. anteced.* declaratum fuit.

QUAESTIO DECIMA.

DE SCIENTIA BEATA ANIMAE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de qualibet praedictarum scientiarum; sed quia de scientia divina dictum est in *prima parte,* restat nunc dicendum de aliis tribus. *Primo,* de scientia beata: *secundo,* de scientia indita: *tertio,* de scientia acquisita.

Sed quia etiam de scientia beata, quae in Dei visione consistit, plura dicta sunt in *prima parte,* hic illa sola videntur dicenda, quae proprie pertinent ad animam Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum anima Christi comprehenderit Verbum, sive divinam Essentiam. - 2. Utrum in Verbo cognoverit omnia. - 3. Utrum anima Christi in Verbo cognoverit infinita. - 4. Utrum videat Verbum, sive divinam Essentiam clarius qualibet alia creatura.

ARTICULUS I.

UTRUM ANIMA CHRISTI COMPREHENDERIT VERBUM, SIVE DIVINAM ESSENTIAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 10. *a.* 1.

VIDETUR anima Christi comprehendisse et comprehendere divinam Essentiam. Nam [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 2.] secundum Isidorum, 1. *De summo Bono,* cap. 3. *Trinitas sibi nota est et homini assumpto;* igitur nota est divina Essentia homini assumpto, non tantum eo modo quo est nota caeteris beatis, sed sicuti est nota divino intellectui: sed ita est nota intellectui divino, ut comprehendatur ab ipso; ergo comprehenditur quoque ab homine assumpto.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1.] Maius est naturam humanam esse unitam Verbo Dei hypostatice, quam per visionem et fruitionem beatam; dicit enim Augustinus, 13. *De Trinit.*, cap. 9. *Summa gratia in rebus per tempus ortis, quod homo in unitate personae sit Deo coniunctus:* sed natura humana unita Deo per visionem et fruitionem videndo divinam Essentiam, non comprehendit illam; ergo si maior est unio personalis, per hanc mens Verbo unita comprehendit illud.

3. PRAETEREA. Quod convenit Filio Dei per naturam convenit filio hominis per gratiam; etenim [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 2.] Augustinus, 1. *De Trinit.*, cap. 13. ait: *Talis fuit illa unio, quae Deum faceret hominem:* sed Filio Dei naturaliter convenit comprehendere divinam Essentiam; ergo idem convenit filio hominis per gratiam.

CONTRA. Nihil comprehendere valet obiectum formaliter infinitum, nisi ipsum conprehendens sit formaliter infinitum: sed intellectus animae Christi non est formaliter infinitus, imo intrinsece finitus et limitatus, quia creatus; ergo impossibile est ab ipso comprehendi divinam Essentiam.

RESPONDEO dicendum, Christi animam non comprehendere divinam Essentiam. Etenim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 7.] iuxta Augustinum, 12. *De Civit. Dei,* cap. 18. *Quidquid scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur.* Quod non est intelligendum quasi absolute finiatur, quia tunc Deus minime comprehenderet se, sed quia finitur cognoscenti, eo quod respectu eius ita se habeat, ac si esset finitum. Solus autem ille intellectus comprehendit intelligibile, cuius tanta est intellectualitas, quanta est obiecti intelligibilitas; tunc enim est inter intellectum et obiectum commensuratio et adaequatio, quia neutrum est respectu alterius excedens, et ita utrumque quasi finitum est alteri, propterea quod simpliciter adaequatum; qua ratione potest dici una Persona Divina finita alteri, quia non excedens eam, esto omnes sint simpliciter infinitae. Quoniam igitur nullus intellectus creatus potest habere tantam intellectivitatem, neque in actu primo, neque in actu secundo, quanta est intelligibilitas Dei, ut obiecti, imo ipse Deus in infinitum excedit omnem intellectum creatum et creabilem, ideo nullus intellectus creatus, etsi videat quodcumque visibile ex parte Dei, quia attingit ipsum sub ratione infiniti, quae solummodo ratio est quietativa creaturae intellectualis potest obiectum infinitum comprehendere, quia inter potentiam finitam et obiectum infinitum nequit esse adaequatio et commensuratio.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* ib. n. 2.] Isidorum intellexisse de notitia perfectissima creaturae possibili, quam datam fuisse animae Christi non est ambigendum. Est ergo taliter nota Trinitas homini assumpto, quo pacto non fuit, nec est nota alteri intellectui creato, quia nullus alius habuit, nec est habiturus intellectionem aequalis perfectionis: caeterum eam notitiam quantumvis perfectam, non potuisse esse comprehensivam, patet ex *solutione.*

AD SECUNDUM dico: [*Oxon.* ib. q. 1. n. 10.] si fiat comparatio inter duas uniones, (esto proprie inter eas fieri comparatio non possit, quia alterius et alterius rationis) unionem hypostaticam esse potiorem et maiorem quantum ad actum primum, non vero quoad actum secundum, qui in operatione consistit, et a potentia perficitur, et pendet; ex hoc nihilominus, quod unio ad Personam Divinam est perfectior in actu primo,

congruum fuisse dare animae sic unitae actum secundum perfectissimum, et consequenter concedendum est, modo perfectissimo Christi animam attingere Trinitatem, quo pacto ab ullo alio intellectu attingi non congruit, sed ex hac praeeminentia inferre animae Christi comprehensionem obiecti infiniti, esse fallaciam a *secundum quid* ad *simpliciter*.

AD TERTIUM concedo, [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 2.] per illam unionem factum esse, ut extrema unita reciprocarentur in praedicationibus, uno recipiente denominationem alterius. Sicuti itaque conceditur ista, *Deus est passus, caesus, mortuus,* ita et haec, *hic homo est creator,* ut ait Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 4. Nihilominus tales propositiones revera habent veritatem denominativam, quia simpliciter Deus nec est mortuus, nec mori potest, nec aliqua creatura creare, cum requiratur virtus infinita, quae creaturae nequit communicari. Quoniam ergo ad concipiendum obiectum infinitum pariter requiritur intelligibilitas infinita, qua non pollebat anima Christi, quomodocumque denominetur ex unione ad Verbum, secundum tamen rei veritatem non est Verbi comprehensiva.

ARTICULUS II.

UTRUM ANIMA CHRISTI IN VERBO COGNOVERIT OMNIA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 10. *a.* 2.

VIDETUR anima Christi non cognovisse omnia; existentia scilicet possibilia et futura. Etenim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 9. — *Report.* ib. n. 19.] quo perfectius cognoscitur principium, eo plures conclusiones in ipso videntur; igitur si omnes conclusiones intelligantur, principium perfecte cognoscitur et comprehenditur: sed anima Christi nequit Verbum comprehendere; ergo nec potuit in ipso vidisse omnia.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report. ib.*] Cognoscens unum effectum aliquam habet cognitionem causae, et quo plures effectus eiusdem causae attingit, eo magis illam causam cognoscit; igitur qui omnes effectus videt, causam penitus comprehendet; igitur cum anima Christi non possit divinam Essentiam comprehendere, nec videre valebit ipsa omnia, nimirum possibilia et futura.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 13. et 20.] Si anima Christi cognosceret in Verbo omnia, utique non sciret ea omnia actualiter, (id enim videtur competere tantum intellectui infinito), sed successive et habitualiter, quatenus est sibi praesens Verbum Divinum intelligibilium omnium repraesentativum: sed eodem modo et ratione quilibet Beatus diceretur videre omnia, quia cuilibet est praesens Verbum, in quo relucent omnia; ergo cum Beati non dicantur videre omnia intelligibilia in Essentia divina, nec de anima Christi dici potest, quod videat omnia.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1. — *Report.* ib. n. 2.] Magister, 3. *d.* 14. *litt. B.* probat animam Christi scire omnia ex illo Ioann., 3. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum Filio; dona ergo Spiritus Sancti,* inquit, *sine mensura habuit;* ergo et sapientiam. Omnia ergo scivit anima illa: si enim quaedam scivit, quaedam non, tunc non sine mensura scientiam habuit; sed sine mensura scientiam recepit; ergo scit omnia.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 20.] posse sustineri animam

Christi cognoscere omnia in Verbo habitualiter, non actualiter, eo scilicet modo, quo illud dicitur habitualiter notum, cuius actus primus est sufficienter ostensivus, non quasi id habeat anima illa per aliquem habitum creatum sibique inditum, quia nullus talis habitus est possibilis, esset enim infinitus, ut alibi extitit declaratum; sed est habitualiter cognoscens omnia, quia per aliquem actum videt Divinam essentiam, et per eumdem actum attingit omnia relucentia in ipsa, possibilia nimirum, existentia, et futura, perinde ac si quis haberet sibi praesens speculum, in quo relucerent omnia; is enim recte diceretur habitualiter videre omnia illa, quae in speculo relucent, quatenus posset in eo intueri quae vellet; non quidem actualiter, quia huiusmodi attingentia videtur repugnare potentiae creatae, sed successive (1). Cum igitur divina Essentia sit quoddam speculum voluntarium, in quo continentur et relucent omnia intelligibilia, eaque sit praesens intellectui animae Christi, talis intellectus est videns omnia habitualiter, quia per actum quo Verbum attingit omnia in illo relucentia sunt sibi praesentia in actu primo, et consequenter habitualiter sibi nota. — Quod vero non actualiter attingat omnia relucentia in Verbo, *probatur:* [*Oxon.* ib.] quia experimur nostram attentionem circa plura obiecta esse minus perfectam, quam si circa pauciora versaretur; ergo non videtur ponendum potentiam finitam, et virtutem finitam attingere simul perfecta attentione et distincte infinita. *Secundo,* quia si actualiter videret omnia, seu infinita, perfectio illius animae in infinitum excederet perfectionem alterius animae: hoc autem videtur inconveniens; quia finitum aliud finitum excedere non potest, nisi secundum proportionem finitam.— *Denique,* hoc idem videtur significasse Avicenna, 6. *Natural.,* p. 4. cap. 2. *In sapientia,* inquiens, *creatoris non est occulatio, nisi secundum receptacula,* quia etsi Verbum, ut voluntarie ostendens omnia, sit praesens voluntarie animae Christi, ipsa tamen non potest omnia respicere, sed quodlibet singillatim, et ita potest videre quodcumque de numero infinitorum, ad quod se convertit.

Ad Argumenta. Ad primum et secundum (unum est enim diversimode deductum) dicimus, aliquos ob hanc rationem existimasse intellectum animae Christi non videre omnia in Verbo, quatenus τὸ *omnia* comprehendit quoque possibilia, quae in sola Dei potentia continentur; quia inde sequeretur ipsum comprehendere omnipotentiam, quod fieri profecto non potest ab intellectu creato; bene tamen attingere omnia, quae existentiam concernunt, et quae dicuntur comprehendi ab intellectu divino scientia visionis. — Verumtamen *haec distinctio non videtur probanda: primo,* [*Oxon.* ib. n. 12.] quia intellectus animae Christi posset cognoscere in Verbo aliquid possibile futurum, numquam fiendum; ergo non praecise cognoscit ea, quae Deus novit scientia visionis. *Assumptum probatur:* quia etiam verisimile est alias Beatorum animas esse visuras in Verbo, ipsum posse creare aliquid, quod non creat; ergo multo magis Christi anima potuit intueri aliquod possibile in Verbo. *Secundo,* quia non est ulla repugnantia intellectum animae Christi videre in divina Es-

(1) Videtur Doctorem putavisse hunc dicendi modum esse caeteris probabiliorem; nam hunc modum (inquit Scholiastes ad n. 20.) ponit ultimo loco, et sic Faber, Pitig. aliique Scotistae *hi* Doctorem intelligunt quia tamen sententiam illam, quod anima Christi omnia actualiter videat, de quo infra art. 3. non impugnat ex professo, videtur eam non impossibilem reputasse. Videndi Lychetus, Poncius, et prae caeteris Mastrius Scotista omnia et singula dicta expendens.

sentia aliquod possibile, et qua ratione unum, et aliud; ergo ad vitandam infinitatem oportet alium terminum praefigere, quam includendo actualia, et excludendo possibilia. — *Respondeo ergo ad argumentum,* [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 12.] in eo committi *fallaciam consequentis;* nam licet perfectius cognoscens causam possit plura contentorum in ipsa cognoscere, non tamen e converso, quia potest stare cognitio principii invariata cum conclusionibus pluribus ex ea deductis; unde licet ex perfectiori cognitione causae recte inferatur cognosci plures effectus, non tamen e contra. — Et causa radicalis est, [*Report.* 3. d. 14. q. 2. n. 20.] quia si cognoscens id, quod est propinquius et intimius alicui, non comprehendit illud, multo minus comprehendet per cognitionem remotioris; infinitas enim intensiva immediatius ac intimius inest Deo, quam repraesentativum esse infinitorum, hoc enim consequitur ad infinitatem intensivam. Cum igitur intellectus beatus videns divinam Essentiam, ut intensive infinitam (sub ea enim tantum ratione est quietativa naturae intellectualis), non comprehendat ipsam, quia nulla est hic adaequatio et commensuratio; ergo multo minus comprehendere potest per visionem eorum, quae relucent in illa. — *Quod adducitur* [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 11.] de principio et conclusionibus ex ipso deductis, *nihil est;* etenim causa inquantum causa nullam perfectionem accipit a causato, cum sit naturaliter prior omni causato ab ipsa. Cognitio itaque principii, ut est causa cognitionis conclusionis, nullo modo perficitur per cognitionem conclusionis. Et ut quod dicitur manifestius fiat, accipiatur aliquod principium ut notum in aliquo gradu; quaero, utrum per ipsum possit aliqua conclusio cognosci, adeo ut maneat cognitio principii in illo gradu praecise, in quo erat invariata non aucta, nec diminuta, aut id fieri non potest? Si detur pars affirmativa, habetur propositum; quia cognoscens conclusionem ex principio, non perfectius cognoscit ipsum principium, et sicut dicitur de una, ita et de omnibus aliis conclusionibus scitis per ipsum principium. Si non, ergo istud principium, ut in tali gradu cognitum, non est principium, quia ex eius cognitione nulla conclusio scitur. — *Confirmatur* [*Oxon.* ib. n. 12.] per Philos., 1. *Post.,* ubi vult, oportere maxime cognoscere de subiecto *quid est.* Et ratio est, quia in ratione et quidditate subiecti virtualiter includitur tota ratio scientiae; nec per ipsam denominationem acquiritur aliquo modo de subiecto *quid est,* imo penitus praesupponitur; tantum ergo per demonstrationem acquiritur cognitio passionum inhaerentium sibi; ergo et cognitio perfecta et omnimoda principii praesupponitur demonstrationi, ac per consequens nihil acquirit, nec evadit perfectior per demonstrationem.

Ad tertium respondeo negando *assumptum,* [*Oxon.* ib. n. 20.] quia Verbum cuilibet alteri Beatorum est speculum repraesentans determinata, ultra quae non potest velle ordinate alia videre: sed intellectui animae Christi est repraesentativum omnium omnino; ideoque potest ordinate velle videre quodlibet ex relucentibus in ipso, quae est potentia propinqua ad videndum, perinde ac si essent sibi praesentia per proprium habitum; attamen nullus habitus creatus potest habere virtutem repraesentandi omnia, quia cuilibet creaturae repugnat vis intensive infinita, qualis foret ratio suapte natura repraesentativa infinitorum.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTI ANIMA IN VERBO COGNOVERIT INFINITA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thomas* 3. *p. q.* 10. *a.* 3.

VIDETUR intellectus animae Christi non potuisse cognoscere infinita. Etenim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 13.] virtus infinita non potest in plura, quam in infinita obiecta; si ergo finita virtus posset in infinita, ipsa aequaretur virtuti infinitae, quod est absurdum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Virtus finita distinctius videt duo quam tria, et tria, quam quatuor, et sic ascendendo minus distincte videt mille, quam centum; ergo in infinitum plura, in infinitum indistinctius videt, ac pauciora: sed in infinitum indistinctius aliquo gradu finito videre, est non videre; ergo animae Christi repugnat cognoscere infinita.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 14.] Infinitas extensiva praesupponit infinitatem intensivam, secundum Averroën, *De substantia Orbis,* et 12. *Meth.* Sed anima Christi non potuit habere infinitatem intensivam, cum sit creatura et quoddam finitum; ergo nec extensivam ad infinita obiecta.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Magister, 3. *d.* 14. *cap.* 2. *Omnia videt, quae Verbum videt:* Verbum autem cognoscit infinita; ergo et anima Christi pariter attingit infinita.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 18.] animam Christi in Verbo cognoscere infinita; idque duobus modis posse poni, nimirum vel intelligendo ipsum habere unam visionem terminatam ad Verbum, ut ad primum obiectum, et secundario ad omnia in ipso relucentia, ut obiecta secundaria, ad quae omnia habet respectus distinctos; vel intelligendo habere infinitas visiones ad obiecta infinita causatas a Verbo, atque in se receptas. Et primo quidem modo, non sequeretur eam unam visionem fore infinitam; quia nec est comprehensiva primi obiecti, nec ex natura sua haberet terminari ad obiecta secundaria, sicuti est divina intellectio; indigeret enim praeterea visio illa creata illis distinctis respectibus per quos attingeret alia obiecta, qui subinde possunt poni a Deo, et non poni in ipsa. — *Probatur* nunc, animam illam cognoscere infinita. Etenim [*Oxon.* ib. n. 16.] quicumque intellectus est receptivus notitiae cuiuslibet obiecti, quia est totius entis; cum ergo habeat naturalem inclinationem ad quodcumque intelligibile, si quodcumque cognosceret, hoc ipso naturaliter perficeretur; idque est aeque verum de cognitionibus illis in proprio genere, et in Verbo; sed quilibet intellectus creatus est receptivus cuiuslibet visionis in Verbo divisim; ergo et coniunctim potest recipere omnes simul si nulla adsit repugnantia: sed non adesse probatur; quia non habent ad invicem istae cognitiones aliquam oppositionem et incompossibilitatem; nam non habent maiorem incompossibilitatem duae inter se, quam omnes; nec sequitur nova incompossibilitas ex pluralitate adhaerentium; igitur possunt inesse simul omnes et si possunt, dicendum est de facto inesse. — Nec apparet aliqua incompossibilitas ex parte animae eas recipientis; ex eo enim non esset aliqua infinitas in ipsa. Nam receptivum secundum suam formalem rationem non est in se perfectius, si sit in actu, se-

cundum suas potentias, quam si sit in potentia respectu actuum; sunt enim actus extra rationem formalem eius, nec materia est essentialiter perfectior cum forma, quam sine ipsa; si ergo intellectus sit in actu, secundum omnes suas potentias passivas, non intelligitur esse essentialiter perfectior quam sine illis; adeoque cum intellectus animae Christi simul sit in potentia ad infinitas visiones, et nulla adsit incompossibilitas earum ad invicem, quia tunc ne duae cognitiones quidem possent esse simul; et perfectionis ac dignitatis sit in illa anima attingere simul omnia actu intelligendi simul ad infinita intelligibilia terminata; actus enim secundus [*Oxon.* ib. n. 17.] est perfectior actu primo, atque ita perfectior foret illa anima, si cognosceret se omnia videre, quam si habitualiter cognosceret. Si ergo rationes, quae probare videntur abesse hanc perfectionem a Christo, sunt solubiles, oppositum tamquam probabilius est tenendum. In [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 9.] commendando enim Christum malo excedere, quam deficere a laude sibi debita, si propter ignorantiam oportet in alterum incidere. — *Confirmatur* [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 17.] ex August., 13. *De Trinit.*, cap. 15., *De Beatis*, dicente: *Fortassis non erunt ibi cogitationes volubiles*, quod et si sit dubium de Beatis, videtur tamen probabile de ista anima tamquam beatissima non habere tales cogitationes, ac proinde scire actualiter quaecumque novit habitualiter. Damasc. quoque, *lib.* 2. *cap.* 30. vult istam animam habere praescientiam futurorum: haec autem scientia non est habitualis; quia futura contingentia, (ex dictis, *q.* 9. *art.* 4.) non sunt nata cognosci sive in se sive in Verbo, nisi intuitive, ut scilicet cognitio ad ipsa immediate terminetur.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum, [*Oxon.* ib. n. 21.] virtutem finitam aequiparari infinitae extensive, non vero intensive; virtus enim infinita perfectius videret eadem quae finita, quia haberet actum intensiorem, secundum perfectiorem et maiorem virtutem potentiae.

Ad secundum dicendum, concludere [*Oxon.* ib.] quando potentia est elicitiva infinitarum visionum; non vero quando est receptiva solummodo, cum possit recipere visiones aeque distinctas omnium, sicut paucorum. Quod si teneatur intellectum Christi esse earumdem visionum elicitivum; *respondetur*, argumentum deficere in anima Christi, esto concluderet in nobis, quia non inest intellectui remissio, et indistinctio in videndo ex parte intellectus, sed ob aliquam conditionem accidentalem concomitantem, quam non est necesse ponere in anima Christi.

Ad tertium dicendum, [*Oxon.* ib.] infinitatem extensivam in receptivo non arguere intensivam perfectionem eius, sed potius imperfectionem, ut patet in materia, quae de se est receptiva infinitarum formarum. At ex infinitate extensiva, ut ad effectus causabiles simul, concludi infinitam eius perfectionem intensivam. Hic vero ponitur intellectus animae Christi praecise esse receptivus infinitarum visionum; qui etiam si poneretur elicitivus, tantum posset concludi infinitas obiecti, et non sui ipsius, quia obiectum est causa principalis activa respectu illarum visionum, et non intellectus.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANIMA CHRISTI CLARIUS VIDEAT DIVINAM ESSENTIAM QUALIBET ALIA CREATURA.

Doct., Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 1. *et* 4. — *Report. ib.* q. 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 10. *a.* 4.

VIDETUR anima Christi non videre clarius divinam Essentiam qualibet alia creatura. Si enim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 1. n. 1.] clarius, quam quaelibet alia creatura videret obiectum beatificum, profecto perfectissime videret; igitur attingeret Verbum sub ratione infiniti; alioquin posset esse aliqua visio perfectior ista, illa nimirum, quae attingeret obiectum sub ratione infiniti: hoc autem est falsum; quia obiectum specificat actum; ergo si visio creata Christi haberet idem obiectum quod increata, essent eiusdem rationis, quod est impossibile.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 6.] Perfectio actus cognoscendi commensuratur perfectioni potentiae cuius est actus: sed potentia intellectiva animae Christi non est perfectior omni alio intellectu creato, sed imperfectior Angelico; ergo intellectus Angelicus perfectius videt divinam Essentiam, quam anima Christi.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 1. n. 1.] Augustinus, 83. *qq. q.* 32. *Eamdem rem,* inquit, *non posse alium alio plus intelligere, non est dubitandum.* Et subdit dicti rationem: quia qui percipit rem aliter, ac in se est fallitur; qui autem fallitur, minime intelligit illud, in quo fallitur; nequit ergo quidquam intelligi nisi quomodo est. Igitur ex Augustino, non potest intellectus animae Christi perfectius Verbum videre, quam quaecumque alia anima.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Summa fruitio praesupponit summam visionem: sed in anima Christi fuit summa fruitio possibilis, (extitit enim in ea summa gratia, ex *q.* 7. *art.* 9., a quo procedit par fruitio); igitur et summa visio, et quavis alia aliorum Beatorum excellentior.

RESPONDEO dicendum, intellectum animae Christi clarius videre divinam Essentiam, quam quivis alius beatus; Deus enim [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 2. — *Report.* d. 14. q. 2. n. 3.] potuit creare summam visionem, (non intelligendo summum *positive,* cui scilicet aliud nequiverit esse aequale, quia tale profecto propter sui infinitatem nequit productum esse; sed *negative,* quatenus perfectius non potuit produci) eamque animae Christi contulisse. Quemadmodum enim eius voluntas fuit capax summae gratiae et fruitionis, ita et eiusdem intellectus potuit habuisse summam visionem; ergo tenendum est hanc de facto sibi collatam esse, ac proinde cum nemo alius Beatorum similem acceperit, manifestum est intellectum animae Christi clarius intueri divinam Essentiam, ac quivis alius Beatus *Quicquid enim,* [*Oxon.* ib. n. 9.] (inquit Augustinus, 3. *De lib. arb.*) *tibi vera ratione occurrit, scias hoc Deum magis fecisse, quam non fecisse.* Quid autem rationabilius, caput hominum et Angelorum potiri clariori Dei visione, quam ullus hominum et Angelorum? unxit enim eum Deus oleo exultationis prae omnibus participibus suis, ut ait Apostolus *ad Hebraeos,* 1.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 6. —

Report. ib. q.2. n. 12.] intellectum animae Christi, et caeterorum Beatorum oportere videre divinam Essentiam sub ratione infiniti, ad hoc, ut sint beati; nam cum intellectus sit totius entis, nequit perfecte quietari, nisi in illo obiecto, in quo est totum ens, eo modo quo in uno potest esse, quod porro obiectum est sola divina Essentia, in qua sunt omnia virtualiter, et eminenter; nec aliquis intellectus potest perfecte quietari, nisi in Essentia divina, ut existens in tribus hypostasibus; ipsa autem non est in tribus, nisi quatenus formaliter infinita. — *Et cum ex hoc deducitur,* fore actus intellectus creati, et divini eiusdem speciei; *negatur sequela,* quia licet obiectum distinctum specie inferat distinctionem specificam actus, non quidem formaliter, quia obiectum non est actus forma, sed causaliter; causa enim essentialiter prior, est necessario requisita, inquantum distincta, concludit distinctionem in causato; non tamen ex unitate obiecti specifica concludi potest unitas specifica actus, quia idem obiectum est in quod tendit omnis intellectus, et etiam omnis voluntas Beatorum, nec propterea volitio est eiusdem speciei cum intellectione; distinguuntur ergo aliunde, quam ab obiecto, nimirum ab ipsis potentiis, tamquam a causis suis essentialibus; atque ita dato, quod visio increata et creata Christi ab eodem obiecto secundum speciem indistincto, habeant indistinctionem, nihilominus ab aliis causis distinguuntur specie, a quibus et essentialiter dependent.

Ad secundum respondeo, *maiorem* esse veram de actu cognoscendi naturaliter elicito; talis enim vere potentiae elicienti proportionatur, taliter ut perfectior potentia perfectiorem possit in actum; at negandum de actibus supernaturaliter productis, vel de perfectionibus supernaturalibus, respectu potentiae susceptivae; quia non semper perfectius susceptivum obtinet ampliorem perfectionem supernaturalem, sed pro libito Dei largientis: omnis enim potentia intellectiva est in potentia obedientiali ad quamcumque visionem, quia respectu talis accidentis, per accidens et apprime sibi convenientis, non habet unde terminetur ad certum gradum; neque huiusmodi accidens inducitur per aliquam alterationem passi, vel ab agente naturali, sed tantum secundum quod absolute subiectum, est capax, et Deus potest imprimere. — *Et cum subditur:* potentia intellectiva Animae Christi imperfectior est intellectu Angelico; *concedo;* sed non ideo tamen Angelicus intellectus est capax amplioris perfectionis, quam sit Anima Christi, quia totum perfectibile in communi respicit totam perfectionem in communi, et quodlibet perfectibile quamlibet perfectionem extrinsecam atque accidentalem.

Ad tertium responsum fuit supra, *q.* 9. *art.* 2. per illud Philos., 2. Physicor. *Abstrahentium non est mendacium.* Abstrahens enim non intelligit rem aliter esse, quam sit, licet intelligat aliter rem, quam est, ita quod alietas in abstractione determinet suam intellectionem, sive dicat modum intelligendi; non autem determinat obiectum, nec dicit modum obiecti. Pariter cum ait Augustinus, *Qui intelligit rem aliter ac est, fallitur;* plane decipitur ac fallitur, si *aliter* determinet obiectum, non vero si determinatur eo syntheoremate actus intelligendi. Sed videnda haec *loco citato.*

QUAESTIO UNDECIMA.

DE SCIENTIA INDITA VEL INFUSA ANIMAE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de scientia indita vel infusa animae Christi.

Circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum secundum hanc scientiam Christus sciat omnia. - 2. Utrum hac scientia uti potuerit, non convertendo se ad phantasmata. - 3. Utrum haec scientia fuerit collativa. - 4. De comparatione huius scientiae ad scientiam Angelicam. - 5. Utrum fuerit scientia habitualis. - 6. Utrum fuerit distincta per diversos habitus.

ARTICULUS I.

UTRUM SECUNDUM SCIENTIAM INDITAM VEL INFUSAM CHRISTUS SCIAT OMNIA.

Doctor, Oxon. 3. *d.*14. *q.* 3. et 4. — *Report. ib. q.* 3. *S. Thom.* 3. *p. q.* 11. *a.* 1.

VIDETUR secundum scientiam infusam Christus non novisse omnia. Nam [*Report.* 3. d. 14. q. 3. n. 7.] per hanc scientiam nequiit attigisse singularia: sed singularia sunt scibilia per aliquam scientiam; ergo Christus non cognovit omnia per scientiam sibi inditam. *Probatio maioris;* siquidem nos non possumus attingere singularia cognitione abstractiva, secundum eorum propriam rationem: sed Christus habuit intellectum eiusdem rationis cum nostro, ergo nec ipse potuit scientia abstractiva infusa cognoscere singularia.

2. PRAETEREA. Intellectus animae Christi per scientiam infusam cognovit quidditates omnium rerum: sed per eas non poterant attingi earum specierum singularia; sicut enim [*Oxon.* 2. d. 3. q. 11. n. 9.] entitas tota singularis est aliud quid ab entitate universalis, ita alia est intelligibilitas singularis ab intelligibilitate universalis; et per consequens habens species infusas universalium per eas non attingit scientia eadem singularia.

3. PRAETEREA. Tantum ille intellectus creatus animae Christi potuit attingere per scientiam infusam, ad quae erat in potentia talis intellectus: sed non fuit in potentia ad omnia intelligibilia, sed dumtaxat ad ea, quae poterant movere intellectum ad eorum intellectionem; ergo cum multa sint intelligibilia, quae non movent nostrum intellectum, ea non potuit nosse per scientiam infusam.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 13.] Christus habuit omnia dona Spiritus Sancti, iuxta illud, Ioann., 1. *Vidimus gloriam eius, quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis.* Quod expressius praedixerat Isaias, 11. dicens: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Et rursus, cap. 56. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* Fuit igitur

[*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] perfectus summa perfectione, supernaturali pariter et naturali: ad perfectionem autem naturalem eius intellectus spectat scire omnia scibilia per scientiam infusam, alioquin ignorantiam assumpsisset; ergo tali scientia indita omnia novit.

RESPONDEO DICENDUM PRIMO, Christum per scientiam infusam cognovisse omnes rerum quidditates habitualiter abstractive. Etenim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 4.] talis notitia est perfectionis in intellectu creato; cum enim ipse sit passivus respectu cuiuscumque obiecti intelligibilis, propterea quod non habeat in se perfectionem omnium intelligibilium; carere autem perfectione sibi possibili respectu alicuius obiecti sit imperfectionis in intellectu, existimandum est intellectum animae Christi habuisse hanc perfectionem respectu omnis intelligibilis; quia non repugnat intellectui creato, nec est imperfectionis in eo, nec denique incompossibilis cognitioni in Verbo, quia secundum Augustinum, 4 *super Genes., cap.* 29. *et seqq.* simul stat cognitio in Verbo, et cognitio in proprio genere.

SECUNDUM DICTUM, Christi Animam non potuisse intelligere singularia per species infusas universalium. Quandoquidem enim [*Oxon.* ib. n. 5.] universale non dicit totam entitatem singularium, ita nec cognoscibilitatem; quod igitur est propria ratio cognoscendi universale, non est ratio cognoscendi proprie, et distincte singulare. Ac proinde si ponatur, ipsum habere scientiam infusam, et cognoscere habitualiter individua quoque quantum sunt cognoscibilia ab intellectu creato, oportet ponere inditas atque infusas sibi fuisse tot species, quot sunt individua, et infinitas species infinitorum singularium possibilium, si omnia cognovit. — Quod si videatur, non esse attribuendam illi animae confusam cognitionem singularium possibilium nec infinitam, seu distinctam infinitorum, quomodocumque id ponatur possibile, seu nempe per species finitas, seu per infinitas; potest dici illam animam obtinuisse scientiam infusam aliquorum individuorum, utpote nobiliorum, et non accepisse caeterorum ignobilium, sed potuisse habere atque intellexisse illa cum producebantur in actuali existentia, quia tunc concurrebant una cum intellectu illo ad productionem propriarum specierum. — Verumtamen etsi illi animae inditae fuissent omnes prorsus species possibilium individuorum, nimirum omnium et universalium quidditatum, non propterea ipsa attingeret actu omnia scibilia in proprio genere per species infusas, sicuti nec actualiter videtur attingere omnia in Verbo, ut dictum fuit *q. ant. art.* 2. Nam [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 5.] notitia actualis in genere proprio est secundum virtutem naturalem ipsius intellectus in se: intellectus autem finitus per suam virtutem naturalem nequit converti ad percipienda simul omnia obiecta distincte; ergo per scientiam infusam non potuit Christus distincte intellexisse omnia simul.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 9. — *Report.* ib. n. 8. — 7. *Metaph.* q. 15. n. 5.-8. — *De Anima,* q. 22. per tot.] revera nos non posse attingere singularia pro statu isto sub propria ratione, non ex defectu virtutis intellectivae, quia in Patria eadem attingemus sub propriis eorum rationibus eodem intellectu, quo non valemus in via. Ratio ergo cur non valeamus pro praesenti statu singularia distincte percipere est, quia intellectus noster nihil cognoscit, nisi quod potest gignere phantasma, nam pro nunc non immutatur immediate, nisi a phantasmate, vel phantasiabili: entitas autem singularis non

est propria ratio gignendi phantasma, sed tantum entitas naturae praecedens illam entitatem singularem; ipsa autem entitas singularis non est nata movere immediate aliquam potentiam cognitivam, nisi intellectum; et quod nostrum nunc non moveat, est propter connexionem eius ad phantasiam; in Patria vero non est talis connexio, ideo in Patria sub propria ratione cognoscetur.

AD SECUNDUM patet ex *secunda conclusione.*

AD TERTIUM dico, *maiorem* esse falsam, quia [*Oxon.* 1. d. 3. q. 3. — *De Anima,* q. 21. per tot.] intellectus ex sui natura habet pro obiecto totum ens, licet pro statu isto ex connexione (ut dictum est *ad primum*) ad phantasiam, non habeat pro obiecto totum ens, sed quidditatem rei materialis, vel quicquid potest gignere phantasma.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS HAC SCIENTIA UTI POTUERIT, NON CONVERTENDO SE AD PHANTASMATA.

Doctor, Oxon. 1. *d.* 3. *q.* 3. — 3. *d.* 14. *q.* 3. — *Report. ib.* *S. Thom.* 3. *p. q.* 11. *a.* 2.

VIDETUR Christus scientia sibi indita uti non potuisse, nisi convertendo se ad phantasmata. Etenim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] anima ipsius Christi erat eiusdem rationis cum caeteris animabus humanis: sed anima nostra nequit quicquam intelligere, nisi se ad phantasma convertat, ut inquit Philos., 2. *Poster. in fine;* ergo nec anima Christi aliquid in proprio genere intelligebat, nisi quatenus ad phantasmata convertebatur. — *Et si dicatur:* licet anima Christi fuerit vere anima rationalis sicuti caeterorum hominum, attamen quia erat beata opus sibi non erat conversione ulla ad phantasmata; *contra,* quamquam Christus in hac vita fuerit Beatus, extitit nihilominus simul et Viator; ergo opus habebat conversione ad phantasmata, ut caeteris accidit hominibus: qui (ut determinat Philos., 1. *Metaph. in Prooemio)* scientiam hauriunt a rebus, quas per sensus percipiunt.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Christus habuit verum corpus humanum cum potentiis sensitivis, secundum quas potentias sapientia eius augebatur coram Deo, et hominibus, ut scribitur, Lucae, 2. Sed per potentias sensitivas species sensibiles excipiuntur ab obiectis materialibus, ex quibus phantasia sua cudit phantasmata, ad quae intellectus se convertit intelligendo spiritualia, et immaterialia; ergo scientia Christi fuit similis scientiae aliorum hominum quoad modum intelligendi.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 45. q. 1. n. 1.] Secundum Philos., 3. *De Anima,* text. c. 39. *Phantasmata se habent ad intellectionem, sicuti sensibilia ad sensum:* sed sensus nihil omnino percipere queunt, nisi per conversionem ad sensibilia; ergo pariter nec intellectus quicquam percipere poterit, nisi se ad phantasmata convertat.

CONTRA. Christus habuit scientiam habitualem infusam, *ex art. antec.*; ergo independenter a phantasmatibus potuit intelligere ea omnia, respectu quorum habebat inditas species.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 1. d. 3. q. 3. n. 24.] obiectum intelle-

ctus nostri ex ratione potentiae, licet sit totum ens communissime acceptum, cum entium unumquodque possit intelligere; pro statu isto nihilominus ei adaequatur in ratione motivi quidditas rei sensibilis, et ideo pro statu isto non intelligit naturaliter, nisi ea quae continentur sub illo primo motivo. Ita enim stabilitum est legibus divinae Sapientiae, ut intellectus alligatus sensibus non intelligat, nisi ea, quorum species relucent in phantasmatibus, et hoc sive in poenam peccati originalis, sive ob naturalem concordiam potentiarum animae in operando; et ita contingit, ut dum potentia superior operatur circa unum obiectum, circa idem operetur et inferior, si utraque habeat operationem perfectam; ac proinde cum universale intelligimus eius singulare actu phantasiamur. Verumtamen hanc concordiam cum potentiis inferioribus, quam experimur pro statu isto, non habet intellectus ex natura sua, nec etiam quatenus in corpore est, alioquin etiam in corpore glorioso eamdem servaret, quod est falsum. Sive igitur haec dependentia intellectus ad sensus in nobis sit ex mera voluntate Dei, sive ex iustitia punitiva, et infirmitate, ut videtur innuere Augustinus, 15. *De Trinit.*, cap. ult. *Quae causa,* inquiens, *cur ipsam lucem acie fixa videre non possit, nisi utique infirmitas? Et quis eam tibi fecit, nisi utique iniquitas?* Sive igitur, inquam, ex aliqua una, sive ex omnibus praedictis causis insit nobis necessitas convertendi nos ad phantasmata dum intelligimus, dicendum est, Christum non habuisse huiusmodi necessitatem, sed intelligere potuisse cognitione abstractiva, absque eo quod ad phantasmata se converteret. Non solum quia ipse erat beatus, et quatenus nobiscum viator carens peccato originali, omnique infirmitate ipsum dedecente; sed etiam quia, ex dictis, habuit scientiam infusam plenissime, sciebatque per species infusas quidditates omnium rerum: hae autem species non erant abstractae a rebus, vel phantasmatibus, sed immediate inditae sibi a Deo; ergo nil cogitando de phantasmatibus intelligebat omnia, quae poterant illae species repraesentare.

Ad Argumenta. Ad primum concedo Christi, animam fuisse et esse eiusdem rationis, ac caeterae animae rationales; sed nego proinde oportuisse ipsum pro intelligendis immaterialibus ad phantasmata converti, ut opus est nobis, ob causas *in solutione* adductas. — *Et cum dicitur:* fuit nobiscum viator; *respondeo,* ex hoc tantum sequi, ipsum non potuisse aliquid intuitive intelligere, nisi ab obiecto si cognito moveretur. At loquendo de scientia abstractiva, quoniam omnium rerum habebat species independenter a phantasmatibus (ut dictum est *in solutione*), absque conversione ad eadem phantasmata attingebat scibilia, quae repraesentabantur per ipsas. Caeterum [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 8.] modus addiscendi, cuius meminit Philos., 1. *Metaph.*, est necessarius in nobis quoad cognitionem intuitivam; nam abstractive cognoscimus res per earumdem species intelligibiles, quae in Christo non erant acceptae a phantasmatibus, sed infusae a Deo, ut frequenter dictum est.

Ad secundum concedo, [*Oxon.* ib.] Christum habuisse verum corpus humanum cum suis potentiis sensitivis, quibus quae obiiciebantur sensibilia percipiebat; et concedo etiam, tunc eius intellectum se ad eorum phantasma convertisse, ac scientia intuitiva profecisse; sed quia ultra hanc scientiam habuit infusam a Deo, secundum hanc non indiguisse aliquo modo phantasmate ad intelligendum; quamvis non sit negandum potuisse quoque se ad phantasmata convertere, si libuisset.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 45. q. 1. n. 5.] paritatem illam Philosophi esse intelligendam quoad acquisitionem primam primae intellectionis, in qua intellectus viatoris dependet a phantasmatibus, sicuti sensus ad sensibilia; caeterum quoad usum speciei acquisitae, non subsistere paritatem; quia intellectus potest uti forma prius acquisita, esto non sint praesentia illa, quae prius necessaria erant ad eius formae acquisitionem. Hinc animae separatae convenit intelligere quidditates sibi habitualiter notas, cum esset in corpore; ac proinde multo magis poterit Christi anima citra omnem conversionem ad phantasmata uti speciebus, non quidem a rebus acquisitis, sed desuper sibi inditis. — Ex quo manifestum est, [*Oxon.* 1. d. 3. q. 6. n. 8. seqq.] potentiae intellectivae, quatenus potentia est, omnino accidentaliter coniungi vim phantasticam, quia absolute potest intelligere, nullo influxu ab ipsa accepto; ac proinde intellectum in sua propria operatione dependere minime posse ab illa potentia, cui contingenter coniungitur; si itaque aliunde sit obiectum intellectui praesens, quam per organum phantasiae, potens erit tendere in illud, ac perfecte intelligere absque ulla cooperatione phantasiae.

ARTICULUS III.

UTRUM SCIENTIA INFUSA CHRISTI FUERIT COLLATIVA.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 1. *q.* 5. — 3. *d.* 14. *q.* 3. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 11. *a.* 3.

VIDETUR scientia infusa Christi non fuisse collativa. Siquidem [*Oxon.* 2. d. 1. q. 5. n. 3.] Angelorum scientia est sine discursu, et collatione unius obiecti ad aliud; sed scientia Christi est longe eminentior et maior scientia quorumcumque Angelorum; ergo scientia Christi non fuit collativa. *Assumptum* patet, quia Angeli intelligunt sine discursu.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Imperfectionis est in nobis, a notis ad ignota discurrere, atque ita acquirere aliquem habitum conclusionis, qui scientia proprie nuncupatur; ergo cum intellectui animae Christi fuerint omnia nota a principio per scientiam infusam, nequiit a notis ad ignota discurrere, unum ad aliud conferendo, secundum hanc scientiam inditam.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Anima Christi perfecte novit, et comprehendit quidditates rerum, quae relucebant in speciebus sibi a Deo infusis; ergo uno eodemque instanti simul attigit omnia earumdem praedicata, seu primaria seu secundaria; ergo in ipsius intellectu locum non habuit discursus. *Probatio primae consequentiae:* nam alioquin ille actus non fuisset comprehensivus earum quidditatum; quia aliqua praedicata effugissent vim perceptivam illius. *Probatio secundae consequentiae:* nam discursus est a notis ad ignota; nemo enim discurrit ex uno ad aliud, cum fuerint ambo perinde perfecte cognita; quod si eveniat, [*Oxon.* ib. 3. d. 34. n. 16.] quaedam inutilis exercitatio et superflua speculatio esse videtur, quae in Christo locum habere non possunt.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 18. n 11.] Perfectus in cognoscendo non discurrit: sed Christus in suae conceptionis principio fuit perfectus in cognitione abstractiva omnium rerum; ergo fuit expers omnis syllogizationis et discursus. *Probatio maioris;* nam ex Philosoph., 2. *Physicor.*

text. com. 36. artifex perfectus in citharizando non discurrit, nec syllogizat in percutiendo chordas; quia alias minime foret perfectus citharoedus.

CONTRA: [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Christus habuit veram animam rationalem; igitur potuit habuisse actum competentem rationali, quatenus rationale est: sed talis actus est discurrere a notis ad ignota; ergo eius scientia infusa fuit collativa.

RESPONDEO dicendum, Christum, cum fuerit verissime homo, habere potuisse, ac reipsa elicuisse actum proprium hominis, qualis est discursus. Verumtamen [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 8. — *Report.* ib. n. 13.] discursum non semper facere, ut acquiratur cognitio conclusionis, ad quam discursus extenditur, sed dumtaxat id verum esse, cum conclusio prius erat ignota, latebatque discurrentem. Si itaque Christo in primo suae conceptionis instanti innotuerunt omnia principia et conclusiones in illis inclusae, potuit quidem a principiis ad conclusiones discurrere, quia rationalis erat; sed tali discursu nihil novi didicisset, quod prius ignoraverit. Sed non videtur in uno, eodemque instanti ipse attingere potuisse in speciebus sibi a Deo infusis omnia principia, et conclusiones in illis virtualiter contentas: esto enim cognoverit in primo instanti per species infusas habitualiter omnium rerum quidditates, non videtur tamen in eodem instanti attigisse pariter earumdem passiones, sed in sequenti. Nam illa scibilia sunt nata eo ordine cognosci, ut per prius sciantur quidditates, veluti passionum principia, et postea attingantur earum proprietates; igitur intellectus animae Christi in attingentia rerum in proprio genere, fuit revera collativus atque discursivus a notitia terminorum ad notitiam conclusionum in illis involutarum; scientia enim quidditatum est scientia terminorum, vel principiorum, qui est habitus intellectus; scientia vero proprie dicta est habitus conclusionum, secundum Philosoph., 8. *Physicor.*, text. com. 60. Scientia igitur infusa Christi fuit collativa.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, *assumptum* esse falsum; quia [*Oxon.* 2. d. 1. q. 5. n. 3.] sicut intellectus Angelicus non omnia actu et distincte simul novit, ita a notis ad ignota potuit discurrere, unum ad aliud conferendo, scientiamque novam rerum in proprio genere acquirendo; habet ergo Angelus potentiam intellectivam, valentem discurrere, non secus ac homo, quia est collativa, immaterialis et finita. — *Et cum subditur:* scientia Christi fuit maior scientia Angelorum; *respondeo,* [*Prol.* q. 3. 2. lat. n. 23.] hanc scientiae amplioris extensionem variare nequivisse modum intelligendi animae Christi, quae ut erat finita, ita poterat immutari a quidditatibus relucentibus in speciebus infusis ad cognoscendum earumdem passiones, nisi ordine quodam, et consequenter discurrere a notis in actu primo ad cognitionem actualem eorumdem, quae in illis iam notis virtualiter includebantur.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* Prol. q. 3. 2. lat. n. 23.] imperfectionem importatam per potentiam discurrendi esse inseparabilem a natura intellectuali finita; quia solus intellectus divinus non discurrit, propterea quod immutari non possit ab obiecto ullo finito, cum Essentia Divina faciat omnia nota illi intellectui, movendo in intellectionem scibilium eo modo, quo sunt ab intellectu attingibilia. Perfectio itaque [*Oxon.* 2. d. 1. q. 5. n. 3.] quam acquirimus per discursum est perfectio supplens imperfectionem. — *Et cum dicitur:* intellectui animae Christi fuerunt omnia nota a principio; *respondeo, in solutione* iam declaratum fuisse, qualiter

si poneretur Christum omnia simul scivisse, principia scilicet et conclusiones in illis involutas, non potuisse tunc discurrere, taliter ut per discursum aliqua nova notitia sibi acquireretur. At ponendo omnia intellexisse habitualiter in actu primo in speciebus infusis, propria virtute elicuisse conclusiones principiorum, et attigisse actualiter in actu secundo ea, quae includebantur in quidditatibus notis. Et ita scientiam infusam in ipso collativam extitisse.

AD TERTIUM respondeo, probabile videtur in ipso primo instanti non perinde Christo innotuisse omnia quidditatum praedicata, sed ea percepisse ordine, quo erant illa attingibilia; quod si evenit, iam per discursum Christi anima attigit secundaria illarum quidditatum praedicata. Discurrens enim [*Oxon.* Prol. q. 3. lat. 4. n. 27.] (ut tactum est) exigit dumtaxat ordinem naturae, scilicet ut principium discursus sit naturaliter prius notum, atque ita sit causativum alterius extremi discursus. Quod si fuerunt in uno instanti naturae omnia illi penitus nota, tunc adhuc potuisse discurrere, esto non fuerit sibi acquisita per discursum notitia alicuius ignoti. — *Et cum arguitur,* quia talis discursus videri debuisset inutilis exercitatio et speculatio; *dico,* [*Oxon.* 3. d. 18. 19. et 20. — 4. d. 2. q. 1.] Christi voluntatem semper dilexisse Deum actu amoris intensissimo, et proximum propter Deum, quare cum creaturas ad Deum conferebat, non fuisse aliquam inutilem exercitationem et speculationem, sed actus eximie meritorios, Deoque proinde acceptissimos.

AD QUARTUM dico, perfectum in cognoscendo non discurrere, quasi acquirat per discursum cognitionem latentem se; sed posse tamen, cum habeat potentiam collativam, ut explicatum est.

ARTICULUS IV.

UTRUM HAEC SCIENTIA IN CHRISTO FUERIT MAIOR SCIENTIA ANGELORUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 11. *art.* 4.

VIDETUR scientia infusa animae Christi non fuisse maior scientia infusa Angelorum. Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 10. 12.] quaelibet perfectio proportionatur suo perfectibili proprio: scientia est perfectio intellectus; ergo est illi proportionata: sed intellectus humanus est inferioris ordinis, et Angelicus superioris; ergo scientia intellectus Angelici est major scientia infusa animae Christi.

2. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 6. n. 5.] Quo aliqua scientia est immaterialior, eo est maior; nam in immaterialibus idem est maior quod melius: sed scientia Angelorum est immaterialior scientia Christo infusa; ergo est maior. *Probatur minor:* quia *ex articulo secundo,* Christus potuit intelligere convertendo se ad phantasmata, cum materiales potentias habuerit; id vero non licuisset Angelis, omnis materiae expertibus; ergo horum scientia est immaterialior, et ita maior scientia Christo infusa.

3. PRAETEREA. [12. *Metaph.* q. 26 n. 2.] Eam scientiam esse alia maiorem et eminere censendum est, quae magis accedit ad perfectionem scientiae divinae: sed haec est scientia Angelorum, non scientia animae

Christi; ergo scientiae animae Christi tamquam minori praeferenda est scientia Angelorum. *Probatio minoris;* nam substantiae separatae, quae Angeli dicuntur, unica apprehensione percipiunt quaecumque sunt intelligibilia, circa ea, quae illis obiiciuntur: scientia vero Christi est collativa et discursiva, *ex art. praec.;* ergo scientia Angelorum magis accedit ad perfectionem scientiae divinae, ac proinde est scientiae Christi praeferenda, veluti ea eminentior.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 20.] Ab anima Christi illuminantur Angeli; etenim illuminationes non fiunt secundum ordinem naturarum, sed secundum quod gratiae sunt ordinatae; est autem dispositum, ut ab illa anima ceu a capite descendant omnes gratiae et dona supernaturalia in Ecclesiae corpus mysticum; igitur eius animae scientia est amplior et eminentior scientia Angelorum.

RESPONDEO, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 4. n. 1. seqq.] *quaesitum* posse intelligi, vel de scientia infusa *habituali,* vel de *actuali* scientia Christi. Et quoad *primam,* dicendum, eam esse perfectiorem quavis alia scientia creata, adeo ut nulla alia creabilis possit esse maior et perfectior illa, licet possit dari aequalis. *Probatio:* etenim omnes attribuimus voluntati Christi gratiam perfectissimam, seu summam, qua nempe maior esse non possit; ergo pariter debemus attribuere eius intellectui scientiam habitualem infusam perfectissimam; habet ergo species intelligibiles omnium quidditatum, per quas intelligit perfectissime res omnes cognitione abstractiva habitualiter.

Quantum vero [*Oxon.* ib.] ad cognitionem *actualem* attinet, potest esse sermo, vel de abstractiva, vel de intuitiva. Et de priori, dicendum animam Christi non posse perfectissime cognoscere per scientiam infusam, quae novit, ex ea parte, qua intellectus est causa partialis respectu intellectionis. Quia intellectus animae Christi non est perfectissimus intellectum creatorum, cum ipso sit perfectior Angelicus; igitur quanto ista causa partialis est imperfectior, tanto debet esse imperfectior et ipsa intellectio; haec enim elicitur secundum virtutem intellectus, et obiecti praesentis, sine miraculo speciali. — Quod si species infusae in anima Christi ponantur tanto perfectiores speciebus aliis, quae perfectioribus sunt inditae intellectibus, quanto intellectualitas animae Christi deficit ab intellectivitate alterius intellectus, tunc totum istud, scilicet intellectus animae Christi cum speciebus modo praedicto perfectis, potest aequari intellectui perfectiori habenti species minus perfectas, et per consequens potest sequi effectus aequalis. — Sed [*Oxon.* ib. n. 3.] quoad *intuitivam* dicendum: quoniam in hac cognitione obiectum non ut in specie, sed quatenus in sua existentia praesens, agit, et ut in se praesens est idem, et eodem modo se habens cum quocumque operetur; sequitur, intellectum, cuius intellectualitas est imperfectior, habere actum intelligendi imperfectiorem illo, cuius est intellectus perfectior. At quantum attinet ad intuitivam in Verbo, dicendum est, intellectum animae Christi videre perfectissime quaecumque videt, quia intellectio aliorum obiectorum in Verbo pendet, et mensuratur ab intellectione, qua attingitur Verbum: illa vero anima videt Verbum perfectissime; ergo etiam alia, quae in Verbo relucent; Absolute tamen loquendo [*Report.* 3. d. 14. q. 2. n. 24.] anima Christi illud habet prae aliis beatis Angelis, et hominibus, quod iuxta Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 21. videt futura in Verbo,

si ad ea se convertat; caeterae enim mentes id non habent, nisi ex revelatione speciali, aut ex verisimilibus coniecturis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo ex praedictis *in solutione*, [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 5.-6. 10.] Animae Christi esse attribuendam scientiam perfectissimam habitualem, cui nulla alia sit par, sicuti constat habuisse summam gratiam creabilem. — *Et cum instatur* de proportione perfectionis et perfectibilis; *dico,* eamdem proportionem habere omnem creaturam intellectualem ad quamlibet scientiam creabilem, quam habet summa natura creata ad summam scientiam; atque ita accidere naturis intellectualibus, ut comparantur ad perfectibile, esse magis, et minus perfectas, quia inquantum respiciunt hanc perfectionem, sunt eiusdem rationis: sicuti accidit lapidi et ligno inquantum respiciunt albedinem, non esse eiusdem rationis. Loquendo autem de scientia actuali infusa, cuius intellectus est causa partialis, intellectus Angelicus perfectiorem elicuisset cognitionem, ut perfectiori pollet naturaliter intellectu, quam Christi anima, nisi species infusae animae Christi altera ex parte supplevissent intellectus imperfectionem, ut prius dictum fuit.

AD SECUNDUM respondeo; Christum secundum scientiam infusam convertere quidem se potuisse ad phantasma, quia nullum est inconveniens eius phantasiam cudisse sibi quarumdam specierum intelligibilium phantasmata; sed nullam id faciendi necessitatem habuisse; quia quemadmodum species illae nullam habebant dependentiam a sensibilibus, cum fuerint a Deo immediate inditae, ita absque ope phantasmatum intelligere valuisse quaecumque repraesentabant, ac proinde hac ex parte Angelorum scientiae nullam esse excellentiam supra Christi scientiam tribuendam.

AD TERTIUM dico, Angelorum intellectum, non secus ac alias mentes rationales, moveri a rebus, ac sequi naturam rerum scibilium, in eorumdem apprehensione; [*Metaph.* 5. q. 13. n. 2.] scientia igitur omnis intellectus creati mensuratur a rebus, quae percipiuntur; contra vero, scientia Dei est rerum mensura. Hinc cuncta naturalia se habent ad scientiam Dei, sicuti artificialia ad scientiam nostram; nam artificialium nostra scientia est causa, sicuti naturalia causantur a scientia divina, in esse scilicet intelligibili. Quoniam igitur [*Oxon.* 1. d. 36. et 45. per tot.] omnia rerum intelligibilia ordine quodam apta sunt manifestari intellectui, qui circa illa versatur, ut primo praedicata essentialia, exinde secundaria per illa intelligantur, eo modo sunt pariter perceptibilia ab intellectu Angelico; ac proinde scientiam eorum oportet esse collativam, non secus ac aliarum creaturarum intellectualium. Ex hoc igitur capite nequit argui excellentia scientiae Angelorum prae scientia animae Christi, imo hanc debere cuicumque scientiae Angelorum praeferri, ex dictis hic et in *quaest.* 8. *art.* 4. exploratum esse debet.

ARTICULUS V.

UTRUM SCIENTIA INFUSA CHRISTI FUERIT HABITUALIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 3 et 4. — *Report. ib. q.* 4.
S. Thom. 3. *p. q.* 11. *art.* 5.

VIDETUR, scientia infusa Christi non fuisse habitualis, sed prorsus in actu. Nam [*Oxon.* 3. d. 14. q. 4. n. 2.] talis scientia in intellectu animae

Christi habuit summam perfectionem creabilem: sed scientia habitualis minime est perfectissima, sed ipsa perfectior est scientia actualis; ergo actualis et non habitualis erat scientia infusa animae Christi.

2. PRAETEREA. Per scientiam infusam anima Christi attingebat omnia quae sunt scibilia per talem scientiam; ergo nihil sibi profuissent habitus; hi enim ponuntur, ut potentia non perfecte de se habilitata exeat in actum intelligendi perfectissimum per ipsum habitum: sed intellectus animae Christi lumine gloriae perfusus opus non habebat alio habitu, ut habitualiter ad actus intelligendi producendos perficeretur atque habilitaretur; ergo omnino nihil sibi profuisset habitus scientialis.

3. PRAETEREA. Si scientia Christo infusa sit habitualis, seu per species intelligibiles; igitur [*Oxon.* 4. d. 45. q. 1. n. 5. — 3. d. 14. q. 2. n. 20] species intelligibiles omnium quidditatum conservatae in intellectu animae Christi, aut omnes movebunt ad intellectionem, vel ad considerationem omnium repraesentatorum per ipsas; vel nulla movebit. Si omnes simul, igitur intellectus animae Christi non percipiet ea obiecta distincte; quia virtutis finitae attentio circa plura obiecta est minus perfecta; eiusmodi autem imperfecta et indistincta cognitio non congruit perfectionibus Christi; igitur videtur nullam speciem movere ad intellectionem obiecti, et ita frustra poneretur haec scientia habitualiter in intellectu Christi.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Scientia infusa Christi fuit eiusdem rationis, ac scientia infusa Angelorum: ista erat scientia habitualis; ergo et scientia infusa animae Christi erat habitualis.

RESPONDEO dicendum, scientiam Christo infusam, qua intelligibilia in proprio genere attingebat fuisse scientiam habitualem; notitia enim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 4. seqq.] actualis obiecti in genere proprio est secundum virtutem naturalem ipsius intellectus in se: intellectus autem finitus non potest ad quaecumque obiecta simul distincte percipienda propria virtute naturali converti, quia non omnia virtualiter continet; ergo cum sit attribuenda intellectui animae Christi perfectio, quam habuisse Angelos communiter ponitur, scilicet species infusas quidditatum omnium intelligibilium, et simul omnia repraesentata in ipsis intelligere non potuerit, sequitur intellexisse habitualiter, atque eius scientiam infusam fuisse habitualem, qua subinde poterat uti ad libitum ad percipienda in proprio genere quaelibet, quae continebantur virtualiter in ipsis speciebus intelligibilibus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, utique scientiam infusam animae Christi fuisse summe perfectam, idest, species intelligibiles ipsi inditas quidditatum rerum extitisse perfectissimas. — *Et cum subditur:* scientia actualis est habituali perfectior; *ista propositio* est vera caeteris paribus. quia [*Report.* 3. d. 14. q. 3. n. 5.] non in omni intellectu est possibilis scientia actualis omnium intelligibilium in proprio genere, sed tantum in intellectu infinito: intellectus ergo animae Christi habuit scientiam infusam perfectissimam sibi possibilem: cum enim intellectus finitus de se non habeat perfectionem omnium intelligibilium, opus est, ut ipsi dentur eorum repraesentativa, quibus perfectionibus eius suppleatur imperfectio, et habilitetur ad producendos perfectissimos actus; et quia ad omnia simul intelligibilia in proprio genere nequit terminari, necessario et ipsi talis scientia est habitualis.

AD SECUNDUM dico, per scientiam infusam Christum non attigisse

omnia actualiter, ut dictum est, ac proinde necessarii sibi fuerunt habitus. vel species intelligibiles, per quas exire posset in actum eorum, quae intelligere voluisset in proprio genere. — *Et cum dicitur:* fuit eius intellectus habituatus per lumen gloriae, *respondeo:* [*Oxon.* 2. d. 3. q. 10. n. 9.] tali habitu nequaquam sibi praesentia fuisse intelligibilia creata in proprio genere, sed requirebantur species distinctae singularum naturarum, sive specierum, per quas ipsa forent ipsi praesentia sub ratione intelligibilis, et consequenter eius scientiam fuisse habitualem.

AD TERTIUM, (quod specialem praesefert difficultatem in intellectu Christi, qui potuit intelligere sine conversione ad phantasmata, cum enim intellectus intelligit ex phantasmatibus, tunc species intelligibilis movet intellectum, cuius phantasma phantasiae obversatur.) *respondeo,* [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 20.] ex voluntate Christi pendere quaenam illarum specierum habeant movere intellectum eius; sicut enim a voluntate illa est, ut haec, aut illa ex infinitis obiectis in Verbo relucentibus intellectus videat; ita pariter ut idem intellectus moveatur ab his, aut illis speciebus, per quas attingit res in proprio genere, ex imperio pendere voluntatis, praecipientis intellectui, ut se ad haec, aut illa in proprio genere percipienda convertat.

ARTICULUS VI.

UTRUM HAEC SCIENTIA INFUSA FUERIT DISTINCTA PER DIVERSOS HABITUS.

Doctor, Oxon. Prol. q. 3. — 1. d. 3. q. 7. — 6. *Metaph. q.* 1. *S. Thom.* 3. *p. q.* 11. *a.* 6.

VIDETUR scientia infusa animae Christi non fuisse distincta per diversos habitus. Nam [*Oxon.* 3. d. 25. n. 2.] in nobis est unus habitus fidei infusus respectu omnium credibilium, unus spei respectu omnium sperandorum, et unus denique charitatis respectu omnium diligendorum ex charitate; igitur unus quoque fuit in Christo habitus scientiae infusae respectu omnium scibilium.

2. PRAETEREA. Si essent ponendi plures habitus scientiales in anima Christi, maxime quia una species non est ratio repraesentandi obiecta alterius atque alterius rationis: sed hoc non concludit pluralitatem talium habituum; ergo unus habitus scientialis est in Christo ponendus. *Probatio minoris:* [*Oxon. Prolog.* q. 3. lat 2. n. 4 5.] species obiecti repraesentat omnia virtualiter inclusa in illo obiecto: sed est ponibilis species una continens virtualiter omnia intelligibilia; species enim naturae perfectissimae creatae de facto continet virtualiter omnia inferiora se, quia caeteris omnibus perfectior; ergo species infusa ipsius satis est intelligendis omnibus aliis.

3. PRAETEREA. Scientia Christi maior extitit scientia Angelorum: sed scientia Angelorum non distinguitur per diversos habitus; ergo multo minus per habitus distinguenda est scientia infusa Christi. *Probatur minor:* [*Oxon.* 2. d. 3. q. 10. n. 6.] nam Dionysius, c. 12. *Caelest. Hierarch. Angeli,* inquit, *superiores habent universaliorem scientiam, quam inferiores:* scientia autem ideo universalis appellari potest, quia ad plura obiecta cognoscenda se extendit, quam particularis, vel non adeo uni-

versalis; igitur per habitus non distinguitur, atque ita multo minus in Christo, cuius scientiam ob sublimem perfectionem et excellentiam eius, oportuit extitisse universalissimam.

CONTRA. [*Oxon.* 2. d. 3. q. 10. n. 15.] Scientia infusa Angelis distinguebatur per diversos habitus scientiales; ergo etiam scientia infusa animae Christi. *Probatur assumptum:* quia alius erat in ipsis habitus Metaphisicae, et alius Geometriae. Ut enim a diversis obiectis primis erant nati causari illi habitus, si acumine proprio intellectus sibi ipsis eos acquisivissent, ita infundebantur a Deo; nec est enim alterius rationis species acquisita unius obiecti a specie infusa eiusdem.

RESPONDEO dicendum, scientiam infusam in anima Christi fuisse distinctam per diversos habitus scientiales, sicuti ponitur distincta in caeteris hominibus, et Angelis. In tantum enim [*Oxon. Prolog.* q. 3. lat. 2. n. 22 23.] intellectus Divinus de omnibus cognoscibilibus solum habet cognitionem theologicam, in quantum virtute primi obiecti theologici continentis omnia eminenter et virtualiter scit illa: ille enim intellectus non potest immutari ab aliquo alio obiecto praeter divinam Essentiam, quia tunc vilesceret: sed potentia intellectiva creaturarum, sive beatarum, sive non, potest immutari a quidditatibus creatis ad cognitionem veritatum inclusarum in eis; igitur intellectus animae Christi immutabatur ab obiectis relucentibus in speciebus sibi infusis, et tot habitus scientiales habuit, quot habuisset alia anima, cui data est eadem scientia infusa per species inditas; nam ille intellectus quoad notitiam aliarum in genere proprio, procedit secundum suam virtutem naturalem, et pariter concurrit obiectum sine miraculo speciali.

Sed quos tandem habitus scientiales habuit? *Respondeo,* non videtur habuisse habitum theologicalem infusum; quia etsi [*Oxon.* 2. d. 3. q. 9. n. 6. seqq.] videatur ponendus in Angelis, quibus Deus indidit speciem divinae Essentiae, eo quod absolute erant viatores; quia tamen anima Christi in primo instanti fuit beatissima per visionem et fruitionem divinae Essentiae, non apparet quomodo data ipsi sit eadem species divinae Essentiae, quam intuitive videbat et perfectissime; igitur infusa species eiusdem superfluisset; sed ad intelligenda alia obiecta in genere proprio indigebat speciebus infusis, ex quibus sua virtute naturali eliciebatur visio; distinctio igitur habituum vel scientiarum accipienda est ex parte obiectorum, ut tot sint scientiae formales specie distinctae, quot conclusiones specie distinctae; sive conclusiones illae fuerint prius notae in principiis, sive scitae fuerint per discursum, perinde est quoad habitus scientiales specie distinctos. *Et hoc probatur:* [*Oxon.* 1. d. 3. q. 7. n. 41.] quia ad individua eiusdem speciei non requiritur totalis causa diversa specie, vel aliquid in totali causa diversum specie ab eo, quod est in totali causa alterius individui: sed ad intellectionem albi et nigri necessario requiruntur aliqua diversa specie, album scilicet et nigrum, vel aliqua includentia ipsa; ergo ista duo magis differunt, quam individua unius speciei; ergo differunt specie; igitur alius et alius habitus inclinat ad cognoscenda illa. *Et si dicas,* quia tunc non esset una scientia de pluribus speciebus specialissimis; *respondeo,* speciem unam specialissimam posse includere multas alias species virtualiter, sive passiones earum, sive per modum causae, sive per alium ordinem essentialem; et tunc habitum illum, qui est formaliter illius obiecti primi includentis alia, esse universaliter aliorum obiectorum,

licet non formaliter et primo. Esse igitur illum habitum unum ab unitate primi obiecti virtualiter continentis omnia, quae continentur in illo; at non esse proprium cuicumque virtualiter contento in primo, sed singulis in eo contentis specie distinctis correspondere proprium habitum specificum, seu producantur ab ipsis, seu aliquae et propriae species infusae inclinent ad cognoscenda illa, quia ipsae species infusae non sunt alterius rationis ab illis, quae ab ipsis obiectis producuntur, vel possunt produci. — *Breviter igitur:* in anima Christi sunt tot habitus proprii specie distincti, quot obiecta scibilia specie distincta per ipsos, propter naturalem similitudinem inclusam in speciebus infusis, et cum hoc possunt in ipsa esse plures habitus communes respectu multorum complexorum: cum enim [*Metaph.* 6. 6. q. 1. n. 8,] conclusiones sint in principiis virtualiter, et principia virtualiter in subiecto; subiectum enim virtualiter includit praedicatum in principiis primis, et hoc essentialiter si sint per se primo modo; vel virtualiter, si sint per se secundo modo; sequitur in subiecto incomplexo quidditative cognito virtualiter contineri principia et conclusiones de tali subiecto; atque ita totam notitiam, quae de ipso nata est haberi, et etiam ulterius eam, quae nata est haberi de aliis per rationem eius, sive sint inferiora contenta sub ipso, sive sint alia attributa ad ipsum, ut ad subiectum primum. Habitus ergo inclinans formaliter ad speculandum tale subiectum secundum rationem quidditativam inclinat virtualiter ad intelligenda omnia in ipso involuta aliquo ex praedictis modis, ac proinde est habitus communis.

Ad Argumenta. Ad primum concedo, habitus virtutum theologicarum nobis infusos esse unius rationis, utpote in unum obiectum tendentes sub unica ratione; quia ergo e contra alia est ratio unius obiecti primi unius scientiae diversae rationis ab alio obiecto, necessario sunt in Christo ponendi plures habitus scientiales.

Ad secundum, nego esse possibilem unicam speciem intelligibilem obiecti creati repraesentantem omnia intelligibilia. — *Et cum probatur* de natura creata suprema caetera imperfectiora continente; *respondeo*, impossibile esse continere hanc naturam omnia imperfectiora se virtualiter, quia tunc posset producere illa; nemo autem dixerit Angelum posse producere hominem, aut bovem; continentur ergo omnia imperfectiora in suprema natura creabili eminenter, sed non virtualiter, quia tantum in prima natura utraque continentia concurrit; sed talis continentia eminentialis minime sufficit ad distincte percipienda inferiora sub propriis rationibus; ac proinde requiruntur propria repraesentativa singulorum.

Ad tertium respondeo, Dionysium nolle scientiam unam Angelorum esse rationem cognoscendi plura distincta, quae inferior intellectus attingeret per species diversas; nam [*Oxon.* 2. d. 3. q. 10. n. 21.] absolute conditio intellectus finiti est, ut indigeat pluribus speciebus pro cognoscendis aliis in proprio genere; universalior ergo scientia in Angelis est, quia limpidior et intensior, et multo magis in intellectu animae Christi oportet esse limpidissimam et intensissimam; sed non propterea attingit obiecta in proprio genere, nisi per propriam uniuscuiusque speciem, quia ille intellectus finitus est, et movetur ad ipsorum cognitionem, perinde ac intellectus aliarum creaturarum.

QUAESTIO DUODECIMA.

DE SCIENTIA CHRISTI ANIMAE ACQUISITA, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de scientia animae Christi acquisita vel experimentali.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum secundum hanc scientiam cognoverit omnia. - 2. Utrum in hac scientia profecerit. - 3. Utrum aliquid ab homine didicerit. - 4. Utrum acceperit aliquid ab Angelis.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS SECUNDUM HANC SCIENTIAM COGNOVERIT OMNIA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 3. — *Report.* 2. *d.* 9. *q.* 2. *S. Thom.* 3. *p. q.* 12. *a.* 1.

VIDETUR Christus non cognovisse omnia per scientiam acquisitam: Nam [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] ad *Hebraeos,* 5. dicitur, *didicit ex his, quae passus est obedientiam.* Didicit ergo per experientiam: sed non habuit experientiam de omnibus; igitur nec omnia potuit nosse scientia acquisita per experimentum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Lucae, 2. *Iesus proficiebat aetate et sapientia coram Deo et hominibus:* sed proficiebat per cognitiones intuitivas multorum obiectorum; ergo cum non potuerit intueri obiecta omnia existentia, nec omnia potuit didicisse.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 3. q. 10. n. 15.] Nihil cognoscit intellectus finitus scientia acquisita, nisi habeat propriam speciem repraesentantem obiectum cognoscendum: sed intellectus animae Christi nequiit acquisivisse sibi species omnium obiectorum intelligibilium; ergo nec illa intelligebat per scientiam acquisitam. *Probatur minor:* quia eius intellectus non fuit praesens omni obiecto, sic ut potuerit causare propriam speciem in illo; ergo omnium species obiectorum non acquisivit, et per consequens nec omnia per scientiam acquisitam potuit cognoscere.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Magister, 3. *d.* 14. *c.* 3. Christus nullam ignorantiam habuit, quia non expediebat nobis ipsum assumere defectum illum: nisi autem scivisset omnia per scientiam acquisitam, habuisset aliquam ignorantiam; igitur sciebat omnia.

RESPONDEO dicendum, Christum per scientiam acquisitam didicisse et scivisse omnia, quae per ipsam poterant sciri. Quia [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 4. seqq.] est attribuenda isti animae ea naturalis perfectio, quam habuerunt Angeli: atqui Angeli, quamquam acceperint species infusas universalium specierum, potuerunt tamen per propriam virtutem naturalem intellectus agentis acquirere cognitionem omnium rerum naturalium, abstrahendo species ab ipsis rebus; igitur pariter et anima Christi potuit

a rebus habere species, per quas sciret omnia, ut scivisse credendum est, quando id cedat in maiorem eius perfectionem.

AD ARGUMENTA ad duo priora dicendum [*Report.* 3. d. 14. q. 3. n. 13.] Christum nec omnia quae erant in propria existentia intuitum esse, nec expertum fuisse; sed per illa quae vidit et expertus est didicisse caetera eo modo, quo poterant sciri: nam [*Oxon.* 4. d. 50. q. 3. n. 3. — ib. d. 3. q. 2.] non omnia sunt cognoscibilia secundum speciem propriam, ex Augustino, 9. *De Trinit.*, cap. 10. Sed quaedam ita cognoscuntur, quaedam vero sciuntur per privationem. Et quidem cognitio secundum speciem est eius rei, quae cognoscitur in se; secundum privationem vero cognoscitur, quod per aliud intelligitur; quod etiam dicit Philos., 4. 7. et 9. *Metaph.*, scilicet privationem cognosci per habitum. *Rursus*, quae cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per species creaturarum, quia sicut universalius et minus universale cognoscuntur per eamdem speciem minus universalis in intellectu causantem speciem cuiuscumque universalioris; ita creaturae, quae imprimunt proprias species in intellectu, possunt etiam imprimere species transcendentium, quae communiter conveniunt ipsis, et Deo; omnia igitur novit illa anima, vi suarum potentiarum eo modo, quo poterant cognosci; habuitque propterea scientiam acquisitam omnium, ultra scientiam beatam et infusam.

AD TERTIUM dico, extitisse iam declaratum qualiter ad hoc ut aliquid ab intellectu finito sciatur, non oportet, ut habeat speciem propriam eius obiecti; nam ad cognitionem abstractivam absentis, nec alias cogniti per proprium repraesentativum, satis est intellectum habere speciem ex iis, quae novit; et ita privationes sciuntur per habitus, et Deus cognoscitur per species creaturarum; quaedam intelliguntur per speciem similitudinis, et alia per oppositum; unde dictum non fuit *in solutione* Christum scivisse omnia per scientiam acquisitam, eo quod omnium acquisiverit proprias species, sed agnovisse eo modo, quo erant ab ipso scibilia, vel poterant sciri abstractive per species acceptas ex illis obiectis, quae intuitive noverat.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS IN HAC SCIENTIA ACQUISITA PROFECERIT.

Doctor, loc. cit. art. antec. — S. Thom. 3. *p. q.* 12. *art.* 2.

VIDETUR Christus secundum scientiam acquisitam non profecisse. Nam scientia infusa Christus minime proficere potuit, quia alioquin per illam non attigisset omnia: sed pariter per scientiam acquisitam scivit omnia *ex art. praec.*; ergo secundum scientiam acquisitam non profecit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 10.] Attribuenda est Christo scientia sine imperfectione; alias non esset absimilis a scientia caeterarum creaturarum intellectualium: sed si secundum scientiam acquisitam profecit, id fieri nequiit sine imperfectione praeexistentis scientiae, quae prout profecisset, mota esset de potentia ad actum; ergo scientia acquisita Christi extitisset maxime imperfecta, perinde ut scientia caeterorum hominum acquisita; *Quod enim proficit* (inquit Ambrosius *De Incarnat.*) *mutatur in melius.*

3. PRAETEREA. Damascenus, lib. 3. cap. 22. *Qui proficere,* inquit, *dicunt sapientia, et gratia, ut horum accessionem additationemque subinde suscipientem, non ex extrema carnis existentia unionem factam adstruunt, neque secundum hypostasim adorant unionem;* igitur diserte dicit idem esse ponere profectum scientiae in Christo, ac ipsum negare; ergo non profecit.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] Lucae, 2. *Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines:* Non profecit autem secundum sapientiam infusam; ergo per acquisitam.

RESPONDEO dicendum, Christum proprie iuxta hanc scientiam acquisitam profecisse; idest [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 8.] didicisse multa, non quoad cognitionem abstractivam aliquorum habitualem, sed quoad intuitivam, tam actualem, quam habitualem. Per cognitionem enim intuitivam non poterat attingere aliquod obiectum in proprio genere, nisi ut est praesens in sua existentia reali: de re autem [ib. n. 7. — 4. d. 45. q. 3. per tot.] ut praesens in sua existentia non tantum relinquitur species sensibilis in phantasia, sed aliqua etiam in potentia memorativa, et illae potentiae cognoscunt obiectum sub alia, et alia ratione; nam una cognoscit obiectum secundum se absolute apprehendendo quidditatem eius, alia apprehendit obiectum ut in praeterito apprehensum; ita quod apprehensio praeterita est immediatum obiectum, et obiectum ipsius apprehensionis praeteritae immediatum est obiectum mediatum recordationis. Pariter enim et in intellectu causatur duplex cognitio de aliquo obiecto sensui praesente; una quidem abstractiva, qua intellectus agens abstrahit speciem quidditatis, qua quidditas est, a specie in phantasmate praesentante obiectum absolute, non ut existit hic et nunc; et alia potest esse in intellectu cognitio intuitiva, quae cooperatur intellectui, et ab hac potest derelinqui habitualis cognitio intuitiva in memoria intellectiva, quae sit non quidditatis absolute, sicut altera, sed cognitio ut existens, quando in praeterito apprehendebatur ut praeteriit; et hoc pacto Christus per experientiam didicit multa, per cognitiones nimirum intuitivas, et per memorias derelictas ab ipsis, ut verissime progrediente aetate et sapientia profecerit.

AD ARGUMENTA AD PRIMUM respondeo, *q.* 9. *art.* 4. extitisse declaratum, qualiter Christus habuit scientiam acquisitam quoad cognitionem intuitivam, cum secundum hanc minime cognoscere potuerit omnia in proprio genere, et tametsi, ut dictum fuit, *art. praec.,* scientia acquisita sciverit omnia, non est tamen intelligendum de intuitiva, sed de abstractiva cognitione, quatenus per naturalem sui intellectus virtutem poterat ab obviis obiectis abstrahere species, et per ipsas scire omnia eo modo, quo poterant sciri ab intellectu illo, sicut dictum fuit *art. praec.* respondendo ad *argumenta.*

AD SECUNDUM dico, esse utique attribuendam Christo omnem perfectionem, sed sibi possibilem; alioquin enim si absolute omnem habuisset, non esset ponendum scientiam de novo habere potuisse; ea enim est supplens imperfectionem; qua igitur ratione de novo potuit aliquid didicisse, eadem secundum illam scientiam profecisse tenendum est.

AD TERTIUM respondeo, Damascenum *eo loci* explicare sese; agit enim adversus Nestorium, et cum ipso sentientes: haeretici enim illi, ut ponebant duas in Christo Personas, ita negabant unionem esse factam in unitate hypostasis, ex quo errore ampliantes dictum Evangelicum,

Iesus proficebat aetate et sapientia etc. deducebant omnem sapientiam, nempe acquisitam, et infusam in Christi anima processu temporis accepisse augmentum, quod erroneum est; quia Christi sapientia infusa semper fuit eadem, ideo inquit Damascenus: *Qui sapientiae Christi infusae putant accessionem factam, unionem hypostaticam negant, a Nestorio vane sapiente persuasi habitudinariam unionem et nedum incolatum, falso praedicant, non cognoscentes neque ea, quae dicunt, neque de quibus disserunt.* Haec ille.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS ALIQUID AB HOMINE DIDICERIT.

Doctor, 1. *Poster. q.* 2. *n.* 5. — *Oxon.* 2. *d.* 25.
S. Thom. 3. *p. q.* 12. *art.* 3.

VIDETUR Christus ab homine aliquid didicisse. Nam [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] secundum Apostolum *ad Hebraeos,* 5. *Didicit ex his, quae passus est obedientiam:* sed passionem pertulit ab hominibus; ergo ab hominibus aliquid didicisse videtur.

2. PRAETEREA. Etsi Christi anima statim a sua creatione fuerit beata per visionem et fruitionem divinae Essentiae, cui uniebatur, quia nihilominus [*Oxon.* ib. n. 1.] erat in corpore passibili, Christus extitit nobiscum viator; ergo habebat cognitionem competentem viatoribus, ultra visionem beatam et scientiam infusam: sed viatorum est per multos actus, et experimenta in dies semper aliquid de novo addiscere ex mutua cum aliis hominibus conversatione. Imo Lucae, 2. scribitur, *Inventum esse Christum in templo in medio Doctorum interrogantem illos, et respondentem.* Interrogare autem addiscentis est.

3. PRAETEREA. Christus per scientiam experimentalem, quae prius ipsum experimentaliter latebant a sensibilibus didicit, et accepit; ergo poterat eadem addiscere ab hominibus illis, qui prius experti erant addiscendo sermones eorum.

CONTRA. Christus est caput hominum, et Angelorum, per quem gratia et veritas facta est, idest ex quo, et per quem descendit omnis gratia, et doctrina veritatis in corpus mysticum Ecclesiae; igitur e converso nequiit accepisse aliquid doctrinae a suis membris, sed magis ipsa membra de plenitudine eius acceperunt.

RESPONDEO dicendum, [*Poster.* 1. q. 2. n. 5-6.] scientiam in nobis esse aliquando penitus ab intrinseco, quando scilicet intellectus est bene dispositus, et ex praemissis notis potest devenire per virtutem intellectus agentis in cognitionem conclusionis incognitae sine doctore extrinsecus docente: sed quando intellectus non est bene dispositus, tunc utique requiritur doctor extrinsecus ordinans principia addiscenti, et applicans illa conclusioni, ut inde addiscens veniat in cognitionem ignoti per doctorem, quamvis principaliter ad id cognoscendum deveniat per lumen sui intellectus, qui eo quod non sit perfecte dispositus indiget externo adiutorio. Haec autem nullo pacto possunt habere locum in anima Christi, quae per scientiam beatam et infusam erat summe disposita et apta ad cognoscendum omnia, ut poterant cognosci naturali virtute intellectus ipsius;

igitur nec indiguit aliquo extrinseco doctore, a quo aliquid addisceret, quia habens scientiam in actu primo non indiget aliquo effectivo vel motivo ducente ipsum ad actum considerandi, nisi habens actum primum deficiat in aliquo, quod necessario requiritur ad habendum sciendi actum secundum; nullus autem defectus potest excogitari in anima Christi, a quo ipsa habens species acceptas ab obiectis virtute intellectus agentis, impediretur exire in actum secundum; ergo nec potest intelligi ipsam aliquid ab hominibus didicisse.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 8.] ex illa Apostoli auctoritate aliud non posse concludi, quam Christum experimento didicisse patientiam, quam prius sciebat per scientiam infusam, atque in se habebat, licet hactenus experimentum ipsius non fecisset, et in passione, in qua dirissima quaeque patientissime pertulit. — *Et cum dicitur:* passio infligebatur ab hominibus, ergo ab hominibus didicit: *respondeo,* scientiam illam novam experimentalem per accidens esse, quod provenerit ab hominibus, quia si ab aliis docere quicquam nequeuntibus illata fuisset, adhuc eamdem habuisset experientiam; non didicit ergo ab hominibus tamquam a doctoribus, sed veluti a sensibilibus, erga quae, et per quae actus experimentales illos eliciebat.

Ex quibus Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 8.] concedendo Christum habuisse cognitionem experimentalem convenientem viatoribus, ac per eamdem profecisse; attamen nego ab aliis viatoribus aliquid scientiae accepisse; quatenus proprie dicitur scientia a doctore et per doctorem addisci, licet didicerit aliquid ab ipsis, ut erant sensibilia ipsius potentias sensitivas immutantia. — *Et cum dicitur,* inventum fuisse in medio doctorum interrogantem et respondentem, quod addiscentis est; *respondet* Origenes *super Lucam,* Christum interrogasse, ut doceret, et non ut addisceret aliquid: *Ex uno quippe doctrinae,* inquiens, *fonte manat et interrogare et respondere sapienter, et eiusdem scientiae est scire quid interroges, quidve respondeas.*

Ad tertium dico, nequivisse addiscere ex hominibus tamquam a doctoribus; bene tamen ex ipsis, tamquam a quibusdam sensibilibus, ut dictum est. Ipsa enim sensibilia perfectius docent, quam quaevis humana verba eos, qui possunt exinde haurire sapientiam Creatoris, quae in ipsis relucet: dicit enim [*Oxon.* 1. d. 3. q. 4. n. 2.] Apostolus, 1. *ad Romam.: Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* Longe ergo excellentiorem scientiam ab ipsis sensibilibus experimentalem acquirebat Christus, quam accipere ab hominibus potuisset.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS ALIQUID ACCEPERIT AB ANGELIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 2. et *loc. cit. q.* 8. *a.* 4.
S. Thom. 3. *p. q.* 12. *a.* 4.

Videtur Christus aliquid ab Angelis accepisse, vel accipere potuisse. Nam Christus secundum corpus subiiciebatur influxibus et impressionibus stellarum, non secus [*Oxon.* 2. d. 14. q. 3. n. 6.] ac corpora aliorum ho-

minum, quae alterantur ad aliquem gradum convenientem ipsis, vel etiam disconvenientem; ergo pariter ipsius anima accipere potuit ab Angelis influxus supernarum illuminationum. — *Probatur consequentia:* quia sicuti elementa et corpora conflata ex eis, naturali ordine subiiciuntur corporibus caelestibus, ita anima humana ultimum locum tenens inter formas spirituales, naturaliter subiicitur Angelis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 1. — *Report.* 3. d. 14. q. 2. n.2.] Secundum Dionysium, *De Caelesti Hierarch.*, cap. 7. illuminationes bonorum Angelorum fiunt ordinate: sicuti ergo Angelus superior prius illuminatur, quam inferior, ita prius illuminantur, quam ipsa anima; ergo potuit ab Angelis illuminari; nam ipsa, quantum ad illuminationem, aliquem ordinem tenet inter spiritus illuminatores; non autem illuminat Angelos, quia non habet virtutem activam respectu illorum, cum sit inferioris naturae; ergo illuminatur ab eis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 11. n. 5.] Ex eodem Dionysio, 4. *Caelest. Hierarch.*, habetur, revelationes fieri hominibus per Angelos; manifestum est igitur Angelum posse hominem docere, perinde ut ab alio instruitur homine; sed quantum ad scientiae acquisitionem attinet, Christus non dissimiliter se gessit, ac caeteri homines, qui a rebus sensibilibus hauriunt scientiam experimentalem, tam intuitivam quam abstractivam; ergo si alii homines possunt edoceri ab Angelis, pariter potuit et Christus; at si potuit, profecto edoctus est, quia nulla ei perfectio defuit ex illis, quae sibi potuerunt inesse.

CONTRA. Dionysius, loc. cit.: *Inferiores,* inquit, *caelestium spirituum ordines a superioribus divinorum operum scientiam honestissime discere Theologi apertius indicant: qui vero celsiores omnibus sunt a Deitate ipsa seorsum sacratius erudiri. Quosdam ad Iesum ipsius haesitantes aspectum divinique illius operis, et pro nobis assumptae carnis scientiam discere cupientes, quos ipse Iesus per se doceat, eximiamque benignitatem suam ipsis insinuet.* Vult igitur expresse, Angelos illuminari ac edoceri a Christo, ac proinde is, qui Angelos illuminat, nullam scientiam ab illis accipere potest.

RESPONDEO dicendum, Christum non accepisse aliquid ab Angelis; quia, ut patuit *q.* 8. *art.* 14. ipse est caput Angelorum, cuius gloria et gratia plenissime prius fuit volita, quam fuerit volita gloria et gratia quorumcumque praedestinatorum, ideoque et ipsos Angelos quicquid receperunt a Deo spiritualium donorum, de plenitudine eius recepisse sentiendum est; Christus igitur nequiit participasse aliquid ab Angelis neque quoad gratiam neque quoad scientiam, non solum infusam, sed ne acquisitam quidem; quia cum nihil deesset actui primo animae illius, nullo extrinseco adiutorio sibi opus fuit. Unde [*Report.* 2. d. 11. q. 1. n. 2.] Augustinus, 5. *Confess.*, cap. 6. *Nec quisquam praeter te,* inquit, *alius est doctor veri, ubicumque, et undecumque claruerit;* neque igitur homo super terram, neque Angelus de caelo potuit quidquam docere Christum Iesum, qui est aeterna veritas, et supremus uniuscuiusque Magister et Doctor.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, Christi corpus subiectum fuisse dum erat viator influxibus stellarum, atque impressionibus eorum influxuum, perinde ut caeteros homines; nam cum corpus passibile et mortale accepisset, ut nostrae redemptionis dispensationem impleret, omnes illas

passiones et impressiones diversarum qualitatum perferebat, quae caetera viventia corpora et dolore et molestia afficiunt; at disparem omnino esse rationem de anima ipsius beatissima; secundum illam enim fuit plenus gratia et veritate, de cuius plenitudine omnia membra corporis Ecclesiae accipiunt, ideoque incongruum fuisse lucem illam, qua illuminantur omnes mentes, lumen aliquod participasse ab ullo eorum, qui de illius plenitudine hauriunt quicquid habent.

AD SECUNDUM, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 21. — *Report.* ib. n. 25.] concedo, illuminationes Angelorum et animarum esse ordinatas; non tamen secundum ordinem naturarum, sed gratiarum; et ideo ab Christi anima, quamquam Angelis in natura inferiori, illuminari et illos, quibus et gratiae plenitudine, caeterisque excellentiis longissime praestat. — *Et cum dicitur:* nequit anima Angelos illuminare; *falsum est*, nulla enim in hoc apparet repugnantia; et cum animae in Patria habeant eumdem modum loquendi, quam habent Angeli, poterunt illuminari vicissim, etsi alicui animarum reveletur prius aliqua veritas in Verbo, quam Angelo, poterit et Angelo revelare, non secus ac animae Angelus, si sibi prius facta fuerit revelatio.

AD TERTIUM, concedo regulariter loquendo revelationes fieri hominibus per Angelos; sed non propterea sequi ab illis quicquam Christum didicisse, qui est Angelorum caput, imo eos ab Iesu sacramenta abscondita addiscere et revelationem accipere, ut idem testatur Dionysius, cap. 7. *cit. Caelest. Hierarch.* — *Et cum subditur;* [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 8.] quia Christus in scientiae acquisitione perinde processit, ut caeteri homines; *respondeo,* verum esse, quatenus ab iisdem obiectis incaepit proficere ex quibus homines; sed tamen ea semel accepta notitia, nullius alterius indiguit, cum habuerit intellectum plenissime dispositum per scientias tam beatam, quam infusam; qua dispositione et praeparatione cum careat intellectus aliorum hominum, recte edocentur ab aliis hominibus, et melius instruerentur ab Angelis.

QUAESTIO DECIMATERTIA.

DE POTENTIA ANIMAE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de potentia animae Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum habuerit omnipotentiam simpliciter. - 2. Utrum habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. - 3. Utrum habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis. - 4. Utrum habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis.

ARTICULUS I.

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM SIMPLICITER.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 16. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 13. *a.* 1.

VIDETUR anima Christi habuisse omnipotentiam simpliciter. Nam [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1.] secundum Augustinum, 13. *De Trinit.,* cap. 9.

si Filius Dei naturalis factus est filius hominis, magis credibile est, quod filius hominis naturalis sit gratia filius Dei. Sed quia filius Dei naturalis est filius hominis, revera fuit finitus, passibilis, et mortalis; ergo cum filius hominis factus sit Filius Dei per gratiam, per eamdem liberalissimam condescensionem ille Filius hominis poterit quicquid filius Dei prius quam foret filius hominis: erat autem tunc Filius Dei natura simpliciter omnipotens; ergo simpliçiter omnipotens extitit anima Christi ex gratia.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 1. n. 1.] Anima Christi fuit omnisciens, ut declaratum fuit *in antecedentibus;* igitur extitit omnipotens. *Probatio consequentiae:* nam non minoris perfectionis est omnia scire, quam omnia posse, cum utrumque respiciat omnia et includat potentiam respectu actus tendentis in omne possibile.

3. PRAETEREA. Potentia creandi est omnipotentia simpliciter: sed Christi anima accepit potestatem creandi; ergo habuit omnipotentiam simpliciter. — *Probatio minoris:* [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 2.] nam Damascenus, lib. 3. cap. 4. *De Christo,* dicit: *Iste puer creavit stellas;* ergo Christi animae data fuit omnipotentia simpliciter.

CONTRA. Anima Christi est creata et finita, divinitatique impermixta, secundum Damascenum; igitur sicuti caeterae animae humanae nec sunt nec esse possunt omnipotentes, ita nec anima Christi.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 1. d. 20. n. 11.] cum omnipotentia requirat potentiam infinitam, nullum suppositum esse posse omnipotens, nisi habeat infinitam essentiam, in qua sit pariter et infinita potentia; istud enim universale, quod est omnipotens concomitatur infinitas essentiae. Cum igitur anima Christi sit substantialiter eadem cum aliis humanis animabus, non habens subinde essentiam infinitam, sequitur eamdem non posse habere potentiam infinitam, seu esse omnipotentem. Atque haec est sententia Magistri, 3. *sent. dist.* 14. *cap. si vero* ubi diserte vult datam quidem fuisse Christo scientiam sine mensura, at potentiam nequaquam, *ne omnia potens, et per hoc Deus putaretur;* et pergit: *Verumtamen forte nec potentiam faciendi omnia ei Deus praestare potuit.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, filium hominis gratia evasisse Filium Dei, aliud non importare, quam illam naturam humanam esse unitam personaliter Verbo Divino, atque unam, eamdemque personalitatem Christi subsistere in duabus naturis, divina scilicet et humana realiter et impermixtim in Christo repertis. Quemadmodum igitur natura divina in Christo retinuit suas intrinsecas proprietates, ita et humana; quamvis enim inenarrabilem excellentiam et perfectionem ex tali unione adepta sit, perstitit nihilominus intrinsece humana natura: licet igitur per unionem ad personam infinitam denominari queat infinita, creatrix, et omnipotens, non habet hoc tamen ab aliqua forma sibi intrinseca, sed tantum, quia unitur personae divinae habenti potentiam infinitam; et eodem modo dicendum est de praedicatis intrinsecis naturae humanae, quatenus enunciantur de eadem Christi persona.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 9.] *consequentiam* non recte deduci ex assumpta propositione; et rationem esse, quia omnipotentia ad omne potentiale producendum non potest alicui conferri, nisi illud habeat in se formam unam, vel plures, in qua vel in quibus radi-

cetur potentia omnium possibilium simpliciter fiendorum: haec autem forma non potest esse accidentalis, nec una, nec multae; quia accidens secundum se non habet, nec habere potest, ut tale, virtutem productivam omnium substantiarum; oportet igitur omnipotentiam inesse habenti ipsam per aliquam formam substantialem virtualiter et perfecte continentem omnem formam, et omne ens possibile fieri: sed talis potentia non potest conferri animae Christi manente anima, nec Angelo; quia anima manens anima, et Angelus manens Angelus non potest infrigidare, et ideo repugnat sibi talis forma virtualiter continens omnia. At posse cognoscere omnia possibilia, cum hoc non sit producere ipsa in esse, non requirit nisi potentiam intellectivam et habitus vel species quarum anima est capax; ideo intendendo in sensibilia, non causando ea, sed tantum cognoscendo, non requiritur tanta perfectio in fundamento, quo absolute cognoscit, sicuti in fundamento omnipotentiae, quo potest omnia possibilia causare. Patet igitur, [*Report.* 3. d. 16. q. 2. n. 9.] Christi animam potuisse esse omniscientem, saltem habitualiter, quia imperfectius, nimirum species potest esse principium cognoscendi id, cuius est species repraesentativa; at nequivisse esse omnipotentem, quia imperfectius non potest esse principium producendi perfectius.

Ad tertium respondeo, [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 7.] eadem ratione Christum quatenus homo dici omnipotentem, qua inquantum Deus dicitur passus et mortuus, nempe per idiomatum communicationem, verificatam propter unionem hypostaticam. Caeterum quemadmodum Deus reipsa non patitur, ita nec homini potuit communicari potentia infinita, cui soli competit vis creativa.

ARTICULUS II.

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU IMMUTATIONIS CREATURARUM.

Doctor, loc. cit. art. praeced. — S. Thom. 3. *p. q.* 13. *art.* 2.

Videtur anima Christi habuisse omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Nam, [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 9.] Matthaei ultimo, *Data est mihi,* inquit Salvator, *omnis potestas in Caelo et in terra:* igitur accepit a Patre dominium omnium creaturarum cum omnimoda potestate super ipsas; igitur poterit pro libito immutare omnem creaturam: alias non videretur cum omni veritate dictum, omnem se potestatem in caelo et in terra accepisse.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib. n. 8.] Si quaelibet volitio alicuius purae creaturae adimpleretur per ipsius causalitatem, eadem plane polleret potentia immutandi omnem statum creaturarum, qui posset esse obiectum propriae volitionis: sed quodlibet velle voluntatis Christi fuit efficax, quia adimplendum ab eadem persona; ergo habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

3. Praeterea. Christi anima est vertex et caput omnium creaturarum; omnia enim mediante homine unito Verbo Dei connectuntur cum illo. Nam [*De rer. princ.* q. 10. n. 6.] iuxta Dionysium, cap. 7. *De Divinis nominib.: Infima supremorum coniunguntur supremis infi-*

morum; efficiunt itaque quasi pyramidem quamdam, cuius conus est Christi anima: sed ad supremum in omni genere videtur pertinere potestas disponendi et immutandi pro libito inferiora se; ergo Christi anima accepit omnipotentiam respectu immutationis omnium creaturarum.

CONTRA. Non pollebat anima Christi potentia, quae sequitur ad esse infinitum, *ex art. ant.* ergo neque potuisset immutare statum creaturarum.

RESPONDEO, ex immutationibus creaturarum, una est, quae dicitur *versio,* qua scilicet quaelibet creatura est vertibilis in nihilum ex quo facta est. Alia est immutatio miraculosa, quatenus nimirum [*Oxon.* Prol. q. 2. n. 11.] *miraculum est quidquid arduum, aut insolitum supra spem, aut facultatem mirantis apparet.* Alia denique est immutatio naturalis, quae fit viribus ipsius naturae, pro more causarum naturalium. Et circa quidem primam immutationem, Christi anima non habuit omnipotentiam; sicut enim [*Oxon.* 4. d. 1. q. 1. per tot.] nequiit habuisse virtutem creandi, ita nec annihilandi; eiusdem enim potentiae est attingere utrumque terminum; non autem habuit virtutem creativam, ut declaratum fuit *art. praec.*

Quantum vero attinet ad potentiam faciendi quaelibet miracula, dicendum est eam habuisse, quatenus erat unita Verbo Divino, eiusque instrumentum, ac proinde miraculorum causa meritoria et moralis; nam [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 16.] cum animam positurus in Cruce valide clamavit, uti est notatum in Evangelio, non fuit id ex virtute physica animae iam iam a corpore abscessurae, sed ex potentia Verbi, et per miraculum; igitur cum etiam caetera miracula patravit anima Christi, instrumentaliter quidem ea faciebat, idest meritorie et moraliter, sed principaliter et effective Verbum cui erat unita. — At considerando Christi animam secundum suam virtutem naturalem, cum omnibus etiam dotibus supernaturalibus, gratiae nimirum plenitudine, et scientia omnium scibilium, non potuit immutare vires rerum naturalium, et impedire cursum naturalium creaturarum; quia alioquin [*Oxon.* ib. n. 2.] impedivisset quin sibi mors inferretur, idest, non sustinuisset eius separationem a corpore, postquam erant applicatae causae naturaliter inductivae dispositionum repugnantium vitae. Quilibet enim tenetur se custodire a morte, modo possit, siquidem post dilectionem Dei, et animae propriae, et animarum proximorum, tenetur diligere suum corpus lege charitatis; et ita si anima Christi permisit caedi et crucifigi suum corpus, et post causarum naturalium applicationem potuisset illud praeservasse, sequeretur in hoc ipsam peccavisse; qui enim non praeservat dissolutionem sui corporis. si facultas adsit, peccat, atque ita Christus, ut homo sustinendo mortem peccasset, quod est absurdum, cum magis constet gloriam et gratiam electis per passionem promeruisse; igitur non habebat potestatem impediendi, vel immutandi cursum naturalium causarum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 9.] potestatem, quam accepit Christus a Patre, de qua ipse locutus est loco allegato, esse dumtaxat potestatem minus principalem et commissariam, eminentissimam tamen, quae possit esse sub principali. Nequiit ergo [*Oxon.* ib. n. 7. seqq.] voluntas ipsius creata habuisse *velle* efficax, et

principale in volendo quidquid est volibile in creaturis, sed magis eam voluntatem fuisse subordinatam voluntati Divinae in recte volendo, et in repraesentando id, quod fieri voluisset. Et porro si verti aliquid in nihilum appetiisset, iam ipsa id faciendi potentia carebat. Si miracula exhibere, dictum est in *solutione*, hanc potestatem eminentissime habuisse, quatenus erat Verbi instrumentum, non physicum, sed morale, eique personaliter unita; nihilominus miracula evenisse principaliter voluntate Divina, a qua pariter immutari potuerunt et possunt ordines naturalium causarum; sed nequaquam a naturali virtute animae Christi.

Ad secundum dico, [*Oxon.* ib.] eminentiam potestatis animae Christi in eo consistere, quod ab eadem Persona exhibebatur id, quod illa fieri intendisset; non propterea tamen eam efficaciam ab illa creata voluntate procesisse, sed a Divina, quae solummodo in Christo fuit infinita.

Ad tertium dico, concedendum esse Christo potestatem immutandi omnem creaturam; nam Angelos, hominesque illuminat instruit, et docet, *ut quaest. antec. art.* 3. *et* 4. extitit declaratum. Pariter multo facilius posse immutare corporalia ambigendum non est; adeo ut quaecumque natura perficit diuturno tempore, et mediis opportunis, ipse valeat celerius opinione perficere viribus ipsius naturae. Sed quoad immutationem, qua rediguntur res in nihilum, sibi eam potentiam communicari, non potuisse, ostensum est. Pariter et efficiendi miracula vim obtinuisse, ut erat instrumentum Divinitatis. Supremo itaque in unoquoque genere tantum ea attribuenda sunt, quae ipsius naturae non repugnant: at impossibile plane est essentiam finitam habere virtutem infinitam.

ARTICULUS III.

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU PROPRII CORPORIS.

Doct., Oxon. 3. *d.* 16. q. 1. *et* 2.—*Report. ib.*—*S. Thom.* 3. *p. q.* 13. *a.* 3.

Respondeo dicendum, Christi animam etiam cum omnibus dotibus eius consideratam, non habuisse omnipotentiam respectu proprii corporis, quamquam [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] per miraculum factum sit ut esset passibile et mortale, quatenus scilicet miraculose impediebatur gloria, quae ab initio suae conceptionis erat in anima, ne redundaret in corpus: at eo miraculo posito naturaliter sequebatur, ipsam in omnibus et per omnia non dominari suo corpori. Nam corpus sibi dimissum per privationem redundantiae gloriae fuit animale, et ideo non sub pleno dominio animae; atque ita in eius corpore fuit corruptio, et restauratio per sumptionem alimenti; nec ipsa anima potuit impedire quin pateretur a causis naturalibus illi applicatis; igitur respectu eius non potuit anima omnia, quippe quod sibi non subdebatur in omnibus. — Quantum etiam [ib. n. 15.] attinet ad potentias animae vegetativae, anima Christi non dominabatur earum dum erat viator; licet enim dominetur anima super corpus, quoad potentiam loco motivam potens movere corpus localiter, et applicare ad hoc vel ad illud opus, uti sibi placitum fuerit; attamen vegetativis, cum sint omnino irrationales, nec imperare potest nec dominari; semel enim ipsis exhibita materia, in quam agant, non

subiacent amplius imperio animae in actibus suis. Pariter anima Christi non ita dominabatur appetitui sensitivo ut fuerit in eius potestate impedire quominus a causis afflictivis pateretur: verissime enim doluit, nec poterat prohibere, quin illo dolore praemeretur, cum fuerint ipsi corpori approximatae causae inductivae doloris; ex quibus manifestum est Christi animam non habuisse plenariam potentiam respectu sui corporis.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANIMA CHRISTI HABUERIT OMNIPOTENTIAM RESPECTU EXEQUUTIONIS SUAE VOLUNTATIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 15. — *d.* 17. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 13. *a.* 4.

VIDETUR Christi anima non habuisse plenam potestatem respectu actuum suae voluntatis. Nam eius voluntas tristabatur de passione imminente, ut legitur in Evangelio: *Tristis est anima mea usque ad mortem:* sed [*Oxon.* 3. d. 15. n. 4.] tristitia oritur, cum accidunt aliqua, quae sunt nolita; igitur Christus noluit passionem, quam subivit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 29.] Aut voluntas animae Christi tristata est per aliquos actus, quibus absolute passionem nolebat, et tunc necessario tales actus elicuit, non elicitura, si mortem imminentem sibi non praevidisset; aut tristata est per actus conditionatos, quibus non simpliciter et absolute, sed praecise sub conditione, si aliter nempe id fieri potuisset; et tunc non vere tristata fuisset, quia conditio nolita numquam fuit posita in esse.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 17. n. 1.] Tunc voluntas non habet potestatem super actus suos, quando sequitur motum voluntatis alterius; ita enim sequi non est dominari suis actibus, sed potius subdi alteri in suis operationibus: sed Christi voluntas creata sequuta fuit motum voluntatis Verbi; Verbum enim egit actionem humanae naturae; igitur non habuit omnipotentiam respectu exequutionis suae voluntatis.

CONTRA. Intellectus in anima Christi habuit actum competentem potentiae naturali, quia virtute eius et acquisivit sibi scientiam, et intellexit etiam per species infusas, *ex dictis supra,* absque eo quod sequeretur motum intellectus Divini; ergo etiam voluntas eius habuit operationes competentes potentiae libere, cuius est dominari suorum actuum.

RESPONDEO dicendum, iuxta dicta in *praesenti quaestione art.* 2. voluntatem Christi, aut velle potuisse aliquod fiendum per miraculum, aut faciendum propria virtute. Et primo quidem modo, dictum fuit, non habuisse potestatem talia faciendi, nisi quatenus erat Verbi Divini instrumentum, per quod, et a quo principaliter miracula patrabantur, et ab ipsa nonnisi quatenus erat Verbo unita, et potestate delegata, quamquam eminentissima sub principali. Appellantes vero Christi animam Verbi instrumentum, non attribuimus ei aliquam physicam causalitatem, ut dicetur infra *q.* 56. *art.* 1. sed solummodo moralem et meritoriam. At respectu eorum, quae poterant fieri a seipsa, cum anima illa sciverit omnia etiam per scientiam infusam, scivit quoque in quae poterat sua virtus extendi, et quantum ad haec a nullo fuit sua potentia impedita.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, in illa fuisse veram tristitiam

de passione, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 29-30.] quam subitura erat; nego tamen, eam ab ipsa fuisse nolitam absolute, sed tantum conditionate per portionem inferiorem: quantum igitur in ipsa fuit nolebat passionem, si aliter divinum beneplacitum adimpleri potuisset, et hoc satis est ad tristitiam inferendam, quam causat conditio nolita, ut patet in proiiciente merces in mari, ut mortem evadat.

AD SECUNDUM respondeo: [*Oxon.* 3. d. 15. n. 30.] sicuti fortis politicus nollet civitatem suam eo devenisse, ut opus esset sibi mortem subire ad eam sublevandam, sic Christus noluit auditores suos tales esse, ut ob eius praedicationem scandalizarentur usque ad odium mortale; noluit pariter humanum genus esse in tali statu, a quo eripiendum esset per mortem ipsius; erat ergo sibi mors tristis ob quoddam nolitum praesuppositum, vel concomitans.

AD TERTIUM nego *minorem;* [*Oxon.* 3. d. 17. n. 4 5.] quia Verbum nullam causalitatem habet super actum voluntatis Christi, quam non habeat tota Trinitas; ideo eius voluntas creata non privatur dominio respectu suorum actuum per unionem ad Verbum; sed in hoc perinde se habet, ac si non esset unita. Nec motus, vel concursus causae primae cum ipsa magis impedit libertatem eius, quam impediat in aliis causis liberis; et quamvis non tota Trinitas, sed Verbum praecise ob unionem hypostaticam cum humana natura denominetur ab operatione voluntatis creatae, tamen eodem modo voluntas in Christo libere elicit, et dominatur actuum suorum, sicut voluntas non unita Personae Divinae habet dominium super actus suos, quia Deus non operatur ad operationem illam, nisi voluntate libere agente et determinante se ad operandum, et tunc Deus operatur cum ea; est igitur ibi tanta libertas, quanta potest esse in creatura libere operante.

QUAESTIO DECIMAQUARTA.

DE DEFECTIBUS CORPORIS ASSUMPTIS A FILIO DEI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de defectibus, quos Christus in humana natura assumpsit. Et *primo,* de defectibus corporis: *secundo,* de defectibus animae.

Circa primum quaeruntur quatuor.

1. Utrum Filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus. — 2. Utrum assumpserit necessitatem his defectibus subiacendi. — 3. Utrum hos defectus contraxerit. — 4. Utrum omnes huiusmodi defectus assumpserit.

ARTICULUS I.

UTRUM FILIUS DEI ASSUMERE DEBUERIT IN HUMANA NATURA CORPORIS DEFECTUS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 3. — *d.* 16. *q.* 2. — d. 19. — *Report. ib. q.* *S. Thom.* 3. *p. q.* 14. *a.* 1.

VIDETUR Filium Dei non debuisse assumere humanam naturam cum corporis defectibus. Etenim [*Oxon.* 3. d. 16. q. 1 n. 1.] eius anima fuit

perfectissima inter omnes formas perficientes materiam; ergo huic animae congruebat corpus perfectissimum: anima autem est expers cuiusvis defectus, qui insunt, vel inesse possunt aliis animabus; ergo decuit quoque habuisse corpus expers cuiuscumque defectus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 10.] Anima caeli, quia perfectissima omnium formarum naturalium, abstulit ab eius materia privationem, quae potuit sibi inesse; ergo multo fortius anima Christi, tamquam perfectissima omnium formarum, debuit id fecisse.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 1. n. 1.] Corporis defectus et poenalitates sequuntur ad peccatum originale, per quod Adam cum omni sua posteritate et pertulit et sustinet: sed in Christo non fuit tale peccatum, ut nec ullum aliud; igitur debuit caruisse defectibus de tali causa provenientibus.

CONTRA. Christus nobiscum fuit viator; ergo sicuti caeteri viatores subiacent corporis defectibus, nec possunt eos non assumere ita, et Christus quoad corpus, per quod erat viator.

RESPONDEO dicendum, Filium Dei assumere debuisse in humana natura corporis defectus, scilicet famem, sitim, et caeteros, quos experimur et sustinemus, exceptis iis qui ipsum dedecebant, ut dicetur *qu. sequ. Declaratur:* [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6. — d. 7. q. 3. n. 3. — d. 16. q. 2. n. 5. — d. 15. n. 25.] quia licet Incarnatio non fuerit occasionaliter praevisa et volita, sed per se intenta, ut opus excellentissimum Dei, in quo eius misericordia mirabiliter manifestatur, in tantum ut etiamsi nemo hominum aut Angelorum cecidisset, et etiam supponendo nullam aliam creaturam fuisse creandam, adhuc ipse venisset; nihilominus ex quo Deus praevidit lapsum Adae, ordinans passionem Filii sui veluti medicinam in remedium eius, ut electi per ipsam consequerentur gloriam, ad quam erant ordinati, oportuit ipsum assumpsisse defectus humanae naturae, per quos posset mortem subire, ut mandatum acceperat a Patre. Etenim nisi cum his defectibus inter nos apparuisset, et si gloria, in qua fuit creata eius anima in primo instanti permissa fuisset redundare in corpus, caruisset utique omni defectu, ut carent Beati in Patria; sed tunc nequaquam mortem perferre potuisset, nec peragere opus redemptionis nostrae, ut fieri decreverat Deus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, utique Christi animam fuisse perfectissimam, omnibusque supernaturalibus ornatam donis, cui etiam congruebat simile corpus, expers scilicet omnis defectus; sed [*Report.* 3. d. 7. q. 4. n. 5.] hos maluit assumere, et gloria corporis carere, ut posset assequi finem ad quem praeordinaverat illum Deus, neque hoc fuit inconveniens, quia maius bonum est gloria animarum salvandarum, quam gloria illius corporis per modicum temporis.

AD SECUNDUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 10.] quemadmodum forma caeli non continet virtualiter, vel causaliter, et perfecte omnes formas, ita non potest auferre ab eius materia (si haec in caelo ponatur) omnem privationem, et potentiam materiae ad alias formas. Itaque si caelum est incorruptibile, vel ipsum est forma simplex, vel si habet materiam, oportet eam esse alterius rationis a materia sublunarium, quae de se sit tantum in potentia ad formam, quam habet; si non ponitur alterius rationis, carere non potest privatione, et possibilitate ad alias formas recipiendas.

Ad tertium dico sic; [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 8.] quamvis in aliis hominibus illi defectus et poenalitates sint ex peccato originali, Christus tamen et beatissima Mater ipsius eas non pertulerunt ob peccatum originale, a quo uterque immunis fuit, sed ut in iis mereri possent; et quandoquidem [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] Deus ordinaverat se non remissurum iniuriam sibi illatam ab Adamo, eiusque posteris, nisi per obsequium personae magis sibi gratae et acceptae, quam offensa illi displicuisset, atque tale obsequium voluerat esse mortem Filii sui; manifestum est, hominem reparationis beneficium assequi non potuisse, nisi Filius Dei naturam humanam cum mortalitatis defectibus assumpsisset.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS NECESSITATEM HIS DEFECTIBUS SUBIACENDI ASSUMPSERIT.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 16. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 14. *a.* 2.

Videtur Christus habuisse necessitatem subiacendi his defectibus. Nam, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 1. n. 1. — *Report.* ib. n. 1.] *ad Romanos,* 8. *Corpus mortuum est propter peccatum,* idest habet necessitatem moriendi, quia subditum est peccato. Similiter *Genes.,* 2. *In quacumque die comederis morte morieris.* Sed Christus non habuit peccatum actuale, nec originale; ergo nec necessitatem moriendi.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Corpus Christi fuit temperatissimum et optime complexionatum, aliter non fuisset proportionatum animae suae, quae fuit nobilissima prae omnibus formis perficientibus materiam, quae etiam scivit optime omnia, quae poterant nocere, et quae prodesse sanitati, eamque tueri, et lege charitatis tenebatur salvare vitam suam; igitur accipiendo pro alimentis quae maxime profutura noverat, et dimittendo noxia, et praecavendo ab extrinsecis corruptivis, potuit semper vixisse; igitur nullam videtur habuisse necessitatem moriendi.

3. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 12. — *Report.* ib. n. 12.] Si Christus habuisset necessitatem subeundi defectus consequentes humanam naturam, quatenus est mortalis; igitur necessario quoque pertulisset mortem; ex quo enim oportuit ipsum subire mortalitatis defectus, nequiit mortem evadere: sed si necessario mortem pertulit, per ipsam mereri non potuit; nemo enim per id, quod necessario exequitur, meretur, sed magis quia voluntarie facit, quod lex praecipit vel consulit, potens contrarium facere, et transgredi legem, et non transgreditur.

Contra. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 2.] Christus ut homo extitit viator perinde ut caeteri homines in vita mortali; igitur secundum corpus potuit sibi violentiam inferri, ex qua necessario sequeretur separatio animae a corpore per dissolutionem corporis harmoniae, ut accidit in nobis.

Respondeo dicendum, Christum assumpsisse et habuisse necessitatem subiacendi defectibus, quibus obnoxia est humana natura; nam [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] quamvis non habuisset eam necessitatem, si assumpsisset naturam simpliciter gloriosam, quia tunc non potuisset mori ex quacumque passione; et rursus licet ex eo quod assumpserit naturam innocentem expertem omnis peccati, non habuerit aliquam causam

demeritoriam, ob quam sibi deberetur mors; quia tamen per miraculum impedita fuit gloria animae, ne redundaret in corpus, in instanti sequenti corpus sequebatur necessitas moriendi, quia erat corruptibile et animale, nec sub pleno dominio et potestate animae; unde nec poterat ab ipso arcere mortem, approximatis corpori causis suam ipsius organicam harmoniam ac partium necessariam symmetriam dissolventibus. Nec pariter [ib. n. 11.] in manu eius erat impedire, quin eius virtus nutritiva semper magis magisque debilitaretur per actionem conversivam alimentorum; et ratio est, quia ex prima institutione naturae, quaedam activa nata sunt dominari aliquibus passivis: sed omne corpus alterabile et corruptibile per approximationem activi dominantis potest corrumpi; igitur cum corpus Christi ob non redundantiam gloriae animae in ipsum a primo instanti unionis usque ad mortem fuerit tale, per activum approximatum potuit in illud induci dispositio, vel qualitas incompossibilis animationi passivae ipsius, et ita potuit privari vita; ac proinde quandoquidem id sequebatur naturalem constitutionem eius, praesupposito miraculo de non redundantia gloriae in ipsum, manifestum est habuisse naturalem necessitatem subeundi mortem, ac caeteros humanae naturae defectus.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 9.] quod quamquam non habuerit causam demeritoriam mortis, aliunde tamen poterat haec accidere illi, et ab extrinseca scilicet causa, et etiam ex debilitatione virtutis nutritivae ipsius per actionem convertendi alimenta in propriam substantiam.

Ad secundum *concedo maiorem.— Et cum dicitur:* [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 6.] scivit anima illa, quae poterant homini assumpto nocere, et omittere, et quae prodesse, et sumere; *concedo,* id optime Christi animam scivisse; sed adhuc tamen habuisse necessitatem moriendi, tum ex impuritate alimenti pro hoc statu, tum ex debilitatione potentiae nutritivae in convertendo. Etenim si Adam habuisset alimentum, quo et nos utimur, et ipse mortuus fuisset senio; siquidem non quodlibet habet generari ex quolibet, ut ex termino, sed determinatum ex determinato; et ideo ex alimento meliori et puriori generatur purior sanguis, et ex sanguine puriori generatur caro solidior et permanentior; adeoque ex alimento impuro et corrupto generatur caro valde fluida; impuritas igitur alimenti in Iesu Christo fuisset causa, sicuti in nobis, extrinseca corruptiva, quia non fuisset ita perfecta restauratio, sicuti deperditio. Idem sequeretur ex parte nutritivae, ut ex causa intrinseca; quia omnis virtus naturalis relicta sibi, et non praeservata per aliquod donum collatum, agendo in aliud naturale, repatitur et debilitatur, et tantum agere posset, ut tandem debilitaretur, adeo ut amplius agere non valeret ad conservationem sui individui, ut accidit de virtute nutritiva in nobis, quae per longam actionem demum debilitatur, ita ut exinde sequatur mors naturalis.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 14] quemadmodum nos possumus mereri in obiecto necessario, ut diligendo Deum amore amicitiae, quia iustus, bonus, sapiens, misericors, etc. ita Christi voluntatem mereri potuisse, ac reipsa omnibus electis gloriam et gratiam promeruisse per suam passionem, et mortem quam (supposito miraculo de non redundantia gloriae in corpus) nequibat impedire; complacendo sibi in illa, ipsamque acceptando libenter, ob bonum consequuturum ex ea, secundum divinam praeordinationem.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS DEFECTUS CORPORALES CONTRAXERIT.

Doctor, loc. cit. art. antec. — S. Thomas 3. *p. q.* 14. *a.* 3.

VIDETUR Christus defectus corporales revera contraxisse. Siquidem illa vere a nobis contrahi dicuntur, quae ex intrinsecis nostrae naturae principiis ortum trahere perhibentur: sed iuxta dicta *art. antec.*, mors caeterique defectus sequebantur intrinsecam constitutionem naturae humanae Christi, propter quam et habuisse necessitatem moriendi concludebamus; igitur Christus eiusmodi defectus contraxit.

2. PRAETEREA. Nos defectus corporales dicimur contrahere uti et caeteri homines, eo quod simus viatores et mortales: sed [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] Christus fuit nobiscum viator habens corpus passibile et animale, et non sub pleno dominio et potestate animae; igitur eos defectus contraxit, non secus ac alii homines.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 16.] Mors Christo fuit naturalis, supposita violentia passionis inflictae, sicuti naturaliter timuit, doluit, tristatus est, etc. anima enim sibi dimissa, ac sibi suarum virium disconvenientibus obiectis praesentatis, naturali quadam necessitate consequuntur illae passiones; ergo eos defectus Christus naturaliter contraxit, si per illos diversas molestias pertulit, sicuti alii homines sustinent.

CONTRA. Caeteri homines non solum recte dicuntur contrahere defectus sequentes mortalitatem, quia post Adae peccatum mortem sunt subituri ex demerito; sed etiam quia, cum eorum anima non sit beata, corpus est naturaliter mortale, ex causis dictis *art. antec.;* igitur [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] cum ex gloria, qua fruebatur anima Christi, debuisset eius corpus esse naturaliter immortale, si mori permissum fuit, id omnino per miraculum evenit, et non ex intrinseca aliqua necessitate; ac proinde nequaquam dici potest eos defectus contraxisse.

RESPONDEO dicendum, Christum non necessario contraxisse corporis defectus, sed sponte et libere eos assumpsisse, pro complenda dispensatione humanae redemptionis sibi a Deo iniuncta; quod declaratur: etenim [*Report.* 3. d. 16. q. 2. n. 3.] in primo instanti, in quo Verbum naturam humanam assumpsit, non fuit aliqua necessitas contrahendi vel subeundi illos defectus, quia cum nunc sit eadem natura Verbo unita haberet eosdem defectus. In secundo instanti intelligitur anima Christi beatissima et gloriosa, et in hoc instanti non fuisset pariter aliqua necessitas habendi illos defectus, nec potentia ulla intelligeretur, ex qua oporteret illos consequi, nisi intervenisset aliquod miraculum, quo impediretur redundantia gloriae in ipsum corpus; quia ad plenitudinem gloriae in anima Christi sequuta fuisset glorificatio corporis ab ipsa informati, secundum Augustinum *in Epistola ad Dioscorum;* si [*Oxon.* 4. d. 49. q. 3. per tot.] ergo non sequebatur ad gloriam animae Christi glorificatio corporis, id fuit ex miraculo. In tertio igitur instanti erat gloria animae, per quam fuit beata absque glorificatione corporis; quapropter in instanti sequenti, (ut dictum fuit *art. antec.*) intelligebatur corpus passibile et mortale, igitur non contraxit mortalitatem et alios humanos defectus ex aliqua

necessitate originis, sed ex mera voluntate Divina subtrahente gloriam corpori, qua naturaliter fuisset perfusum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, vere et recte dici ea a nobis contrahi, quae ex intrinsecis nostrae naturae principiis oriuntur; sed corporales defectus non ita naturae humanae Christi infuisse, sed praecise per miraculum, ut declaratum fuit; et ideo eos minime contraxisse, sed potius libere assumpsisse constat.

AD SECUNDUM respondeo, homines eo quia viatores naturaliter subire molestias per potentiam patiendi, sed non ideo dici eos contrahere defectus corporales, sed potius quia habent naturalem necessitatem illos subeundi, queis quoniam Christus caruit, libere illis se subiecit.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 2.] non oportuisse Christum diversimode se habere in sustinenda passione; quia potentiam patiendi non contraxit, ut alii homines ex origine habent, ut illis subiecti nascantur. Nam eiusdem rationis habuit Adam eos defectus cum nostris, licet non fuerit naturaliter propagatus, ut alii homines. Ita pariter etsi Christus libere assumpserit potentiam patiendi, quam ex origine non acceperit; tamen utcumque eam habendo, exinde naturaliter patiebatur, sicuti caecus natus naturaliter videt, postquam per miraculum fuerit illuminatus.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS OMNES DEFECTUS CORPORALES HOMINUM ASSUMERE DEBUERIT.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 21. — *Report. ib. et loc. cit. art.* 2. *huius quaest. et cit. q.* 8. *et* 9. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 14. *art.* 4.

VIDETUR Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuisse. Etenim [*Oxon.* 3. d. 21. n. 1.] hominem assumpsit, ut hominem curaret. *Totum enim* (inquit Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 6.) *totus assumpsit me, et totus toti unitus est, ut toti salutem largiretur; nam quod inassumptum, est incurabile;* igitur nisi omnes omnino corporales defectus assumpsisset, haud omnes curati essent, quod est inconveniens.

2. PRAETEREA. Ex dictis *art.* 1. Filius Dei in humana natura assumere debuit corporis defectus, ut per ipsos, et in ipsis mereri, et perficere valeret opus redemptionis humanae: sed omnes penitus assumendo magis mereri potuisset, ac si quibusdam solummodo obnoxius extitisset; ergo existimandum est assumpsisse revera omnes.

CONTRA. Non decuit Filium Dei apparuisse inter homines cum omnibus defectibus corporalibus naturae humanae; ergo non omnes assumpsit.

RESPONDEO dicendum, Christum non debuisse assumere omnes defectus corporales hominum; nam, ex dictis, q. 8. ipse est caput hominum et Angelorum, habens plenitudinem gratiae, de qua omnes habentes accipiunt et participant, ac subinde debet habere quoque plenitudinem scientiae, ut fuit declaratum q. 9.; defectus igitur repugnantes plenitudini scientiae, et gratiae, nec decuit nec potuit assumpsisse. *Nec praeterea* [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 6.] decuit ipsum obnoxium fuisse defectibus illis, qui sunt morbi, aliaeque miseriae, quibus passim afficiuntur homines, vel ex

defectu virtutis formativae, vel ex inordinato regimine vitae propriae, vel aliis ex causis, quia ipse habuit corpus formatum de purissimis sanguinibus Beatae Virginis virtute Spiritus Sancti; adeoque in eo efformando non potuit aliquem errorem irrepsisse, et ipse rursus scivit in regimine vitae a quibus oportebat abstinere, et ea quae admittere ad sui perfectam conservationem pertinebant; igitur praecise et voluntarie assumpsit illos defectus, per quos posset mereri, et perficere opus redemptionis humanae, sicuti est posse subire mortem, famem, sitim, poenam, laborem, lacrymas, corruptionem, mortis recusationem, timorem, agoniam, et alias, quas enumerat Damascenus, lib. 3. cap. 20. vocatque *naturales, et innocuas passiones,* negatque esse in nostra potestate, licet Christus eas libere assumpserit; et quamvis in aliis hominibus propagatis de Adam via naturali (excepta B. Virgine) mors sit poena peccati, in ipso tamen fuit is defectus non sequela alicuius culpae, sed voluntarie assumptus ob delendas hominum culpas, ut dictum est.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, Filium Dei totum hominem assumpsisse, et totum curavisse, ut ait Damascenus; non quia omnes singillatim assumpserit, atque in se susceperit defectus, sed quoniam curando eorum causam omnes sanavit: causa autem omnium defectuum, quos sustinemus est originale peccatum, cui destruendo Christum principaliter venisse, declaratum fuit, q. 1. art. 4.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 3. d. 21. n. 6.] non oportuisse ad plenissimam et superabundantem redemptionem humani generis Christum subiectum esse omnibus defectibus humanae naturae, non solum, quia non deerant aliae viae ad redimendum hominem citra mortem Christi, verum etiam quia supposita ordinatione divina de acceptanda morte Filii sui in satisfactionem peccatorum hominum, satis fuit Christum corpus passibile et mortale habuisse, ut mortem oppetere posset.

QUAESTIO DECIMAQUINTA.

DE DEFECTIBUS ANIMAE A CHRISTO ASSUMPTIS, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de defectibus pertinentibus ad animam.

Et circa hoc quaeruntur decem.

1. Utrum in Christo fuerit peccatum. - 2. Utrum in eo fuerit fomes peccati. - 3. Utrum in eo fuerit ignorantia. - 4. Utrum anima eius fuerit passibilis. - 5. Utrum in eo fuerit dolor sensibilis. - 6. Utrum in eo fuerit tristitia. - 7. Utrum in eo fuerit timor. - 8. Utrum in eo fuerit admiratio. - 9. Utrum in eo fuerit ira. - 10. Utrum fuerit viator, et comprehensor.

ARTICULUS I.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT PECCATUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 12. — *Report. ib. et d.* 3. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 15. *a.* 1.

Videtur in Christo fuisse peccatum. Nam [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 1.] *Roman.*, 5. scribitur, *In Adam omnes peccaverunt;* et nonnisi quia fuerunt

in eo secundum rationem seminalem: sed Christus secundum hanc rationem fuit in Adam, in quo fuerunt Abraham, et David, et B. Virgo Maria Mater Christi; igitur videtur contraxisse peccatum, ut caeteri descendentes de Adamo.

2. PRAETEREA. *Ad Corinth.*, 2. cap. 5. Apostolus loquens de Christo, ait: *Qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit.* Et Psal. 21. scribitur: *Quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum;* ergo videtur Scriptura testari in Christo fuisse peccatum, et delicta.

CONTRA. Joann. 8. *Quis,* inquit Salvator, *ex vobis arguet me de peccato?* Et ad Hebraeos, 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

RESPONDEO dicendum, in Christo non fuisse aliquod peccatum. Cum enim [*Oxon.* 2. d. 43. q. 1. n. 2. — 4. d. 22. n. 3.] peccatum quodlibet sit avversio a Deo et conversio ad creaturam, necessario omni peccato coniungitur inobedientia, contemptus, et odium Dei, et ingratitudo, non quod peccans habeat actum elicitum pertinentem ad singula istorum, sed implicite, inquantum scilicet vult aliquod, ad quod illa omnia sequuntur, vel concomitantur. Cum [*Oxon.* 3. d. 12. n. 2.] igitur anima Christi non potuerit averti a Deo, cum quo fuit a primo instanti sui esse hypostatice unita, nec odio habere illum, cui uniebatur per summam fruitionem et gratiam, nec Deum aliquo modo contemnere potuit, quia tunc seipsum contempsisset, sequitur non fuisse in Christo aliquod peccatum. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. d. 12. q. un. n. 2.] mortalitatem, corruptibilitatem et caeteras humanas passiones innoxias ideo sponte et libere Christus assumpsit, ut per illas passiones mereri posset gloriam, et gratiam omnibus electis, seu membris sui corporis mystici, cuius ipse est caput: per peccatum autem non meruisset, sed magis Deo displicuisset; ergo non potuisset reconciliare illi eos, qui ceciderant in Adam; oportebat enim [*Oxon.* 3. d. 20. — 4. d. 2. n. 7.] hanc reconciliationem fieri per personam longe sibi gratissimam et acceptissimam; ergo oportebat hanc carere omni omnino peccato. — *Denique,* inter poenas, quae possunt infligi naturae intellectuali, peccatum est maxima; ergo [*Oxon.* 3. d. 12. n. 2.] non potuisset esse anima illa felicissima et beatissima, ut de facto fuit in primo instanti, quo Verbo Divino uniebatur, si vel minimum peccatum habuisset; si ergo eius summa felicitas arcuit omnem poenam, quae non poterat eam Deo facere gratam, maxime debuit fuisse expers omnis penitus peccati.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patebit q. 31. art. 1. 7. qualiter Christus non fuit filius Adae, idest, communi via progenitus, nec subinde contraxit peccatum originale, seu obligationem habendi iustitiam originalem, qua cum nascantur privati eius filii, contrahunt noxam originalem, et nascuntur filii irae, quod non est verum de Christo.

AD SECUNDUM. *Ad primum* locum adductum ex Apostolo, dicendum, sensum esse, Christum, qui peccatum non noverat, se ipsum obtulisse hostiam pro peccato. Caeterum si peccasset, vel peccatum fecisset, non esset verum, eum peccatum non novisse; imo novisset si peccasset. Ad illud ex Psalmo *respondeo,* esse intelligendum id dictum fuisse in persona membrorum Corporis Christi, quorum delictis ipse satisfecit, perinde ac si propria extitissent. Utriusque textus expositio obvia est apud Patres.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM CHRISTUS POTUERIT PECCARE.

Doctor, loc. cit. art. ant. *et Oxon.* 3. *d.* 2. *q.* 1. — *Report. ib. Thomistae ad quaest.* 15. *a.* 1. 3. *p.*

SED numquid, quemadmodum Christus nullum habuit peccatum, ita quoque caruit potentia ad peccandum?

VIDETUR habuisse potentiam ad peccandum. [*Oxon.* 3. d. 12. n. 1] Ioann., 7. *Si dixero,* inquit Salvator, *quod non novi eum, ero similis vobis mendax:* sed potuit dicere, et de facto pronunciavit totam istam orationem; ergo potuit dicere partem, scilicet non novi Patrem, et mentiri, et ita peccare.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Secundum Augustinum, 3. *De lib. arbitrio: Melior est natura, quae peccare potest, quam illa quae peccare non potest.* Sed Christus assumpsit naturam nostram optimam et perfectam quantum fieri potest; igitur assumpsit eam, ut potentem peccare; ergo potuit peccare ista in natura.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quod quis potest si vult, potest simpliciter, quia secundum Augustinum, *De Spiritu et Anima,* hoc est in potestate hominis, ut faciat quod facit: sed Christus potuit peccare si voluit; quia velle peccare est peccare; ergo potuit istud simpliciter; habuit itaque potentiam ad peccandum.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Si potuit peccare; igitur potuit damnari: *consequens* est falsum; igitur et *antecedens. Patet consequentia;* quia quicumque damnatur propter peccata damnatur.

RESPONDEO dicendum, Christum non habuisse potentiam ad peccandum, qua potuerit exire in actum peccaminosum. Siquidem [*Oxon.* 3. d. 12. n. 2.] in primo instanti unionis eius cum Deo fuit beatus; igitur beatitudo auferebat ab ipso omnem peccabilitatem, vel potentiam ad peccandum, quam communiter aufert beatitudo et fruitio in caeteris Beatis. Et quamvis ipse fuerit etiam viator, ac per hoc potuerit ex speciali miraculo et dispensatione etiam mereri; quia tamen interim erat quoque beatus, et unitus per fruitionem ultimo fini sicut alii Beati, ipsa beatitudo exclusit et abstulit ab eo omnem potentiam avertendi se ab ultimo fine, quam potentiam excludebat quoque in aliis Beatis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 3. d. 12. n. 3.] concedo, Christum potuisse dicere, et revera dixisse totam illam orationem, et subinde partem eius, quod non fuit nisi materialiter pronunciare; at formaliter non potuit dixisse, seu asseruisse illam partem seorsim, quia tunc vel eius intellectus habuisset ignorantiam Patris, vel animi signum voluntarie prolatum discordaret a significato: utrumque fuisset in eo imperfectionis, primum in intellectu, secundum in voluntate, quod sane nemo effinxerit in perfecte beato, et praesertim in anima Christi, scientiae et gratiae plenissima.

AD SECUNDUM dicendum, [*Report.* 3. d. 12. n. 10.] Augustinum comparavisse naturas creatas ad invicem, quarum perfectissima est intellectualis, quae habet liberum arbitrium, ob quod potest, et non potest

peccare. Id vero [*Oxon.* 3. d. 12. n. 3.] liberum arbitrium etsi de se sit vertibile ad utrumlibet, in Christo tamen per beatitudinem fuit in primo instanti confirmatum, seu determinatum ut esset impeccabilis, sicuti beati sunt impeccabiles.

AD TERTIUM: [*Oxon.* 3. d. 12. n. 4. — *Report.* ib. n. 10.] *maior* est falsa de virtute sermonis, quia notat unam cathegoricam sequi ad unam conditionalem, quae conditionalis est necessaria, et cathegorica sequens est contingens; et ex necessario non sequitur contingens: haec enim, *si vult potest,* est necessaria, quia consequens includitur in antecedenti; sequitur namque necessario: *vult, ergo potest velle,* et tamen, *posse peccare* est contingens; convenit siquidem naturae viatorum communiter, at non naturae Beatorum. — Potest tamen [*Oxon.* 3. d. 12. n. 4. — *Report.* ib. n. 10.] *consequens* sequi ex illo antecedenti, si ei apponatur aliqua determinatio, ut ista: *Si quis potest, et vult, et debet, vel potest illud velle, potest simpliciter.* Sine qua non sequitur consequens; si enim non potest aliquid velle, nisi ex suppositione impossibili, non potest velle, quia est impossibile, seu non est possibile simpliciter; sed tunc *minor* est falsa, scilicet, *Christus potuit velle peccare,* quia sicuti non potest peccare, ita nec velle peccare.

RURSUM ARTICULUS INCIDENS.

AN CHRISTUS SIT IMPECCABILIS RATIONE UNIONIS HYPOSTATICAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 12. *et d.* 2. *q.* 1. — *Report. ib. q.* 2.
Thomistae ad 3. *p. q.* 15 *a.* 1. — *Henric. quodlib.* 6. *q.* 6.

VIDETUR, Christum fuisse impeccabilem ex unione hypostatica. Etenim [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1.] si natura humana Christi ex vi unionis non est impeccabilis et beata; igitur ipsa posset peccare, et ita Deus diceretur peccare, et damnari, quod est horrendum. Et *confirmatur* per Anselmum, 2. *Cur Deus homo,* cap. 10. Si primus homo erat peccabilis, quia non erat Deus; igitur ex ista unione secundus homo, ex quo erat Deus, erat impeccabilis: erat autem Deus ex unione ad Verbum; ergo ex eadem est necessario beatus et impeccabilis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 2.] Per istam unionem obiectum beatificum est necessario praesens intellectui, et necessario ipsum immutans; igitur necessario quoque trahit voluntatem ad sui fruitionem, et per consequens ex unione oritur in Christo impeccabilitas; nam si lux esset inexistens oculo, ipse non posset non immutari a luce; igitur cum per istam unionem lux increata sit praesens intellectui in se, erit necessario praesens, ut immutans intellectum ad intelligendum et voluntatem ad amandum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Potentiae fundantur in essentia animae, non e converso; igitur essentialior est ordo, ut illud, quod est in essentia redundet in potentias, quam e converso. Sed beatitudo non potest esse in potentiis, nisi necessario redeundet in essentiam; ergo non potest esse in essentia, nisi redundet in potentias: sed per illapsum specialem essentia animae beatificatur quantum est beatificabilis; quia fit unum aliquid cum

Deo per unionem hypostaticam; igitur ex hac oritur et beatitudo animae, et eius pariter impeccabilitas.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 12. n. 3.] Appetens potest semper aliud et aliud appetere quousque habeat quietem in obiecto ultimo: sed natura assumpta, ex hoc quod assumpta, non ultimate quietatur eius appetitus, quia de potentia Dei absoluta posset assumi dormiens, vel omnino non sciens, quae esset nihilominus assumpta; igitur ex hoc praecise, quod natura intelligitur assumpta, non est impeccabilis. — *Rursus,* per hoc quod natura est unita Verbo Dei, non aliter se habet in ratione actus primi, quam se habeant aliae naturae; quia nullam in essentialibus immutationem accepit per unionem; ergo sicuti si esset personata in se, haberet potentiam ad peccandum in actu primo, eodem modo ut personata in alio; igitur ex unione hypostatica formaliter non est impeccabilis.

RESPONDEO dicendum, unionem hypostaticam non reddere naturam assumptam necessario beatam et impeccabilem, sed solum de congruo, et de potentia ordinata; absolute enim et simpliciter spectata Dei absoluta potentia, creata voluntas, stante unione ad Verbum, posset peccare. — *Et probatur sic:* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 3.] prius, ex ratione prioris, potest esse sine posteriori absque contradictione, si nulla interveniat necessaria connexio: qualis esset vel ob identitatem realem, ut inter subiectum et propriam passionem; vel ob simultatem naturae, ut inter correlativa: aliter non salvaretur prioritas unius ad aliud. Sed natura personabilis prius naturaliter personatur quam operetur, et hoc quando personatur in se; quia operatio est suppositi praeexistentis, et in natura intellectuali est persona; igitur quando personatur in alio, prius naturaliter personatur in eo, quam operetur. — *Et hoc probatur:* quia natura in eodem instanti, in quo personatur in se, si sibi dimitteretur, in eodem personaretur in assumente; ergo non est contradictio, naturam istam personari in Persona Divina, et tamen non operari fruendo; et per consequens, si nulla est necessaria connexio inter unionem et fruitionem, non repugnat intelligere naturam humanam unitam Verbo, et esse peccabilem, atque etiam, de potentia absoluta, peccare. Videnda responsio ad *secundum quaest.* 34. *art.* 4. — *Deinde,* [*Quodlib.* q. 14. n. 14. seqq.] nulla natura necessario fruitur Essentia Divina, nisi quae necessario immutatur ab ipsa ut praesente: sed anima Christi non necessario immutatur ab ea, quia illud obiectum non necessario immutat aliquem intellectum, nisi divinum; nam nihil extra se causat nisi voluntarie et contingenter; igitur ipsa non necessario fruitur fine, sic ut possit esse unita, et non frui. — *Denique,* [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 4.] ex vi unionis, solum Verbum est praesens animae assumptae secundum esse personale; igitur si ex tali unione sit idem praesens in ratione obiecti immutantis, non plus habetur, nisi quod ex vi unionis solum Verbum immutet intellectum creatum, et non tota Trinitas, quod est falsum; quia opera Trinitatis sunt indivisa ad extra; igitur non necessario ipsa anima Christi est beata et impeccabilis ob unionem ad Verbum. Est ergo impeccabilis ex plenissima fruitione Dei, sicuti caeteri Beati; verumtamen hanc non necessario habet, sed de congruo, quemadmodum et plenitudinem gratiae.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico sic: [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 12.] quemadmodum habens lumen gloriae, et charitatem consummatam, non potest peccare, non quia ista formaliter repugnent peccato, sicut nec actus

primus repugnat opposito actus secundi contingenter causabilis; sed quia de potentia ordinata, Deus non potest non coagere ad actus secundos perpetuae visionis et fruitionis, qui actus repugnat peccato; sic Deus naturae sibi personaliter unitae, non potest de potentia ordinata non dare summam charitatem, ulterius summam fruitionem quae excludit peccatum. Ex hac itaque unione natura assumpta est impeccabilis, non formaliter, sed virtualiter, dispositive dispositione remota, licet necessario respectu Dei agentis de potentia ordinata; sicut necessarium est aliquem Beatum non peccare, quae est necessitas consequentiae, quatenus ita fieri et evenire statutum est legibus Divinae Providentiae; verumtamen eae leges libere et contingenter latae sunt a voluntate divina, ut potuerit eas non ferre, aut alias sancire. — *Ad Anselmum respondeo,* secundus homo, quia Deus, de congruo replebatur summa gratia, per quam esset impeccabilis modo praedicto, quod non decuit primum hominem, quia purus homo; non refundit ergo Anselmus Christi impeccabilitatem in unionem, nisi de congruo, quia illam concomitabatur plenitudo gratiae et gloriae. — *Et cum dicitur:* igitur in casu, quo Deus ageret de potentia absoluta, Christus posset peccare, et sic Deus peccaret, et posset damnari, quod est horrendum; *dicendum,* ea vera esse per communicationem idiomatum, sicuti dicitur, Deus crucifixus, caesus, mortuus, etc. quae utique non minus repugnant Deo, quam peccatum; imo magis, quia mors opponitur vitae Dei, quod est eius praedicatum essentiale, et peccatum nonnisi bonitati, quae est eius attributum. Caeterum reipsa, sicut Deus non est mortuus, sed talis denominatur ex unione hypostatica; ita nec ipse peccaret, idest non eliceret actum peccaminosum, nisi denominative, quod nullam importat contradictionem.

Ad secundum patet; [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 13.] quia Divina Essentia non necessario immutat intellectum creatum, et per consequens multo minus voluntas creata ea fruitur necessario.

Ad tertium [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 14. seqq.] de essentia, et potentiis, dicendum, essentiam creatam non posse beatificari in se, quia non est bonum infinitum; beatificatur ergo in Deo, quatenus is est attingibilis per operationem potentiarum, non ut tale bonum est perficiens essentiam eius quantum ad actum primum; est ergo beatitudo in essentia eo modo, quo est nata ibi esse, scilicet per operationes, nec est in ea formaliter redundantia, quasi sit ibi alia beatitudo ab ea, quae est in potentiis. Essentia igitur non beatificatur, ut dictum est, distincta a potentiis, neque ipsa nata est habere actum secundum, nisi mediis potentiis, ut dictum est; neque illapsus specialis, spectans ad essentiam potest esse alius, quam ad actum primum, scilicet ad dandum ei *esse.* Sed praeterea ipsa non intelligitur beata, nisi per actum secundum ipsarum animae potentiarum.

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT FOMES PECCATI.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 29. — *d.* 32. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 15. *a.* 2.

Videtur in Christo fuisse fomes peccati. Si enim fomitis fuisset expers, maxime quia gratiae et spiritualium donorum plenitudinem adeptus erat:

sed [*Report.* 2. d. 29. q. 2. n. 8.] gratiae plenitudo non abstulit tristitiam in eius sensitivo appetitu; habetur enim Matthaei, 26. ipsum dixisse: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* ergo neque impediebat, quominus appetendo proprium obiectum rationi contradixerit: id autem est fomiti subiectum esse; igitur videtur in Christo fomes peccati fuisse.

2. PRAETEREA. Eatenus Verbum divinum univit sibi naturam subiectam mortalitati, quatenus per passionem et mortem eius satisfaceret iustitiae divinae pro genere humano, atque gratiam mereretur electis, quam perdiderant in Adamo: sed si appetitus sensitivus eius, omni conatu in corruptibilia tendens, illis inhaerere appetivisset, id Christo ingens materia meritorum fuisset, quia ipsius voluntas semper illi contradixisset, eumque virtute coercere statuisset; ergo videtur fomes ipsum non dedecuisse.

3. PRAETEREA. Si Christus fuisset expers fomitis peccati, maxime quia cum gratiae plenitudine, quae congruebat Unigenito Dei, non videtur compossibilis ne minima quidem inclinatio ad peccatum: sed ex eo capite non repugnat in Christo fuisse fomitem peccati; ergo negandum non est eum talem fomitem habuisse. *Probatio minoris:* inter fomitem et gratiam non est formalis oppositio aut repugnantia, quia alioquin, qui fuerunt egregie sancti fomitem non sensissent, quod tamen est falsum; ergo pariter Christo potuerunt infuisse et gratiae plenitudo, et fomes peccati.

CONTRA. Caro in nobis concupiscit adversus spiritum, eique rebellat, quia innocentiam amisimus in Adamo: sed Christus non perdidit innocentiam in Adamo, quia eius non fuit filius; ergo caruit fomitis radice, et per consequens nullam pati potuit partis sensitivae rebellionem adversus rationem.

RESPONDEO dicendum, in Christo non fuisse fomitem peccati, per quem scilicet caro rebellaverit voluntati. Nam [*Oxon.* 2. d. 29. n. 4. — d. 32. n. 4.] in primo homine, in iustitia originali condito, non extitit ille fomes peccati; bene tamen obortus est post amissam iustitiam originalem per peccatum. Ipsa enim iustitia originalis, quomodocumque ponatur, (seu scilicet sit donum supernaturale in ipsa dumtaxat voluntate, seu ultra hoc continuerit etiam alia dona in appetitu sensitivo) faciebat ne caro contrariaretur spiritui, sed magis, ut per omnia illi subiaceret, ac exequeretur prompte et delectabiliter quae ratio dictabat facienda; ac denique per ipsam erat inter carnem et spiritum perfecta pax et tranquillitas; igitur multo magis in Christo debuit fuisse illam pacem et tranquillitatem inter appetitum sensitivum et rationalem. *Patet consequentia:* quia si non obstante quod primus homo non replebatur summa gratia, erat fomitis peccati expers; multo fortius eo caruit secundus homo, qui habuit plenitudinem gratiae et donorum spiritualium, ex eo quod erat Deus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, gratiae plenitudinem non impedivisse, quin ex obiecto disconvenienti Christi portio inferior tristaretur, de speciali Dei dispensatione, quia impedita fuit redundantia gloriae in corpus, quae alioquin redundasset; attamen faciebat, ut eadem inferior portio delectabiliter et promptissime exequeretur quaecumque esse facienda ratio dictavisset, cum id praestet portio illius gratiae. Non est [*Report.* 2. d. 29. q. 2. n. 8.] proinde compossibilis fomes, seu rebellio appetitus sensitivi adversus rationem cum plenitudine gratiae, quamquam, quia erat mortalis, mortem imminentem potuerit formidare, et tristari.

AD SECUNDUM respondeo, per hoc quod Christus assumpsit naturam humanam subiectam poenalitatibus et morti, abunde habuisse unde mereri posset, et satisfacere pro peccatis generis humani. Caeterum, stante plenitudine gratiae et innocentia, ob quam sibi erat incompossibilis quaelibet obliquitas, et peccatum, nulla poterat esse in ipso discordia virium inferiorum cum superioribus, ac proinde caruit omni fomite peccati.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 7. n. 2.] utique inter gratiam et fomitem non esse formalem oppositionem, aut repugnantiam, sic ut unum destruat alterum; nihilominus gratiam diminuere fomitem quantum ad effectum, ac labefacere vires eius, ne eo impetu ferantur in oppositum gratiae, ut facerent sine ea. Pro augmento itaque gratiae, constat fomitem diminui, et minorem habere efficaciam inclinandi ad peccatum. Si ergo id praestat gratia in membris corporis mystici obnoxiis peccato originali, idest, natis cum illo, in capite istius corporis, in quo est gratiae plenitudo, nulla potest esse inclinatio ad peccatum, praesertim cum nullum potuerit habuisse peccatum.

ARTICULUS III.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT IGNORANTIA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 14. *q.* 3. *et* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 15. *art.* 3.

VIDETUR in Christo fuisse ignorantia. Etenim iuxta dicta *q.* 11. *art.* 4. secundum cognitionem intuitivam rei existentis in genere proprio, Angeli habent perfectiorem cognitionem, atque ita excellentiorem illa, quam elicit anima Christi, quia obiectum in se praesens eodem modo se habet, cum quocumque tandem intellectu concurrat ad sui cognitionem: intellectus autem Angelicus est perfectior intellectu humano; igitur Angeli habent perfectiorem cognitionem de rebus existentibus, quam habeat anima Christi; igitur haec anima aliqua offunditur ignorantia.

2. PRAETEREA. Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 21., diserte ponit ignorantiam in Christo, *Par est,* inquiens, *ut agnoscamus, quod ignorantem, et servam assumpsit naturam.* Quod et probans, subdit: *Nam et hominis natura serva Dei est, qui fecit illam, et non habet eorum, quae ventura sunt cognitionem;* igitur, secundum Damascenum, Christus, secundum quod homo est, ignorantiae subiectus fuit.

3. PRAETEREA. In Evangelio legitur, Christum nescisse diem Iudicii; ergo habuit aliquam ignorantiam; et quidem rei, quae videtur ad ipsum maxime pertinere. — *Assumptum probatur* [*Report.* 4. d. 43. q. 5. n. 8.] ex Matthaei, 24. Marci, 13. ubi testatur Salvator, dicens: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Caelo, neque Filius, nisi Pater;* igitur fuit in eo ignorantia.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 13 q. 2. n. 2.] Ioann., 1. *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis;* igitur quemadmodum cum gratiae plenitudine, non fuit in ipso aliquis defectus, spectans ad voluntatem, ita cum plenitudine scientiae vel veritatis nequiit fuisse aliqua ignorantia, quae est imperfectio intellectus.

RESPONDEO dicendum, Christum nullam habuisse ignorantiam; nam in ipso fuit omnis plenitudo gratiae, donorumque supernaturalium, et

scientiae, qualis nempe decebat caput omnium hominum et Angelorum. Sed plenitudo gratiae et gloriae arcuit ab ipso omnem peccabilitatem, et peccatum, et fomitem peccati; ergo et plenitudo scientiae non permittebat esse in illo aliquam ignorantiam, ut tactum est *ad oppositum.— Denique,* [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] (ut ait Magister, 3. *d.* 14. *cap.* 2.) non expediebat nobis Christum assumere defectum ignorantiae: atqui assumpsit praecise illos, quibus posset complere opus Redemptionis nostrae; ergo non habuit aliquam ignorantiam. Idipsum scribit, d. 13. cap. *Haec verba.*

Ad Argumenta. Ad primum dico, illatam *consequentiam* esse veram, et subinde concedendam de intellectu secundum suam naturalem virtutem considerato; falsam vero, si aliquis intellectus, de se altero imperfectior, ex aliquo speciali privilegio elevetur supra conditionem intellectus perfectioris, uti factum esse cum intellectu animae Christi, certum est. Cum igitur [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 9.] debeamus illi attribuere omnem perfectionem sibi possibilem, atque perfectionis in intellectu sit attingere omnia obiecta modo perfectissimo, non repugnante virtuti finitae, fatendum est, et quoad visionem quoque intuitivam pariter evenire; quae visio intuitiva animae Christi, quamvis foret imperfectior visione intuitiva Angeli, eodem hinc inde obiecto concurrente, viribus naturalibus utriusque intellectus spectatis; nihilominus ex hypostatica unione naturae humanae ad Verbum, Christi intellectus elevatus est supra conditionem intellectus Angelorum, ob quem videt omnia modo longe sublimiori, ac intellectus Angelicus attingat obiecta quocumque genere cognitionis.

Ad secundum respondeo, Damascenum, *loco praeallegato,* seipsum declarare: vult enim humanam Christi naturam de se, et ut intelligitur in se, non unita nimirum Verbo Divino, servam esse et ignorantem; at quatenus Divinae Personae unita consideratur, *locupletata est,* inquit, *Domini anima futurorum cognitione, ut et reliquis divinis signis.*

Ad tertium respondeo, Christum, etiam quatenus est homo, diem et horam determinatam Iudicii minime latuisse, ut testatur Damascenus, *loco supra cit.,* dicens, *cognitione futurorum eius animam locupletatam esse.* Dixit igitur se illum diem ignorare, quoniam in mandatis acceperat a Patre id celare silentio; non licebat ergo illi Iudicii praefinitam diem hominibus praedicere, quia utique mandatum Patris transgressus esset. Nec propterea mentitus est, quia citra mendacium [*Oxon.* 4. d. 15. q. 4. n. 5. seqq.] Principis legatus negat se scire quod silentio debet obtegere, quemadmodum qui iuris ordinem non servato interrogatur, potest sine conscientiae laesione negare quod hactenus in occulto est, et interrogantem latet.

ARTICULUS IV.

UTRUM ANIMA CHRISTI FUERIT PASSIBILIS.

Doctor, Oxon. et Report. 3. *d.* 15. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 15. *art.* 4.

Videtur Christi anima non fuisse passibilis. Etenim talis extitisset, quia erat forma corporis passibilis: sed ex dictis, *q.* 11. *art.* 2. quamvis anima Christi fuerit forma corporis eius, non secus ac aliae animae rationales, nihilominus poterat intelligere, non convertendo se ad phantasmata,

quia pollebat scientia infusa; ergo pariter ex eo quod habebat gaudium plenissimum et consummatum de beatitudine, non oportuit ipsam esse passibilem ob passiones corporis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 15. n. 1.] Gaudium et tristitia sunt opposita: sed in anima Christi erat summum gaudium de visione, et fruitione Dei; ergo etsi fuerit forma corporis passibilis, quia tamen habebat aliquid, cui repugnabat tristitia, extitit impassibilis. — *Assumptum probatur* ex Aristotele, 7. *Ethic.*, cap. 14. dicente, gaudium et delectationem magnam (quali potiebatur Christus) excludere omnem tristitiam, non tantum oppositam, verum etiam contingentem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Anima Christi, dum corpus passibile informabat, erat beata; ergo tunc non fuit passibilis. — *Probatio consequentiae:* corpora Beatorum, ex dote impassibilitatis, nequeunt aliquid pati, quod sit ipsis disconveniens et afferens passionem dolorificam; ergo pariter, quia anima Christi fuit beata a primo suae creationis instanti, nequiit extitisse passibilis.

CONTRA. Matthaei, 26. *Tristis est,* inquit Salvator, *anima mea usque ad mortem;* igitur passa est tristitiam, et consequenter fuit passibilis.

RESPONDEO dicendum, Christi animam quamdiu erat in corpore passibili, et ipsam fuisse passibilem. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] Nam cum anima Christi verissime fuerit forma corporis eius, adeo ut ex anima et corpore essentialiter conflaretur ille homo, licet anima illa semper visione beata sit perfruita, quia tamen gloria ipsius impediebatur per miraculum, ne redundaret in corpus, ex eo homo ille extitit passibilis et mortalis, ut dictum est *q. antec. art.* 2. [*Oxon.* 3. d. 15. n. 10.] Consequens igitur fuit, ut et ipsa anima esset passibilis, quae posset scilicet immutari per passiones inflictas, seu infligendas suo corpori; erat enim forma substantialis eius; ergo non poterat carere naturali inclinatione, quam habent et afficiuntur caeterae animae, ut formae sunt corporum, compatiendo scilicet illi, si acciderit aliquod disconveniens appetitui sensitivo, et etiam nolendo tale disconveniens nolitione saltem conditionata, quae satis est ad inducendam tristitiam, et alias consimiles passiones, ut infra magis explicabitur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, negando *consequentiam,* et paritatem; quia si Christi anima nullam cognitionem habere potuisset, nisi per conversionem ad phantasmata, necessario complura ignorasset, ut experimur in nobis; id vero nec Christum decebat, nec fuisset consentaneum fini, seu operi, cui perficiendo advenerat. At animam subiectam passionibus assumpsisse oportebat ad nostram redemptionem peragendam, ut frequenter in *superioribus* dictum fuit.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* ib. n. 33.] gaudium et tristitiam non opponi nisi sint respectu eiusdem obiecti; et rationem esse, quia quando aliqua non tantum causaliter, sed etiam essentialiter dependent ab alio, ea non habent oppositionem, nisi quatenus respiciunt idem extrinsecum, a quo dependent. *Exemplum:* scientia, et ignorantia non sunt opposita, nisi inquantum idem obiectum respiciunt. Itaque gaudium et tristitia in anima Christi non opponebantur, quia illud erat de fruitione Dei, et tristitia de passione in se, quae fuerat allatura mortem illi homini. — *Et cum probatur* ex Philos. [*Oxon.* ib. n. 35.] *respondeo,* id verum esse de facto, unde naturaliter loquendo summa delectatio excludit omnem tristitiam, propter colligantiam potentiarum ad invicem; tanta enim potest esse de-

lectatio in una parte animae, ut impediat usum alterius partis eiusdem animae. Quod igitur gaudium superioris portionis voluntatis Christi non excluserit tristitiam secundum portionem inferiorem eiusdem voluntatis, aut dolorem in appetitu sensitivo, non evenit ex ordine et natura potentiarum et summae delectationis, sed ex novo miraculo quo impediebatur gloria animae, et delectatio sequens ex illa, ne redundaret in portionem inferiorem, et in corpus. Quemadmodum igitur miraculose factum est, ut Christus fuerit simul viator et comprehensor, sic de potentia Dei absoluta, fuit eadem anima beata et passibilis in comparatione ad diversa obiecta.

AD TERTIUM respondeo, *consequentiam* non sequi. — *Et cum probatur* de corporibus gloriosis, *nego rursum consequentiam;* [*Oxon.* 3. d. 15. n. 34.] quia dos impassibilitatis est ratio per quam formaliter repugnat corpori glorioso quicquam pati, tamquam sibi disconveniens: sed animae Christi secundum superiorem portionem beatae nihil inerat, per quod sibi formaliter repugnaret pati, aut esse passibilem, de potentia absoluta Dei; tametsi de facto gloria, qua perfundebatur anima corpori unita, satis fuisset ad excludendam omnem tristitiam et passibilitatem, si hunc effectum producere permissa esset.

ARTICULUS V.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT DOLOR SENSIBILIS.

Doctor, Oxon. et Report. 3. *d.* 15. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 15. *art.* 5.

VIDETUR in Christo non fuisse dolor sensibilis. Nam [*Oxon.* 3. d. 15. n. 2.] Hilarius, 10. *De Trinitate: Unigenitus Deus hominem verum assumpsit, in quo, quamvis aut actus incideret, aut vulnus descenderet, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen passionis dolorem inferrent: ut telum aliquod aquam perforans, vel ignem compungens, vel aer verberans; omnes quidem has passiones naturae suae infert, sed naturam suam in hoc passio illata non retinet.* Videtur ergo expresse negare et removere sensibilem dolorem a Christo, quamvis in ipso ultro admittat passionem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Secundum Avicennam, 6. *Natur.*, p. 4. cap. 5. potentiae naturales intensae mutuo se impediunt ex actibus suis intensis, quod patet in raptu Pauli, in quo nescivit, utrum in corpore, vel extra corpus viderit omnia illa, de quibus loquitur 2. *ad Corinth.*, cap. 12. Igitur multo magis videtur eadem potentia ex vehementi operatione circa unum obiectum impedire seipsam in operatione circa aliud obiectum. Anima autem Christi intensissime fruebatur Deo; ergo cum patiebatur corpus eius non dolebat, nec illam passionem sentiebat.

3. PRAETEREA. Dolor sensibilis est cum offenditur caro ab obiecto disconvenienti, anima apprehendente illatam passionem: sed id originem traxit ab originali peccato; nam in innocentiae statu haud approximata corpori fuissent obiecta disconvenientia; ergo cum Christus habere non potuerit originale peccatum, nec potuit esse obnoxius dolori sensibili.

CONTRA. Isaiae, 63. [*Oxon.* ib. n. 2.] *Vere dolores nostros ipse portavit. Et Thren.*, 1. dicitur in persona Christi: *Videte si est dolor, sicut dolor meus.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 4.] in Christo fuisse verum sensibilemque dolorem ex sibi inflicta passione et morte, quam pertulit. Sed prius videndum est de dolore. Pro quo intelligendum, iuxta Augustinum, 14. *De Civit.*, cap. 15. *Dolor,* inquit, *carnis tantummodo offensio est animae ex carne, et quaedam ab eius passione dissentio: sicut animi dolor, qui tristitia nuncupatur, est eius dissentio ab his rebus, quae nobis nolentibus accidunt.* Ex quibus patet, qualiter dolor proprie dictus inest animae ex carne, sed primo secundum partem sensitivam; tristitia vero proprie dicta inest animae secundum se, et primo secundum partem intellectivam.

Sed a quibus causis causatur iste dolor in parte sensitiva? [*Oxon.* 3. d. 15. n. 8. seqq.] *Respondeo:* quemadmodum delectatio causatur in potentia ab obiecto conveniente, ad quod potentia illa suapte natura inclinatur, et causatur quando obiectum est illi approximatum, sic, ut nec relatio, qua formaliter inclinari intelligitur, nec relatio ipsa approximationis causent eum (sunt enim conditiones, sine quibus non causaretur), sed immediate est a natura illa absoluta convenientis obiecti, ipsaque delectatio est absoluta quaedam qualitas, licet vocetur nomine passionis; ita et dolor causatur ab obiecto disconveniente cum fuerit approximatum potentiae, quae ad ipsum non inclinatur tamquam ad aliquod extrinsecum perfectivum sui, sed potius refugiebat ab eo, et non causatur, nisi a natura illa absoluta, super qua fundatur illa disconvenientiae relatio; [*Oxon.* ib. n. 10. seqq.] et si quaeras, cuius potentiae animae est inclinare ad conveniens, in qua recipiatur delectatio, vel dolor, cognitivae scilicet, an appetitivae? Dico, inclinari ad extrinsecum perfectibile, esse appetitus sensitivi, qui solus natus est recipere illam perfectionem, quae est delectatio, praevia tamen apprehensione eius obiecti; nam ad id potissimum ponitur appetitus sensitivus, ob scilicet tamen inclinationem et terminationem et delectationem consequentem apprehensionem: et ita cum eiusdem potentiae sit formam terminare, cuius erat inclinari, delectatio erit in appetitu sensitivo, qui inclinabatur, et etiam dolor ob obiecti approximationem, ad quod non inclinabatur. Pariter virtutes morales ponuntur in appetitu, et non in parte cognitiva, ut distinguitur contra appetitum, et ponuntur potissimum propter delectationes, et tristitias moderandas, vel vitandas; igitur seu delectatio, seu dolor erunt in appetitu, et non in cognitiva potentia. — *Cum igitur* dicit Avicenn., 8. *Metaph. suae,* cap. ult. delectationem esse coniunctionem cuiuslibet virtutis cum convenienti, accipit *virtutem,* ut includit cognitivam et appetitivam suam propriam; quia quaelibet virtus cognitiva habet appetitivam sibi correspondentem; nec potest perfecte coniungi cum convenienti, nisi secundum utramque coniungatur, et propter propinquitatem accipiuntur tamquam una potentia; sunt enim magis inseparabiliter coniunctae, quam operatio et delectatio, quas Philosophus, 10. *Ethic.,* cap. ult., dicit non posse ab invicem separari.

Ex his igitur patet, [*Oxon.* ib. n. 18.] qualiter in Christo fuerit verus dolor in appetitu sensitivo, quia obiectum approximatum tactui suo, et appetitui sensitivo, erat disconveniens illi sensui, afferebat enim illi mortem, eratque destructivum sui, idque perfecte percipiebatur ab ipso, quia secundum proportionem bonae dispositionis corporis est dispositio tactus; 2. *De Anim.,* text. com. 94. Et illud corpus fuit optime com-

plexionatum, sicut anima illius corporis erat perfectissima. Igitur cum omnia hic adessent, scilicet obiectum disconveniens, apprehensio eius et approximatio, verissime infuit dolor sensibilis appetitui sensitivo Christi.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Report.* 3. d. 15. n. 10.] Hilarium posse dupliciter intelligi, et exponi. *Primo,* ut dicatur ipsum removere dolorem sensibilem a Christo, eo modo quo est in nobis; nam quando dolor est in nobis, necesse est hominem patientem dolere quantum ad totum quod in eo est; quia nihil est in natura humana, in cuius potestate sit non pati, si talia sibi inferantur. In Christo autem aliquid reperiebatur, unde non fuit necesse sic patientem dolere, et in potestate alicuius existentis in Christo fuit non pati; quia Christus est Deus, ex quo ipse libere passus est dolores, quos pertulit, sic ut potuerit non pertulisse etiam ab obiecto sibi disconvenienti et approximato. *Alio modo* etiam potest Hilarii auctoritas intelligi, quasi voluerit Christum non doluisse sicut nos dolemus, quia non habuit talem causam patiendi, qualem habemus nos, nimirum culpam originalem.

Ad secundum *ex Avicenn.* [*Oxon.* 3. d. 15. n. 35.] dicendum est, ita revera esse de facto, et naturaliter loquendo. Potentia enim intenta uni operationi impedit aliam a sua operatione, et multo fortius seipsam circa aliud obiectum operantem; at contrarium fuisse in Christo dispensative, et ex miraculo, sicuti fuit una comprehensor, et viator, ut posset subire mortem et complere opus nostrae Redemptionis.

Ad tertium respondeo, utique Christum ex sui origine minime causam habuisse unde subiectus esset dolori ulli sensibili, quia nullum demeritum in eo esse potuit; sed [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 8. — *Report.* 3. n. 10.] quia venerat liberandis omnibus per passionem, passibile subinde corpus oportuit assumpsisse. Quia ergo omnium extitit Redemptor per passionem, causam dolendi non contraxit, sed libere dolores assumpsit, idest corpus, per quod dolores sustinere posset ex obiectis disconvenientibus sibi approximatis, quo facto opus redemptionis humanae perficeretur, ut legibus Divinae Providentiae statutum erat.

ARTICULUS VI.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT TRISTITIA.

Doctor, Oxon. et Report. 3. *d.* 15. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 15. *art.* 6.

Videtur in anima Christi non fuisse tristitia. Quia [*Oxon.* 3. d. 15. n. 1.] gaudium sequitur dilatatio cordis et tristitiam restrictio; igitur non possunt esse simul; neque enim simul cor dilatari, et constringi potest; sed in anima Christi fuit gaudium; ergo non fuit tristitia.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Contraria non possunt esse simul in eodem: gaudium, et tristitia sunt huiusmodi; igitur non erant simul in Christo. Si dicatur ad *minorem,* gaudium et tristitiam non esse contraria nisi sint de eodem obiecto; in Christo autem gaudium extitisse de fruitione Dei, tristitiam vero ob imminentem passionem; *contra:* illud, circa quod sunt ista contraria, est subiectum idem, sed non oportet ea habere eamdem causam; ita enim sunt contraria et incompossibilia

album et nigrum, si fiant a contrariis causis, sicut si ponerentur ab eadem causa: sed obiectum se habet ad illas passiones, ut causa effectiva; igitur sunt contrariae, et incompossibiles.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Impeccabilitas animae ex hoc principaliter convenit, quod coniungitur fini ultimo immediate; et tamen cum hoc non stat ipsam esse peccabilem circa quodcumque aliud obiectum: sed hic est tanta distinctio, quanta est obiectorum, quae causarent gaudium et tristitiam; ergo si anima nequit esse impeccabilis circa finem ultimum, et peccare in his, quae sunt ad finem, neque potuit esse beata et tristari.

CONTRA. Matthaei, 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem;* ergo verissime in Christo fuit tristitia. *Praeterea,* [*Oxon.* ib. n. 2.] Augustinus super illud Psalmi 87. Repleta est malis anima mea, *Non vitiis,* inquit, *sed tristitiis, seu poenis.*

RESPONDEO dicendum, in anima Christi fuisse veram et realem tristitiam, de qua prius est dicendum. Tristitia igitur, (ut tactum fuit *art. praeced.* ex Augustino) [*Oxon.* ib. n. 4. 5. et 10.] *Est animi quidam dolor ab his rebus, quae nobis nolentibus accidunt;* ac proinde inest animae secundum se, ut dolor advenit ei ex parte sensitiva; sicut igitur dictum fuit de dolore, causari scilicet ab obiecto disconveniente, quatenus est extrinsecum corruptivum, ita et tristitia causatur ab obiecto disconveniente, et gaudium seu laetitia ab obiecto conveniente posita approximatione, scilicet apprehensione circa volitum, vel nolitum. Verumtamen aliter causatur dolor, et aliter tristitia, quia appetitui sensitivo est naturale aliquod obiectum conveniens, sic ut necessario immutetur; unde ait Damascenus: *ipse ducitur,* et *non ducit.* At voluntas libere vult, et quamvis ipsa inclinetur in ultimum finem, ut ad obiectum sibi convenientissimum, tamen fit ultimate conveniens per *velle* liberum, quo acceptat et complacet sibi in illo.

Haec autem tristitia non potest esse aliqua operatio ipsius voluntatis, [*Oxon.* ib. n. 12.] sed est passio, sicuti de dolore dictum est; nam non est velle, ut patet, neque nolle. Siquidem Deus, et Beati, possunt summe nolle, et non velle, nec tamen tristantur; quia non possunt evenire illa, respectu quorum habent nolitionem; nam si Deus non vult aliquod eventurum, numquam eveniet. At in nobis si eveniat quod nolumus tristitia accidit, et eo intensior, quo magis nolebamus, quod fit nobis invitis; igitur non est tristitia aliqua operatio, sed concomitatur operationem, quae est nolitio: neque tristitia est a voluntate effective, quia tunc esset in eius potestate tristari, et non tristari, quod non est verum, quia nolens aliquid, si eveniat, non est in eius potestate non habere tristitiam, sicuti erat in eius potestate operatio nolendi. — [*Oxon.* ib. n. 13.] *Si dicas;* igitur obiectum necessario agit in voluntatem dum imprimit illam passionem; *respondeo,* non esse ibi nisi necessitatem consequentiae: sicuti si volo, necessario volo: et ita si nolo aliquod obiectum, et nolitum eveniat, ex hoc sequitur necessario tristitia in voluntate: sed sicuti simpliciter est in eius potestate nolitio, ita et ea quae sequuntur ex illa; non est ergo alia necessitas, quam consequentiae, sive praesuppositionis. — *Ulterius,* praeter [*Oxon.* ib. n. 14. seqq.] istum modum tristandi, qui est manifestior, videtur et alia tristitia in voluntate reperiri, nimirum,

cum obiectum est naturaliter disconveniens voluntati, et non nolitum ab ipsa per actum elicitum. Nam, secundum Augustinum, *in Enchirid.*, cap. 104. *Voluntas ita vult beatitudinem, quod non potest velle miseriam;* quod *velle* in voluntate est naturale, ut alibi extitit declaratum. Si itaque id naturale *velle* sufficit, ut voluntas non possit appetere oppositum illius; satis igitur est ut non possit gaudere de tali opposito; sed cogatur tristari de ipso, sicut naturale velle erga beatitudinem naturalem sufficit ad tristandum de opposito illius. — *Videtur* praeterea posse quoque esse tristitia in voluntate per hoc, quod sibi ostendatur obiectum esse disconveniens appetitui sensitivo, ob colligantiam harum potentiarum. Nam sicut ponitur aliqua delectatio subreptitia praecedere in voluntate omnem actum elicitum eius, ita potest poni in ipsa aliqua subreptitia tristitia respectu obiecti disconvenientis appetitui sensitivo sibi ab intellectu ostensi; sicuti enim intellectus cooperatur sensui fortiter immutato, si non sit circa alia distractus; ita voluntas compatitur appetitui sensitivo patienti, et hoc circa idem obiectum, si non impediatur voluntas per non considerationem intellectus, vel per aliud impedimentum vincens. — *Ulterius,* [*Oxon.* 3. d. 15. n. 17.] Potest poni quartus modus tristandi propter nolle conditionatum, quando scilicet voluntas nollet aliquid quantum in se est, tamen in casu vult illud. *Exemplum:* mercator periclitans in mari, nollet proiicere merces, si posset effugere periculum; sed hoc nolle est conditionatum, quia quantum in se est nollet simpliciter; tamen vult proiicere quia non coactus proiicit; licet enim ob aliquod non volitum, puta periculum, deicit merces in mare, tamen non cogitur invitus proiicere. Haec volitio absoluta recte significatur per *volo;* nolitio conditionata, per *nollem, si aliter fieri posset;* et talis nolitio conditionata videtur sufficere ad tristandum de sic nolito eveniente, sicut ille tristis proiicit merces, nec ibi velle oppositum facit tantum gaudium sicut nolle conditionatum causat tristitiam; talis enim volitio et nolitio conditionata sufficit ad peccatum mortale et ad meritum, ut qui vellet interficere hominem si posset, et qui miseretur ex corde proximo non potens illi subvenire in opere; igitur sufficit ad passiones consequentes, velle et nolle, maxime quando actus voluntatis conditionatus est intensus, et per consequens sufficit ad tristitiam inducendam.

Ex his declaratur resolutio: [*Oxon.* 3. d. 15. n. 18 19.] Etsi dolor excellens in parte sensitiva natus sit impedire usum rationis, et magis quam excellens delectatio, secundum August., 83. qq. q. 36: *Nemo est,* inquiens, *qui non plus lugeat dolorem, quam appetat voluptatem; quandoquidem videmus immanissimas bestias etiam asperitatibus terreri, dolere, et moereri;* si ergo impedit usum rationis voluptas carnalis, iuxta eumdem 14. *De Civit.*, cap. 16. multo fortius id faciet excellens dolor. Quod si non evenit in Martyribus tam dira patientibus, hoc fuit per miraculum. Cum igitur ratio Christi in passione permanserit in eius usu, et voluntas haud absorta fuerit a dolore appetitus sensitivi, et intellectus subinde intuitive apprehenderit dolorem illum voluntati ostendendo, ipsa voluntas condoluit; et quia naturaliter inclinabatur ad oppositum, et etiam quia affectio commodi praesupponit affectionem amicitiae; si igitur inclinatio ad concupiscendum aliquid potest esse ratio necessaria tristandi de opposito, multo magis inclinatio ad amandum illud, cui bonum concupiscitur, potest esse ratio tristitiae de opposito boni ipsius amati. Igitur voluntas, quae

est appetitus principalis personae propriae, summe inclinatus in bonum commodum personae cuius est, adveniente opposito, tristatur; dolor autem, vel passio appetitus sensitivi erat destructivus personae amatae amore amicitiae a voluntate animae Christi; igitur non potuit de eo non tristari. — Voluntas etiam [*Oxon.* ib. n. 21.] illa nolebat peccata Discipulorum et aliorum hominum, ob quae patiebatur; igitur ex hac nolitione pariter tristabatur. — *Denique,* noluisset illam passionem si aliter fieri potuisset; igitur cum conditionata nolitio satis sit ad tristitiam, hac quoque ex parte Christi voluntas tristis fuit usque ad mortem, ut ipsemet Salvator testatus est.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 36.] gaudium, quo fruebatur anima Christi, non redundasse in cor eius, cum ne redundaverit quidem ex miraculo in eamdem potentiam, quatenus respiciebat aliud obiectum ab illo, ex quo, et de quo gaudebat, et sic non oportet ponere circa cor ipsius dilatationem ullam et restrictionem.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 33. seqq.] gaudium et tristitiam non esse opposita nisi sint respectu eiusdem obiecti, quod non accidebat in Christo. — *Et cum arguitur contra hoc,* sufficere ad rationem contrariorum esse circa idem susceptivum, a quibuscunque tandem causis causentur; dico, id verum esse, si ipsa contraria sint simpliciter absoluta, ut albedo et nigredo; at si dependeant essentialiter ab aliquo extrinseco, tunc non posse esse contraria, nisi comparentur ad idem obiectum formale, ut dictum est.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 34.] non videri contradictionem includere voluntatem creatam esse ultimo fini coniunctam per gloriam, ac proinde impeccabilem in ordine ad illum, et una habere actum inordinatum circa ea, quae sunt ad finem; quemadmodum cum recta principii cognitione stat, aliquem errare in conclusione ex tali principio non bene deducta. De facto nihilominus, non ex natura rei, sed ex divina ordinatione statutum est, quemlibet beatum esse simpliciter impeccabilem; sed contrarium ordinatum fuit in Christo dum erat viator, et comprehensor, in quo quamvis gloria ipsius debuisset omnem tristitiam arcere, permissa tamen est ad animam illam felicissimam accedere, quia corpus passibile et mortale informabat.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM IN ANIMA CHRISTI FUERIT TRISTITIA SECUNDUM PORTIONEM SUPERIOREM.

Doctor, Oxon. et Report. 3. *d.* 15. — *S. Thom. ib. q.* 2. *art.* 1. *Thomistae ad tertiam partem* q. 15. art. 6.

Videtur in anima Christi fuisse tristitia secundum portionem superiorem. Nam [*Oxon.* 3. d. 15 n. 2.] *Threnor.* 1. scribitur: *O vos omnes venite, et videte si est dolor, sicut dolor meus:* sed dolor maior potest esse quocumque, qui non est in portione superiori; igitur si Christi dolor fuit maximus omnium, fuit in portione superiori. *Probatur minor,* quia omni gaudio, quod non est in portione superiori, potest esse maius, sicuti est maximum omnium illud, quod est in Beatis secundum portionem superiorem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 15. n. 2.] Christus meruit in sua passione, ut patet: sed meritum principaliter consistit in portione superiori; igitur secundum illam Christus passus et tristatus est.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Ipse satisfecit pro peccato Adae: sed Adam peccavit secundum portionem superiorem; igitur secundum illam Christus satisfecit; nam satisfactio debet esse secundum illum, quo peccatur, ut sit iusta culpae compensatio, exhibita illi, cui fuit iniuria illata.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Ex Damascen. lib. 3. cap. 23. *Nequaquam Deitas passiones assumit citra patiens corpus, neque turbationem, et tristitiam demonstrat citra animam turbatam, et tristatam, neque moestus est, et orat, citra intelligentiam moestam, et orantem.* Per intelligentiam autem significat saltem aliquid excedens sensualitatem; igitur ultra omnem sensualitatem tristis fuit; adeoque secundum portionem superiorem.

CONTRA. Christus secundum portionem superiorem voluit passionem; ergo secundum illam non fuit tristatus. *Patet antecedens:* quia alias non fuisset conformis voluntati Divinae. *Consequentia* est evidens ex dictis *art. sup.:* nam tristitia est ex his, quae accidunt nobis nolentibus.

RESPONDEO: [*Oxon.* 3. d. 15. n. 20.] portio superior dupliciter potest accipi: *primo* stricte, quatenus nempe respicit sola aeterna; *secundo,* large, pro intellectu, ut iudicat de quibuscumque secundum regulas aeternas, et voluntate, ut vult referendo ad aeterna, quo pacto de ea loquitur Augustinus, 12. *De Trinit.,* 2. 4. et 14. Sed portio inferior praecise respicit temporalia. Et *primo* quidem *modo* loquendo de portione superiori nequiit sibi infuisse aliquam tristitiam ordinate, quia talis tristitia sequitur ad nolle Deum in se, vel ad nolle aliquam perfectionem intrinsecam sibi inesse; quo pacto vix peccant damnati, quia forte non volunt absolute Deum esse non iustum, sed potius oderunt iustitiae effectum.

At *secundo modo,* [*Oxon.* 3. d. 15. n. 20. seqq.] loquendo de portione superiori, ob *tria obiecta* potest intelligi voluntas pati tristitiam: *primo* ob carentiam fruitionis de obiecto aeterno: *secundo,* ob proprium, vel alienum peccatum: *tertio* tandem, propter mala suo supposito disconvenientia, vel personis aliis a se dilectis. Et ratione *prioris* obiecti, anima Christi non tristabatur, quia nunquam fuit sine fruitione Dei, ne in actu quidem separationis eius a corpore; quia per illam separationem et mortem meruit, ut alii coniungerentur ultimo fini; ergo non fuit congruum ipsam tunc esse a fine seiunctam per carentiam fruitionis. Sed neque tristabatur de *peccato proprio,* quod nunquam habuit, nec habere potuit; at tristabatur de peccatis alienis, ut de infidelitate Discipulorum, et crudelitate Iudaeorum persequentium ipsum. Unde Ambrosius super Lucam: *Doles,* inquit, *Domine, non tua vulnera, sed mea;* idest, tristaris de meis peccatis naturam tuam vulnerantibus, non de tuis. Haec itaque duo obiecta potuerunt Christo esse nolita quoad utramque portionem. Nam cum beatitudo sit commodum personae beatae, potest voluntas velle gratia sui beatitudinem, et etiam iustitiam, sic ut evenientibus contrariis tristetur. — Verum respectu *tertii obiecti,* [*Oxon.* ib. n. 22.] scilicet passionis, oportet distinguere quoad utramque portionem, et hoc iuxta diversos modos tristandi, *art. antec.* expositos. Videtur ergo in voluntate duplicem posse esse tristitiam non supponentem nolitionem; et unam quidem quae oritur ex naturali disconvenientia obiecti; alteram vero, quae nascitur ex coniunctione voluntatis cum appetitu sensitivo patiente; et priorem inesse voluntati

quoad portionem superiorem; secundam vero quoad inferiorem. Portio enim superior large sumpta respicit quoque temporale in ordine ad aeternum, et vult eodem modo; voluntas autem primo et per se vult ultimum finem, et omne aliud in ordine ad ipsum; igitur naturaliter vult proprium commodum, sibique convenientia in ordine ad ultimum finem; igitur cum accidunt disconvenientia naturaliter tristatur secundum hanc portionem superiorem. Sed secundam tristitiam inesse per inferiorem portionem, patet; nam intellectus intelligens aliquid praecise, quia sensus cui coniungitur illud sentit, est, et dicitur portio inferior; ergo voluntas condolens appetitui sensitivo patienti, quia coniuncta illi, est portio inferior. *Assumptum* est manifestum: quia tunc nihil cognoscit per regulas aeternas, cum eodem modo cognosceret, etiamsi non posset secundum illas iudicare. — Quantum [*Oxon.* ib. n. 24.] vero attinet ad tristitiam sequentem actum nolendi absolutum, et conditionatum, ipsa potest esse in utraque portione, si ponantur in esse obiecta uno, aut altero modo nolita; nam potest nolle aliquid quatenus avertens a bono aeterno, quo posito nihilominus in esse, tristabatur secundum portionem superiorem; et potest nolle aliquid, quatenus impedit bonum proprium, quod si eveniat, erit tristitia in portione inferiori.

Sed, nunquid voluntas Christi quoad portionem superiorem tristata est propter *nolle* absolutum passionis? [*Oxon.* 3. d. 15. n. 25.] Dicendum, ipsam non habuisse tristitiam sequentem nolle absolutum passionis, quia nec potuit habere eum actum nolendi passionem: nam per principia accepta a fine ultimo, non potest concludi neque quod passio sibi tunc esset nolenda, neque quod vita esset volenda; igitur non potuit habuisse actum nolendi passionem. *Probatur assumptum:* nam si potuisset unum, aut alterum ex huiusmodi principiis concludi secundum rectam rationem; igitur voluntas divina recte non voluisset illam passionem, quia contra rationem rectam; nec etiam Christi voluntas recte voluisset illam, nec in tali velle meruisset: haec omnia sunt absurda. Sicut igitur ratio superior non potuit iudicare hoc esse malum pro tunc referendo ad finem ultimum, sed determinate bonum, vel quia immediate ordinabatur ad finem ultimum propter eius veritatem velle mori, vel mediate, mediante scilicet salute humana, pro qua fuit mors volita; ita voluntas superior ut libera non potuit ordinate illam pro tunc nolle, sed determinate velle, et sic nec potuit habere tristitiam consequentem absolutum nolle liberum.

Concedendum tamen est, [*Oxon.* ib. n. 26.] Christum tristatum fuisse secundum portionem superiorem per nolle conditionatum, quo noluit passionem, idest noluisset quantum in se erat, si cuncta appetibilia secundum se aeque prospere evenire potuissent sine passione ipsius. Verum quia divina voluntas iussit ipsum passionem subire, absolute eam voluit, et conditionate noluit. *Quod declaratur;* quia obiectum patientiae non est secundum se, et simpliciter eligibile, sed tantum secundum quid, et ex suppositione, quod non possit bene evitari; alias enim non requireretur patientia; nec Beati aliquod simile obiectum eligunt; ergo licet voluntas Christi absolute voluerit passionem, voluit tamen, quia volebat se conformare voluntati divinae ipsam volenti; ergo ex suppositione quod non fuisset a Deo volita, ipsam noluisset, et per consequens fuit absolute volita, et conditionaliter nolita. — Hoc idem diserte testatur Augustinus, 13. *De Trinit.,* cap. 7. *Et quamvis iustus,* inquiens, *per fortitudinem*

sit paratus excipere, et aequo animo ferre quicquid adversitatis acciderit, mavult tamen, ut non accidat; et si potest, facit atque paratus in utrumque est, ut quantum in ipso est alterum optet, alterum vitet, et si quod vitat incurrerit, ideo volens ferat, quia fieri non potuit quod volebat. Dicit igitur in sententia, iustum ita fortiter ferre, et sustinere adversa, ut quantum in ipso est, vellet etiam ea non accidere, si perinde recte omnia evenire possent.

AD ARGUMENTA. Patet qualiter non impugnant principalem *resolutionem* quaestionis, qua dictum fuit tristatam fuisse animam Christi etiam quoad portionem superiorem per *nolle* conditionatum; sed quatenus possent adduci ad suadendum extitisse in Christo tristitiam sequentem *nolle* absolutum. [*Oxon.* ib. n. 37.] Respondetur AD PRIMUM, eo solum probari dolorem Christi in parte sensitiva fuisse maximum et maiorem quovis alio, qui esse potest in parte sensitiva cuiusvis alterius viatoris; quia Christus prae omnibus habuit corpus optime dispositum, et sensum maxime perceptivum, et appetitum summe ad contrarium inclinatum, et ideo excellenter doluit, nec aliud exinde sequi.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib.] meritum, quatenus est actus elicitus, esse in voluntate, sed quando quis meretur per actum imperatum, non oportere huiusmodi actum esse in voluntate formaliter, quamvis meritum sit in voluntate formaliter. *Exemplum:* Beatus Petrus meruit ex passione crucifixionis suae inquantum erat a voluntate imperata, quae nihilominus non fuit nisi in parte sensitiva.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib.] *consequentiam* non sequi; quia quando dignior persona satisfacit pro indigniori, non oportet poenam in satisfaciente esse in eodem subiecto et gradu in quo peccatum delinquentis fuit; quia igitur Christus fuit dignior persona, quam Adam, non oportuit ipsum pati secundum portionem superiorem voluntatis, sed satis fuit pati appetitum sensitivum inferiorem, et subire passionem ex imperio voluntatis.

AD ULTIMUM, [*Oxon.* ib.] ex Damasceno dicente, *Christum habuisse intellectivam moestam,* concedo ita fuisse, et quidem quoad utramque portionem, superiorem scilicet et inferiorem, quia secundum utramque tristabatur respectu peccatorum, quae absolute nolebat.

RURSUM ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM CHRISTUS SECUNDUM PORTIONEM INFERIOREM ABSOLUTE VOLUERIT PASSIONEM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 15. — *Thomistae ad art.* 6. *q.* 15. *tertiae partis.*

VIDETUR Christus secundum portionem inferiorem absolute noluisse passionem. Nam [*Oxon.* 3. d. 15. n. 31.] bonum morale est ens per accidens aggregans subinde in se aliquem actum, et multas circumstantias ei actui accidentes; recte igitur ratione unius circumstantiae potest concludi totum esse eligibile, qua nihilominus circumscripta, quod superest, non potest concludi esse eligibile; igitur quamvis portio superior, quae considerat passionem in ordine ad ultimum finem, nequeat eam recte nolle, inferior nihilominus, quae considerat passionem non in

ordine ad ultimum finem, poterat concludere eam esse nolendam, et reipsa pati recusare.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Principia, ex quibus portio inferior suas deducit conclusiones, sunt ipsae conclusiones portionis superioris: at ut assumuntur ab inferiori non habent ordinem ad ultimum finem; ergo sub principio eodem possunt accipi oppositae minores de eodem per accidens, et evenire, ut ambae sint verae ratione diversorum; igitur poterit recte concludere ratio inferior passionem esse nolendam, propter aliam, et aliam minorem subsumptam, et ita revera passionem nolle.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Absolute nolle mortem, et absolute velle sustinere mortem, optime sibi cohaerent, praesupposito tamen quodam nolito, scilicet necessitate sustinendi illam; ergo quamvis Christus voluerit absolute sustinere passionem, et mortem; nihilominus potuit eamdem recte noluisse, et eatenus eam non declinavit, quia non ab se, sed ab aliis erat inferenda. Quod videtur sensisse Augustinus, 13. *De Trinit.*, cap. 7. *Et quamvis*, inquiens, *iustus per fortitudinem sit paratus excipere, et aequo animo ferre quicquid adversitatis acciderit, mavult tamen, ut non accidat.*

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 27.] Opposita demonstrari non possunt, sed alterum dumtaxat sophistice concludetur: sed ratio superior Christi demonstrat passionem esse absolute volendam et subeundam; ergo ex nullis principiis potest inferior concludere esse nolendam, nisi apparenter et sophistice: ratio autem Christi non potuit errare, et abduci a sophismatibus, nec eius voluntas sequebatur rationem errantem, quae nusquam erat in Christo; ergo ratio inferior Christi non poterat concludere passionem esse nolendam, et ita nec voluntatem passionem nolle debere.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 27.] Christum secundum portionem inferiorem absolute voluisse passionem, et dumtaxat conditionate noluisse eam, ac proinde eius voluntatem non fuisse tristatam ob absolutam nolitionem, quia talem non habuit, sed ob conditionatam, et ex aliis capitibus, ut in *antecedentibus* extitit declaratum, scilicet ut natura, et ut coniuncta appetitui sensitivo. Et *probatur primo;* nam eadem potentia, circa idem obiectum, non potest habere actus oppositos, quorum alter sit in summo, quia oppositum in summo non patitur secum esse reliquum oppositum in quocumque gradu: sed portio inferior et superior sunt eadem potentia, ex Augustino, 13. *De Trinit.*, cap. 4. et portio superior dictat in summo ipsam passionem esse volendam quantum ad intellectum, et secundum voluntatem summe vult; igitur non potuit eamdem passionem absolute noluisse. — *Deinde,* [ib. n. 28.] ratio iudicans de actibus virtutum politicarum est ratio inferior: sed haec ratio iudicat pro bono communi mortem esse voluntarie sustinendam; igitur considerando bonum commune hominum ratio inferior Christi non potuit concludere, sibi mortem esse nolendam, sed magis oppositum, quandoquidem ex illa morte erat sequutura redemptio generis humani. — *Tertio* declaratur; [ib. n. 27.] nam ex principio et conclusione non sequuntur opposita: sed principium rationis practicae inferioris est conclusio rationis superioris; ergo si a portione superiori concludatur mortem esse volendam non potest concludi per inferiorem eamdem mortem esse nolendam. *Probatur minor;* quia conclusiones principiorum practicorum a fine ultimo desumptorum sunt principia ad concludendum aliquid de finibus par-

ticularibus, qui ordinantur ad finem ultimum; ergo illa conclusio, *mors est volenda,* foret principium ad concludendum ipsam esse nolendam in ordine ad aliquem finem particularem, quod esse omnino non potest.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 32.] ea ratione tantum probari non cogi voluntatem secundum portionem inferiorem ad volendam passionem in se, cum repraesentatur sine circumstantia ordinis ad ultimum finem, sub qua circumstantia eam vult superior; sed non propterea exinde sequi ipsam debere nolle passionem. Ad *non velle* enim absolute non sequitur *nolle* absolute. Et porro si ratio inferior ostendit passionem sine circumstantia finis ultimi, per quam passionem vult ratio superior, profecto repraesentat passionem nec ut nolendam, nec ut volendam, sed quasi quid neutrum determinabile circumstantiis, quibus valeat prosequi, vel aversari; non autem ostendit, ut quid determinatum obiectum nolitionis, quia tunc sane nequiret fieri volibile per aliud, si foret nolendum per se.

Ad secundum dico: [*Oxon.* ib.] tertia ratio adducta pro conclusione directe destruit hoc argumentum. Nam ex hac propositione, *mors est volenda,* quae est conclusio superioris rationis, nequit veluti ex principio deduci, *ergo mors est nolenda,* sed ad summum erit obiectum neutrum, circumscripta circumstantia finis, ut nuper dictum fuit.

Ad tertium respondeo, si ratio concludit, *mors est nunc sustinenda;* [ib. n. 28. 32.] aut ergo voluntas non vult, quod ratio dictat, et tunc profecto non est conformis rationi rectae; aut vult, et tunc nequit absolute nolle mortem; quia alioquin non vellet ipsam sustinere, sed potius fugeret, eamque declinaret; absolutum enim *nolle* efficax est causa fugiendi nolitum; igitur falsum videtur *assumptum,* scilicet simul stare posse, ut voluntas nolit absolute mortem, et velit absolute sustinere illam; nam nolle absolutum, ut dictum est, est causa fugiendi nolitum, et impediendi, ne eveniat, seu a se, seu ab alio sit ponendum in effectu; adeoque simpliciter vellet quaelibet media pro assequendo fine, quem absolute vult; qui finis foret amotio passionis. Quod si voluntas media non adhibet ad eam declinandam, imo vult fortiter sustinere; igitur non est probabile nec verisimile, illam efficaciter et absolute nolle, ac proinde solummodo habuit voluntas, secundum portionem inferiorem, nolitionem conditionatam circa passionem, quatenus noluisset eam si fieri id potuisset cum beneplacito voluntatis, Divinae; et ad istam nolitionem conditionatam sequebatur tristitia, ut dictum est *art. antec.* de portione superiori.

ARTICULUS VII.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT TIMOR.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 15. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 15. *a.* 7.

Videtur in Christo non fuisse timorem. Nam [*Oxon.* 3. d. 15. n. 28.] Augustinus super illud Psalmistae, Clamabo per diem, et non exaudies me, *Miles,* inquit, *coronandus non timet, scilicet Paulus; et Dux, scilicet Dominus timet coronaturus?* quasi diceret; non; timor enim est de nolito, quod scitur, vel creditur esse futurum; ergo cum Christus voluerit subire passionem, in eo non potuit fuisse timor de passione.

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 15. n. 9.] Hilarius, 10. *De Trinitate,* expresse removet a Christo verum timorem; ergo non est in Christo ponendus ullus timor.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 15. n. 2.] Damascen., lib. 3. cap. 23. *Est timor,* inquit, *naturalis nolente anima dividi a corpore, propter eam a principio a Conditore impositam ipsi naturalem compassionem, et familiaritatem;* non fuit igitur in Christo alius timor, quam natutalis: sed naturaliter timere non est habere verum timorem, sicut nec naturaliter velle est velle; tunc enim simpliciter volumus cum habemus actum elicitum volendi; igitur non habuit verum timorem.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 6. n. 22.] Secundum Philos., 2. *Rector.,* cap. 5. *Timor est de malo imminenti, cuius est aliqua spes evadendi:* sed Christus non habuit aliquam spem evadendi passionem imminentem et mortem; sciebat enim haec omnia sibi certissime obventura de Dei efficaci voluntate; ergo nequiit ob eadem timuisse.

CONTRA. Marci, 14. *Coepit Iesus pavere, et taedere et moestus esse;* ergo fuit in Christo verus timor.

RESPONDEO dicendum, in Christo secundum partem sensitivam fuisse verum timorem, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 14.-16.] sicuti in ipso fuit verus dolor. Nam timor est de malo infligendo, vel de inflicto continuando, praecedente apprehensione talis mali; cum igitur in Christi phantasia fuerit species passionis et mortis, quae erant mala imminentia vehementissima, ac optime fuerint ut talia apprehensa, secundum partem sensitivam vere timuit, et secundum eamdem partem maximos dolores et cruciatus perpessus est.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 30.] Christum iuxta utramque portionem absolute voluisse passionem, et per talem actum volendi nec tristatum fuisse, nec potuisse timere; noluisse tamen eam conditionate, ut patuit *in antecedentibus;* secundum vero portionem inferiorem, ut condolebat appetitui sensitivo patienti, sic imminentem passionem apprehendendo, fieri non potuit, quin vere timeret secundum partem sensitivam. Augustinus itaque non removet a Christo omnem absolute timorem, sed tantum secundum partem intellectivam, ratione cuius putamus Christum nullo timore correptum fuisse.

AD SECUNDUM [*Report.* 3. d. 15. n. 10.] ex Hilario respondeo, duplicem esse timorem, alium scilicet diffidentiae, qui non cadit in constantem virum, alium vero esse timorem imminentem, seu de malis imminentibus. Et *priorem* quidem concedimus non fuisse in Christo, quia is timor est in eo qui desperat, quamquam possit vincere, et habeat iustam causam; eiusmodi itaque timor locum non habuit in Salvatore. Nam cum dixisset, *Ego sum;* statim ceciderunt Adversarii eius. Unde et testatus est suam potentiam dicens: *Nonne possum rogare Patrem meum, et dabit duodecim legiones Angelorum?* Potuit igitur non subdi si voluisset, et superare. *At secundum* timorem sentiendum est vere fuisse in ipso, quia cum voluerit pati, et passionis eius extiterit species in phantasia eam apprehendendo, debebat ut homo timere.

AD TERTIUM ex Damasceno, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 37.] concedo timorem naturalem non esse verum timorem, sicuti nec velle naturale est vera volitio; nec oportere pariter velle elicitum esse conforme inclinationi naturali, quia secundum hanc Paulus optabat esse in corpore, et

secundum velle elicitum cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Nec videtur Christus habuisse timorem elicitum pertinentem ad partem intellectivam conformem timori naturali; sed quia phantasia eius habuit speciem passionis et mortis, ideo in passionis et mortis apprehensione secundum partem sensitivam vere timuit.

AD QUARTUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 49. q. 6. n. 22.] dictum Philosophi habere veritatem ut in pluribus, non autem ubique, et in omnibus, adeo ut oporteat timorem esse cum spe evadendi a malis imminentibus quae timentur; quia licet timor praerequirat apprehensionem imminentium malorum, non oportet tamen eam apprehensionem esse dubiam, seu ostendere posse aut non ea mala accidere; nam dubitatio pertinet ad intellectum, timor autem ad appetitum; et ideo si appetitui praeostendatur certa futuritio malorum, adhuc timet experimentum illorum; quod profecto plurimum distat a notitia, quam habet de illis. Quamvis igitur Christum non latuerit suam passionem et mortem certissime esse futuram; apprehendendo tamen eos dolores uti erant futuri, et separationem animae a corpore, phantasia, et naturalis appetitus refugiebat ab illis, et ideo non poterat non timere et perhorrescere approximationem eorum; quia vero absolute voluntas amplectebatur Dei ordinationem, cui exactissime se conformabat, iuxta hoc, nec timebat, nec tristabatur, ut dictum est.

ARTICULUS VIII.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ADMIRATIO.

Doctor, loc. infra cit. — S. Thomas 3. *p. q.* 15. *a.* 8.

VIDETUR in Christo esse non potuisse admiratio. Etenim [*Expos. lit. in Metaph. Aristot.*, lib. 1. n. 27.] *Qui admirantur, ignorare se arbitrantur,* inquit Aristot., 9. *Metaph.*, cap. 1. et subdit, homines coepisse philosophari per admirationem, ac proinde ob fugiendam ignorantiam: sed ex dictis supra art. 3. Christus non assumpsit ignorantiam; ergo neque admirationem.

2. PRAETEREA. Iuxta dicta, q. 3. art. 2. Christus habuit potestatem faciendi quaelibet miracula; ergo ipse non potuit de aliquo facto insolito miratum esse, et per consequens nequiit in eo fuisse admirationem. [*Oxon. Prolog.* q. 2. n. 11.] *Probatio consequentiae:* quia ex Augustino, *De utilit. credend.* prope finem, *Miraculum est quicquid arduum, aut insolitum supra spem, vel facultatem mirantis apparet.* Sed nihil arduum, aut insolitum Christo occurrere potuit, quod ipse non habuerit facultatem perficiendi; ergo de nullo unquam miratus est.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 21. n. 1.] Damascen., lib. 3. cap. 20. enumerans passiones naturales, quas Christus in humana natura assumpsit, non meminit admirationis: igitur videtur sentire admirationem in Christo minime locum habuisse.

CONTRA. Matthaei, 8. *Audiens autem Iesus,* (nempe verba Centurionis) *miratus est;* igitur in Christo fuit admiratio.

RESPONDEO, dicendum in Christo admirationem extitisse, quae est passio naturae humanae. Et in nobis quidem nascitur admiratio et stupor cum quaedam cernimus evenire, quae futura non putabamus, aut supra

nostram expectationem cum sint, fieri non credebamus; ex ignorantia igitur, ut recte dixit Aristoteles, *loc. cit.* olim admirati sunt homines, et nunc admiramur. Christum autem nihil latebat, sed sciebat omnia, non solum scientia indita vel infusa, sed etiam per scientiam beatam, qua attingebat in Verbo quaecumque scire voluisset; secundum igitur has scientias, quia nihil novi occurrere ei potuit, nec aliquam habuisse admirationem, certum est. Nihilominus quia verissime profecit, ut scribitur in Lucae *Evangelio,* cap. 2. alium profectum sapientiae in Christo non possumus intelligere nisi secundum scientiam acquisitam experimentalem, ut declaratum fuit q. 12. art. 1. et 2. Qui autem proficit non omnia a principio comperta habet; igitur aliquid insolitum et mirandum accidere potuit, quod admiratione dignum erat: et talis profecto fuit fides Centurionis, qua credidit in Christum, cum esset gentilis. Unde et Salvator subdidit. *Non inveni tantam fidem in Israël.*

Ad Argumenta. Ad primum, patet *ex dictis in solutione.* Quia etsi Christus nullius rei ignorantiam habuerit, secundum scientiam infusam et beatam; tamen non omnia expertus fuit simul, sed secundum scientiam hanc experimentalem proficiebat, secundum quam ipsi admirationem infuisse intelligenda est scriptura.

Ad secundum, [*Oxon.* 4. d. 22. n. 15.] concedo Christum potestatem habuisse faciendi quaelibet miracula, nec ex virtute Centurionis fuisse, quod credidit in Christum, sed ex dono Dei dantis fidem illi intuitu meritorum Christi, et idem donum iusto iudicio denegantis Israëlitis. Haec igitur mirari non potuit Christus, sed factum illud in se valde mirandum erat, et timendum propter verba, quae addidit praedicens vocationem gentium, et reprobationem Judaeorum, ad quos tamen praesertim missum fuisse ipse testatus est dicens: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israël,* Matthaei, 15.

Ad tertium respondeo, [*Oxon.* 3. d. 21. n. 1.] quamvis Damascenus diserte non dicat in Christo fuisse admirationem; non tamen id negare, sed magis videri comprehendisse sub clausula illa generali, et *huiusmodi, quae quidem,* inquit, *omnibus hominibus naturaliter insunt.*

ARTICULUS IX.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT IRA.

Doctor, locis infra cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 15. *a.* 9.

Videtur ira minime in Christo locum habere potuisse. Nam [*Oxon.* 3. d. 40. n. 1.] Matthaei, 5. *Dictum est antiquis,* (inquit Salvator,) *non occides: Ego autem dico, qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.* Sed virtutes, quas Salvator ab aliis exegit, prius in se repraesentavit, ut decebat magistrum moralem et efficacissimum; ergo non fuit ira in eo, qui irasci aliis interdixit.

2. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 40. n. 4.] Christus in lege Evangelica non solum vetuit ultionem inimicorum, sed etiam praecepit, ut diligeremus inimicos et persecutores, ut diserte refert Matthaeus, cap. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos:* sed hac lege praecisa est omnis radix iracundiae, a qua est vindicta; ergo

cum Salvator legem non solverit, sed magis adimpleverit, non potuit iram in se admisisse.

3. PRAETEREA. Non possumus in Christo concipere iram, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 21.] nisi intelligamus quibus demum ipse irasceretur, alias possemus quidvis in eo imaginari: sed nemini ipse irascebatur; nam neque Discipulis eum deserentibus, imo magis dolebat eorum defectionem, atque pro eorum culpa angebatur: neque rursum [*Oxon.* d. 48. n. 1.] irascebatur inimicis, ipsumque odio prosequentibus, imo Patrem deprecatus est, ut illis ignosceret; igitur si nullus actus irae in Christo innotuit, profecto et ira caruisse asseredum videtur.

CONTRA. Christus fuit homo similis aliorum hominum: sed caeteris hominibus convenit irasci et iram habere; ergo pariter et Christo.

RESPONDEO dicendum, in Christo revera fuisse iram. Etenim [*Oxon.* 3. d. 34. n. 10.] ipsum habuisse vim irascibilem perinde ut caeteri homines, dubitari non potest. Ea siquidem vis ab appetitiva facultate est quatenus insurgit, et repellit, prohibens appetitivam uniri suo obiecto, idcirco irascitur illi, tamquam se offendenti, et impedienti quominus potiatur eo, quod concupiscit. Unde iuxta Philos., 2. *Rector.*, c. 2. *Irasci est appetere vindictam secundum rationem apparentem, propter apparentem parvipensionem.* Iratus igitur habet quoddam nolle circa offendens, non quidem proprie refugientis illud, sed magis respuentis, sive repellentis, quia irascibilis nolens repellit; non enim concupiscit tantum amovere illud impediens, sed etiam ultro punire. Cum igitur Christo distincte nota fuerint omnia peccata hominum, ob quae etiam tristabatur, certissime illis pariter irascebatur, et ea nolendo appetebat iuste puniri, atque infligi subinde condignas poenas, prout exigere noverat iustitiam divinam, et ipse semel, et iterum, scilicet sub principium, et finem praedicationis suae (ut habetur, Ioann., 2. et Matthaei, 21.) mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas in Templo evertendo, iustissimam iram, et zelum decoris domus Dei, et honoris Patris suis ostendit.

AD ARGUMENTA. Pro omnibus est una responsio: utique [*Oxon.* 3. d. 30. n. 2. seqq.] iubemur diligere inimicos, et vetamur irasci cuilibet ex fratribus, quatenus inimici et fratres proximi sunt, idest, capaces bonorum spiritualium, et dilectionis et fruitionis Dei; non enim stat cum perfecta dilectione Dei, nolle ipsum condiligi ab alio, cuius amicitia non noscitur ei displicere. At considerando inimicos et alios, ut subsunt iniquitatibus et peccatis, non sunt diligendi, imo odio persequendi; quo pacto odio habebat eiusmodi homines, qui dixit Psal. 103. *Deficiant peccatores a terra, et iniqui ita ut non sint.* Multo itaque magis possumus et debemus illis irasci, quatenus in peccata labuntur, et emendari, et corripi contemnunt; idque zelo honoris Dei, et intuitu illorum salutis, quam illi peccando parvipendere videntur. Haec igitur ira salubris et interdum necessaria non fuit a Magistro veritatis nobis interdicta, et eamdem ipse dum erat in via habuit, et aliquando ostendit, ut dictum est *in solutione.* Ipse enim sciebat quantum essent odio habenda peccata, iisque irascendum, idest volendo punitionem debitam illis in tempore opportuno.

ARTICULUS X.

UTRUM CHRISTUS SIMUL FUERIT VIATOR ET COMPREHENSOR.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 18. — *d.* 16. — 4. *d.* 49. *q.* 12. — *Report. ib. S. Thom.* 3. *p. q.* 15. *a.* 10.

VIDETUR Christus simul non extitisse Viator et comprehensor. Nam [*Oxon.* 2. d. 20. q. 1. n. 2.] viator et comprehensor distinguuntur sicut esse citra terminum, et esse in termino: sed contradictio est, unam eamdemque animam esse in termino, et frui Deo clare viso, et non esse in termino, vel esse citra terminum, et non frui obiecto beatifico; igitur est impossibile Christum simul fuisse viatorem et comprehensorem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 34. n. 7.] Si Christus extitisset viator, utique omnem perfectionem viatori possibilem habuisset; alioquin haud perfectus viator fuisset: sed viator circa Deum perfectissime perficitur tribus virtutibus theologicis, nempe Fide, Spe et Charitate; igitur oportuisset Christum habere fidem infusam: habitus autem fidei repugnat inesse intellectui clare videnti Divinam essentiam; ergo vel non extitit viator, vel caruit perfectione, qua alii perfici quaeunt viatores.

3. PRAETEREA. Si oportuisset Christum esse viatorem, et comprehensorem, maxime ad hoc, ut mereri posset: sed propter meritum non oportet ipsum fuisse viatorem; ergo solummodo extitit comprehensor. *Probatio minoris:* nam [*Oxon.* 3. d. 18. n. 7. — *Report.* ib. q. 1. n. 7.] Christi meritum ad portionem eius inferiorem spectare debuisset: sed in ipso portio inferior erat simpliciter in termino; nequiit enim habuisse actum inordinatum circa aliquid ad finem; fuit igitur talis portio quieta et beata quantum potuit esse; igitur per illam non potuit mereri, ac proinde non fuit viator.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 21. n. 1.] Damascenus, lib. 3. cap. 20.: *Totum hominem, et omnia quae sunt hominis assumpsit, praeter peccata, scilicet esuriem, sitim, laborem, dolorem, lacrymas,* etc. Sed esurire, sitire, et pati, et dolere, non sunt nisi viatorum, ergo cum Christus fuerit comprehensor, extitit una quoque viator.

RESPONDEO dicendum, Christum simul fuisse comprehensorem et viatorem; quod declaratur: siquidem ipse venit subiturus passionem, et mortem; si igitur [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] stante gloria animae suae, qua replebatur a primo instanti unionis ad Verbum, praeterea non fuisset viator, idest si permissa fuisset ea animae gloria redundare in corpus, ut contigisset absque miraculo, certe ipse secundum corpus nec pati potuisset, nec mori; igitur debuit fuisse simul comprehensor et viator. — *Deinde,* Christus in praesenti vita debebat mereri gloriam electis, et gratiam omnibus habentibus illam; sed nisi fuisset et viator id efficere minime valuisset; ergo erat comprehensor et viator. *Probatur minor:* [*Ox.* 3. d. 18. n. 5. — *Report.* ib. q. 1. n. 6.] Beati in Patria, eo quia sunt perfecte comprehensores non merentur; quia igitur Christus meruit, oportuit ut secundum portionem inferiorem et affectionem commodi non fuerit totaliter in termino; idest, beatus et comprehensor, quia tunc nihil sibi accidere potuisset tamquam disconveniens portioni inferiori, in quo vo-

lendo, et sustinendo mereri potuisset, sicuti de facto fecit sustinendo acerbissimam passionem et mortem, et insuper ieiunando, vigilando, orando, etc. Erat igitur comprehensor et viator.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, concedo involvere contradictionem eamdem animam esse et non esse in termino secundum eamdem portionem; at non esse impossibile frui Deo per portionem superiorem, et non frui per portionem inferiorem. Quia itaque [*Oxon.* 3. d. 18. n. 5.] Christi anima fruebatur divina essentia per superiorem partem eius, et informabat simul corpus passibile et moriturum, quatenus ea quae sunt ad finem respiciebat non fuit in termino, et proinde erat simul viator et comprehensor.

AD SECUNDUM dico: Christus non habuit omnem omnino conditionem viatoris, quia nec potuit peccare ut alii viatores, atque ita non oportuit habere habitum fidei, qui ideo datur ad perfectionem aliorum viatorum, quia nemo alius fuit simul comprehensor. — *Cum itaque dicitur:* tunc non fuisset perfectus viator; *respondeo,* si sit sensus, caruisse aliquot conditionibus, quas habent alii viatores, *concedo.* Verumtamen melius videtur ea veritas exprimi si vocetur Christus, non perfecte seu non complete viator, cum extiterit comprehensor per fruitionem Divinae essentiae: et ideo fides infusa in illo esse non potuit.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 18. n. 8. — *Report.* ib. q. 1. n. 8.] esse in termino dupliciter contingere, scilicet et quoad affectionem iustitiae, et quoad affectionem commodi. Et *primo* quidem modo concedo Christum fuisse in suo termino perfecte, adeo ut secundum illam affectionem non potuerit velle nisi ordinatum, et iustum, atque ita nec peccare. At interim fatendum est non fuisse sic in termino, ut habuerit impassibilitatem, cum nec datum sibi sit quod potuit habere secundum affectionem commodi, contra quam potuerunt multa evenire, ut de facto evenerunt, et pati et dolere et tristari et mori, quae accidere nequeunt iis, qui omnino sunt in termino, secundum affectionem iustitiae, et commodi, sicuti sunt Beati, et ipse Christus nunc in gloria; bene tamen verum est [*Oxon.* 4. d. 49. q. 12. n. 7.] ea omnia in Christo fuisse per specialem dispensationem, et miraculose, quod scilicet in ipso simul fuerint beatitudo, et mortalitas, propter repugnantiam affectuum; sicuti enim fuit miraculum gloriam animae non effecisse corpus, quod informabat, impassibile et immortale; ita fuit miraculum, dolorem quo afficiebatur in passione pars sensitiva, redundasse usque ad superiorem partem animae perfusae gloria et beatitudine.

QUAESTIO DECIMASEXTA.

DE CONSEQUENTIBUS UNIONEM QUANTUM AD EA, QUAE CONVENIUNT CHRISTO SECUNDUM ESSE ET FIERI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est quae consequuntur unionem. Et *primo,* quantum ad ea, quae conveniunt Christo secundum se: *secundo* de his, quae conveniunt Christo per comparationem ad Deum Patrem: *tertio,* de his, quae conveniunt Christo per comparationem ad nos.

Circa primum duplex consideratio occurrit.

Prima quidem de his, quae conveniunt Christo secundum esse et fieri: *secunda,* de his, quae conveniunt Christo secundum rationem unitatis.

Circa primum quaeruntur duodecim.

1. Utrum haec sit vera, *Deus est homo.* — 2. Utrum haec sit vera, *homo est Deus.* — 3. Utrum Christus possit dici homo dominicus. — 4. Utrum ea quae conveniunt filio hominis possint praedicari de Filio Dei, et e converso. — 5. Utrum ea quae conveniunt filio hominis possint praedicari de Divina Natura, et de humana ea quae conveniunt Filio Dei. — 6. Utrum haec sit vera, *Filius Dei factus est homo.* — 7. Utrum haec sit vera, *homo factus est Deus.* — 8. Utrum haec sit vera, *Christus est Creatura.* — 9. Utrum haec sit vera, *iste homo,* demonstrato Christo, *incoepit esse,* vel fuerit semper. — 10 Utrum haec sit vera, *Christus secundum quod homo est creatura.* — 11. Utrum haec sit vera, *Christus secundum quod homo est Deus.* — 12. Utrum haec sit vera, *Christus secundum quod homo est hypostasis vel persona.*

ARTICULUS I.

UTRUM HAEC SIT VERA, *DEUS EST HOMO.*

Doctor, Oxon. 3. d. 7. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *a.* 1.

VIDETUR haec propositio, *Deus est homo* haud esse vera. Nam [*Oxon.*3. d. 7. q. 1. n. 1.] in dividentibus ordinatis prima dividentia maxime distant: sed finitum et infinitum sunt prima dividentia *entis;* igitur maxime cum distent, praedicatio unius de alio erit impossibilis; ergo nequit vere praedicari homo de Deo.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 15. q. 1. n. 1.] *Topicor.,* c. 3. idem non praedicatur denominative, et *in quid de* eodem; sed homo praedicatur denominative de Deo, secundum Damascen., lib. 3. c. 11. igitur debet dici est *humanatus,* et non homo.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si homo praedicatur de Deo, aut dicit aliquod absolutum, aut relationem: non relationem: quia quod ad se dicitur respectu nullius dicit relationem. Si absolutum; igitur est commune tribus, iuxta Augustinum, 5. *De Trinit.,* c. 8. et 10., ergo sicut haec est concedenda, *Deus est homo,* ita et ista, *Pater est homo;* et per consequens, sicut falsum est, Patrem esse hominem; ita et Deum esse hominem.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Ioann., 1. *Verbum caro factum est,* vere igitur praedicatur caro, sive *homo de Deo.*

RESPONDEO dicendum, hanc, *Deus est homo,* esse veram. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 2.] Sed videndum de causa veritatis. In tantum enim videtur illa vera, in quantum est vera haec, *Verbum est homo;* itaque non est primo vera, quia non convenit communi, nisi pro aliquo supposito. Sed est ne veritas istius nobis evidens? Dico, non esse evidentem ex terminis, quia est contingens; et ideo non posse cognosci nisi ex cognitione intuitiva terminorum, et unionis eorum: hanc autem naturaliter habere non possumus, sed solum abstractivam. Sed neque illa, *Verbum est homo,* videtur esse immediata, sed magis reducibilis ad aliam contingentem immediatam (est enim ordo, et status etiam in contingentibus), scilicet ad hanc, *Deus vult,* quae tamen minime est cognoscibilis lumine naturali intellectus.

Veritas [*Oxon.* ib. n. 3.] ergo istius, *Deus est homo,* potest declarari ex credito magis noto sic: omne suppositum subsistens in aliqua natura est tale secundum illam naturam: sed Verbum est suppositum subsistens in natura humana; igitur Verbum est homo. *Minor patet* per Damascen., lib. 2. c. 11. *Deus autem et commune nomen significat et in unaquaque hypostasi ordinatur denominative, quemadmodum et homo. Deus enim est qui habet naturam divinam, et homo, qui humanam.* Sicut igitur recte dicitur *homo* de hypostasibus creatis in quibus subsistit, ita et de increata, in qua natura assumpta subsistit.

Sed [*Oxon.* ib. n. 4.] qualiter accipitur illud praedicatum *homo?* facit ne praedicationem formalem, vel identicam? *Et dicitur* esse hic praedicationem identicam innuendo talem implicationem, *Verbum est suppositum, quod est homo. Contra,* in ista propositione, *Verbum est suppositum, quod est homo,* aut accipitur *homo* pro natura humana formaliter, aut pro supposito, ut in illa, *Verbum est homo.* Si *primo modo,* pari ratione accipiendum est in prima, et sic erit formalis, et non identica. Si *secundo modo,* adhuc sic dicendo: *Verbum est suppositum, quod suppositum est homo,* quaerendum est pro quo supponit *homo;* et tunc erit processus in infinitum, nisi stetur in prima, ubi *homo* pro natura humana formaliter accipiatur. — *Deinde,* [*Report.* 3. d. 7. q. 1. n. 4.] praedicatio superioris de inferiori est formalis, et non per identitatem; igitur non supponit in illa propositione *homo* pro supposito, quia talis non est superioris de inferiori. Praedicat itaque ibi *homo* quod significat, non quidem humanitatem in abstracto, quia nec hanc *homo* significat, sed naturam humanam sub modo concernendi.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 9.] concedo maiorem diversitatem, sed non repugnantiam maiorem, magis enim diversa dicuntur, quae minus sunt in eodem convenientia, sed non propter hoc magis repugnant; sicut album et nigrum in pluribus conveniunt, quam album et homo; et tamen magis repugnant album et nigrum, quam album et homo; et hoc modo maior diversitas extremorum non est causa falsitatis propositionis; sed potius repugnantia vel incompossibilitas extremorum habentium aliquam oppositionem, quam non esse hic patuit, *q. fundamentali art.* 2.

AD SECUNDUM respondeo, *negando minorem;* [*Oxon.* 3. d. 15. n. 9.] quia esse humanatum, non est denominativum proprium derivatum ab homine, sed *a fieri* hominem, nam idem est esse humanatum, ac fieri hominem; denominativum itaque quod significat formam *in fieri*

dicitur de eo, de quo dicitur ipsa forma, et simili denominatione. Idem enim est album, et fit album; ita idem est homo, et fit homo. Caeterum proprium denominativum hominis est esse *humanum;* verumtamen haud dicitur de Deo, quia ea loquutione significaretur hominem spectare ad ipsum alia ratione, ac natura spectet ad suppositum. At humanitas, quae est proprium abstractum hominis, non dicitur de Verbo, quia Verbum non est humanitas; sed homo. De qua re infra, *art.* 5.

AD TERTIUM respondeo, [*Report.* 3. d. 7. q. 1. n. 9.] praedicatum hoc *homo* dici de Deo ut quid absolutum, quia tale revera est in se. — *Et cum arguitur,* quia tunc diceretur de tota Trinitate, iuxta Augustinum, *dico* utique ea praedicata absoluta, quae essentialia dicuntur, et intrinseca sunt Essentiae Divinae, dici de tribus Personis, quibus una individua Essentia est communis; at nequaquam id verum esse de iis praedicatis absolutis, quae extrinsecus Deo conveniunt, qualis est *homo;* qui ideo praedicatur de Deo, quia Verbo Divino hypostatice unitus est homo.

ARTICULUS II.

UTRUM HAEC SIT VERA, *HOMO EST DEUS.*

Doctor, loc. citat. art. ant. — S. Thom. 3. *p. q.* 16. *art.* 2.

VIDETUR haec propositio, *homo est Deus,* esse falsa. Si enim vere praedicaretur Deus de homine, eadem ratione quicquid praedicatur de Deo, vere enunciaretur de homine, et per consequens, recte diceretur, *homo est Pater, est Spiritus Sanctus, est Trinus;* et alia id genus, quod est manifeste falsum. *Sed probatur sequela;* quia quicquid praedicatur de praedicato, praedicatur et de subiecto: sed illa praedicata conveniunt, et verissime dicuntur de Deo; ergo si recte diceretur, *homo est Deus,* recte quoque diceretur et praedicaretur Trinitas de homine.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 7.] Si recte praedicaretur Deus de homine, profecto, aut esset praedicatio per se, aut per accidens; omnis enim vera praedicatio alterutra ex illis est: sed non est praedicatio per se, quia nec per se primo modo; tunc enim homo foret quidditative Deus; sed neque per se secundo modo, quia tunc inter ea extrema esset necessaria habitudo. Sed neque per accidens; nam quod vere est, nulli accidere potest 1. *Poster. cap.* 4. *et* 5. *Metaph., cap.* 18. Deus porro verissime est; igitur de nullo praedicatur per accidens; ergo ista propositio, *Homo est Deus,* non videtur vera.

CONTRA. Augustinus, *De Trinit.,* cap. 7. *Quia forma Dei,* inquit, *accepit formam servi, utrumque est Deus, et utrumque est homo,* idest quemadmodum ob eam assumptionem recte dicitur, *Deus est homo,* ita pariter et *homo est Deus.*

RESPONDEO dicendum, hanc, *homo est Deus,* esse veram; quod declaratur [*Oxon.* ib. n. 3.] siquidem per unionem hypostaticam Verbum subsistit in natura humana, ut suppositum in natura, et per ipsam unionem Verbum formaliter est homo, ut patuit *art. praec.* Sed per eamdem unionem natura humana subsistit in supposito Divino; ergo sicuti est vera haec, *Deus est homo,* pariter erit et ista, *homo est Deus.* Et hoc est, quod dicit Augustinus, *De Trinit.,* cap. 13. *Talis fuit ista*

assumptio, ut Deum hominem faceret, et hominem Deum. — *Verumtamen* haec, *homo est Deus,* non est immediata; [*Oxon.* ib. q. 2. n. 8.] sed omnium prima in hac materia post divinam voluntatem volentem est ista, *Natura humana unita est personaliter Verbo.* Ex qua immediate sequitur haec, *Verbum est homo.* Ratio huius est, quia virtute unionis est subsistens in natura humana, ex quo tandem fit, ut homo sit Deus. Vere igitur et recte enunciatur Deus de homine, licet aliae sint ea propositione immediatiores.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, *sequelam* esse falsam. [*Oxon.* 4. d. 13. q. 1. n. 36.] *Et cum probatur* per illam regulam, quidquid praedicatur de praedicato, dicitur et de subiecto; *respondeo* esse veram praecise de praedicationibus per se, in quibus praedicatum ingreditur rationem subiecti; tunc enim necessario, quae per se dicuntur de praedicato, praedicantur et de subiecto. At in ista propositione, *homo est Deus,* praedicatum est omnino extra rationem subiecti, et licet nihilominus appellari nequeat unio accidentalis, sed substantialis, attamen non facit, ut quae per se insunt praedicato, pariter dicantur et de subiecto.

Ad secundum dico, illam propositionem, *Homo est Deus,* logice loquendo, non esse veram, quia praedicatum est extra per se intellectum, et rationem subiecti. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 7.] Hoc igitur pacto est vera per accidens; non ita tamen per accidens, quasi unum extremum accidat alteri, quia, ut bene arguitur, quod vere est nulli accidit. Unde unio haec extremorum substantialium non conceditur esse essentialis, nec accidentalis, sed substantialis, iuxta Damascen., *lib.* 3. *cap.* 3. est igitur propositio praefata per accidens vera logice, non autem metaphysice, sicuti vera est ista *paries est albus.*

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS POSSIT DICI HOMO DOMINICUS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *art.* 3.

Respondeo, hanc propositionem, *Christus est homo Dominicus* esse falsam; et declaratur: etenim, ex dictis *art.* 1. haec [*Report.* 3. d. 7. q. 1. n. 9. — *Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 9.] *Christus est Deus humanus,* est falsa; ergo pariter falsa erit illa, *Christus est homo dominicus. Probatur consequentia:* siquidem ideo falsum est, Christum esse Deum humanum, quia verum est ipsum esse hominem, adeo ut in persona Verbi subsistat natura humana, quae praedicatur formaliter de ipso, et non denominative, ob quod significatur ei inesse natura humana aliter quam conveniat per unionem hypostaticam, seu aliter ad ipsum hominem spectare, quam natura spectet ad suppositum, quod est falsum; sed hoc idem sequeretur dicendo, Christum esse hominem dominicum; nam dominicum est denominativum *Domini,* ipse autem est proprie Dominus, sicuti proprie est homo; ergo sicuti Christus non est Deus humanus, ita non est homo dominicus, sed Dominus. Et hoc est quod ait August., 1. *Retractat.,* cap. 19.: *Non video utrum recte dicatur homo dominicus, qui est mediator Dei et hominum Christus Iesus, cum sit utique Dominus, et hoc quidem ut dicerem apud quosdam legi catholicos tractatores, sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem.*

ARTICULUS IV.

UTRUM EA QUAE CONVENIUNT FILIO HOMINIS POSSINT PRAEDICARI DE FILIO DEI, ET E CONVERSO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 1. — *d.* 11. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 16. *a.* 4.

VIDETUR non posse praedicari de Filio Dei, quae conveniunt filio hominis, aut e converso. Nam [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 4.] de eodem non possunt praedicari opposita vere; sed ea quae conveniunt filio hominis sunt opposita iis, quae conveniunt Filio Dei; ergo vere de ipso ea praedicari non possunt. *Patet minor:* quia Filius Dei est immortalis, impassibilis, aeternus, immensus etc. filius autem hominis est finitus, passibilis, mortalis; igitur haec opposita non possunt esse vera de eodem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 2.] Si praedicata huiusmodi opposita essent vera de eodem, ut illae locutiones, vel idiomata (ut dicitur) ad invicem communicarentur, id maxime esset ob unionem duarum naturarum in una persona: sed hoc est falsum; igitur quae conveniunt Filio Dei cum veritate nequeunt enunciari de filio hominis, nec e converso. *Probatur minor:* quia si ob illam unionem concederetur haec: *quis occidit hominem;* igitur occidit Deum, etiam vere dici posset: Deus factus est homo, et homo factus est Deus: hoc autem est falsum, quia Deus non est factus; igitur propter unionem naturarum, quae conveniunt uni non possunt praedicari de altero.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 2.] Si quae conveniunt filio hominis praedicarentur vere de Filio Dei; igitur cum illi conveniat esse creatura, Filius Dei esset creatura, hoc autem est error Arianorum; ergo quae competunt homini nequeunt enunciari de Filio Dei.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 3.] Augustinus, 1. *De Trinit.*, cap. 13. *Talis fuit illa unio, quae Deum faceret hominem, et hominem Deum.* Si igitur Deus est homo, et homo est Deus per hypostaticam unionem, pariter quae conveniunt Deo, recte dicuntur de homine, et e converso.

RESPONDEO dicendum, revera inter Filium Dei, et hominis esse idiomatum communicationem, sic, ut quae conveniunt uni dicantur de altero, et e converso. Et causam huius esse [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 3.] quia propter unionem hypostaticam suppositum Verbi subsistit in natura humana: suppositum autem subsistens in aliqua natura, ut suppositum naturae, recipit praedicationem in concreto illius naturae, in qua subsistit; ergo quaecumque dicuntur de homine, dicentur et de supposito illo, in quo subsistit homo, si ipsa praedicata nata sint denominare suppositum ratione naturae; ergo *vivere, intelligere, comedere, orare, timere, pati, mori,* et alia id genus, quae denominant suppositum ratione naturae, recte dicentur de Filio Dei, cuius suppositum in humana natura subsistit. — *Rursus,* [*Oxon.* 3. d. 11. q. 3. n. 5.] licet iste homo non possit supponere nisi pro supposito naturae Divinae, in quo subsistit, tamen cum ob unionem naturae humanae ad ipsum sit quoque suppositum naturae humanae, potest subinde supponere pro illo, quatenus est suppositum in natura humana; ergo quaecumque conveniunt naturae Divinae, et

nata sunt denominare ipsum suppositum Divinum, poterunt et de filio hominis praedicari, cuius est idem suppositum denominatum per praedicata convenientia naturae Divinae; adeoque *impassibilis, immortalis, aeternus, infinitus, Creator*, et alia id genus, recte dicuntur de homine, Dei Filio hypostatice unito.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 4.] dicendum, utique ratione duarum naturarum, oppositas proprietates affirmativas dici de toto, neque hoc esse aliquo pacto inconveniens, quia ad hoc ut vere praedicentur, sufficit ut utraque affirmativa habeat aliquam causam veritatis, secundum quam possit inesse subiecto; et ita Christus vere fuit passibilis secundum naturam humanam, et impassibilis secundum Divinam; et ita falsum est ipsum non fuisse passibilem, et pariter non esse impassibilem; exinde enim nullo modo contradictoria licet inferre, quae ut non conceduntur vera de quolibet alio, ita nec de Christo.

AD SECUNDUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 9.] regulam de idiomatum communicatione pati exceptionem in iis, quae exprimunt unionem naturae ad personam; et causam esse, quia ea communicatio in praedicationibus fit propter ipsam unionem, et ideo de necessitate praesupponere debet unionem; igitur fieri non potest communicatio secundum illa quae exprimunt unionem; dico igitur sequi non posse, *Deus factus est homo;* ergo *factus est Deus.*

AD TERTIUM, nego Filium Dei posse dici creaturam, ut patebit *art.* 8. *Et cum probatur,* quia id praedicatum convenit, et dicitur de filio hominis; igitur dicetur de Filio Dei. [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 12. seqq.] *Respondeo,* id repugnare supposito, quamvis non repugnet naturae humanae individuae, quia creata est, et genita est; et tamen quamvis genitum esse natum sit denominare totum ratione naturae, non tamen praedicatum creaturae, quia significaretur sibi competere ratione primi *esse* ipsius, quod fuisse nequiit in Christo, vel ratione *esse* partis primae, quae fuit aeterna.

ARTICULUS V.

UTRUM EA QUAE CONVENIUNT FILIO HOMINIS POSSINT PRAEDICARI DE DIVINA NATURA, ET DE HUMANA QUAE CONVENIUNT FILIO DEI.

Doctor, Oxon. 1. *d.* 5. — 3. *d.* 6. *q.* 2. — *Report. ibid.*
S. Thom. 3. *p. q.* 16. *a.* 5.

VIDETUR recte praedicari de natura humana ea, quae conveniunt Filio Dei, et e converso. Nam Verbum assumens naturam humanam uniebatur illi hypostatice; igitur quae conveniunt Filio Dei possunt vere praedicari de natura humana. *Patet consequentia* ex dictis *art. praec.* quia ex unione hypostatica est communicatio idiomatum.

2. PRAETEREA. Ex dictis, *q.* 3. *art.* 3. Natura Divina quatenus a personalitatibus praescindens, posset assumere humanam naturam, adeo ut ipsa esset terminus formalis unionis eius, quemadmodum de facto est Verbi personalitas; ergo de Divina enunciarentur vere omnia illa praedicata, quae conveniunt filio hominis; igitur recte eadem dicuntur de

illa de facto. *Probatio consequentiae:* si enim non vere de natura Divina dicerentur, maxime quia est ultimate abstracta: sed illa in hypothesi esset eodem modo abstracta, et tamen reciperet praedicationem eorum, quae conveniunt filio hominis; ergo etiam de facto ista praedicata de illa verificantur.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 2.] *Verbum caro factum est.* Ioann., 1. ubi secundum Augustinum, *caro* ponitur pro homine; assumpsit enim naturam humanam individuam, et non abstractam ab individuatione; igitur quatenus ab ipsa abstracta, non est inter ipsam et Verbum idiomatum communicatio, quia nec unio.

RESPONDEO dicendum, ea quae conveniunt filio hominis non posse praedicari de Natura Divina, nec de humana quae conveniunt Filio Dei; quod declaratur: [*Oxon.* 3. d. 6. q. 2. n. 2.] etenim omnis praedicatio, sive sit per se, sive per accidens, est vera ratione alicuius unitatis, et falsa ob dualitatem, idest, vera non erit, nisi sit aliqua unitas, sive identitas, ob quam insit subiecto praedicatum: sed cum intelligitur natura Divina in comparatione ad hominem assumptum, vel natura humana respectu Verbi Dei, est ibi dualitas, et non unitas; nam unitas est ex unione hypostatica, quae non intelligitur cum accipitur alterum ex illis extremis abstractum ab individuatione, vel a personalitate Filii; igitur tunc praedicatio est falsa, et ideo falsum est, Divinam Essentiam passam, aut crucifixam fuisse; et pariter falsum est humanam naturam esse Deum, aut filiam Dei; [*Report.* 1. d. 5. q. 1. n. 5.] quando enim subiectum est abstractum ultimata abstractione, et praedicatum ex ratione sua non potest praedicari nisi formaliter, non potest propositio esse vera, nisi sit per se primo modo: hoc autem extremum, quod est Essentia Divina, est abstractum ultimata abstractione, et quae dicuntur de filio hominis assumpti nata sunt praedicari formaliter; ex hoc enim quod sunt adiectiva significant formam per modum informantis, et ideo formaliter dicuntur; deberent ergo illa praedicata convenire Essentiae Divinae per se primo modo, quod est impossibile. Et eadem ratione probatur impossibilitas praedicationis verae ex parte alterius extremi, scilicet naturae humanae abstractae ab individuatione. Quia ergo unio facta est inter humanam naturam individuam et Verbum Divinum, ob quam Deus est homo, et homo Deus, et non inter naturam Divinam et filium hominis, et e converso, sequitur nullam esse inter naturam Divinam et filium hominis, vel inter humanam naturam et Filium Dei idiomatum communicationem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patet ex dictis; quia abstracto alterutro extremorum, non superesset aliqua ratio inhaerentiae praedicati ab subiectum, atque ita non posset vere praedicari de illo; et quamvis dicatur communiter, Verbum assumpsisse humanam naturam, id tamen non intelligitur de humana natura abstracta, sed de ipsa quatenus singularis est atque individua, ut dictum fuit *q.* 4. *art.* 4.

AD SECUNDUM respondeo, in ea hypothesi terminus illius unionis non esset natura Divina seu Deitas abstracta ultimata abstractione, sed hic Deus per se existens, et subsistens, licet communicabiliter; [*Oxon.* 3. d. 1. q. 2. n. 6.] nam illa essentia est de se *haec,* et nullum esse habet a persona, sed potius dat esse divinum personae. Eo pacto igitur, quo subsisteret in natura sibi unita, posset ab illa denominari. Recte itaque

diceretur, *Deus est homo,* non autem, *Natura Divina est homo;* quia non Deitas in humanitate subsisteret, sed *hic Deus.* Sicut igitur nunc, quia primus terminus unionis est Persona Verbi, haec, *Deus est homo,* est vera, quia haec est primo vera, *Verbum est homo,* ita in illo casu haec secunda propositio haberet veritatem ex illa prima. De facto autem, quia Verbum assumpsit hominem, et non natura Divina immediate, praecisa unione ad personalitatem Verbi, nulla superest causa, ob quam verificari queant de natura Divina illa praedicata, quae conveniunt filio hominis; nec e converso intelligendo naturam humanam ut abstracta ab individuatione, quia ut sic intellecta non fuit assumpta, neque est assumptibilis.

ARTICULUS VI.

UTRUM HAEC SIT VERA, *DEUS FACTUS EST HOMO.*

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *a.* 6.

VIDETUR haec, *Deus factus est homo,* non esse vera. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 1.] Quia si Deus factus est homo; igitur esset factus: hoc est falsum; ergo et illud unde sequitur. *Probatio consequentiae:* nam sequitur: sortes est factus homo; ergo est factus; igitur homo non distrahit hoc praedicatum, quod est esse factum, atque ita sequitur respectu cuiuslibet.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si Deus est factus homo; ergo mutatus est ad humanitatem: *consequentia* patet universim in omnibus, ut: factus est albus; ergo mutatus est ad albedinem, et sic de aliis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Si vere Deus factus est homo; ergo oportuit factum esse hominem per actionem factionis, seu per actionem factivam; igitur actio illa transiens aliquam passionem habuit sibi correspondentem: sed talis passio nequiit infuisse naturae humanae, quia humana natura est terminus, et non subiectum factionis; igitur fuisset in Verbo: id autem est plane inconveniens; igitur Deus non est factus homo.

CONTRA. In Symbolo Nicaeno, [*Oxon.* ib. n. 2.] *Homo factus est.* Et Ioann., 2. *Verbum caro factum est.* Caro ponitur ibi pro homine.

RESPONDEO dicendum, hanc propositionem, [*Oxon.* ib. n. 3. seqq.] *Deus factus est homo,* esse veram et propriam; quod et declaratur: quamvis enim *factio* quando est praedicatum in propositione de secundo adiacente, praedicet, et significet factionem simpliciter, idest subiectum accipere *esse* simpliciter, quando tamen praedicat tertium adiacens, dicit factionem secundum illud, quod specificatur per tertium; ergo sicuti vere et proprie enunciatur factio de eo, quod accipit *esse* simpliciter, ita vere et proprie enunciatur de eo, quod accipit *esse* secundum aliquid quod prius non habebat. *Probatur consequentia:* factio passiva formaliter non includit nisi habitudinem facti ad faciens, et ordinem ipsius facti ad non *esse* praecedens: sed Deus per actionem alicuius facientis est homo, et non fuit semper homo; ergo factus est homo. *Minor patet,* ex *art.* 1., nempe Deum esse hominem. Non fuit autem semper homo; quia non semper subsistebat in natura humana, ut suppositum in natura. Quod vero talis

sit per actionem facientis probatur, quia quando aliqua se concomitantur, si unum est per actionem alicuius, et reliquum. Sed naturam humanam Verbo uniri personaliter, et Verbum esse hominem necessario se concomitantur: natura autem humana est sic unita Verbo per factionem Trinitatis, quae sola fuit agens respectu illius unionis; fecit igitur Verbum esse hominem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* ib. n. 9.] sequi *consequentiam* in exemplo allato, non ex vi formae arguendi, sed gratia materiae, pro quanto scilicet sortem esse hominem, dicit primum *esse* ipsius; at *esse* hominem in Deo, dicit *esse* illi adventitium, extrinsecum, et accidentale, et ideo *consequentiam* non recte inferri. — *Et cum dicitur:* homo non distrahit ab eo, quod est factus; *respondeo,* imo distrahit vi formae arguendi, nisi dicatur, *hoc est factum ens;* et tunc non sequitur, igitur *est factum,* nisi gratia materiae.

AD SECUNDUM de mutatione [*Oxon.* ib.] *respondeo:* faciens naturale praesupponit passum, quod est in potentia ad terminum, et per actionem facientis fit actu tale; cum enim transeat de potentia ad actum, necessario mutatur; sed agens supernaturale in ista unione non praesupponebat Verbum tamquam potentiale ad istum terminum, neque terminum induxit sicut actum Verbi per inhaerentiam actuantem; sed praecise univit illum Verbo sine inhaerentia, et subinde cum nullus fuerit transitus de potentia ad actum, nulla quoque hic intelligi potest mutatio; et nihilominus etiam formaliter salvatur ratio factionis, quia seu interveniat mutatio seu non, adhuc intelligitur per activam factionem aliquod fieri tale, quale prius non fuit; adeoque mutationis ratio omnino accidere videtur formali rationi factionis passivae.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib. n. 5. seqq.] factionem passivam realem correspondentem reali factioni Trinitatis, qua *homo factus est Deus,* aliam non esse, quam unionem passivam naturae humanae ad Verbum, eamque passionem fuisse in natura humana, eiusque terminum esse Verbum, quamvis subiectum in ista propositione, *Verbum factum est homo,* significetur ut terminus. Quod si propterea aliam factionem passivam requiras, cuius terminus sit natura humana, et Verbum subiectum, dico aliam non esse, nisi *secundum dici;* quae factio *secundum dici* concomitatur factionem realem activam, qua [*Oxon.* 4. d. 11. q. 2. n. 4.] Verbum factum est homo, cuius terminus, ut dixi, videtur fuisse natura humana. Reipsa nihilominus quia eadem factione tam activa, quam passiva Verbum sic unitum fuit, passio correspondens isti actioni extitit in natura humana unita, quae non erat terminus illius factionis passivae, sed subiectum, quamvis significetur ut terminus in hac propositione, *Verbum factum est homo.* Ex unica enim reali passione possunt multae propositiones cum veritate enunciari, et in subiecta materia: prima vera et immediata est haec, *Natura humana est unita Verbo;* alia, *Verbum factum est homo,* et *Verbum factum est in natura humana:* sed una eademque passiva factione in natura humana subiectata et terminata ad Verbum Divinum.

ARTICULUS VII.

UTRUM HAEC SIT VERA, *HOMO FACTUS EST DEUS.*

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 2. — *Report. ib. q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *a.* 7.

VIDETUR haec propositio, *homo factus est Deus* esse falsa. Nam [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 7.] fieri denotat mutationem illius de quo dicitur, et praecessionem respectu termini factionis: sed homo non praecessit tempore Deum, nec unionem ad ipsum; ergo haec, *homo factus est Deus,* non est vera.

2. PRAETEREA. Cum dicitur, [*Report.* 3. d. 7. q. 3. n. 2.] *homo factus est Deus, homo* supponit personaliter: sed non est alia persona in Christo, nisi persona Verbi; ergo si homo factus est Deus, suppositum factum est Deus; nihil enim dici potest de homine supponente pro persona Divina, quod dici nequeat de eadem Persona Divina.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 1.] Damascen., *lib.* 3. *cap.* 2. *Quamobrem,* inquit, *non hominem deificatum dicimus, sed Deum humanatum;* igitur secundum ipsum, etsi concedendum sit, *Deum esse hominem factum,* non tamen *hominem esse factum Deum;* unde quamvis communiter concedatur, et admittatur haec, *lignum fit album,* non tamen existimatur esse vera illa, *album fit lignum.*

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 2.] Augustinus, 1. *De Trinitate,* cap. 13. *Talis fuit illa unio, quae Deum hominem faceret, et hominem Deum.* Et 13. *De Trinit.,* cap. 19. *In rebus,* inquit, *per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo;* igitur sicut illa est vera, *Deus factus est homo,* ita et ista, *homo factus est Deus.*

RESPONDEO dicendum, hanc propositionem, [*Oxon.* ib. n. 7.] *homo factus est Deus,* esse simpliciter veram, et propriam. Etenim homo per actionem causae efficientis incoepit esse Deus, et non prius fuit Deus. Factio autem passiva essentialiter non aliud praerequirit, nisi ut vere terminetur ad aliquod accipiens esse per ipsam, atque illud non extiterit prius quam per talem actionem acceperit *esse;* igitur vere et proprie homo factus est Deus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, *assumptum* esse falsum. [*Oxon.* ib.] Id enim verum non esset, nisi inquantum *fieri* implicat quodammodo incoeptionem: atqui ipsa incoeptio, quando praedicat tertium adiacens, non notat nec importat praecessionem subiecti ad praedicatum; verum enim est dicere de anima nunc creata, ipsam nunc incipere informare corpus, cum tamen non fuerit prius quam inciperet animare corpus. Et pariter cum praedicat secundum adiacens, verum est dicere de eo quod fit, nunc incipere esse, et prius nihilominus non fuit. Unde vere dicitur, *nunc incipit esse dies,* hoc est, tempus incipit esse dies; nec tamen illud tempus prius fuit, et postea incipit esse dies. Ita igitur non oportuit hominem praecessisse ad hoc, ut ista propositio sit vera, *homo factus est Deus,* sicut nec ad veritatem istius propositionis: *natura humana unita est Verbo;* quae implicat hanc, *natura humana facta est subsistens in Persona Verbi,* necesse est humanam naturam praefuisse in Verbo, vel in se, antequam subsisteret in Verbo.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 5.] *hominem,* in praefata propositione, supponere pro individuo naturae humanae, qui homo propter unionem ad Verbum Divinum factus est Deus, secundum Augustinum. — *Et cum infertur;* igitur quoque vera erit, *suppositum Verbi factum est Deus; nego consequentiam;* quia ut Persona Verbi secundum se considerata non terminat aliquam factionem novam causae efficientis; quatenus vero est subsistens in natura humana terminat passivam factionem; ideoque vera est ista, *homo factus est Deus;* non vero haec, *Verbum factum est Deus.* Multa ergo vere praedicantur de illa persona Divina, ut subsistit in natura creata, quae non conveniunt illi secundum se consideratae.

AD TERTIUM respondeo, Damasc., *lib.* 3. *cap.* 11. diserte dicere hanc propositionem, [*Oxon.* ib. n. 8.] *homo factus est Deus,* ob unionem hypostaticam, esse veram. Unde cum negasse videtur *loco praeallegato,* aliud procul dubio intellexit, aliaque fuit eius mens, ac in argumento deducitur. Dicit enim, *hominem non esse deificum,* non quia vere et proprie appellari non possit et non debeat *Deus;* sed quia nec hominis natura transiit in Deitatem, nec Deitas in humanitatem; ideoque subdit: *Nam qui est natura perfectus Deus, factus est perfectus homo, idem ipse, non natura mutatus, neque dispensationem carnis, secundum phantasiam monstrans.*

ARTICULUS INCIDENS.

QUAENAM ISTARUM, *HOMO FACTUS EST DEUS,* VEL *DEUS FACTUS EST HOMO,* SIT MAGIS PROPRIA ET IMMEDIATIOR.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 2.

VIDETUR haec esse immediatior et magis propria, *homo factus est Deus.* [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n 8.] Etenim veritas omnium istarum fundatur in hoc, quod natura humana unita est Verbo. Nam passio realis, quae fuit in ista factione, extitit in natura humana, ut declaratum est, *art.* 6. cuius passionis terminus est Verbum. Propinquior autem illi videtur esse ista, *homo factus est Deus,* quia immediatius exprimens factionem passivam.

RESPONDEO et dico, [*Oxon.*ib.] in ista materia hanc esse primam, *natura humana unita est personaliter Verbo;* et ex ea immediate sequi hanc aliam, *Verbum est homo;* et causam esse, quia ratione unionis Verbum est subsistens in natura humana, ex quo per conversionem sequitur, *hominem esse Deum.* Eodem pacto ergo se habet res in fieri; igitur ista, *Deus factus est homo,* non est mediatior hac, *homo factus est Deus,* sed potius immediatior et proximior illi, ob quam ambae sunt verae, utraque tamen est propria.

ARTICULUS VIII.

UTRUM HAEC SIT VERA, *CHRISTUS EST CREATURA.*

Doctor, Oxon. 3. *d.* 11. *q* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *a.* 8.

VIDETUR Christus vere dici posse creatura. Nam [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 1.] in Christo est natura humana, sicut et divina, et consequenter proprietates utriusque naturae secundum Damascen., *lib.* 3. *cap.* 4.; ergo sicut dicitur Creator propter naturam Divinam, ita et creatura propter humanam.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Christus est homo; aut ergo creatus, aut increatus: ista enim sunt immediate opposita circa quodcumque ens; si homo increatus, est homo aeternus; si homo creatus; igitur est creatura.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] De quo praedicatur inferius, et superius, sive sit illud superius essentiale in eodem genere, sive communius extra genus. *Exemplum:* de quo dicitur ignis, enunciatur et corpus, et creatura, quod est praedicatum superius ad omne aliud a Deo, ut videtur; ergo de quo dicitur homo, de eodem dicitur et creatura: verissime autem Christus est homo; ergo est etiam creatura.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 10.] Quicquid est terminus alicuius mutationis potest esse terminus creationis: sed natura humana in Christo fuit terminus mutationis generaliter dictae, quia genita est; ergo potest esse quoque terminus creationis generaliter dictae; igitur Christus secundum quod habet eam recte dicitur creatura. *Probatur maior:* quia creatio non magis requirit habere pro termino primum *esse* post non *esse*, quam quaecumque alia mutatio; ergo si natura humana in Christo fuit terminus generationis, etiam creationis.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Christus vere fuit mortuus; sed esse mortuum dicit privationem primi *esse*, et creatura dicit positionem primi *esse*; *esse* enim creatum et *esse* mortuum sunt opposita; ergo si Christus recte dicitur mortuus, pariter recte dicitur creatus et creatura.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 11. q. 1. n. 1.] Ambrosius, lib. 1. *De Fide*, cap. 6. *Audivimus in Evangelio, Dominum mandasse Discipulis, Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui universam creaturam dicit nullam excipit; et ubi sunt qui creaturam Christum appellant? Nam si creatura esset, sibi mandaret Evangelium praedicari; et subiectus esset vanitati; quia testante, Apostolo, omnis creatura vanitati subiecta est. Non ergo Christus creatura est, sed Creator.* Haec Ambrosius. Idem dicit Augustinus, 1. *De Trinit.*, cap. 13. 6.

RESPONDEO dicendum, Christum non esse creaturam. Et quidem loquendo de creatione stricte, patet; sic enim creatio est productio alicuius de nihilo sui facta per causam primam; [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 7.] *creari* enim supra *fieri* id addit, ut quod creatur respiciat primum efficiens; *fieri* vero quamcumque causam effectivam; et rursus non *esse* praecedens eius, quod fieri dicitur post *esse*, vel privativum vel positivum; creationem vero passivam solummodo pura negatio praecedere potest. Hoc igitur modo loquendo de creatione passiva, dubium non est, Christum non esse creaturam; nam nec humana natura in ipso est sic creatura cum

non sit producta immediate de nihilo sui a causa prima, sed etiam a Matre, quae utique aliquam causalitatem habuit respectu ipsius; neque post oppositum contradictorie, sed post oppositum privative, cum scilicet materia corporis eius transformabatur a forma sanguinis ad formam corporis organici animati. Hoc itaque pacto accepta creatione, tantummodo Angeli, anima intellectiva, et gratia, et quaedam huiusmodi dicuntur creari, quia immediate a primo efficiente, et de nihilo sui producuntur. *Alio modo,* [*Oxon.* ib. n. 8.] et generalius accipitur *creari, et creatio,* quatenus scilicet dicit habitudinem ad primum efficiens, at non ut solitarie producens excludendo omnem causam secundam; et prout etiam dicit ordinem ad oppositum praecedens, scilicet negationem, sed non excludendo subiectum in quo sit ipsa negatio; sub qua consideratione *esse creatum* dicitur de omnibus aliis a Deo, excepto Christo Domino. Quamvis enim sint effectus aliarum creaturarum, non dicuntur tamen in ordine ad ipsas creaturae, sed respectu Dei producentis una cum causis secundis. Accipiunt etiam *esse* sui primum post non *esse,* sive illud sit nihil, sive in aliquo susceptivo praecedat id quod accipit *esse* de novo. Hoc autem [*Oxon.* ib. n. 9.] primum *esse* dupliciter potest intelligi: vel primum *esse* adaequatum totius, sicuti humanitas est primum *esse* adaequatum hominis consurgens ex anima et corpore; vel primum *esse* primae partis existentis in illo toto; ut si corpus organicum praecederet duratione animationem, primum *esse* hominis hoc modo diceretur esse corporis organici. Cum igitur quodcumque aliud a Deo accipiat primum *esse* altero istorum modorum post *non esse,* recte quod ita fit dicitur et est creatura; et etiamsi corpus organicum fuisset ab aeterno inanime, et animaretur in tempore, homo esset creatura, quia primum *esse* totale accepisset post *non esse,* licet non accepisset totum *esse* post *non esse,* quippe cuius altera pars ponatur aeterna. Sed Christus non accepit post *non esse* primum *esse* totale, quia nullum tale in ipso est, secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 3. tunc enim non manerent in ipso duae naturae impermixtae et inconfusae, si ex illis fieret unum tertium, ut ex anima et corpore in homine. Neque accepit primum *esse* partiale, ut *esse* Verbi, quia illud est aeternum; igitur non potest recte dici creatura, cum desit ei habitudo, quam essentialiter dicit creatura ad oppositum praecedens, ut scilicet post *non esse,* sequatur *esse* vel primum partiale, si nullum habeat totale, vel etiam totale ipsius, quod creatur.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 13.] praedicatum creatoris non praeseferre aliquid repugnans naturae, vel huic supposito, sicuti praedicatum creaturae. Creare enim ut dictum est, importat dare *esse* prima causalitate post non *esse,* quod Christo minime repugnat; at *creari* cum sit accipere *esse* primum post non *esse,* Christo convenire non potest, ut ostensum est.

Ad secundum dico, Christum esse hominem creatum. — *Et cum infertur;* [*Oxon.* ib.] igitur Christus est creatura; *dico* esse ibi fallaciam a *secundum quid* ad *simpliciter;* sicuti si argueretur, sortes factus est albus; ergo est factus. Quemadmodum igitur albus distrahit significationem, quam haberet *factus* de se sine addito, et facit significare factionem secundum quid, ita hoc praedicatum *homo* in hac propositione, *Christus est creatus homo,* distrahit significationem, quam haberet *creatus* sine addito, et facit sensum, Christum accepisse quidem esse hominis, non

vero *esse* simpliciter creaturae, sicuti significaretur dicendo, *Christus est creatus,* vel *creatura.*

AD TERTIUM respondeo sic: [*Oxon.* ib. n. 14.] quaecumque quidditas in abstracto pertinens ad quodcumque genus, habet creaturam pro superiori denominative, sicut et hoc quod est esse effectum: sed non omne concretum cuiuscumque generis habet creatum pro superiori, sed tantum illud concretum cuius primum esse est esse illius denominativi, idest, cuius primum esse est creatum: sed esse primum Christi non est creatum, nec primum totale, nec primum partiale. Unde licet de albedine dicatur creatura, non tamen de albo, si album non sit primum esse illius de quo dicitur.

AD QUARTUM [*Oxon.* ib. n. 10. seqq.] concedo, naturam humanam in Christo fuisse terminum creationis generaliter dictae, ob quam ipsa est creatura; nego tamen propterea Christum vere dici creaturam, quia *esse* primum vel proprium huius naturae non est *esse* primum Christi, quia totale esse non habet, nec partiale accepit esse post non esse, cum sit aeternum; et ideo quamvis natura humana sit creatura, non tamen Christus vere vocatur creatura. — *Et cum dicitur;* creatio non magis ponit primum *esse* termini acquiri, quam aliqua alia mutatio; *nego* hoc, quia creatio id addit ultra alias mutationes, ut sicut aliquid non diceretur creatura si tantum esset a causa secunda (creari enim dicit respectum ad primum efficiens), esto queat esse genitum; ita si per generationem acquiratur esse simpliciter, nisi illud sit primum esse geniti, et etiam tale primum esse sit post non esse, huiusmodi genitum vocari non potest creatura. Et ideo non sequitur vi formae: Christus ratione humanae naturae est genitus; ergo est creatus. Et si sequatur in aliis, id erit gratia materiae, ut: hic ignis est genitus; ergo creatus. Sequitur, inquam, pro quanto esse simpliciter terminans generationem ignis est primum esse ipsius, quod dicitur genitum.

AD QUINTUM respondeo, hoc [*Oxon.* ib.] quod est esse mortuum non excludere primum *esse* Christi, sed tantum *esse* simpliciter, quod est vivere; et pariter generari dicere acquisitionem *esse* simpliciter, sed non necessario primi *esse.* Quapropter licet concedatur Christum esse mortuum, sicut genitus est temporaliter, non tamen admitti potest ipsum esse annihilatum; quia sicuti non dicitur creatus, ita nec annihilatus; quod enim opponitur creationi dicit annihilationem primi *esse.*

ARTICULUS INCIDENS.

IN QUIBUS PRAEDICATIS FIAT COMMUNICATIO IDIOMATUM IN CHRISTO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 11. *q.* 1. et 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *a.* 8. *Ubi et Thomistae.*

VIDETUR communicatio idiomatum in Christo fieri in omnibus praedicatis omnino, quae insunt naturae Divinae, et humanae. Nam si aliquod esset excludendum, maxime praedicatum creaturae: sed probatur hoc quoque recte dici de Christo: [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 1.] quia hic, *Christus est homo,* est praedicatio *in quid,* ut expresse habetur, *Extr. de Haeret.,*

cap. cum Christus. Quaero igitur, quid praedicat hoc praedicatum *homo?* aut aliquid creatum, aut aliquid increatum. Si increatum; ergo id praedicat quod Deus, et idem esset dicere Christus est homo, ac Christus est Deus, quod est manifeste falsum; igitur praedicat aliquid creatum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Christus ratione corporis est conceptus; ergo ratione animae creatae est creatus. *Consequentia probatur:* quia non minus denominatur totum a proprietate partis perfectioris, quam a proprietate partis minus perfectae; imo potiori iure videtur debere recipere praedicationem perfectioris, sicuti est anima respectu corporis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. q. 2. n. 1.] 5. *Physicor., t. com.* 2. Quod convenit toti secundum partem dicitur de toto; sicut homo sanatur, quia thorax sanatur; ergo cum naturae humanae conveniat esse creaturae, id dicetur et de Christo.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 9.] Communicatio idiomatum fit per unionem hypostaticam, qua Deus est homo et homo est Deus; ergo omnia praedicata, quae dicuntur de Deo, dicentur de homine, et quae de homine, enunciabuntur de Deo; omnia enim sequuntur ad unionem.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 9.] Communicatio ista idiomatum, seu praedicatorum fit propter unionem; igitur praesupponit unionem; in iis ergo, quae exprimunt unionem, nulla erit communicatio idiomatum; nec sequetur: Verbum assumpsit naturam humanam; igitur Verbum assumpsit Verbum; vel: natura humana est assumpta a Verbo; ergo est assumpta a natura humana. — *Praeterea,* [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 2.] Nihil est creatum in Christo; igitur non in omnibus praedicatis. *Probatio assumpti:* nihil est creatum in Christo nisi natura humana; ista natura non dicitur de Christo; est enim homo, non natura humana, ex dictis supra, *art.* 5. igitur non in omnibus praedicatis fit idiomatum communicatio.

Quidam arbitrantur, [*Oxon.* ib. n. 3.] communicationem idiomatum non fieri in his, ubi est repugnantia proprietatis unius naturae ad aliam naturam; et quoniam creaturae praedicatum includit incaeptionem *esse,* quod aeternitati repugnat, quae est proprietas Filii Dei, hinc putant ipsum non posse appellari creaturam. — *Contra,* non magis repugnat aeternitati incipere esse, quam non *esse post esse:* sed vere et recte dicitur de Christo quod sit mortuus, licet hoc praedicatum dicat non esse post esse: *vivere enim viventibus est esse,* 2. *De Anima,* text. com. 3. igitur potest et dici incipere *esse* — *Praeterea,* mortale et immortale ita opponuntur formaliter, sicut creatum, et increatum: et tamen ambo dicuntur de Christo; igitur illa regula non subsistit. — *Praeterea,* ita formaliter naturae creatae repugnat esse creatricem, vel aeternam, sicut repugnat aeterno incipere; ergo sicut non conceditur, Christum esse creaturam, ita debuit negari ipsum *esse* Creatorem, propter repugnantiam unius naturae ad aliam naturam, quod nihil est dictu.

Ideo aliter dicitur, [*Oxon.* ib. n. 4.] communicationem idiomatum non fieri in negationibus, neque in his, quae dicunt respectum unius naturae ad aliam naturam. *Et primum declaratur:* quia alioquin dicerentur de Christo contradictoria; nam aliqua negatio convenit uni naturae, cuius opposita affirmatio inest naturaliter ratione alterius; natura enim Divina est aeterna, natura humana non est aeterna; igitur Christus diceretur aeternus, et non aeternus. — De dicentibus respectum unius naturae ad

aliam etiam declaratur; etenim si natura humana est assumpta, non propterea Christus dicitur assumptus: creatura enim non tantum includit negationem, scilicet *non esse ante esse,* sed includit respectum unius naturae ad alteram, sicut ad illam a qua accipit *esse;* haec ergo proprietas, vel praedicatum dici non potest de toto. — *Contra,* [*Oxon.* ib. n. 5.] sicut creatura dicit respectum unius naturae ad aliam, ita videtur Creator dicere e converso respectum naturae Divinae ad humanam; ergo si ista, quae dicunt respectum non dicuntur de toto, Christus non erit Creator. Negatio etiam potest inveniri, quae importetur nomine Creatoris, idest non accipere *esse* post non *esse* ab alio, sicuti importatur nomine creaturae; igitur sicuti Christus non dicitur creatura propter negationem inclusam, ita nec dicetur Creator ob eamdem rationem. — *Praeterea,* Christus est minor Patre, ut habetur. Ioann., 14. et hoc dicit respectum unius naturae ad aliam, quia non est minor Patre, nisi secundum naturam humanam. Tantum ergo abest, ut de Christo dicantur contradictoria; etenim praedicata illa, quae contradictoria videntur, insunt ei ratione diversarum naturarum, ideoque minime vocari possunt contradictoria.

RESPONDEO igitur sic: [*Oxon.* ib. n. 12.] quoties aliquod denominativum natum est denominare multa in universum, puta totum et partem, accidens et subiectum, non denominat totum per partem, neque subiectum per accidens; sicut unum, quod natum est dici de subiecto et accidente, non denominat formaliter subiectum per accidens; non enim dicitur Sortes unus unitate accidentis, vel albedinis; nec enim si albedo est una, ideo Sortes erit unus; et si albedines plures, sortes plures, quia Sortes est tantum unus propria unitate. *Ad propositum,* quaecumque conveniunt naturae humanae et per hoc, quod insint ei, et nata sunt denominare totum vel suppositum, dicentur de Christo; atque ita, genitum esse, videre, intelligere, incipere *esse* secundum *esse* simpliciter, pati, mori, dolere, et alia id genus, recte praedicantur de supposito Verbi subsistente in natura humana. At vero praedicatum, quod dicitur universim de entibus, tam scilicet de supposito quam de natura, non enunciabitur recte de supposito per hoc, quod conveniat naturae, nisi pariter conveniat supposito, si natum sit ei convenire, ut exemplificatum est de uno. Et simile illi est praedicatum creaturae; natum est enim dici, et convenire entibus tam suppositis, quam naturis aliis a Deo; per hoc igitur quod conveniat naturae humanae in Christo, cum repugnet supposito Verbi, nequaquam vere et recte dicetur de Christo.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib.] hominem praedicare aliquid de Christo, et illud esse creatum, et creaturam; adeo ut de illa natura vere enuncietur praedicatum creaturae; at non sequi; ergo vere dicitur et de Christo; quia si medium accipiatur in *maiori* in abstracto, ut accipitur dicendo, *homo est creatura,* et in *minori* in concreto, dicendo, *sed Christus est homo;* erunt quatuor termini, et conclusio neganda.

AD SECUNDUM patet ex dictis, qualiter vere dicitur genitus, et conceptus, [*Oxon.* ib.] quia ista nata sunt denominare totum ratione naturae, ita quod respectu istarum, natura est *ut quo* respectu totius. At de creaturae praedicato non sequitur, quia oporteret, ut propria denominatione diceretur de supposito, quod fieri non potest. *Exemplum:* homo secundum caput dicitur crispus, non tamen secundum caput dicitur trian-

gulatus, vel rotundus; quia primum denominativum natum est denominare partem, et per illam totum; secundum vero non; ita et denominativum creaturae.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 7.] si opposita possunt inesse secundum diversas partes, neutrum denominare totum ex vi sermonis, sed utrumque enunciatum esse falsum, sicut patet de scuto, cuius medietas est alba, et alia medietas est nigra; falsum est enim enunciare sive album, sive nigrum simpliciter. Nec Philos., 5. *Physicor.* curavit de logica, sed de ipsa realitate. Ad propositum igitur, quando aliquod praedicatum inest praecise parti, ut visio oculis, et natum est denominare totum, sicut dicitur animal videns, si oculis insit visio, tunc esse verum *assumptum;* sed si non sit natum inesse praecise uni parti, sed etiam aliis, tunc esse manifeste falsum; nec animal potest dici sanum, nisi sit tale secundum omnes partes, vel principaliores; posset enim esse tale secundum unam, et non secundum aliam. At denominativum *creaturae* non est natum dici de toto secundum partem, cum ex aequo ipsi posset competere, ut dictum est.

AD ULTIMUM patet responsio ex dictis *hic, et art.* 8.

ARTICULUS IX.

UTRUM HAEC SIT VERA, *ISTE HOMO,* DEMONSTRATO CHRISTO *INCOEPIT ESSE.*

Doctor, Oxon. 3. *d.* 11. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *art.* 9.

VIDETUR haec propositio, *iste homo,* demonstrato Christo, *incoepit esse,* non habere veritatem. Etenim [*Oxon.* 3. d. 11. q. 3. n. 1.] Ioann., 8. inquit Salvator: *Antequam Abraham fieret ego sum,* nimirum quia ab aeterno fuit; sed aeternis repugnat *incipere esse;* igitur non est vera illa propositio, *iste homo incoepit esse,* indicato Christo.

2. PRAETEREA. Damascen., *lib.* 3. *cap.* 4. [*Oxon.* ib.] *Homo,* inquit, *ille est sine principio:* sed quod incipit esse non est sine principio; ergo cum veritate nequit affirmari de Christo homine, quod incoeperit *esse.*

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5.] *Iste homo,* demonstrato Christo, non supponit nisi pro supposito naturae Divinae: sed de illo supposito falsum est dicere quod *incoeperit esse;* ergo et de isto homine, demonstrato Christo.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Quod incipit *esse* secundum esse substantiae, incipit *esse simpliciter:* Christus incoepit esse secundum esse humanum, quod est esse substantiae; igitur incoepit esse simpliciter. — *Rursum,* id quod generatur incipit esse simpliciter; nam secundum Aristotelem, 5. *Phys.*, text. com. 7. *Generatio est a non esse ad esse simpliciter:* Christus genitus est; igitur vere *incoepit esse.*

RESPONDEO dicendum, illam propositionem de virtute sermonis esse veram. [*Oxon.* ib. n. 2. seqq.] Pro quo sciendum, tenentes eam propositionem esse falsam petere non posse causam falsitatis ex parte obiecti, quasi insit ei aliquid ratione cuius nequeat de ipso praedicari incoeptio: Nam id potissimum esset suppositum Divinum, cui repugnat incoeptio, supposito autem divino ex aequo repugnat et pati, et mori, et nasci tem-

poraliter, et nihilominus ea omnia vere praedicantur de illo ratione humanae naturae in qua subsistit; igitur quoniam eadem natura humana incoepit *esse,* vere quoque potest praedicari de illo supposito incoeptio; igitur causa falsitatis eius oriretur ex parte praedicati istius, quod est incipere *esse.* Et quidem si incipere esse dicat incoeptionem secundum *primum esse* eius de quo dicitur, illa propositio est omnino falsa, perinde ut ista, *Christus creatur.* Si vero dicat incoeptionem secundum quodcumque *esse* simpliciter illius, cum quodlibet esse substantiae sit *esse* simpliciter, et Christus incoeperit esse secundum esse humanum, quod est *esse* substantiae, vere dicetur ipsum incoepisse *esse simpliciter.* — Et porro de virtute sermonis, *incipere esse* videtur importare incoeptionem secundum quodcumque esse simpliciter; Christus enim nominat suppositum duarum naturarum, ex Damasceno, *lib.* 3. *cap.* 3. Esse igitur naturae humanae, ex vi sermonis, enunciat *esse* simpliciter, et non primum *esse* Christi de quo dicitur; igitur incipere determinatum per secundum *esse,* dicit incoeptionem in esse simpliciter, et non in esse primo illius subiecti. Absolute ergo de virtute sermonis potest concedi, Christum secundum quod importat, hoc, quod est *Verbum homo,* incoepisse esse, idest, habuisse aliquod *esse* simpliciter quod prius non habebat. — Ista itaque propositio, *iste homo,* demonstrato supposito Divino, *incoepit esse,* est concedenda ut vera, quia non in natura Divina, sed ut in natura humana enunciatur incoeptio simpliciter illius subiecti, ita quod, esto falsum sit, Filium Dei incoepisse *esse,* iste homo tamen incoepit *esse,* quia esse humanum est *esse* simpliciter Christi, vel istius hominis, non autem est esse Verbi simpliciter; quamquam enim de Verbo dicat *esse* simpliciter, quia esse substantiae, non proinde est esse simpliciter ipsius, cum sit potius quasi adventitium, et accidentale; etsi non sit adventitium respectu Christi, vel respectu istius hominis.

Ad Argumenta: [*Oxon.* ib. n. 5.] ad adductas auctoritates dicendum, procedere secundum quod de Christo ratione duarum naturarum dicuntur proprietates utriusque naturae, et ita ratione naturae Divinae et humanae potuit simpliciter incipere, et non incipere *esse.*

Ad rationem, [*Oxon.* ib.] *concedo maiorem,* et *nego minorem,* quatenus est suppositum naturae humanae, et in natura humana. Sicut *Sortes albus* supponit pro supposito substantiae; tamen ut in albedine existens; sicut igitur vere dicitur de hoc homine, designato *Christo,* quod sit genitus, passus, et mortuus, quamvis ratione suppositi talia praedicata ipsi repugnent, ita quamvis repugnet aeterno incipere *esse,* quia tamen subsistit in *esse* sempliciter, quod incoepit *esse* in tempore, vere dicetur de ipso, quod incoeperit *esse.* At Sancti noluerunt hoc concedere propter haereticos dicentes, Christum simpliciter incoepisse, ac esse puram creaturam. Caeterum incipere esse non importat idem quod esse creaturam, ut declaratum fuit.

ARTICULUS X.

UTRUM HAEC SIT VERA, *CHRISTUS SECUNDUM QUOD HOMO EST CREATURA.*

Doctor, Oxon. 3. *d.* 11. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *a.* 10.

VIDETUR haec propositio, *Christus secundum quod homo, est creatura,* esse vera. Etenim [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 1.] Christus, secundum quod homo est aliquid; non increatum aliquid, quia tunc *homo* praedicaret idem de Christo. quod Deus: hoc autem est impossibile; igitur homo praedicat aliquid creatum, et per consequens vere Christus secundum quod homo est creatura.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quod convenit toti secundum partem recte nunciatur de toto, 5. *Physicor.* text. *com.* 2. Quia enim thorax sanatur, recte dicitur homo sanari. Quandoquidem ergo naturae humanae convenit esse creaturam, hoc praedicatum cum veritate dicetur de Christo, et maxime cum illa determinatione, *secundum quod homo;* igitur quemadmodum simpliciter est verum hominem sanari, quia secundum thoracem sanatur, ita simpliciter erit verum, Christum secundum quod homo esse creaturam, quia natura humana est creatura.

3. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 11. q. 2. n. 10.] Quamvis aliquod praedicatum absolute pronunciatum vere non enuncietur de subiecto, per additionem nihilominus syncathegorematis, *secundum quod,* efficitur propositio vera. Nam esto non concedatur haec, *Aetiops est albus;* addendo tamen, *secundum dentes,* quae erat falsa evadit vera; ergo pariter, licet non videatur concedendum, Christum esse creaturam, addendo tamen, *secundum quod homo,* efficitur praedicatio vera.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 11. q. 3. n. 7.] Complura opposita conceduntur vera de Christo, sicut mortale et immortale, passibile et impassibile; ergo vere pariter de ipso enunciantur haec alia, Creator, et creatura, maxime specificando rationem, secundum quam pronunciatur illi inhaerere praedicatum *creaturae.*

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Si Christus secundum quod homo est creatus; ergo secundum quod est iste homo est creatura, non enim est alius homo, quam iste homo: sed si secundum quod iste homo est creatura, iste homo est creatura. *Probatio consequentiae:* quia de eo, quod sequitur reduplicationem, absolute potest enunciari praedicatum; sicuti si homo secundum quod coloratus videtur, coloratum videtur; ergo si secundum quod iste homo est creatura, vere iste homo est creatura. *Consequens* est falsum, quia secundum Damascen., *lib.* 3. *cap.* 4.: *Iste puer creavit stellas;* ergo est Creator, et consequenter non creatura.

RESPONDEO dicendum, illam propositionem, *Christus secundum quod homo est creatura,* esse falsam, si accipiatur *secundum quod,* ut est nota inhaerentiae reduplicationis praedicati; et rationem esse, [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 3.] quia quando propositio affirmativa est falsa ex ratione extremorum involventium repugnantiam, quacumque reduplicatione addita, quae non auferat repugnantiam illam, non facit propositionem esse veram, quae sine reduplicatione fuit falsa. Reduplicatio autem proprie sumpta

non diminuit alterum extremum, quia est determinatio extremi ad extremum. Cum igitur haec propositio, *Christus est creatura,* sit falsa, ex dictis, *art.* 8. pariter et haec altera erit falsa, *Christus secundum quod homo est creatura;* nam per reduplicationem non tollitur repugnantia, ob quam prior illa fuit falsa. — Si vero syncathegorema [*Oxon.* ib. n. 3. seqq.] *secundum quod* addatur praedicato, ut distrahat ipsum, ita ut distractum non repugnet subiecto, sicuti prius repugnabat, propositio cum tali determinatione distrahente erit vera, quae sine ipsa est falsa. *Exemplum:* licet istae, *Aethiops est albus, et Aethiops inquantum homo est albus,* sint falsae; addito tamen syncathegoremate *secundum dentes* ad praedicatum, per quod distrahitur, et tollitur repugnantia eius ad subiectum, erunt verae. Itaque addendo praedicato istius propositionis, *Christus est creatura secundum quod homo,* ut distrahat illud et tollat repugnantiam, quam prius habebat ad subiectum, et notet creationem *secundum quid,* propositio erit vera, sed impropria; esset enim exponenda per istam, *Christus secundum humanitatem est creatura;* quae improprie dicitur aequivalere illi, *Christus secundum quod homo est creatura.* Sicut hic, *Aethiops est albus secundum quod habet dentes,* accipiendo, *secundum quod,* distractive, vera est, sed impropria.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 5.] Christum secundum quod est homo esse aliquid creatum, quia tunc distrahitur praedicatum per *secundum quod homo,* sicut *Aethiops est albus secundum dentes;* attamen non sequitur simpliciter: ergo *Christus est creatura,* sicuti nec in alia ergo Aethiops est albus, sed est fallacia a *secundum quid* ad *simpliciter.* Dici enim potest esse aliquid increatum, quia *aliquid* non stat ibi tantum pro natura, sed pro determinato ipsius naturae; illud autem aliquid potest dici increatum ratione suppositi qnod denominatur a natura. Nec sequitur: igitur idem praedicaret de Christo *homo,* quod Deus; quia ut Deus praedicaret de ipso Christo esse increatum per se et essentialiter; homo autem tantum denominative.

Ad secundum dico, [*Oxon.* ib. n. 6.] praedicatum *creaturae* non esse natum enunciari de toto ratione partis, sicuti praedicatur sanitas de toto, si thorax, idest, cor sit sanum; sed potius dicitur creatum de subiecto ratione totalis *esse* ipsius, vel forte illius partis, a qua totum habet *esse* primum. Cum autem humanitas vel natura humana in Christo non sit primum *esse* Christi, nec *esse* totale ipsius, non potest de Christo ratione naturae creatae enunciari praedicatum *creaturae,* neque simpliciter, neque cum reduplicatione.

Ad tertium responsum est *in solutione.* [*Oxon.* ib. n. 4.] Nam si intelligatur, *secundum quod,* ut est nota reduplicationis, non aufert repugnantiam, quae est inter extrema sine reduplicatione pronunciata, et ideo perinde est falsa haec, *Christus secundum quod homo est creatura,* ac illa, *Christus est creatura.* Ut autem syncathegorema afficere praedicatum intelligitur, tunc est nota potius distractionis, quam reduplicationis, et ideo efficit propositionem veram, quia destruitur repugnantia extremorum per distractionem alterius, sed impropria est, ut liquet ex dictis.

Ad quartum respondeo: [*Oxon.* ib. n. 7.] quamvis ratione duarum naturarum oppositae proprietates affirmativae dicantur de Christo; satis est enim utramque affirmativam habere aliquam causam veritatis, secundum quam queat inesse subiecto; nihilominus contradictoria nequeunt

esse vera de illo, ut nec de quolibet alio. Itaque Christus utique passibilis est et impassibilis, aeternus et temporalis, finitus et infinitus; at nequaquam appellari potest passibilis, et non passibilis, et sic de caeteris. Si autem poneretur est Creator et creatura, seu cum reduplicatione, seu non, de Christo dicuntur contradictoria; nam foret Creator, et non foret. Etenim esset, ut supponitur; porro non esset; quia ut sit Creator debet includere per se hypostasim Divinam, et consequenter habere primum *esse* suum increatum, et non acceptum post *non esse:* hoc autem posito, impossibile est ipsum esse creaturam; etenim de ratione creaturae est ut accipiat primum suum *esse* post *non esse.* De quo plenius actum fuit supra *art.* 8.

ARTICULUS XI.

UTRUM HAEC SIT VERA, *CHRISTUS SECUNDUM QUOD HOMO, EST DEUS.*

Doctor, Oxon. 3. *d.* 11. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *a.* 11.

RESPONDEO dicendum hanc, *Christus secundum quod homo est Deus,* esse veram. Nam [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 13.] in tantum est vera ista, *Christus est homo,* inquantum suppositum recipit praedicationem in concreto illius naturae in qua subsistit; igitur si *homo* intelligeretur non concernere suppositum, esset falsa; quia nulla alia superesset ratio inhaerentiae praedicati ad subiectum. [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 3. seqq.] Reduplicatio autem addita, si proprie accipiatur, non diminuit, vel distrahit alterum extremum, cum ea non sit nisi determinatio extremi ad extremum. Hic igitur, *Christus inquantum homo,* praedicatum accipitur concretive, quia sine tali concernentia Christus non est homo; igitur inquantum homo est Deus, cum de illo subiecto vel supposito per se praedicetur *Deus, et homo* praedicatum, quatenus etiam determinatur per reduplicationem, concernat hypostasim Divinam. — *Rursum,* istae propositiones, *Christus secundum quod iste homo est Deus,* et *Christus secundum quod homo est Deus,* non distinguuntur; quia nisi *homo,* qui praedicatur de Christo, *esset iste homo,* non foret vera, quia non involveret, seu non concerneret suppositum Divinum; sed verissimum est, *Christum secundum quod iste homo,* esse Deum; ergo pariter vera erit et illa, *Christus secundum quod homo est Deus.*

ARTICULUS XII.

UTRUM HAEC SIT VERA, *CHRISTUS SECUNDUM QUOD HOMO EST HYPOSTASIS VEL PERSONA.*

Doctor, Oxon. 3. *d.* 11. *q.* 2. *et* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 16. *art.* 12.

RESPONDEO ex dictis, *q.* 4. *art.* 2. 3. *et* 4. Verbum assumpsisse humanam naturam non abstractam ab omnibus individuis, sed habentem propriam individuationem, non tamen personatam, sed personandam personalitate Verbi, ut verum proinde sit ipsam subsistere in Verbo, et vi-

cissim Verbum subsistere in natura humana; atque etiam, iuxta dicta *praec. quaest.* ex eo fieri ut verum sit, Deum esse hominem Deum, neque posse ulla ratione vere praedicari hominem de Deo, nisi quatenus concernit suppositum Divinum. Ex quibus manifeste sequitur, illam propositionem, *Christus secundum quod homo est hypostasis vel persona,* esse veram. [*Oxon.* 3. d. 11. q. 3. n. 5.] Quia sicut suppositum Divinum ut est subsistens in natura humana potest supponere pro illo, ut est suppositum in natura humana sicut Sortes albus supponit pro supposito substantiae ut in albedine existenti; ita homo qui est Christus, potest supponere pro persona in qua subsistit; ipsam enim concernit et involvit; Christus igitur secundum quod homo, est hypostasis vel persona. Quamvis si intelligeretur per reduplicationem, *secundum quod homo,* importari propria personalitas, idest, *homo* cum nota reduplicationis, supponere pro supposito naturae humanae, esset omnino falsa, et neganda; quo sensu falsa est haec, *Christus inquantum homo est persona,* nam quod competit Christo praecise secundum rationem personalitatis aeternae non dicitur de eo inquantum homo. Ipse autem est hypostasis inquantum Filius Dei; ergo nequit accipi *homo,* quasi supponeret pro propria personalitate.

QUAESTIO DECIMASEPTIMA.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his, quae pertinent ad unitatem in Christo in communi. Nam de his, quae pertinent ad unitatem vel pluralitatem in speciali, suis locis demonstrandum est; sicuti supra determinatum est, quod in Christo non est una tantum scientia, et infra determinabitur, quod in Christo non est una tantum nativitas.

Considerandum est ergo *primo,* de unitate Christi quantum ad esse: *secundo,* quantum ad velle: *tertio,* quantum ad operari.

Circa primum quaeruntur duo.

1. Utrum Christus sit unum, vel duo. - 2. Utrum in Christo sit tantum unum *esse.*

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS SIT UNUM, VEL DUO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 6. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 17. *a.* 1.

VIDETUR Christus esse duo. Nam [*Oxon.* 3. d. 6. q. 2. n. 1. — *Report.* ib. n. 1.] 5. *Metaph.,* text. com. 12. differentia specie infert differentiam numero, sicuti differentia genere infert differentiam specie: sed hic est differentia quasi specifica naturarum; ergo et numeralis; atque ita Christus est duo.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Sicut masculinum pertinet

ad suppositum, ita neutrum ad naturam, et e converso, secundum Damascen., *lib.* 3. *cap.* 7. dicentem: *Totum significatum est naturae. Totus est signum personae;* ergo cum in Christo sint duae naturae, potest dici duo neutraliter, sicuti propter unionem suppositi appellatur unus masculine. *Confirmatur ratio:* quia tres Personae Divinae, sicut dicuntur tres masculine propter unitatem suppositorum, ita dicuntur *unum* neutraliter propter unitatem naturae; ergo per oppositum hic.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 3.] In Christo sunt duae naturae; ergo in ipso sunt duo entia, atque ita est duo. *Probatur consequentia:* Christus secundum quod homo est aliquid, et secundum quod Deus est aliquid; ergo vel est idem aliquid, vel non idem: sed non est idem aliquid, ut patet; igitur est aliud quid, et ita duo entia.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Secundum Damascen., *lib.* 3. *cap.* 7.: *Christus non est totum Deus;* ergo est Deus, et aliud quam Deus; cum sit Deus, et non solum; igitur est aliquo modo duo.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Athanasius in symbolo: *Non duo tamen, sed unus est Christus.* Item ratione: Christus non est nisi Deus, et homo: at haec non sunt duo: *quia Deus est homo;* omnis autem praedicatio est respectu alicuius unitatis, sive per se sit, sive per accidens, non ratione dualitatis; ergo Christus non est aliqua duo.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 3.] absolute Christum esse unum, et non duo masculine, neque neutraliter. Non masculine, quia non duae personae; tunc enim non esset unio in persona. Nec duo neutraliter; quia enim Verbum assumpsit humanam naturam, ideo Verbum est homo: sed Verbum non est humana natura; igitur etsi habeat duas naturas, non tamen est duo. Non enim est verum dicere, quod Christus est natura assumpta, sicut nec compositum, quod sit materia et forma, licet habeat utrumque.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 5.] de 5. *Metaph.*, concedo in Christo esse duas naturas numero, sed non sequi ex eo: ergo ipse est duo numero, quia Christus non est natura humana.

Et per idem AD SECUNDUM. Nam [*Oxon.* ib. n. 7.] quamvis duae essentiae dicantur duae neutraliter, non propterea Christus est duo neutraliter; quia non est illae duae naturae. Unde ad concludendum hoc praedicatum *esse duo* de Christo, si naturae accipiantur pro medio, vel *maior* erit falsa, si naturae significentur in concreto. *Arguendo sic:* Deus et homo, sunt duo: Christus est Deus et homo; ergo est duo. *Maior* hic est falsa. Vel *minor* est falsa, si in abstracto, eruntque in argumento quatuor termini, nempe humanitas et divinitas, homo et Deus, Christus, duo, ac propterea recte conclusio non infertur. *Ad confirmationem respondeo:* tres Personae sunt unum, quia illud unum, quod est natura, praedicatur de eis simul, et de qualibet earum: Christus autem licet habeat in se duo vel duas naturas, non est tamen altera illarum, ut dictum fuit. Unde si iuxta fictionem Averrois tres homines haberent unam animam intellectivam, non dicerentur aliquid unum, sed habentes unum, quia illud unum non praedicaretur de illis.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib. n. 3. seqq. — *Report.* ib. n. 3. seqq.] syncathegorema *secundum quod* posse dupliciter accipi: *primo,* ut notat illud quod sequitur esse formalem rationem inhaerentiae illius, quod

praedicatur, ut homo secundum quod coloratus videtur. *Alio modo* posse accipi quatenus *secundum quod* dicit unam rationem tantum, non considerando alias rationes, sed solummodo specificatam per syncathegorema. Iuxta primam acceptionem, *concedo* Christum secundum quod homo esse aliquid; sed non sequitur: igitur vel est idem aliquid quod Deus, vel aliud aliquid. Quia si inquantum homo reduplicative, esset idem aliquid, tunc quodlibet, quod est homo foret pariter idem aliquid. Neque aliud aliquid, quia tunc nihil quod est homo esset idem aliquid. Neutrum ergo oppositorum oportet inesse cum *inquantum;* neque enim Deitas est ratio alicui essendi idem homini, quia tunc in Patre esset ratio essendi idem homini; neque est ratio essendi aliud ab homine, nam tunc repugnaret ei istud, quod est esse hominem, quod est falsum, quia Deus est homo. At specificative accepto syncathegoremate, dico hominem dicere aliquid, et esse idem aliquid cum Deo, quia ille homo est Deus. Et si instes: si Christus secundum quod homo est Deus; igitur humanitate est Deus; non sequitur, quia hic accipitur *secundum quod* reduplicative, non specificative.

AD QUARTUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 5. seqq. — *Report.* ib. n. 4.] communiter concedi hanc, *Christus non est tantum homo, nec tantum Deus*: sed exinde non sequi ergo est aliud quam homo, vel aliud quam Deus; sed est fallacia *consequentis* arguendo a propositione habente plures causas veritatis ad unam illarum; quamvis enim posset esse verum, quod non esset tantum Deus, si esset aliud quam Deus, tamen illa sola ratio non est causa cur illa propositio sit vera, scilicet quod non sit tantum Deus, sed datur alia causa eius; quia licet non dicatur aliquod praedicatum de Christo, quod sit aliud a Deo, et de quo non possit dici quod non sit Deus, tamen potest dici de ipso praedicatum, de quo Deus non dicitur essentialiter, et formaliter.

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO SIT TANTUM UNUM *ESSE*.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 6. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 17. *a.* 2.

VIDETUR in Christo reperiri tantum unum *esse,* non solum substantiae, verum etiam existentiae, licet habeat duplex *esse* essentiae. Nam [*Oxon.* 3. d. 6. q. 1. n. 2.] si natura subsisteret in proprio supposito, eadem existentia esset naturae ac personae; ergo etiam nunc idem est *esse* utriusque. *Probatur consequentia:* Persona Divina supplet personalitatem creatam quantum ad *esse* personae; ergo et quantum ad *esse* naturae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si pars adveniret de novo toti habenti *esse* perfectum, totum non haberet aliquod *esse* ab illa parte, sed tantum haberet novum respectum ad partem eamdem, et pars esset per se totius, sicuti esset de manu communicata de novo supposito praeexistenti: sed natura humana advenit Christo quasi inserta supposito praeexistenti; ergo non dat sibi aliquod *esse,* sed tantum recipit *esse* a supposito illo habente tantum novum respectum ad eam.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Accidens non dat aliquod *esse* subiecto,

quia tunc tot forent *esse* in Petro, quot accidentia: sed natura humana quasi accidentaliter advenit Verbo, quia praeexistenti in se actu; igitur non dat ei *esse,* sed magis recipit; quemadmodum enim eadem quantitate substantia est quanta formaliter, et qualitas quasi per accidens, quia in ea recipitur: sic eadem existentia increata existit suppositum formaliter, et natura ei unita participative.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Natura humana non unitur ut forma materiae, sive ut actus potentiae, sed magis e converso, quia Verbum est actus: ergo non unitur ut dans *esse;* sed magis ut recipiens *esse.*

5. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] *Esse* constituit ens; igitur si ibi sunt duo *esse,* Christus esset duo entia: falsum est autem Christum esse aliqua duo, *ex art. antec.* igitur in Christo est dumtaxat unicum *esse.*

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Augustinus, 7. *De Trinitate,* cap. 4.: *Sicut scientia ad sapere, ita essentia ad esse:* sed si sint duae scientiae, sunt duo sapere; igitur ubicumque sunt duae essentiae, vel duae naturae, erunt duo *esse.*

RESPONDEO dicendum, in Christo reperiri duo *esse* actualis existentiae, ac proinde naturam humanam non existere existentia Verbi, sed propria. Quod probatur; nam [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. q. 1. n. 4.] omnis per se terminus generationis habet aliquid *esse* in actu acquisitum per generationem: sed Christus secundum naturam humanam est per se terminus generationis, secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 7. igitur habet propriam existentiam creatam. *Assumptum probatur,* quia generatio vel est ad esse in actu, vel ad id, quod habet esse in actu. — *Deinde,* [*Oxon.* ib.] 2. *De Anima,* text. com. 37. vivere viventibus est *esse:* sed in Christo fuit alia vita ab increata, alioquin non fuisset vere mortuus; mors enim est privatio verae vitae: vita autem increata privari non potuit; ergo fuit in eo aliud vivere, et aliud *esse* ab increato, quod terminavit causalitatem totius Trinitatis, et conservabatur ab eadem. Non creabatur autem, nec conservabatur *esse increatum;* ergo *esse* proprium naturae humanae quod sequebatur ad vitam creatam, vel erat ipsa vita creata. — *Denique,* fundamentum relationis naturaliter praecedit ipsam relationem, et iuxta esse actuale praecedit rationem relationis actualis: sed unio naturae humanae ad Verbum fuit relatio realis actualis; igitur eius fundamentum naturaliter praecessit secundum *esse* actuale: sed fundamentum unionis illius erat ipsa natura totalis; igitur prius habebat proprium esse actuale, et in sequenti instanti assumebatur, per quam assumptionem *esse* proprium non corrumpebatur, sed potius perficiebatur et complebatur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 2.] Verbum supplere personalitatem creatam, quatenus terminat dependentiam naturae, et complet ipsam substantialiter, non vero quod tribuat illi existentiam, quam haberet in proprio supposito; ideo autem eadem est existentia personae et essentiae in proprio supposito, quia personalitas in creatis non dicit nisi duplicem negationem, et proinde habere non potest propriam existentiam, quae non tollitur a natura, etiamsi expolietur propria personalitate.

AD SECUNDUM dico sic: [*Oxon.* ib. n. 4.] in tantum pars non dat *esse* toti, sed recipit, quia perficitur a forma totius. Nam si remaneret distincta, vel haberet proprium *esse,* vel nullum: natura autem humana unita Verbo non informatur ab ipso, sed manet simpliciter distincta;

adeoque ipsa debet habere propriam existentiam, vel nullam. Caeterum Verbum nullum habet respectum ad naturam, nisi rationis, per quem respectum ipsum Verbum non potest dici formaliter *aliquid:* debemus autem tenere ipsum inquantum homo esse *aliquid. Extra, de Haeret.,* cap. *cum Christus,* ac proinde habere proprium esse distinctum et inconfusum cum *esse* increato Verbi.

AD TERTIUM de accidente, dico, [*Oxon.* ib.] ipsum habere propriam existentiam cum terminet generationem *secundum quid.* Potest etiam per se existere, ut patet de quantitate facta transubstantiatione panis in corpus Christi, per transubstantiationem enim subiecti nullum *esse* quantitati acquiritur; quia nec per generationem, nec per creationem; eamdem igitur propriam existentiam habuit in subiecto, quam retinet et habet a subiecto separata. — *Exemplum* porro adductum est nullum; quia eo probaretur, naturam humanam esse formaliter existentem forma increata, quia qualitas est formaliter quanta eadem qua substantia quantitate; et tunc pariter esset natura assumpta formaliter bona bonitate increata, et in infinitum diligibilis, quod est absurdum.

AD QUARTUM concedo, [*Oxon.* ib. n. 9.] naturam humanam recipere *esse* a Verbo in genere causae efficientis, sed non in genere causae formalis; cum Verbum nullius possit esse forma sicuti nec natura illi unita forma eius, et ideo non dat esse per informationem, sed per unionem. Ut enim ex ista unione verbum hac natura est homo, ita hac natura est existens existentia huius naturae.

AD ULTIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 8.] in Christo esse duas voluntates, non tamen esse duos volentes, quia concretum non numeratur sine numeratione suppositi, sicut patet de habente duas scientias. Ita in proposito, quamvis in Christo sint plura *esse* simpliciter non sequitur suppositum esse plura entia, cum ea habeat sine ipsius multiplicatione.

QUAESTIO DECIMAOCTAVA.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unitate quantum ad voluntatem.

Circa quod quaeruntur sex.

1. Utrum in Christo sit alia voluntas divina, et alia humana. - 2. Utrum in humana natura Christi sit alia voluntas sensualitatis, et alia rationis. - 3. Utrum ex parte rationis fuerint in Christo plures voluntates. - 4. Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium. - 5. Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis divinae voluntati in volito. - 6. Utrum in Christo fuerit aliqua contrarietas voluntatum.

ARTICULUS I.

UTRUM IN CHRISTO SINT DUAE VOLUNTATES.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 17. — *Report. ib. q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 18. *art.* 1.

VIDETUR in Christo non esse ponendas duas voluntates, alteram scilicet humanam, et alteram divinam. Nam [*Oxon.* 3. d. 17. n. 1.] omnis

voluntas est domina sui actus : sed si in Christo essent duae voluntates, altera, nempe humana, non esset domina sui actus; ergo nec foret voluntas. *Probatur minor:* nam voluntas humana sequeretur motum alterius potentiae, nempe voluntatis Verbi; quod Verbum egit actionem humanae naturae : sic autem sequi non est dominari actui suo, sed subdi alteri respectu sui actus; non fuit igitur, nec esse potuit in Christo humana voluntas.

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 4.] Verbum est et dicitur volens volitione animae Christi: non tamen Pater, et Spiritus Sanctus; igitur Verbum specialiori aliquo modo se habebat respectu volitionis Christi, quam Pater et Spiritus Sanctus ; et per consequens unica tantum est ponenda in Christo voluntas, scilicet Verbi.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 5. n. 5.] Instrumentum non oportet habere actionem propriam, nam tunc circa propriam actionem non esset instrumentum, sed agens principale : sed humana natura in Christo fuit Verbi instrumentum, per quod complevit opus nostrae Redemptionis; igitur non oportuit humanam naturam habere propriam voluntatem, per quam operaretur, quia tunc instrumentum Verbi non extitisset, sed agens principale.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 17. n. 1. — *Report.* ib. q. 2. n. 5-7.] Christus habuit duos intellectus; ergo et duas voluntates, quia non est intellectus sine voluntate : cognitiva enim essentialiter ordinatur ad appetitivam potentiam, tam in Deo, quam in creaturis. Item Matthaei, 25. *Pater, si possibile est,* inquit Salvator, *transeat a me calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat;* igitur duae in Christo fuerunt, et sunt voluntates, humana nempe et divina; per illam orabat, exponebatque Patri quod voluisset sub conditione, mox tamen subiiciens fieri se optare ac velle absolute, quod divina decrevisset voluntas, illique proinde in volito exactissime se conformans.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 17. n. 2.] certum esse secundum catholicam fidem, in Christo esse voluntatem divinam, et humanam, quod pluribus declarat Damasc., *lib.* 3. *cap.* 4. adversus haereticos impie adstruere satagentes unam praecise in Christo voluntatem. Sicut enim tenendum est in Christo esse duas naturas, et unam hypostasim, ita oportet concedere tamquam necessarium consequens ex illo, in ipso esse proprietates naturales, et potentias utriusque naturae: sed potentiae perfectissimae naturae rationalis sunt intellectus et voluntas; igitur in ipso sunt intellectus creatus, et voluntas creata, (quibus anima est beata, habetque omnem scientiam, et plenitudinem gratiae). Et ratione naturae divinae est in ipso intellectus increatus, et voluntas increata. — *Ulterius,* [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 2.] in sententia tenente potentiam non esse rem aliam ab essentia hoc manifeste convincitur; quia contradictio esset in Christo fuisse duas naturas, et non duas voluntates : sed etiamsi potentia esset quid essentia posterius, ab eaque separabile, tamen non fuit separata de facto voluntas creata ab natura humana in Christo; quia tunc illa natura, vel Christus non potuisset mereri : non meruisset enim per voluntatem increatam, sicut nec meretur magis Christus in creando animas, quam Pater, et Spiritus Sanctus. Quoniam igitur ipse meruit per passionem suam, et alios actus, oportuit habuisse voluntatem creatam, licet esset ab essentia separabilis. Quod tamen haud esse concedendum putamus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, [*Oxon.* 3. d. 17. n. 4. seqq.] concedo voluntatem, ad hoc ut sit talis, debere esse dominam suorum actuum. Et ad *probationem minoris* dico, Verbum non habere aliquam causalitatem specialem super actum voluntatis creatae in Christo, quam non habeat tota Trinitas; ideoque voluntatem creatam Christi non privari dominio respectu suorum actuum plus propter unionem ad Verbum, quam si non esset illi unita; voluntatem igitur in Christo ita libere elicuisse, et dominatam esse actui suo, sicut voluntas mea suo: et rationem esse, quia Deus non operatur ad operationem illam, nisi voluntate libere agente, et determinante se ad operandum, et tunc Deus operatur cum ea; et licet illic non sit prima libertas, et dominium, sed in voluntate Dei, quae non habet causam aliam operantem cum ea ad actum suum, esse tamen ibi tantam libertatem, quanta potest esse in creatura.

AD SECUNDUM respondeo, [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 4.] in ista materia hanc esse primam propositionem veram: *Verbum est homo;* ex qua est haec alia vera: *Filius Dei est volens voluntate humana.* Cum igitur ad veritatem primae propositionis non requiratur aliqua specialis actio Verbi, quae non sit totius Trinitatis, neque ad veritatem alterius, quae est vera ex illa, aliqua specialis actio requiretur. Denominatur itaque Verbum volens, et non Pater, aut Spiritus Sanctus, quia illi est unita natura humana, habens voluntatem, et non est unita caeteris Personis Divinis.

AD TERTIUM dico, humanam naturam potius esse appellandam causam secundam respectu Verbi, quam instrumentum; etenim [*Oxon.* 4. d. 6. q. 5. n. 6. et 8.] proprie instrumentum non est activum, ut serra et securis, sed agunt instrumenta per actionem agentis principalis. At causa secunda habet formam propriam *in esse* quieto, quae est sibi ratio agendi in ordine suo, idque respectu eiusdem effectus, ad quem agit causa principalis in suo ordine. Cum igitur Verbum per assumptam naturam, et in humana forma compleverit opus nostrae Redemptionis, ipse homo assumptus necessario habuit omnes illas potentias, quibus opera illi a Deo praefinita attingere potuisset. Inter eas autem potentias principalior est voluntas, sine qua, nec tristitiam pati, nec mereri omnino valuisset.

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT ALIQUA VOLUNTAS SENSUALITATIS PRAETER VOLUNTATEM RATIONIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 17. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 18. *art.* 2.

VIDETUR in Christo non extitisse aliqua voluntas sensualitatis. Nam ex *art. praec.* in natura humana Christi fuerunt perfectissimae potentiae, quibus anima ipsius erat beata, nimirum intellectus et voluntas rationalis: sed per voluntatem sensualitatis ipse non erat, nec poterat esse beatus; ergo huiusmodi sensualitatis voluntas non videtur in Christi humanitate adstruenda.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 32. n. 4.] Voluntas haec sensualitatis habere non potuisset actum in sua potestate; imo summe delectata fuisset in summo delectabili sensibili per phantasiam sibi praesentato: sed cum sensitivus appetitus summe delectatur in sensibili delectabili est inor-

dinatio in homine; igitur cum aliqua inordinatio esse non potuerit in Christo, nec voluntas sensualitatis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 1. q. 5. n. 5. seqq.] Voluntas sensualitatis, seu sensitivus appetitus, iuxta Damasc., *lib.* 2. *cap.* 24. non ducit se, sed ducitur, idest rapitur ab obiecto convenienti, sic ut necessario feratur in illud: sed eiusmodi tendentiam necessariam sensitivus appetitus habet, etiam voluntate contradicente, quia irrationalis est; ergo haec sensualitatis voluntas habuisset actum oppositum voluntati rationali in Christo, et ita fuisset in ipso rebellio virium inferiorum contra dictamina superiorum, quod nemo dixerit.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 15.] Christus perpessus est tristitiam, et dolorem ob passionem sibi inflictam, et etiam propter imminentem a phantasia repraesentatam; ergo erat in ipso sensitivus appetitus, et voluntas sensualitatis.

RESPONDEO dicendum, extitisse in Christo, ultra voluntatem, quae est potentia libera animae rationalis, voluntatem etiam sensualitatis, idest appetitum sensitivum; qui quoniam voluntas *est appetitus cum ratione liber,* dicitur et ipse appetitus rationalis per participationem; et declaratur. Etenim [*Oxon.* 3. d. 17. n. 2.] appetitus sensitivus, seu voluntas sensualitatis ponitur in aliis hominibus, ut sit sequela virtutis imaginativae, qua sicut imaginamur obiecta omnium sensuum, seu sint praesentia, seu absentia, ita per appetitum, qui consequitur virtutem imaginativam, delectamur de illis si sint convenientia, aut dolemus si disconvenientia inveniantur. Christo autem secundum quod homo habens potentias externas, poterant occurrere obiecta illorum sensuum, prout reipsa occurrerunt, et esse vel convenientia, vel disconvenientia; ergo sicuti per imaginativam virtutem poterat imaginari illa, ita et delectari vel dolere per sensitivum appetitum de convenientia vel disconvenientia eorumdem obiectorum; habebat igitur hanc voluntatem sensualitatis, qua maxime doluit ob passionem illatam, ut dictum fuit *q.* 15. *art.* 5. — *Ulterius,* [*Oxon.* ib.] in Christo videntur tot appetitus distincti fuisse, quot sunt potentiae apprehensivae in nobis. Quemadmodum enim alia est apprehensio gustus, et visus, et tactus, et odoratus, ita est alia inclinatio, et delectatio consequens hanc apprehensionem, et illam. Nam quemadmodum non obstante quod vis imaginativa apprehendat obiecta omnium sensuum tam in praesentia, quam in absentia eorum, adhuc ponuntur sensus particulares, et particulares apprehensiones eorumdem obiectorum distincte, et in particulari; ita quamvis appetitus consequens imaginativam possit appetere obiecta convenientia omnis sensus particularis, et non appetere disconvenientia, oportet tamen ponere appetitus distinctos particulares; eadem enim est necessitas ponendi distinctas apprehensiones, et appetitus distinctos. Quot ergo appetitus sunt in nobis, tot necesse est fuisse in Christo, in quo fuerunt omnes potentiae organicae perfectissimo modo possibili.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico sic: potentiae perfectissimae animae Christi, quibus ipse erat essentialiter beatus, non excludunt voluntatem sensualitatis, seu appetitum sensitivum, quia spectat ad perfectionem hominis rationalis: Christus autem extitit per omnia similis nobis, excepto peccato, et iis, quae consequuntur ex illo. Et quamvis [*Oxon.* 4. d. 49. q. 12. n. 5.] voluntas sensualitatis incapax sit beatitudinis essentialis, quia

est potentia materialis; tamen est secundum quid beatificabilis, quatenus animae beatitudo pertingit ad ipsum corpus, imo animae beatitudo non est modis omnibus perfecta sine illa corporis, quia appetit perficere proprium perfectibile.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 2. d. 43. q. 4. n. 19.] appetitum sensitivum non habere actum in sua potestate, sed esse de se potentiam tendentem necessario in obiectum conveniens, et ita de se semper summe appetere conveniens, uti evenit in brutis; at in nobis eam voluntatem sensualitatis esse liberam, et rationalem per participationem, non quidem per actum suum, sed per actum voluntatis rationalis, cui subest, et ideo potest converti ad bonum, et averti a bono. Si utique potest coërceri ab voluntate sauciata per peccatum, multo fortius a voluntate Christi, qui fuit impeccabilis.

AD TERTIUM respondetur ex statim dictis, quia de se illa voluntas sensualitatis fertur necessario in obiectum proprium, sed a voluntate rationali potest converti ad alia obiecta. Et si in Adam non erat rebellio virium inferiorum contra superiores, multo minus potuit esse in Christo, quamvis omnes humanas potentias habuerit optime dispositas, et ad propria obiecta inclinatas.

ARTICULUS III.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT DUAE VOLUNTATES QUANTUM AD RATIONEM.

Doctor, loc. art. praec. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 18. *art.* 3.

VIDETUR fuisse in Christo duae voluntates rationales. In ipso enim [*Oxon.* 3. d. 17. n. 1.] fuit voluntas libera sequens apprehensionem intellectus creati, et ultra hanc fuit quoque voluntas naturalis, qua naturaliter voluit quae erant sibi convenientia, et commoda, ut per liberam poterat velle quae erant iuste volenda: sed ambae hae voluntates spectant ad rationem; ergo sunt in Christo duae voluntates rationales.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 13. n. 18. seqq. — *Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 1.] Voluntas, qua libere anima vult, et appetitus quo naturaliter fertur in commoda et convenientia sibi, habent alium, et alium modum tendendi in obiecta; ergo eiusmodi tendentiae erunt ab alio, et alio principio; impossibile enim videtur eamdem potentiam esse principium naturale, et liberum; ergo sunt in Christo duae voluntates rationales.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 17. n. 2.] Voluntas proprie accepta *est appetitus cum ratione liber:* voluntati autem naturali deest libertas; igitur non est proprie voluntas, nec potentia distincta a voluntate libera.

RESPONDEO dicendum, in natura humana Christi fuisse tantum unam voluntatem rationalem liberam, perinde ut in aliis hominibus, ac propterea voluntatem naturalem minime esse distinctam a libera. Nam [*Oxon.* ib. n. 3.] voluntas, vel appetitus naturalis in qualibet re, accipitur communiter et intelligitur pro inclinatione naturali rei ad propriam perfectionem, sicut lapis naturaliter inclinatur ad centrum. Inclinatio igitur naturalis voluntatis, qua inclinatur in quamlibet sui perfectionem, est voluntas naturalis hominis. Quemadmodum ergo in lapide, ultra gravitatem qua

fertur in centrum, non est aliud absolutum, vel aliqua potentia, a qua habeat lapis aliquam operationem in centrum, sicut aliqui videntur imaginari; illa enim operatio esset actio transiens, quis ergo foret terminus illius? Naturalis igitur inclinatio lapidis in centrum nihil dicit ultra gravitatem eius, nisi relationem. Ita, inquam, est de voluntate; quia voluntas naturalis non est voluntas, nec *velle* naturale est velle; sed naturale distrahit ab utroque, cum sit de essentia voluntatis libertas; naturalis ergo voluntas aliud non est, nisi relatio consequens potentiam respectu propriae perfectionis; eadem itaque potentia dicitur voluntas naturalis cum tali respectu necessario consequente ipsam in ordine ad propriam perfectionem; et dicitur libera secundum rationem propriam et intrinsecam, qua constituitur in *esse* voluntatis, vel talis potentiae liberae. — *Alio* etiam *modo* [*Oxon.* ib.] dicitur voluntas naturalis, ut distinguitur a voluntate supernaturali, et sic ipsa in puris naturalibus existens distinguitur contra seipsam quatenus informatam donis supernaturalibus. — *Tertio,* adhuc dicitur voluntas naturalis, quatenus elicit actum conformem inclinationi naturali, quae semper est ad commodum; dicitur autem libera, quatenus potest elicere et non elicere actum conformem inclinationi naturali, sed interim semper est una eademque voluntas.

Ad Argumenta. Ad primum patet ex dictis; quia voluntas naturalis [*Oxon.* ib. n. 5.] secundum suam formalem rationem non est potentia vel voluntas, sed inclinatio ipsius voluntatis, et tendentia qua tendit naturaliter in propriam perfectionem, adeoque passive tendit, nimirum ad recipiendam perfectionem: sed est praeterea in eadem potentia alia tendentia, ut libere et active agat, et tendat eliciendo actum; est itaque in voluntate duplex tendentia, activa et passiva; sed ipsa est potentia, et libera per activam, non per passivam.

Ad secundum nego [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. q. 2. n. 4.] voluntatem, quae naturalis appellatur, habere tendentiam ullam, quemadmodum habet voluntas libera, sed magis naturalem appetitum esse ipsam tendentiam formaliter, qua in suam perfectionem inclinatur, et tendere intelligitur.

ARTICULUS IV.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT LIBERUM ARBITRIUM.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 7. — 3. *d.* 18. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 18. *a.* 4.

Videtur in Christo esse non potuisse liberum arbitrium. Nam ipse neque secundum portionem superiorem, neque secundum portionem inferiorem potuit nolle passionem, ex dictis *q.* 15. *art.* 1. *et in incid.:* liberum autem arbitrium in hoc videtur consistere, quod eo quis possit velle, et nolle, vel non velle aliquod, vel eligere, et non eligere media ad finem; igitur cum Christus debuerit absolute velle passionem, et etiam media conducentia ad ipsam, nequiit habuisse liberum arbitrium.

2. Praeterea. Christus ut homo, nedum omni penitus peccato caruit, sed erat omnino impeccabilis; igitur non habuit liberum arbitrium, quia nec voluntatem liberam, qua peccare potuisset.

3. PRAETEREA. Si oporteret ponere in Christo liberum arbitrium, maxime ut per illud posset mereri: sed exinde non videtur aliquod meritum Christo infuisse; etenim [*Oxon.* 3. d. 18. n. 11.] ad meritum requiritur deliberatio, et electio: electio autem praesupponit sylogismum practicum et discursum; discursus vero praerequirit moram, quae cum sit imperfectionis, non videtur in Christo locum habere potuisse.

CONTRA. Augustinus, *in Enchir.*, c. 14. *Voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda est;* cum igitur fuerit in Christo ultra divinam etiam humana voluntas, secundum hanc libero pollebat arbitrio.

RESPONDEO dicendum, in Christo fuisse liberum arbitrium; et *declaratur:* Verbum [*Oxon.* 3. d. 17. n. 5.— *Report.* ib. q. 1. n. 5. seqq.] assumpsit naturam humanam passibilem, ut in illa, et per illam posset pati et dolere et mori: atque ita patiendo et tolerando passionem et mortem Christus mereretur omnibus electis gloriam et gratiam; si autem humana eius voluntas non habuisset liberum arbitrium, quo vellet ex propria electione quae erant disconvenientia, et contraria illi personae secundum affectionem commodi, ipse nequaquam mereri potuisset, ut patet in Beatis, quibus cum nihil accidere possit contra affectionem commodi, et sint omnimode in termino, haud mereri queunt; igitur quoniam Christus meruit, debuit habuisse liberum arbitrium.—*Rursum,* [*Oxon.* ib. n. 4. seqq.] cum Verbum nullam causalitatem exerceat super actum voluntatis creatae in Christo quam non habeat tota Trinitas, illa voluntas non privatur dominio suorum actuum magis propter unionem ad Verbum, quam si non esset illi unita; igitur voluntas creata in Christo ita libere elicit et dominatur actui suo, sicut voluntas mea suo; Deus enim non operatur ad operationem illam, nisi voluntate libere agente et determinante se ad operandum, et tunc Deus agit cum ea; quemadmodum ergo in aliis hominibus erat liberum arbitrium, ita et in Christo extitisse dubitari non potest.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, ex eo quod Christus non potuerit nolle passionem, et dissentiri voluntati divinae ipsum pati volenti, solum concludi eum haud peccare potuisse; sed non sequi libere et sponte passionem non voluisse et acceptasse, perinde ac si id facere non iussus fuisset, quia alioquin, ut dictum est, per passionem non meruisset. — *Et cum dicitur:* liberum arbitrium debet posse velle, et nolle. *Nego* hoc, imo [*Oxon.* 2. d. 7. n. 25 seqq.] liberum arbitrium, secundum Anselmum, *De lib. arbitr.*, c. 10. *Est potestas servandi rectitudinem secundum se.* Quo pacto inest Deo et Beatis. Posse autem velle defectibiliter inest viatoribus potentibus deficere et peccare, sub qua ratione concedo non fuisse in Christo, licet fuerit sub priori acceptione.

AD SECUNDUM concedo, Christum fuisse impeccabilem; sed nego proinde non habuisse liberum arbitrium, teste Augustino, *in Enchir.*, c. 14. dicente: *Libero arbitrio non ideo carebit homo, quando sic erit, ut male velle non possit, multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato.* Hoc etiam [*Oxon.* ib. n. 25.] vult Ansel. *loc. cit.* cum ait: *Posse peccare non est libertas nec pars libertatis.* Intelligendum est tamen aliud esse posse peccare, et aliud habere potentiam ad peccandum. *Primum* enim dicit ordinem ad actum difformem, et non est liberi arbitrii, nec aliquid eius; *secundum* vero dicit rationem principii, quo potest elici actus difformis. Id autem posse est per se libertatis arbitrii; at quatenus potest in actum difformem non est eius unde liberum, sed unde *tale,* sci-

licet defectivum; quod etsi removeatur a Christo per gratiae plenitudinem, non perinde tollitur eius libertas.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 3. d. 18. n. 11.] discursum et moram non requiri nisi per accidens, in his nimirum quibus non sunt omnia nota a principio, quae non acciderunt in Christo. Is enim a principio suae conceptionis fuit perfectus in cognitione omnium, saltem abstractiva, et ideo potuit sine tali discursu eligere, prout elegit ea in quibus mereri poterat, quia electio de se est actus simplex.

ARTICULUS V.

UTRUM VOLUNTAS HUMANA CHRISTI FUERIT OMNINO CONFORMIS DIVINAE VOLUNTATI IN VOLITO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 15. — *d.* 17. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 18. *art.* 5.

VIDETUR humana Christi voluntas non fuisse omnino conformis divinae voluntati in volito. Etenim naturalis appetitus per participationem non potuit esse conformis divinae voluntati praecipienti Christi passionem et mortem; siquidem talis Christi voluntas potius talia obiecta odio prosequebatur, et e converso amabat volebatque vitam et commoda eius naturae et personae: igitur humana Christi voluntas non fuit omnino conformis divinae in volito.

2. PRAETEREA. Ipsa voluntas per se rationalis Christi habebat suapte natura maximam inclinationem in convenientia et commoda ipsi Christo; igitur oportuit noluisse, et aversatam esse ea, quae sibi contra hanc inclinationem accidebant: sed multa talia Christo evenisse constat; ergo illa omnia nolebat; non fuit igitur conformis divinae in volitione obiectorum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 48. n. 1.] Si Christi voluntas humana extitisset concors divinae, sic ut utraque idem volitum prosequuta esset, videretur haud recte semper voluisse: sed Christi voluntas erat impeccabilis; ergo non fuit semper divinae conformis in volendo idem obiectum. *Probatur sequela:* nam si humana voluntas ipsius Christi mortem voluisset; igitur aut ipsa in hoc obliqua fuisset, aut Iudaei idem obiectum volentes non peccassent: sed constat Iudaeos gravissime deliquisse ex Christi oratione, Patrem deprecantis, ut illis ignosceret; ergo Christi voluntas nequiit voluisse idem obiectum, quod tamen Deus elegerat acceptandum pro generis humani redemptione.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 7.] Matthaei, 25. *Si possibile est, transeat a me calix iste; sed non sicut ego volo, sed sicut tu.* Etsi igitur humana Christi voluntas conditionate noluerit subire passionem, si scilicet aliter adimpleri opus humanae redemptionis potuisset, absolute nihilominus fuit perfectissime divinae conformis, ut expressit illis verbis: *sed non sicut ego volo, sed sicut tu.*

RESPONDEO, loquendo de humana voluntate Christi propriissime, quatenus nimirum est *potentia libera,* potest quaeri, an fuerit concors divinae in volito quoad portionem superiorem, vel quoad inferiorem. Et *primo modo,* dico ipsam plenissime fuisse concordem divinae voluntati quoad passionem, et caetera omnia, quae Christus pertulit, ita quod

ex iis, quae circa ipsum evenerunt, nihil fuerit ab eo absolute nolitum, quia [*Oxon.* 3. d. 15. n. 25.] per principia accepta a fine ultimo, quem respicit portio superior, non poterat concludi, nisi passionem esse ab eo volendam; igitur nequiit ipsam noluisse, sed potius voluit cum caeteris omnibus eamdem passionem concomitantibus, eique annexis; cum hoc tamen bene stat ipsam noluisse passionem nolitione conditionata, ad quam consequebatur tristitia in ea portione, ut fuit declaratum *q.* 15. *art.* 1. *incid.* — Sed neque quoad *portionem inferiorem* potuit absolute esse discordem a divina voluntate in volito. Quia portio superior concludebat omnia, quae sibi erant eventura, esse simpliciter volenda; igitur inferior portio non poterat concludere aliquid ex illis, quae aut accidebant, aut imminebant, esse simpliciter, et absolute nolendum, sed magis volendum, prout et reipsa voluit, tametsi conditionate noluisset, idest si posset aliter fieri secundum rectam rationem, propter quod tristabatur, ut dictum fuit *q. cit. art.* 2. *incid.* — Considerando vero Christi voluntatem ut *naturam,* quo modo ipsa non habebat actum elicitum, sed solummodo inclinationem in bona convenientia, et commoda illi personae; hoc pacto certum est, Christum complura noluisse, quae tamen facta sunt; inclinatio autem illa naturalis erat (ut dictum est) ad bona convenientia illi personae vel naturae, cui proinde poterant ea accidisse, quibus fuisset natura illa seu propensio condelectata; quandoquidem ergo acciderunt contraria, et maxime disconvenientia, illa erant naturaliter nolita. — Quoad *appetitum* autem *sensitivum,* qui est voluntas rationalis per participationem, certum est multa infuisse in Christo, quae erant ab hoc appetitu nolita, et plura volita, quae non evenerunt. Illa enim voluntas horrebat, et timebat, adeoque nolebat passionem et mortem sibi in imaginativa praesentem et imminentem; contra vero appetebat bona convenientia, et commoda illi naturae, quae non infuerunt; igitur ista voluntas sensitiva fuit maxime difformis voluntati divinae.

Ad Argumenta. Ad duo priora patet *ex dictis;* concedo enim sensitivum appetitum, et voluntatem naturalem Christi noluisse ea, quae divina voluntas voluit fieri, et libere a Christo acceptata fuerunt, et pertulit. Sed appetitus sensitivus est naturalis, et non liber, et voluntas ut natura non habet actum elicitum, ideoque haec nullum habuit actum difformem. Actus vero sensitivi appetitus inclinantis ad conservationem sui, et personae cuius est, Christo non imputabantur, ut propter eos dici possit non extitisse divinae voluntati conformem; quia nec voluntas libera illis conformabatur, imo opposita omnino eligebat, eaque subinde electione, quantum fieri poterat, trahebatur sensitivus appetitus, et redigebatur sub potestate voluntatis eligentis contraria inclinationis illius, ut dictum est supra, *art.* 2. Ad secundum.

Ad tertium, [*Oxon.* 1. d. 48. n. 2.] concedo, Iudaeos peccasse, et quidem gravissime in volendo et procurando, et tandem inferendo necem Christo, quia id illis Deus non mandaverat, et alio fine movebantur, ac habuerit Deus in volendo Christi passionem: actus autem moralis praesertim specificatur a fine. Christo autem Deus praeceperat subire passionem et mortem pro reparatione generis humani, ideoque ipsius voluntas rectissima fuit mortem acceptando, ut iniquissima extitit electio Iudaeorum, ex odio et invidia mortem illi inferentium.

ARTICULUS VI.

UTRUM IN CHRISTO FUERIT CONTRARIETAS VOLUNTATUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 15. — *Report. ib.*
Exposit. in 5. *Metaph., c.* 9. *a. n.* 80. *et seqq.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 18. *a.* 6.

VIDETUR in Christo fuisse contrarietas voluntatum. Tunc enim duae voluntates dicuntur et sunt contrariae, quando illud idem obiectum, quod una vult, amplectitur et prosequitur, altera fugit, declinat atque renuit: sed eamdem passionem et mortem quam libera Christi voluntas amplectebatur, volebat, atque desiderabat, sensitivus appetitus, vel voluntas per participationem rationalis omni nisu recusabat, ac sustinere et pati nolebat; ergo extitit revera in Christo contrarietas voluntatum.

2. PRAETEREA. Marci 14. scribitur, instante passione et morte, *Iesus coepit pavere, et taedere:* sed [*Oxon.* 3. d. 15. n. 28.] pavor et timor est de nolito, quod scitur et creditur esse futurum; igitur Christus nolebat sibi impendentem passionem: sed constat eamdem passionem alia voluntate voluisse; passus est enim quia voluit, Isaiae, *cap.* 53. igitur fuit in ipso contrarietas voluntatum.

3. PRAETEREA. Lucae 22. legitur, Christum in oratione ad Patrem haec dixisse: *Pater, si vis transeat calicem istum a me;* nomine calicis passionem intelligens. Periit igitur ac cupere se significavit non subire passionem: sed constat [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 1.] altera voluntate ipsum voluisse passionem, ut mandatum acceperat a Patre, quia alioquin ei mandato non obtemperasset; ergo extitisse revera videtur in ipso contrarietas voluntatum.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 7.] Matthaei 25. *Pater,* inquit Salvator, *si possibile est, transeat a me calix iste; sed non sicut ego volo, sed sicut tu;* ergo in Christo fuit omnimoda subiectio et conformatio voluntatis humanae ad divinam, et per consequens nulla in ipso esse potuit contrarietas voluntatum.

RESPONDEO dicendum, esse non potuisse in Christo ullam contrarietatem voluntatum. Contrarietas enim est oppositio realis, qua unum extremum corrumpit et destruit aliud sibi contrarium. Quamvis [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 6.] autem in Christo appetitus sensitivus appetierit contrarium illius, quod volebat voluntas divina, et humana libera; et quamvis pariter voluntas naturalis in ipso habuerit propensionem naturalem in contrarium passionis et mortis; nihilominus nec ista naturalis inclinatio, nec sensitivus appetitus impediit quominus evenirent volita voluntate libera et absoluta: evenerunt etenim, nec destruebant actus earumdem voluntatum; ergo non fuit ibi inter voluntates contrarietas. — *Rursus,* [*Exposit. in* 1. *Metaph.* 5. cap. 9. n. 80.] haec sunt conditiones contrariorum, scilicet ut sint in eodem genere, quod habeant idem subiectum, et denique ut comprehendantur sub eiusdem scientiae consideratione. Manifestum est autem, voluntatem rationalem et appetitum sensitivum, ut ad invicem comparantur, non habere duas priores conditiones; igitur quamvis per unum appetitum sit aliquid volitum, et nolitum per alium, non dicentur tamen proprie contrariari illi appetitus, vel voluntates. —

Denique, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 33. seqq. — *Report.* ib. n. 11.] licet formae absolutae, ut albedo, et nigredo, sint contraria extrema in eodem subiecto, seu causentur ab causis diversis, seu ab eadem, nihilominus quando aliqua essentialiter dependent ab alio, et non tantum causaliter, illa non habent oppositionem, nisi respiciant idem, ut scire et ignorare; nam cum scientia unius stat ignorantia alterius obiecti. Cum igitur *velle* et *nolle* includant respectum ad obiecta, sicut scire et ignorare, habere non poterunt inter se oppositionem, vel contrarietatem, nisi sint respectu eiusdem. Atqui nolle appetitus sensitivi non potuit esse respectu eiusdem a quo erat velle voluntatis liberae; ergo illae voluntates non erant contrariae. *Probatur minor:* quia voluntas absolute volebat passionem, vel in ordine ad finem ultimum, ut quia imperata ab ipso, vel volebat in remedium generis humani: appetitus autem sensitivus nolens passionem et mortem nolebat illam absolute absque huiusmodi respectibus; igitur non erat idem volitum et nolitum, sed aliud et aliud, adeoque non fuit ibi contrarietas; cum illae circumstantiae finis ultimi vel salutis humani generis non potuerint apprehendi, nisi per rationem, et nullo modo per sensitivum appetitum.

Ad Argumenta. Ad primum patet ex dictis, qualiter non idem obiectum formale Christus per liberam voluntatem amplectabatur et volebat, et per sensitivum recusabat.

Ad secundum respondeo, Christum secundum partem intellectivam et rationalem imperterritum fuisse, nec expavisse ullo modo passionem et mortem, sed fortissime ex divina ordinatione in se irruentem excepisse, ac superasse; timuit ergo secundum partem sensitivam naturali timore; quia etsi omnia sibi per scientiam divinam et infusam praesentia fuerint eo ordine, et mediis quibus erat perficienda, ab appetitu nihilominus sensitivo aberat experientia impendentium sibi malorum, quibus commodi affectio afficienda erat, ideoque timebat, quod quantum in se fuit noluisset accidere. Verumtamen, uti dictum est, haec voluntas minime adimplebatur, cum evenerit id quod superior appetitus exoptabat, et fieri volebat.

Ad tertium respondeo, voluntatem a Christo in oratione expressam fuisse non absolutam, sed dumtaxat conditionate. Voluisset enim mortem non subire si cum beneplacito divino id fieri licuisset. Sed quoniam voluntas divina statuerat mortem ab eo esse sustinendam, mox illi exacte sese conformans subdidit, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Conditionata autem voluntas minime absolutae contrariatur; quia [*Oxon.* 3. d. 15. n. 17-26] tunc quod quis absolute vult, non eveniret si contrarium sub conditione cupiat: hoc autem esse plane falsum constat de proiiciente merces in mare, ut naufragium effugiat; vellet enim salvare opes, si una cum ipsis evadere daretur, et tamen mercimoniis se privat, ut vita sibi sit incolumis.

QUAESTIO DECIMANONA.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM CHRISTI QUANTUM AD OPERATIONEM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de unitate operationis Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum in Christo sit una operatio divinitatis et humanitatis, vel plures. - 2. Utrum in Christo sint plures operationes secundum humanam naturam. - 3. Utrum Christus secundum humanam operationem aliquid sibi meruerit. - 4. Utrum per eam aliquid meruerit nobis.

ARTICULUS I.

UTRUM IN CHRISTO SIT UNA TANTUM OPERATIO DIVINITATIS ET HUMANITATIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 8. — *d.* 17. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 19. *art.* 1.

VIDETUR in Christo esse unam tantum operationem divinitatis et humanitatis. Nam si alia esset operatio divina a forma Dei, et alia humana a forma servi; igitur Christus esset duo operantes, seu volentes; non igitur esset unus, sed duo. Dictum est autem, *q.* 17. *art.* 1. Christum esse unum, et non duo; ergo est in ipso una tantum operatio.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 12. q. 1.] Actiones sunt suppositorum: sed in Christo quamvis reperiantur duae naturae, unicum est tamen suppositum divinum; igitur unicam oportet esse ipsius operationem.

3. PRAETEREA. Humana natura a Verbo assumpta fuit eius instrumentum, per quod operatus est Deus nostram redemptionem: sed instrumentum non habet distinctam operationem a principali agente; nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 1. n. 34.] instrumentum quando agit accipit influentiam proprie ab eo, cuius est instrumentum, quia motionem actualem, et in motione formam per quam agit in suo ordine; igitur unica est et fuit in Christo operatio.

CONTRA. In Christo extitit duplex esse existentiae actualis, et duae vitae, et secundum alteram, scilicet humanam, vere natus est in tempore, passus et mortuus est, non vero secundum *esse* Divinum nisi denominative; igitur duplicem quoque habuit operationem.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 8. n. 4.] in Christo esse duas operationes, ut expresse dicit Damascen., *lib.* 3. *cap.* 15.: *Duas autem,* inquiens, *actiones dicimus in Domino nostro Iesu. Habuit enim ut Deus et Patri consubstantialis similem divinamque actionem, et ut homo factus est nobis consubstantialis, humanae naturae actionem.*—*Deinde,* [*Oxon.* 3. d. 17. n. 2.] ex eodem *ib. cap.* 14. Firmiter tenendum est secundum fidem in Christo esse duas naturas, et unam hypostasim; et altera quidem earum naturarum infinita est, reliqua finita quidem et impermixta illi, sed perfectissima aliarum naturarum humanarum; igitur cum perstiterit haec natura in Christo inconfusa, et secundum proprium esse formale, ha-

bueritque potentias proportionatas et expeditissimas, potuit habere, prout de facto habuit, perfectissimas operationes humanas. Nam, ex dictis *q.* 8. *et* 9. habuit omnem gratiam, et omnem scientiam secundum intellectum et voluntatem creatam, per quas potentias intuitive videbat et fruebatur Divina Essentia; igitur habebat ultra divinas communes caeteris Personis, etiam humanas operationes. — *Denique,* Christus verissime fuit causa meritoria nostrae redemptionis, ut patebit infra, *art.* 3. meruit autem non secundum divinam operationem, quae fuit sibi, Patri et Spiritui Sancto communis; igitur per humanam operationem, qua passionem et mortem acceptavit, obtulitque Patri pro nobis; necessario igitur sunt ponendae in Christo plures operationes.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo negando *consequentiam.* Quia, ut dictum quoque fuit *q.* 17. *art.* 2. licet in Christo fuerint duae voluntates, humana nimirum et divina, non tamen est duo volentes: concretum enim non numeratur sine numeratione suppositi, ut est manifestum de habente duas scientias, quia non dicitur duo scientes, sed unum sciens ob suppositi unitatem. Quamvis igitur [*Oxon.* 2. d. 6. q. 1. n. 4.] sint in Christo duae potentiae operantes sequentes duplex *esse,* duasque naturas ipsius; quia nihilominus duae illae naturae subsistunt in una hypostasi divina, unicum est operans, et non duo operantes.

Ad secundum dico, operationes non esse ita suppositorum, ut ab suppositalitate effective proveniant; sed suppositorum, quatenus ipsa ultimate dicuntur operari: sunt enim actiones proprie a virtute specifica formarum et naturarum existentium in supposito, vel habentium modum suppositorum, ut patet de anima intellectiva separata a corpore. Quoniam igitur in uno Verbi Divini supposito subsistebant duae naturae perfectae et impermixtae, utraque habebat propriam operationem.

Ad tertium dico, humanam naturam non fuisse Verbi instrumentum inanime carens propria forma activa in esse quieto, sicut est serra respectu artificis dividentis lignum per ipsam; sed extitisse causam instrumentalem, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] idest secundariam, et meritoriam nostrae redemptionis; oportuit ergo habuisse propriam formam activam, et potentias, per quas operando mereri potuisset ea omnia, quae Deus decreverat largiri electis intuitu meritorum eius.

ARTICULUS II.

UTRUM IN CHRISTO FUERINT PLURES OPERATIONES HUMANAE.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 19. *a.* 2.

Respondeo dicendum: [*Oxon.* 4. d. 6. q. 5. n. 3. seqq.] cum operatio, vel humanus actus proprie sit qui causatur per intellectum et voluntatem in homine, et Christus fuerit, sitque homo habens intellectum et voluntatem, consequenter ipse debuit habuisse operationes humanas. At quia earumdem operationum non fuit in ipso nisi unicum solum principium in ordine ad illud, unica dicenda est operatio humana, et non plures, cum omnes eamdem rationem et ordinem ad ipsum principium habuerint. Operationes igitur animae vegetativae, et sensitivae, quas constat Christum habuisse, si voluntas mediante actu suo volendi potuit imperare, ut elicerentur, vel

impedire ne elicerentur, humanae dicendae sunt; sed tamen ab uno eodemque principio habuerunt ut tales dicerentur. Si vero [*Quodlib.* q.18. n. 10. seqq.] non poterant a voluntate imperari, sed antecedebant omnem actum rationis, nequaquam operationes humanae possunt dici. *Breviter ergo:* sicut caeteri homines unam habent humanam operationem, et non plures, ita et Christus ut homo, imo magis, cum caeterae potentiae in ipso, ultra intellectum et voluntatem, fuerint perfectissime subiectae rationi; in eo enim non fuit ulla rebellio inferiorum potentiarum ad rationem, ut dictum fuit, *q.* 15. *art.* 2.

ARTICULUS III.

UTRUM ACTIO HUMANA CHRISTI POTUERIT ESSE SIBI MERITORIA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 18. — *Report. ib. q.* 1.
S. Thom. 3. *p. q.* 19. *a.* 3.

VIDETUR actio humana Christi esse haud potuisse sibi meritoria. Siquidem ex *q.* 15. *art.* 1. Christus non potuit peccare; ergo nec mereri *Probatio consequentiae.* [*Oxon.* 3. d. 18. n. 1.] voluntas coniuncta perfecte fini ultimo non meretur, aliter Beati mererentur: sed Christi voluntas fuit perfecte coniuncta fini ultimo per fruitionem, unde extitit impeccabilis; ergo mereri non potuit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 1.] Voluntas Christi semper fruebatur Divina Essentia; igitur numquam meruit. *Probatio consequentiae:* aut fruitio, et meritum sunt duo actus, vel unus: non duo, quia actus fruitionis est adaequatus potentiae fruenti quantum potest: una autem et eadem potentia non potest habere actum unum adaequatum, et ultra hunc etiam alium; quia tunc primus non esset adaequatus: obiectum autem meriti est ipse Deus diligibilis amore amicitiae, et idem est obiectum fruitionis; igitur non sunt duo actus. Sed nec unus. *Probatur;* nam de ratione actus meritorii est ut possit elici et non elici a potentia contingenter operante: actus vero beatificus necessario elicitur; igitur non est unus et idem actus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 2.] Praemium excedit meritum; praemium enim est finis meriti, et finis est melior eo, quod est ad finem: sed nullus actus Christi, ut homo, potest esse perfectior illo quo voluntas Christi tendit in Deum, et fruitur eo; igitur talis actus non potest esse meritorius; tunc enim oporteret dari alium actum voluntatis creatae meliorem, qui est praemium et finis illius.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 3.] Ad actum meritorium sufficit potentia quae potest mereri et dispositio gratuita in potentia, scilicet gratia, et praesentia obiecti per intellectum, et usus potentiae circa illud: omnia ista fuerunt in Christo; potuit igitur mereri, et subinde meruisse existimandum est.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 18. n. 4. — *Report.* ib. q. 1. n. 4.] Christum actione humana meruisse, et aliquid etiam sibi meruisse. Sed prius videndum est *quomodo* mereri potuerit, et deinde *quid* sibi, et aliis meruerit. Sed ante omnia [*Oxon.* 1. d. 17. q. 3. n. 22. seqq.] considerandum est quid nomine *meriti* intelligendum sit. Meritum igitur, (ut

hic de eo loquimur) *est aliquid acceptatum, vel acceptandum in persona merente, pro quo ab eo, qui acceptat, est aliquid retribuendum illi, in quo est quasi debitum sibi pro merito, vel alteri pro quo meruit.* Ex quo statim sequitur, meritum non esse simpliciter actum eius, cui fit retributio, sed solummodo quando quis meretur sibi ipsi; si enim pro aliis quis mereretur orationibus, vel aliis bonis operibus, non oportet ea opera esse in potestate eius, cui fit retributio. Ad haec, meritum debet esse actus laudabilis, libere scilicet elicitus, et bonus, ac procedens a gratia sanctificante, atque elicitus a viatore, ac dicens formaliter esse acceptatum vel pro eliciente si indigeat, sin, utpote si omni ex parte sit perfectus, ut Christus, pro aliis indigentibus.

Declaratur nunc *Christum meruisse.* Cum voluntas [*Oxon.* 3. d. 18. n. 5. — *Report.* ib. q. 1. n. 5.] affectione commodi respiciat proprium bonum, et aliquando inordinate, nisi ordinetur et reguletur affectione iustitiae, consequens est, ut quemadmodum prima radix demeriti est inordinatus amor sui secundum affectionem commodi, ita prima radix meriti sit oportet ordinatus amor Dei secundum affectionem iustitiae, qua diligitur ipse in se amore amicitiae, volendo illi esse et bene esse, scilicet, iustum, bonum, sapientem, etc. In tantum igitur est meritum in voluntate amando Deum affectione commodi, in quantum ultimate reducitur ad amorem secundum affectionem iustitiae; nam est demeritum in voluntate sistente in amore Dei praecise ut est aliquid commodum sibi, nisi referatur ad ultimum finem affectione iustitiae; sed tunc est meritoria eius dilectio, cum vult voluntas illud commodum, ut possit inhaerere illi propter se. Cum igitur dubium non sit, Christi voluntatem habuisse huiusmodi actus secundum affectionem iustitiae erga Deum, volendo et diligendo illum in se, et sibi et aliis, ut possent diligere ipsum in se, igitur fatendum est meruisse.

Nec quia [*Oxon.* ib.] alii Beati a Christo non merentur etiamsi diligant Deum secundum affectionem iustitiae, et secundum affectionem commodi regulatam affectione iustitiae, deducenda est consequentia ad Christum. Quia caeteri Beati a Christo sunt perfectissime coniuncti ultimo fini secundum affectionem iustitiae, et commodi, nec velle possunt aliquid contra proprium commodum: Christus autem cum fuerit viator et passibilis iuxta partem sensitivam et portionem inferiorem, quivit multa velle contra affectionem commodi, et ideo ieiunando, orando, et patiendo potuit mereri; etenim [ib. n. 6.] iuxta hos actus non erat comprehensor, nec illi in sua beatitudine includebantur, sicuti includi dicuntur actus, quos circa nos exercent Angeli, nam ex plenitudine beatitudinis, eiusque collatione obligantur a Deo ad illos exhibendos erga nos.

Sed meruitne [*Oxon.* ib. n. 6.] praecise per actus partis sensitivae imperatos a voluntate, vel etiam per ipsam voluntatem? Dico, meruisse etiam per actus voluntatis secundum *portionem inferiorem,* quatenus portio inferior respicit entia in ordine ad finem, quia penes hanc fuit illa voluntas passibilis, et viatrix, ac proinde potuit mereri; ex quo enim [*Oxon.* ib. n. 8.] per miraculum non habuit summum bonum sibi coniunctum quantum potuit coniungi, ut est in aliis Beatis, non erat in termino secundum affectionem commodi; et licet non potuerit velle aliquid inordinatum, et peccare, potuit tamen accidere sibi aliquid contra

affectionem commodi, illudque acceptare, et ita mereri. — *Ulterius*, [*Oxon.* ib. n. 9. seqq.] dico meruisse etiam secundum *portionem superiorem*, et omnem actum eius, non solum propter actum tristandi, eo modo quo dictum fuit *q.* 15. *art. incid. primo*, verum etiam per actum fruitionis. Nam omnis actus acceptatus a Deo tamquam actus bonus, et laudabilis, pro quo Deus vult aliquid retribuere illi cuius actum acceptat, vel alteri pro quo elicitur, est meritorius: huiusmodi est omnis actus Christi secundum naturam humanam, etiam actus beatificus, quo secundum portionem superiorem fruitur Deo, et etiam ut dilexit Matrem visam in Verbo, et omnes electos propter Deum, et in Deum, et alios inimicos propter Deum; nam Persona illa non secundum omnem conditionem sui fuit simpliciter in termino, et cum meritum non consistat tantum in ipso actu elicito, sed etiam in conditionibus Personae sive suppositi elicientis, acceptatio consequenter divina respicit actum elicitum, et etiam conditiones personae elicientis; ideo Deus potuit omnem actum creatum illius Personae acceptare tamquam dignum retributione vel pro se, vel pro aliis. Ex quo sequitur, nullam esse repugnantiam actum beatificum Michaëlis esse meritorium, sed quia ipse est simpliciter in termino, ideo de facto non acceptatur ut meritorius; sed aliter fuit de Christo, quia ipse erat simul viator, et comprehensor.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 16.] concedo, Christum non potuisse peccare; sed nego exinde sequi non potuisse mereri. Alii siquidem Beati a Christo, ut non possunt peccare, ita nec mereri, quia et secundum affectionem iustitiae, et commodi sunt coniuncti ultimo fini: Christus autem dum erat viator non coniungebatur simpliciter ultimo fini iuxta affectionem commodi, quia poterat sibi aliquid accidere contra illam affectionem, et pati, quod subinde incommodum ipse quibat ordinate velle et acceptare, et ita mereri; quamvis secundum affectionem iustitiae ob coniunctionem cum Deo non potuerit aliquid iniuste velle, et peccare.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 17.] si teneatur, Christum meruisse secundum portionem inferiorem, quae respicit temporalia in ordine ad aeterna, tunc actus meritorius fuit alius a beatifico, qui est a portione superiore respiciente praecise aeterna. Quod si meruit per superiorem etiam portionem, et ipsum actum beatificum, tunc unus idemque est actus merendi et fruendi. Neque id est inconveniens de persona, quae erat viatrix, ut praedictum est. Vel meruit diligendo electos visos in Verbo propter Deum, et tunc sunt duo actus. — *Et cum contra hoc instatur*, quia actus fruitionis est adaequatus illi potentiae; *dico* esse adaequatum intensive, non extensive; quia etsi nequeat habere alium actum aeque intensum, potest tamen simul habere minus intensum; alioquin intellectus videns Divinam Essentiam non posset alia videre in ipsa. — *Et cum instatur* contra unitatem actus, quia actus beatificus est necessarius, et meritorius contingenter elicitur; *dico*, actum beatificum non esse necessarium nisi in sensu compositionis; quia voluntas ut prior natura actu suo, ita contingenter elicit ipsum sicut si per idem eum praecessisset.

Ad tertium dico: [*Oxon.* 3. d. 19. n. 12. — *Report.* ib. d. 18. q. 1. n. 19.] quando quis meretur pro se ipso, quoniam Deus communiter praemiat ultra condignum, praemium excedit meritum: at Christus meruit non sibi, sed aliis. Loquendo etiam de merito ipsius secundum portionem inferiorem, praemium retributum aliis pro meritis Christi forsitan fuit per-

fectius et melius, quam aliquis actus meritorius eius passionis; potuit subinde illud meritum ad tale praemium ordinare. Universim vero non oportet praemium excedere meritum nisi sit praemium merentis, cum enim nobilior pro ignobiliori meretur, tunc meritum excedit praemium, neque id est inconveniens.

ITERUM ARTICULUS III.

UTRUM ACTIO HUMANA CHRISTI POTUERIT ESSE SIBI MERITORIA.

Doctor et S. Thom. loc. cit art. praec.

VIDETUR Christus meruisse sibi omnia quae habuit, scilicet unionem hypostaticam, et gloriam. Nam [*Oxon.* 3. d. 18. n. 13. — *Report.* ib. q. 1. n. 13.] gloriosius est habere praemium pro merito, quam sine merito: sed quidquid est excellentius, et nobilius est attribuendum Christo; igitur ipse meruit ea omnia quae habuit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 13. — *Report.* ib. q. 1. n. 13.] Prioritas naturae videtur sufficere ad meritum: sed inter voluntatem et actum elicitum est prioritas naturae; satis igitur erat ad merendum fruitionem, vel idem actus ut prior natura se ipso potest esse meritorius respectu sui ipsius; igitur Christi voluntas humana merebatur quicquid erat in ipso.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 5. q. 1. n. 2.] Sententia Magistri fuit, Angelos promeruisse sibi ipsis beatitudinem, non per opera meritoria, quae antecesserint illius collationem, sed per opera, quae subsequutura praevidebantur, cuiusmodi erant obsequia hominibus exhibenda ex Dei obedientia et reverentia. Ita ille, 2. *sent. d.* 5. *litt. G.* Sed longe excellentius et gratius extitit Deo obsequium exhibitum a Christo per passionem, et mortem; ergo multo magis potuit Christus sibi promeruisse gloriam, et etiam unionem hypostaticam.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 12. — *Report.* ib. q. 1. n. 12.] Augustin., 13. *De Trinit.*, cap. 19. *Summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo.* Et quamvis loquatur de gratia unionis, idest gratuita Dei voluntate, uniente naturam humanam Filio Dei, tamen ad unionem istam concomitanter sequitur gratia fruitionis de facto; ergo fuit summa gratia sine meritis praecedentibus.

RESPONDEO dicendum, Christum non meruisse sibi fruitionem, et consequenter multo minus unionem hypostaticam; nam [*Oxon.* ib. n. 18. — *Report.* ib. q. 1. n. 12.] si meruisset, aut operatione elicita circa ea, quae sunt ad finem, aut circa ipsum finem, fruendo fine ipso, et posterius ferebatur circa ea, quae in ipso videbat; et quamquam meruerit per tendentiam in illa, volendo propter Deum, nihilominus hunc actum praecessit visio Essentiae Divinae in tribus; igitur per prius intelligitur illa anima frui Deo, antequam intelligatur mereri per tendentiam in ea, quae sunt ad finem. Neque actu ipso fruitionis meruit fruitionem, quia hoc non esset aliud dicere, quam ipsum meruisse fruitionem, quia habuit fruitionem, vel meruisse, quia Deus dedit actum; quod nihil est dictu; quia nullus actus est meritorius sui ipsius, licet possit esse alterius. Igitur Deus liberalissime absque ullo merito praecedente coniunxit voluntatem istam per

fruitionem ultimo fini, ac per consequens non meruit sibi fruitionem, aut unionem quae fruitioni praesupponebatur; nec item visionem beatam, quae necessario praesupponi debuit actui fruitionis, eaque sola potuit esse primus actus meritorius Christi si sibi meruisset aut unionem hypostaticam, aut visionem beatam, aut fruitionem.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 13. — *Report.* ib. q. 1. n. 13.] verum esse, et procedere de praemio, quod potest haberi ex meritis, cuiusmodi non fuit coniunctio animae Christi cum Deo per actum fruitionis; ad eam quippe taliter habendam nulla merita potuerunt suffecisse, et praecessisse: nunc autem est nobilius habere actum, ad quem non potest praecedere meritum ex liberalitate dantis, quam habere actum debiliorem cum multo merito praecedente. Et plane videtur id rationabile; quia sicuti in esse naturae causalitas causae secundae non potest cooperari ad creationem alterius naturae, ut angelicae, propter perfectionem eius; ita in genere moris creavit Deus aliquem actum beatificum, ad quem non potest esse aliquis actus meritorius prior, et talis est actus beatificus animae Christi, et hoc ob nobilitatem et excellentiam eius, et modum habendi eumdem, quia antequam haberet aliquem actum circa ea, quae sunt ad finem. — *Aliter etiam respondeo,* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. q. 1. n. 14.] supponendo actum illum potuisse cadere sub merito, quamquam gloriosius fuisset habenti illum actum meruisse illum quam non meruisse; non tamen absolute et simpliciter esset id gloriosius. Ad decorem enim et perfectionem status beatifici decens est, ut ibi inveniantur omnes gradus principales in actibus beatificis; sicut igitur ibi sunt aliqui Beati, qui fruuntur beatitudine ob merita aliena, ut parvuli baptizati; et rursus alii ob merita propria, ut qui fuerunt Deo inimici ob peccatum mortale, et postea poenituerunt; est etiam Beata Virgo, quae nullum habuit peccatum actuale, nec originale, habitura nisi fuisset praeventa et praeservata ob merita praevisa Filii sui, longe eminentius Matrem suam redimentis, quam alios: ita decens fuit ut ibi esset aliqua persona beatissima habens maximam fruitionem independenter ab omni merito; nec propterea anima illa est ingloriosior; quia si eius beatitudo potuisset cadere sub merito, meruisset eam, nisi fuisset praeventa; et sic praeveniri ex liberalitate dantis est maioris nobilitatis.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 14.] prioritatem naturae in potentia praecedente actum non sufficere ad meritum; non est enim meritum, nisi in aliquo actu, vel passione acceptata: voluntas autem ut prior natura non habet aliquem actum, vel passionem acceptam a voluntate, ratione cuius potuerit mereri actum beatificum, quia is actus praecessit omne meritum. Nec idem actus est meritum, et praemium, quia hoc esset dicere potentiam meruisse quia Deus dedit meritum, esto idem actus Christi possit esse praemium sibi, et meritorius aliis. Talis etiam distinctio non est, nisi rationis considerantis actum illum diversimode, quae non sufficit ad rationem meriti et praemii.

Ad tertium dico, omnes in tali sententia contradicere Magistro, et revera falsum esse apparet ex hoc, quia tunc [*Oxon.* 2. d. 5. q. 1. n. 2.] homo posset mereri primam gratiam, quia praevidetur a Deo bene usurus ea; et tunc gratia non foret gratia, quia esset ex meritis. Angeli ergo in statu viae independenter ab hominibus meruerunt beatitudinem; at

Christi anima cum in primo omnino instanti fuerit beata, eam gloriam minime mereri potuit, et multo minus hypostaticam unionem; quid porro sibi meruerit per humilitatem Crucis dicetur *art. sequenti,* et rursus *q.* 49. *art.* 6.

RURSUS ARTICULUS III.

UTRUM ACTIO HUMANA CHRISTI POTUERIT ESSE SIBI MERITORIA.

Doctor et S. Thom. locis cit. art. anteced. — *Magist. sent.* 3. d. 18. cap. 1.

VIDETUR actio humana Christi non potuisse esse sibi meritoria. Quia si fuisset, maxime meruisset impassibilitatem animae et corporis, quam non habuit ab instanti suae conceptionis: sed hanc non meruit; igitur nihil omnino sibi mereri potuit. *Probatio minoris:* illud [*Oxon.* 3. d. 18. n. 15. — *Report.* ib. q. 1. n. 16.] quod infuisset si non esset per miraculum impeditum, quantum est ex ratione sui, independenter ab omni actu creato illius personae, non cadit sub merito illius personae: sed gloria et impassibilitas corporis et animae infuisset in primo instanti unionis, nisi per miraculum fuisset impedita; igitur non cadebat sub merito, sed ponebatur post mortem Christi per subtractionem miraculi.

2. PRAETEREA. Animae et corporis Christi impassibilitas non aliunde esse potuit, quam a fruitione Divinae Essentiae, per quam gloria in inferiorem animae portionem, et in corpus redundabat: sed Christus nequiit meruisse sibi fruitionem Divinae Essentiae, ex *dictis art. anteced.* igitur nec mereri potuit impassibilitatem animae et corporis.

CONTRA. August., *Tract.,* 104. *sup. Ioann.* exponens illud Apostoli ad Philip. *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum,* ait: aperte dicit Apostolus, Christum propterea exaltatum per impassibilitatis gloriam, quia est humiliatus per passionis obedientiam.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] Christum meruisse impassibilitatem animae et corporis, non directe, sed indirecte, quatenus nimirum meruit amoveri impedimentum, propter quod gloria animae non redundabat in portionem inferiorem animae, et in corpus, ex qua gloria est impassibilitas. Et quidem quod directe humana Christi voluntas non meruerit, apparet ex eo, quod talis impassibilitas animae et corporis Christi, ex ratione sui, ante omnem actum causatum illius personae, nata erat inesse sibi, nisi impedita fuisset; igitur nequiit cadere sub merito directe, alias minime praecedere posset omnem actum voluntatis creatae Christi; quia tamen anima illa, eo quod fuit passibilis, meruit acceptando et volendo subire passionem et mortem, idest separationem ipsius a corpore, meruit quoque glorificationem sui corporis, ut nimirum cessaret miraculum illud, quo impediebatur gloriae redundantia in corpus, et pro suo modo animae beatitudinem participando efficeretur impassibile et gloriosum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Report.* 3. d. 18. q. 1. n. 16.] concedo debuisse inesse gloriam corporis ex animae beatitudine, nisi fuisset impedita a principio assumptionis; sed ex hoc non sequi, Christum impassibilitatem non meruisse; licet enim ex hoc sequatur non meruisse directe eam impassibilitatem, meruit tamen indirecte, idest meruit amoveri impe-

dimentum, ob quod gloria animae non infuit statim corpori: illud autem impedimentum erat miraculum prohibens redundantiam gloriae in portionem inferiorem, et in corpus.

AD SECUNDUM patet ex dictis *in solutione.*

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS ALIIS MERERI POTUERIT.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 19. *a.* 4.

VIDETUR Christus aliis mereri non potuisse. Nam [*Oxon.* 3. d. 19. n. 1. — *Report.* ib. n. 1.] praemium excedit meritum; meritum enim ordinatur ad praemium ut ad finem, et finis est nobilior aliis, quae sunt ad finem: sed praemium omnium aliorum non excedit meritum Christi; igitur meritum Christi non ordinatur ad illud sicut ad finem, quia esset ignobilius fine.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 1.] Si Christus quicquam aliis meruisset, maxime gratiam, per quam tamquam per medium necessarium ex divina ordinatione adipiscerentur gloriam; sed respectu gratiae nulla esse potest causa meritoria; si enim est *ex meritis, iam non est gratia,* inquit Apostolus ad *Romanos,* 9. igitur nihil Christus aliis meruit.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] Si Christus nobis gratiam meruisset, cum talis gratia debita fuisset meritis eius, licet non meritis recipientium, igitur non gratis nobis, daretur, sed ex iustitia, quia Christi merita praecessissent.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 19. n. 1. — *Report.* ib. n. 2.] Leo Papa, in serm. *De Nativit., Sicut a reatu nullum liberum reperit, sic liberandis omnibus venit.*

RESPONDEO dicendum, Christum aliis mereri potuisse, et de facto meruisse. Et *declaratur:* nam [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6. — *Report.* ib. n. 7. seqq.] Incarnatio Christi, ut dictum fuit *q.* 1. *art.* 3., non fuit occasionaliter praevisa, sed quemadmodum prius praevidetur finis, et exinde ea quae sunt ad finem, ita Deus post sui cognitionem praevidebat Incarnationem Christi tamquam fini propinquiorem inter omnia alia ad extra; anima igitur Christi prius omnibus praedestinabatur; deinde voluit numerum certum electorum, et praeordinavit ad gloriam et gratiam; circa alios autem habuisse videtur actum negativum non praedestinando; in quarto signo praevidit eos casuros in Adam; et denique praeordinavit passionem Filii sui in remedium culpae contractae per peccatum Adae. Prius igitur electi erant in praescientia et ordinatione divina, quam praevideretur et ordinaretur passio Christi in remedium pro peccatis. Sicuti Medicus prius vult sanitatem hominis, quam ordinet de medicina ad sanandum. Prius igitur electi erant praeordinati ad gloriam et gratiam finalem, quam fuerit passio Christi praevisa. Quia vero et iidem electi peccaverunt in Adamo culpam originalem trahentes ex illo, nequibant attingere finem, ad quem erant a Deo praeordinati; ideo ad tollendum originale peccatum, et caetera ex illo consequentia, fuit ordinata Christi passio, Personae nimirum longe acceptissimae, et oblata Trinitati ab ipso patiente, et acceptata pro iis, qui gloriam et gratiam erant consequuturi per ipsam. Pro

aliis vero qui non erant ad gloriam praedestinati non fuit efficaciter oblata, nec acceptata. Igitur Christus sua passione nobis meruit gratiam et gloriam, quia citra eius passionem et mortem, ex iusta Dei dispositione neutrum consequi potuissemus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 3. d. 19. n. 12.] si teneatur Christum meruisse secundum portionem inferiorem, tunc dicendum, praemium aliorum, quod receperunt intuitu meritorum ipsius, fuisse melius formaliter, quam aliquem actum meritorium portionis inferioris Christi, ac subinde potuisse tale meritum Christi ordinari ad praemium aliorum, sicuti ad finem sub fine. Quod si teneatur meruisse secundum portionem superiorem, ut dictum est *supra art.* 3. tunc *respondeo,* non oportere semper praemium excedere meritum, nisi quando id meretur pro seipso; at si nobilior mereatur pro ignobiliori, tunc meritum posse excedere praemium.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11. — d. 46. q. 2.] Apostolum intellexisse gratiam non habere causam meritoriam de condigno in illo, cui confertur; quia tunc deberetur propter merita ipsius, et non daretur gratis, atque ita non foret gratia, licet is qui gratiam a Deo accipit possit habere causam meritoriam de congruo, seu disponere se ad gratiam sanctificantem, etsi id efficere non valeat nisi per auxilium gratiae actualis sibi a Deo datae antecedenter ad omnem dispositionem; sed mentem Apostoli non fuisse negare causam meritoriam extrinsecam de condigno, idest, Christum per quem reconciliati sumus Deo per mortem ipsius, nec reconciliari potuissemus, nisi nobis gratiam meruisset.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] in universis operibus Dei non esse aliquod opus mere gratiae, nisi solam Incarnationem Filii Dei, quia ad illam solummodo nulla merita praecesserunt, nec praecedere potuerunt, ut dictum fuit *art. praec. iterum repetito.* Itaque quamvis gratia sine meritis condignis recipientium a Deo conferatur, ita ut gratis ipsis largiatur, et non ex operibus, quae fecerint; ea tamen est debita meritis Filii sui, qui per passionem et mortem suam gratiam nobis promeruit.

ITERUM ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS ALIIS MERERI POTUERIT.

Doctor, loc. cit. art. antec. — S. Thom. 3. *p. q.* 19. *a.* 4.

VIDETUR Christus aliis mereri non potuisse. Nam [*Oxon.* 3. d. 19. n. 1.] si mereri potuisset aut meruisset, maxime id esset verum de gratia et gloria: sed hoc, non quia non omnibus confertur gratia et gloria, quia *multi sunt vocati pauci vero electi,* Matthaei, 20. et 22. paucus enim est numerus fidelium, nec omnes fideles, vel baptizati salvantur; ergo non meruit nobis gratiam et gloriam.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 19. n. 9.] Si Christus electis meruisset primam gratiam; igitur eamdem meruisset primis Parentibus; igitur collatio gratiae in ipsis praecessisset meritum Christi; atque ita pariter posset dici, secundum Magistrum, Angelis primum collatum fuisse praemium, et deinde illud meruisse per opera impendenda in custodiam nostram.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 19. n. 9.] Si passio Christi praevisa fuit meritoria et ratio conferendi gratiam Patribus antequam exhiberetur, eadem ratione potuisset esse ratio praedestinandi omnes electos, et per consequens praedestinatio electorum haberet causam meritoriam, cuius oppositum frequenter dictum fuit.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 19. n. 1.] Leo Papa, in serm. *De Nativit. Sicut a reatu nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.*

RESPONDEO, *dicendum primo,* [*Report.* 3. d. 19. n. 10. — 4. d. 1. q. 7. n. 2. — d. 2. q. 1. per tot.] Christum meruisse nobis primam gratiam, qua illi coniungimur, ac subinde deletionem culpae originalis. Haec enim gratia in novo Testamento confertur in Baptismate, et in Lege veteri dabatur in Circumcisione, et in lege naturae per quorumdam sacrificiorum exhibitionem, a Deo utique institutorum; igitur gratia haec debet a capite in membra derivari; vel verius, in homines ut fierent membra ipsius capitis, de quo gratia omnis profluit; igitur a Christo, qui est caput omnium hominum et Angelorum, ex dictis *q.* 8. *art.* 3. *et* 4.

Dicendum secundo, [*Oxon.* 3. d. 19. n. 5. 8.] non solum meruisse, ut non coniuncti illi unirentur per gratiam primam, sed praeterea meritum esse, ut iam coniuncti Deo ulterius cooperarentur ei ad opera meritoria, et sic tandem glorificarentur; et meruisse gratiam poenitentialem post lapsum in mortale, respectu cuius est totalis causa de condigno, etsi requiratur dispositio de congruo in ipsam recipiente. Nam si meruit ut non coniuncti sibi unirentur, et meruit collationem gratiae primae respectu cuius non requiritur aliqua dispositio in recipiente nisi sit adultus; multo magis promeruisse putandum est gratiae augmentum vel gratiam poenitentialem post lapsum, cui recipiendae oportet et nos cooperari de congruo.

Dicendum tertio, [*Oxon.* ib.] Christum meruisse nobis veluti causam totalem aperitionem ianuae Paradisi, ut omnibus in gratia decedentibus aperiretur; nec quoad amotionem huius obstaculi cooperamur ei, sive illud obstaculum fuerit originale peccatum, sive aliquid aliud. *Quod patet:* quia ante mortem Christi non fuit Paradisi ianua aperta, sed post passionem consummatam, quamvis ante Christum fuerint Sancti plurimi, et magnorum meritorum. Nemo igitur cooperatus est Christo ad aperitionem ianuae Paradisi. Sed de hoc iterum redibit sermo *q.* 49. *art.* 5.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 3. d. 19. n. 7 et 14.] respondeo, etsi Christi meritum ratione Personae infinitae, cuius erat, de congruo potuisset acceptari a Deo pro omnibus hominibus, imo pro infinitis si infiniti futuri fuissent, de facto nihilominus non esse acceptatum, nisi pro illis, pro quibus fuit efficaciter a Christo oblatum, scilicet pro electis; pro illis autem tantum offerre voluisse, quia pro illis solis sciebat acceptatum iri a Deo.

AD SECUNDUM, [*Oxon.* 3. d. 19. n. 10.] concedo, Christum meruisse gratiam primis Parentibus, ac eius collationem praecessisse meritum ipsius exhibitum; sed meritum praevisum fuisse ante gratiae collationem. Ut enim sic praevisum acceptum fuit, ita subinde causa extitit, ut aliquid boni conferretur electis, quo remitteretur eorum peccatum originale, et daretur gratia, licet non pateret ingressus in Paradisum, nisi post mortem exhibitam. — *Et cum dicitur:* [*Oxon.* 3. d. 18. n. 11.] igitur in Angelis praemium potuit prius collatum fuisse, quam meruerint. Nego *consequentiam.* Nam in universum est verum, summum bonum ad quod ordi-

natur meritum, non conferri ante meritum exhibitum et expletum; summum autem bonum, ad quod ordinabatur meritum Christi, est ingressus electorum in Paradisum, qui non dabatur ante passionem exhibitam; licet pro ipsa praevisa remitteretur offensa, et daretur gratia credentibus in passionem exhibendam. Summum autem quod Angeli mereri possunt per merita sua est gloria, et introitus actualis in Regnum, quae gloria dari non debuit ante merita exhibita.

AD TERTIUM [*Oxon.* 3. d. 19. n. 11.] nego *consequentiam,* quia, ut dictum est supra, *art.* 4. *primum in solutione,* omnes electi prius natura erant praedestinati, quam Christi passio praevisa; atque ita prius fuit volita illis gloria, et gratia, quam ordinata medicina contra lapsum; ideo etsi passio praevisa potuerit fuisse ratio remittendi offensam, et conferendi gratiam, non tamen potuit extitisse ratio praedestinationis.

QUAESTIO VIGESIMA.

DE CONVENIENTIBUS CHRISTO SECUNDUM QUOD PATRI FUIT SUBIECTUS, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his, quae conveniunt Christo per comparationem ad Patrem; quorum quaedam dicuntur de ipso secundum habitudinem ipsius ad Patrem, puta quod est ei subiectus, quod ipsum oravit, quod ei in Sacerdotio ministravit; quaedam vero dicuntur, vel dici possunt secundum habitudinem Patris ad ipsum, puta, si Pater eum adoptasset, et quod eum praedestinavit.

Primo igitur considerandum est de subiectione Christi ad Patrem; *secundo,* de eius oratione; *tertio,* de ipsius Sacerdotio; *quarto,* de adoptione, an ei conveniat; *quinto,* de eius praedestinatione.

Circa primum quaeruntur duo.

1. Utrum Christus sit subiectus Patri. - 2. Utrum sit subiectus sibi ipsi.

ARTICULUS I.

UTRUM DICENDUM SIT CHRISTUM ESSE SUBIECTUM PATRI.

Doctor, Oxon. 1. *d.* 16. — *Quodlib. q.* 6. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 20. *art.* 1.

VIDETUR dici non posse Christum esse subiectum Patri. Etenim Deo Patri proprie dicuntur et sunt subiectae creaturae suae, quae primam essentiam pro modo uniuscuiusque participantes, ita subiectantur primo Enti, et Principi universitatis, ut in ipso sint, vivant et moveantur: sed Christus nequaquam dici potest creatura, ex dictis supra *q.* 16. *art.* 8. est enim [*Oxon.* 3. d. 11. q. 3. n. 1.] Creator, et sine principio, secundum Damascen., *lib.* 3. *cap.* 4.; ergo non est Patri subiectus.

2. PRAETEREA. Si recte Christus diceretur Patri subiectus, id profecto eveniret secundum naturam humanam: sed per naturam humanam non dicit subiectionem ad Patrem; igitur non est illi subiectus. *Probatio mi-*

noris: si foret Deo Patri subiectus secundum humanitatem, profecto humana Christi natura esset serva; etenim esse subiectum et servum videntur idem importare: sed nequiit dici Christus servus Patris, iuxta Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 21. uti diximus, *q.* 15. *art.* 3. ergo Christus non est subiectus Patri.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 5.] Ioann., 14. *Pater,* inquit Filius, *maior me est:* non est autem minor Patre secundum Divinitatem, in qua est illi per omnia aequalis; igitur est Patre inferior per humanitatem: inferior autem est maiori subiectus; igitur Christus est subiectus Patri.

RESPONDEO dicendum, [*Quodlib.*q. 6. n. 30.] vere et recte dici Christum esse subiectum Patri. Quamvis enim per aeternam generationem ipse per omnia sit Patri aequalis dicente Augustino, 15. *De Trinit.,* cap. 14.: *Pater genuit Filium per omnia sibi aequalem; non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aut minus, aut amplius esset in Verbo, quam in se ipso;* ac proinde ut est illi aequalis nequaquam fit ei subiectus; quia tamen [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] in tempore univit sibi hypostatice humanam naturam, adeo ut quae dicuntur de ista natura, vere dicantur de divino supposito sustentificante ipsam, ratione eius naturae assumptae recte potest dici Filius minor Patre. Unde [*Oxon.* ib. n. 1.] dicit Augustinus, 4. *De Trinit.,* cap. 9.: *Fateamur Filium minorem factum, et in tantum minorem, in quantum factum, et in tantum factum in quantum missum.* Quod ipse Dominus testatus est, dicens: *Pater maior me est,* Ioann., 14. Absolute igitur concedendum est Christum esse Patre minorem, et per consequens si est minor Patre, est subiectus Patri. — *Rursus, cap.* 19. *art.* 4. etsi Deus independenter a quocumque alio absolute et simpliciter voluerit Incarnationem; post praevisum tamen lapsum Adae et Electorum in ipso, ordinavit passionem Filii sui in remedium contra peccatum; igitur [*Oxon.* d. 13. n. 29. — ib. d. 34.] voluit Filium suum subire eam passionem, quam ipse libenter acceptavit, sibique in ea complacuit, obtulitque Deo in remedium et satisfactionem peccatorum; fuit igitur obediens Patri in acceptanda passione; igitur fuit Patri subiectus, sicut subiectus dicitur et est ille, qui obedit alienis mandatis; obedientia enim est subiectio iusta, et a *subiici* denominatur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, esto Christus dici proprie nequeat creatura, quia significaretur suppositum esse creatum, cum tale praedicatum natum sit dici ex aequo et de natura et de supposito, nihilominus humanam eius naturam verissime esse genitam, factam, passam et mortuam, quae etiam praedicata per unionem hypostaticam dicuntur de supposito Verbi. Quemadmodum igitur Christus factus est in tempore, et natus de Virgine secundum humanam naturam, ita secundum eamdem praecise est Patri subiectus, perinde ac aliae creaturae, quia et ipsa primo essentiam in tempore participavit, ac propterea est intrinsece finita et limitata.

AD SECUNDUM respondeo, Damascenum ideo negare Christum esse servum, quia nomina servitutis et dominii non dicuntur proprie de natura, sed de hypostasi, sicuti nomina paternitatis et filiationis. Unde ait Apostolus, Galat., 4. *Iam non est servus, sed filius.* Ex quo Damascenus concludit: *Qui vero dicunt ipsum servum, dirimunt unum Christum in duo, quemadmodum Nestorius;* nempe quia significant esse in Christo duo supposita. Nihilominus nihil prohibet eam denominationem compe-

tere hypostasi Verbi, non absolute, sed secundum humanam naturam, per quam dicitur Deus natus de Virgine, passus, et mortuus. Quemadmodum ergo Christus per formam Dei est Dominus universorum, ita per formam servi est subiectus Patri, cuius mandatis obtemperavit.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS SIT SUBIECTUS SIBI IPSI.

Doctor, loc. infr. cit. art. antec. — S. Thom. 3. *p q.* 20. *a.* 2.

VIDETUR Christus esse non posse sibi ipsi subiectus. Nam [*Oxon.* 4. d. 12. q. 3. n. 32. seqq.] relationes suppositionis et superpositionis, ut subditi et superioris, servi et Domini per se dicuntur, et ipsis conveniunt suppositis; horum enim sunt actiones, super quibus fundantur relationes secundi modi, ad quem modum spectant praedictae relationes; ergo [*Oxon.* 1. d. 19. q. 2. n. 9.] si recte diceretur Christus secundum naturam humanam sibi ipsi subiectus, significaretur humanam naturam propria pollere suppositalitate, per quam Verbi subiiceretur supposito.

2. PRAETEREA. Si Christus sibi ipsi vere et recte diceretur subiectus, vere idem oppositas relationes fundaret, secundum quas esset maior et minor seipso: id autem videtur implicare contradictionem; ergo quamvis Christus recte diceretur Patri subiectus secundum humanitatem, non tamen potest esse subiectus sibi ipsi.

3. PRAETEREA. Damascen., *lib.* 3. *cap.* 21.: *Unus enim,* ait, *existens Christus, non potest servus sui ipsius esse et dominus:* sed si foret sibi ipsi subiectus, existeret quoque servus sui ipsius, et dominus; si enim quia est subiectus Patri est servus Patris, pariter et sui ipsius esset servus, si sibi ipsi subiiceretur.

CONTRA. *Pater maior me est,* Veritas Christus testatur, Ioann., 14. quae Verba Augustinus, 1. *De Trinit.,* cap. 7. scribit: *Veritas autem ostendit secundum istum modum, etiam seipso minorem filium. Quomodo enim non etiam seipso minor factus est, qui seipsum exinanivit formam servi accipiens? Neque enim sic accepit formam servi, ut amitteret formam Dei, in qua erat aequalis Patri.*

RESPONDEO dicendum, Christum secundum humanitatem esse subiectum sibi ipsi. Etenim Christus secundum Deitatem est perfectissime aequalis Patri; nam [*Quodlib.* q. 6. n. 30.] communicatio qua Pater Essentiam dedit Filio est perfectissima, ac subinde termini perfectissimi, adeo ut quod Pater dedit Filio, verissime sit maius omnibus, quia dedit eamdem Essentiam infinitam, qua ipse est Deus Pater. Cum igitur [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] Christus sit minor Patre ipsique subiectus secundum humanam naturam, atque ipse constet eadem forma per quam est Patri subiectus, eique non similis, necessario per eamdem formam hominis est sibi ipsi subiectus, secundum quod est per omnia per formam Dei Patri aequalis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 19. q. 1.] si revera necessarium est ad hoc, ut quidpiam dicatur alteri subiici, esse suppositum distinctum ab illo, nequire Christum sibi ipsi subiici, quia natura humana, per quam diceretur esse sibi ipsi subiectus, propria carens sup-

positalitate, subsistit Verbi subsistentia; sed non videtur id esse necessarium, quia verissime Christus secundum humanitatem est minor Patre, eique proinde subiectus, et per formam Dei est illi aequalis; adeoque ut homo est, seipso invenitur minor, quatenus est Deus; pariter igitur est sibi ipsi subiectus. — *Et cum dicitur* in argumento: relationes secundi modi fundantur super actionem, et passionem, quae sunt suppositorum; *respondeo*, hoc esse falsum, quia relationes secundi modi potius fundantur super potentiam activam, et passivam: siquidem eiusmodi relationes non insunt quando actio et passio exeruntur, sed quando non sunt.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 7.] contradictionem nullam esse idem fundare relationes oppositas secundum diversa fundamenta, ut nempe secundum unum sit maius, et secundum aliud sit minus, seu respectu sui, seu respectu alterius. Cum igitur Christus non asseratur sibi subiectus nisi secundum humanitatem, quod est fundamentum aliud, et distinctum ab eo secundum quod est maius, nullum est inconveniens.

AD TERTIUM patet responsio ex dictis *art. antec.* non enim alio sensu negat Damascenus Christum esse sibi ipsi subiectum, nisi quatenus secundum quod est homo non habet suppositalitatem propriam, distinctam a suppositalitate Verbi.

QUAESTIO VIGESIMAPRIMA.

DE ORATIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de oratione Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Christo conveniat orare. - 2. Utrum conveniat sibi secundum suam sensualitatem. - 3. Utrum conveniat sibi orare pro seipso, an tantum pro aliis. - 4. Utrum omnis eius oratio sit exaudita.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTO COMPETAT ORARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 45. — *Report.* ib. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 21. *art.* 1.

VIDETUR Christo non competere orare. Etenim ei competit orare, qui non valens propria virtute aliquid perficere, ab illo qui potest precibus exorare contendit: sed Christus potuit, et potest omnia facere; igitur ipsi non competit orare. *Probatio minoris:* [*Oxon.* 4. d. 43. q. 1. n. 2.] Matthaei ult. scribitur dixisse Salvatorem: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra;* igitur omnia facere per seipsum potuit, ac proinde sibi orare non competebat.

2. PRAETEREA. Si Christo competeret orare pro aliis, certe orabit pro aeterna eorum salute; igitur [*Oxon.* 4. d. 45. q. 4. n. 5.] aut videt, et scit Deum velle tales salvari, aut non. Si primum; igitur frustra interponeret suam orationem pro eo, quod est Deus facturus sine ipsa. Si

vero scit Deum nolle salvare; igitur vellet, et oraret pro aliquo, quod Deus nollet.

CONTRA. Joann., Epist. 1. cap. 2.: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum;* igitur Christo competit orare, ac reipsa orat pro remissione peccatorum, exhibendo passionis suae merita Patri.

RESPONDEO dicendum, Christo competere orare: nam [*Oxon.* 4. d. 45. q. 4. n. 5.] *oratio est desiderium oblatum Deo ea intentione, ut ab ipso obtineatur id quod desideratur.* In Christo autem ultra voluntatem divinam est quoque voluntas humana, ut extitit declaratum *q.* 18. *art.* 1. quae non erat omnipotens, ut patuit *q.* 13. *art.* 1. non potuit igitur facere omnia, quae volebat; poterat itaque desiderare fieri aliquid a Deo, et consequenter offerre atque exhibere illi sua desideria ea mente, ut ipse faceret ad quae propria virtus non sese extendebat; potuit igitur orare [*Report.* d. 17. q. 2. n. 7.] ut de facto oravisse legitur in Evangelio. Neque sic orare fuit aliquid repugnans eius beatitudini, non solum quia ipse in via non erat beatus secundum corpus et portionem inferiorem, iuxta quam erat nobiscum viator et passibilis; verum etiam quia recte potest aliquis suam perfectionem adeptus velle per sua merita, ut alius statum etiam perfectum adipiscatur, mediante oratione vel intercessione ipsius, qui beatitudine potitur. Sicut posset aliquis summum gradum tenens in curia Regis velle orare pro aliis, ut ipsi in eadem curia dignitatem obtineant, et hoc supposita liberalitate Regis acceptantis merita ipsius tenentis summum gradum pro aliis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 7. seqq.] Christum, quatenus Deus est, habuisse et habere potestatem faciendi omnia cum sit simpliciter omnipotens, secundum quam rationem sibi non competebat orare, sed exaudire aliorum orationes; at quatenus homo est, non habuisse voluntatem omnipotentem, quia est intrinsece finita; nequiit igitur de se et ex sua virtute perficere ea omnia, quae fieri voluisset, sed sibi erant impetranda a Deo.

AD SECUNDUM dico, non esse frustraneam Christi orationem: quia [*Oxon.* 4. d. 45. q. 4. n. 6] sicut scit Deum velle exaudire et salvare electos, ita pariter scit velle id Deum per determinata media, et potissimum per merita ipsius Christi, Deo efficaciter pro electis oblata, et efficaciter acceptata: eius igitur oratio [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] consequitur finem pro quo funditur, et est necessaria, ut medium ad finem. Si autem scit Deum nolle salvare, nec ipse Christus orat pro salute reproborum, nec pro ipsis suam passionem efficaciter offert, nec efficaciter a Deo acceptatur: at si pro iis orat, nec eius oratio frustra est, quia assequitur finem, gratia cuius fuit Deo oratio oblata.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT ORARE SECUNDUM SUAM SENSUALITATEM.

Doctor, loc. sup. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 21. *a.* 2.

RESPONDEO dicendum, licet in Christo fuerit voluntas sensualitatis sicuti in caeteris hominibus, quae appellatur voluntas rationalis per par-

ticipationem, sicuti dictum fuit q. 18. art. 2. ipsi nihilominus non posse competere orare secundum hanc voluntatem sensualitatis, sic ut oratio fuerit actus eius. Cum enim [*Oxon.* 4. d. 45. q. 4. n. 5.] oratio sit *desiderium oblatum Deo, ut ab ipso obtineatur quod optatur,* nanifestum est huiusmodi desiderium debere esse actum voluntatis rationalis, cui notum sit per intellectum posse Deum facere, quod ipsa fieri cupit et postulat; adeoque cum haec non possint esse nota voluntati sensualitatis per cognitionem sensitivam, ipsi non potest competere orare. — Quod si orare secundum sensualitatem intelligatur petere a Deo, id quod appetitus sensitivus naturaliter desiderat, scilicet habere commoda, et fugere disconvenientia, hoc pacto negandum non est Christo competere orare secundum sensualitatem; imo [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 7.] de facto ita oravisse constat ex illo Matthaei, 26. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste;* hoc enim expressit secundum sensualitatem, quae invita trahebatur ad mortem, quam tamen libenter subivit, secundum voluntatem, qua oravit, cum subdidit: *sed non sicut ego volo, sed sicut tu.*

ARTICULUS III.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM PRO SE ORARE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 18. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 21. *a.* 3.

RESPONDEO, conveniens fuisse Christum pro se orare, et de facto pro se ad Patrem orationem, et praeces fudisse constat ex Ioann., 17. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum.* Qua oratione petiit a Patre, [*Oxon.* 3. d. 18. n. 15. — *Report.* ib. n. 16.] quatenus dignaretur dare sibi quod non habebat, nimirum gloriam corporis sui, ex qua impassibilis penitus esset, atque immortalis; etsi enim hoc ipse debebat acquirere propriis meritis, ut dictum est *q.* 19. *art.* 3. Pater tamen erat eam gloriam daturus, et ideo convenienter ipsum rogat, dicens: *Pater, clarifica filium tuum,* in hoc quoque informans, et docens electos suos oportere ipsos precibus et orationibus petere a Deo ea quoque, quae est daturus, quandoquidem [*Oxon.* 4. d. 45. q. 4. n. 6.] media quaedam sunt, quibus Deus statuit dare illa, quibus indigemus.

ARTICULUS IV.

UTRUM ORATIO CHRISTI SEMPER FUERIT EXAUDITA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 17. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 21. *a.* 4.

VIDETUR Christi oratio non semper fuisse exaudita. Nam [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 5.] Matthaei, 26. legitur, Christum oravisse in hunc modum: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Petebat igitur impediri et amoveri a se passionem mox futuram: constat autem passionem minime impeditam esse, sed magis sustinuisse, et mortem ipsam oppetiisse: igitur Christus in suis orationibus non semper fuit exauditus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 5. q. 1. n. 3.] Ioann., 17. Salvator oravit Patrem pro omnibus, qui crediturí erant in ipsum per verba et prae-

dicationem Apostolorum, ut omnes unum essent: sed non omnes qui credunt in Christo sunt unum cum ipso per charitatem; ergo haec Christi oratio non fuit exaudita.

3. PRAETEREA. Si praefata oratio Salvatoris suum habuisset effectum, ut scilicet qui fidem habent in ipsum forent unum per charitatem, profecto omnes credentes in illum salute aeterna potirentur: hoc autem est plane falsum, quia constat quamplures ex fidelibus damnari; ergo non semper Christi oratio fuit a Deo exaudita. *Probatur minor:* nam [*Oxon.* 1. d. 5. q. 1. n. 3.] Christi oratio ita concepta est, *ut sint unum sicut et nos:* ipse autem cum Patre est unum unitate perpetua et indefectibili; ergo pariter fideles semel charitatem adepti debuissent esse unum indefectibiliter, et ita subinde salvari.

CONTRA. *Ex q.* 18. *art.* 5. Voluntas humana Christi Domini quoad actum elicitum absolutum utriusque portionis fuit omnino conformis divinae voluntati in volito: si autem aliquid aliquando petiisset, quod non obtinuisset a Deo, quidpiam ipsa voluisset, quod Deus noluisset; igitur divinae voluntati non semper conformis fuisset in volito, quod est falsum.

RESPONDEO igitur, [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 7.] nihil unquam Christum orando petiisse a Patre, quod simpliciter, et absolute factum non sit; adeoque semper exauditum fuisse. Nam Ioann., 17. oravit pro glorificatione sui corporis, et pro Discipulis, et exauditus fuit. Item Ioann., 11. rogavit pro Lazaro, et pariter fuit exauditus; semper igitur fuit impletum et factum quod ipse fieri postulavit. Rogavit denique [*Quodl.* q. 20. n. 24.] ne deficeret fides Petri, idest fides Pontificum Romanorum, ut ipse testatur Lucae, 22. et exauditum fuisse constat ex decursu multorum saeculorum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, Christi orationem, qua oravit in Horto imminenti passione, [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 7.] fuisse hanc, *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Primum* igitur rogavit volitione conditionata, et postea volitione absoluta, significans et docens nos debere petere commodum volitione conditionata, at volitione absoluta debere rogare ut adimpleatur divinum beneplacitum. *Secundo* oravit dicens: *Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Quod petiit itaque primo sub conditione non recitavit, sed absolute oravit fieri Dei voluntatem, quae de facto adimpleta est, et subinde etiam eius oratio fuit exaudita, ut etiam nobis documento esset, ac disceremus non esse solicitandum Deum importunis precibus, ut concedat quod volumus conditionata volitione, sed potius quod debemus velle volitione absoluta. *Tertio* tandem Dominus oravit eumdem sermonem dicens, eum scilicet, quem secundo loquutus fuerat; fuit itaque eius oratio in universum exaudita in iis, quae absolute petiit.

AD SECUNDUM dico, [3. d. 25. q. 1. n. 9.] omnes credentes et credituros in Christum per Evangelii praedicationem esse unum cum Christo per fidem, aut etiam per charitatem, in qua ipsius oratio fuit exaudita plenissime, quia quotquot in Mediatorem credunt sunt per fidem membra eius dum sunt in via, et licet [3. d. 19. n. 6.] non omnes habeant charitatem, pro quibus tamen Christus efficaciter oravit obtulitque passionem suam, habent finaliter gratiam et charitatem per quam adipiscuntur gloriam sempiternam.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 1. d. 5. q. 1. n. 3.] Salvatorem in oratione sua rogavisse Patrem pro fidelibus, ut essent unum unitate ipsis proportionabili et competenti, sicut Divinae Personae sunt unum unitate Essentiae ipsis naturali. Hoc est, quemadmodum Pater et Filius sunt unum unitate charitatis, quae est natura eorum, ita fideles sint unum charitate participata. Haec autem charitas participata non reddit voluntatem viatorum inobliquabilem communiter post Adae peccatum, et ideo non omnes illam servant usque ad finem, ac propterea a salutis aeternae consequutione excidunt, nisi amissam, per poenitentiae Sacramentum recuperare satagant.

QUAESTIO VIGESIMASECUNDA.

DE SACERDOTIO CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Sacerdotio Christi.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum conveniat Christo esse Sacerdotem. - 2. De hostia huius Sacerdotii. - 3. De effectu huius Sacerdotii. - 4. Utrum effectus Sacerdotii eius pertineat ad ipsum, vel solum ad alios. - 5. De aeternitate Sacerdotii eius. - 6. Utrum debeat dici Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT ESSE SACERDOTEM.

Doctor, locis infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 22. *art.* 1.

VIDETUR haud convenire Christo esse Sacerdotem. Nam si Christus Sacerdotium gessisset, id profecto praefiguratum praesertim fuisset in Sacerdotio Mosaicae Legis; cuncta enim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19. — 3. d. 7. q. 3. n. 1.] quae in ea disponebantur erant praefigurativa mysteriorum Christi: sed Christus non prodiit secundum carnem de Levi, in quo erat legale Sacerdotium, sed de Tribu Iuda ac stirpe Davidis Regis; ergo Christi Sacerdotium non fuit praefiguratum in veteri lege, ac consequenter sibi non convenit esse Sacerdotem.

2. PRAETEREA. Is qui Sacerdotis officio fungitur medium locum tenet inter Deum, cuius est sacerdos, et eos propter quos sacrificat, et preces fundit ad Deum; igitur si Christo competeret Sacerdotis munus, medius foret virtute Sacerdotii inter Deum et caeteras creaturas intellectuales et rationales: sed Christus non est medius inter Deum et Angelos quoad munus sacerdotale; nam [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 1.] in caelesti Hierarchia, secundum Dionysium, illuminationes fiunt ordinate: prius igitur illuminantur Angeli, quam Christi anima, quae est illis imperfectior; non fungitur igitur sacerdotio respectu Angelorum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 1. n. 2.] In veteri lege alius fuit legislator, alius sacerdos: sed Christus extitit legislator et conditor novi et

aeterni Testamenti, quia ei non est alia lex successura; ergo non sibi, sed aliis conveniebat esse Sacerdotem.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 3. q. 2.] Abraham dans Melchisedecho decimas de omnibus, dedit et pro Levi, qui erat in lumbis eius, non autem pro Christo, qui etsi secundum corpulentam substantiam fuerit in illo, non tamen erat descensurus de Abrahamo per communem propagationem; igitur Sacerdotium Leviticum erat perficiendum et consummandum per illud sacerdotium, cui decimas ipse Abraham persolvebat; sed Melchisedechi Sacerdotium typus fuit Sacerdotii Christi, ut declarat Apostolus, *ad Hebraeos,* 7. igitur maxime conveniebat Christo esse Sacerdotem, per cuius sublime ministerium perficeretur Sacerdotium Leviticum.

RESPONDEO dicendum, convenire Christo esse Sacerdotem. Etenim [*Oxon.* 4. d. 33. q. 2. n. 4. — *Quodlib.* q. 2. n. 27.] in Ecclesia militanti Sacerdos est Christi vicarius, habens vi ordinationis suae, esse nuntium sponsae ad sponsum, eique sponsae petitiones ac oblationes offerre; igitur tamquam per mediatorem reducuntur peccatores ad Deum, inter quos perinde ac inter partes est arbiter et iudex a Deo constitutus, ut sit confector et minister veracium Sacramentorum. Pariter igitur in Ecclesia caelesti et triumphanti reducuntur inferiores, et coniunguntur cum supremo per Hierarcham medium, qui est Christus summus Sacerdos aeterno fungens sacerdotio. — Iste enim summus Sacerdos est Ecclesiae (quae est corpus mysticum eius) caput, ad quod ordinantur, et cui uniuntur omnia membra per fidem et charitatem. Sicut ordinatur exercitus ad Ducem, cuius ipse est Princeps: sicut igitur Christus est unitus immediate Deo, ita et membra eius uniuntur per ipsum; fungitur ergo sacerdotis officio respectu totius communitatis fidelium, quae ad ipsum, ut ad caput ordinatur ac pro qua etiam orat.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, Christum nasci non debuisse de Tribu Levi ob dicta in argumento ad oppositum; sed potius ex Tribu regia Davidis, et Iudae, quia erat regnaturus in Domo Iacob in aeternum, et gesturus Sacerdotium, cuius figura fuit Melchisedechus Rex, et sacerdos Dei excelsi: quamvis autem de Levitica Tribu Christus non descenderit, non est autem negandum secundum aliam rationem, sacerdotium Aaronis fuisse figuram Sacerdotii Christi.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 20.] ordinem secundum quem fiunt illuminationes non attendi secundum perfectionem naturarum, sed gratiarum; et ideo etsi revera Christi anima sit Angelis imperfectior; nihilominus, quia habuit plenitudinem gratiae et donorum, ab ipsa illuminantur Angeli, quippe quibus gratiae sint datae intuitu Christi, qui est hominum et Angelorum caput, ut dictum fuit *q.* 8. *art.* 3. et 4. quare et ipsi Angeli ministrabant Christo, ut legitur in Evangelio Matthaei, c. 4.

AD TERTIUM respondeo ex dictis *ad primum:* quia enim Sacerdotium legale et Leviticum erat perficiendum per sacerdotium Christi, ad quod ordinabatur tamquam figura ad veritatem, alius extitit legislator, et alius Sacerdos, quia hoc congruebat imperfecto statui ipsius; at quoniam Christus est Ecclesiae caput in quo sunt omnia dona Spiritus Sancti et plenitudo gratiae et veritatis, non decebat alium ab ipso ferre Evangelicam legem, esseque novissimi et perfectissimi Testamenti summum Sacerdotem.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS FUERIT SIMUL SACERDOS ET HOSTIA.

Doctor, locis infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 22. *art.* 2.

VIDETUR Christus simul Sacerdos et hostia esse non potuisse. Etenim Sacerdotis est hostiam mactare et offerre ei cui sacrificatur: sed [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10. — d. 16. q. 2. n. 2.] Christus seipsum non occidit, imo nec occidere potuit; in eo enim facto peccavisset; ergo cum ab aliis occisus fuerit, non extitit simul Sacerdos et hostia.

2. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 20. n. 21.] Trinitati nequiit fuisse accepta oblatio hominis innocentis, et sine causa iniuste occisi; ergo Christus non extitit Sacerdos et hostia. *Probatur assumptum* ex illo *Ecclesiast.*, 34.: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris;* igitur Patri non potuit esse accepta mactatio Filii, neque Filius extitit Sacerdos et hostia.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 4.] In omni sacrificio seu legis naturae, seu legis Mosaicae, nemo illorum sacerdotum sacrificantium fuit simul et hostia oblata, ut patet de sacrificio Abelis, Noëmi, Abrahami, ut habetur *Gen.*, 4. 8. *et* 15. et in Levitico passim: sed illa sacrificia praefigurabant Christi sacrificium Patri offerendum pro salute mundi; ergo alius debuit fuisse sacerdos et alia hostia.

CONTRA. [*Quodlib.* q. 20. n. 22.] *Ad Hebraeos* 9. *Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Et infra: *Neque ut saepe offerat semetipsum.* Et rursus: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;* nimirum a seipso offerente; est igitur simul Sacerdos et hostia.

RESPONDEO dicendum, Christum semel in ara Crucis oblatum, extitisse simul Sacerdotem et hostiam; non quod semetipsum effective immolaverit, neque tale mandatum accepit a Patre; sed [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 15. — d. 19. n. 6.] cum ait *Ioann.*, 10. iussum se a Patre fuisse, ut animam poneret, mandatum sibi fuit voluntarie acceptare, patienterque subire passionem et mortem sibi inferendam opere Iudaeorum. Quoniam vero Deus decreverat se non remissurum offensam generi humano ob quam factum fuerat Deo inimicum, nisi per obsequium personae sibi magis acceptae, quam illata displicuisset iniuria, Christus obtulit Patri passionem et mortem suam pro nobis, tamquam oblationem et sacrificium expiativum peccatorum, et reconciliativum. Etenim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7. — 3. d. 19. n. 6.] humanum genus de se habere non poterat aliquid Deo offerendum, per quod illi reconciliaretur, quia totum, idest in omnibus hominibus propagata erat culpa, per quam effecti fuerant Deo inimici: solus igitur Christus, qui obnoxius peccato esse nequiit, poterat exhibere atque offerre Deo sacrificium magis gratum et acceptum, quam fuerit displicens sibi culpa et offensa: obtulit ergo seipsum, passionem et mortem suam Trinitati, per quam satisfactum fuit iustitiae divinae, et promerita nobis dona supernaturalia, quibus electi observare legem divinam queunt, et aeternam adipisci beatitudinem. Verissime igitur Christus fuit Sacerdos

offerens sacrificium placativum et expiativum peccatorum, et simul hostia oblata a seipso offerente eam Patri.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 3. q 4. n. 19. — d. 11. q. 6. n. 4·5.] Sacerdotes legales mactasse et obtulisse hostias Deo, quia illae hostiae et oblationes erant umbrae et figurae sacrificii cruenti, quod Christus pro humano genere erat Patri oblaturus in Cruce; ideoque non oportuisse hoc sacrificium per omnia correspondere oblationibus hostiarum, quae fiebant per Sacerdotes legales, ut alius esset Sacerdos, alia victima et hostia; oblatio enim [*Quodlib.* 20. n. 22.] facta semel a Christo extitit perfectissima, et reconciliativa generis humani Trinitati; propterea igitur oportuit processisse a voluntate personae Deo longe charissimae et acceptissimae, quae alia esse nequiit, quam Persona Christi, qui subinde Sacerdos offerens extitit et hostia oblata.

AD SECUNDUM dico, [*Quodlib.* q. 20. n. 21. seqq.] nequivisse acceptam esse Deo oblationem hominis innocentis, ac iniustissime occisi, si ipsi interfectores eam obtulissent. Unde *concedo* Christi passionem et mortem non fuisse acceptandam a Patre, si oblata fuisset a Iudaeis interfectoribus, quia oblatio non est accepta ei, cui offertur, nisi sit sibi carus qui offert, iuxta illud *Gen.*, 4. *respexit Deus ad Abel, et munera eius,* prius ad Abel, et deinde ad munera; nihilominus quatenus oblatio passionis et mortis Christi procedebat a voluntate ipsius, fuit Deo longe acceptissima; erat enim Filii sui dilectissimi, qui proinde erat Sacerdos offerens, et hostia oblata.

AD TERTIUM respondeo, dictum iam fuisse quo sensu Christus extiterit Sacerdos et hostia; non enim ea ratione dicitur Sacerdos quasi ipse se sacrificaverit; nam ab aliis fuit occisus; sed quoniam mortem ab impiis hominibus sibi inflictam voluntarie acceptavit, obtulitque Trinitati pro satisfactione offensae ab hominibus illi illatae; adeoque vere extitit et Sacerdos offerens sacrificium placativum, et simul hostia oblata.

ARTICULUS III.

UTRUM EFFECTUS SACERDOTII CHRISTI SIT EXPIATIO PECCATORUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. *et* 20. — 4. *d.* 2. *q.* 1. — *Report. ib.* *S. Thom.* 3. *p. q.* 22. *a.* 3.

VIDETUR effectus Sacerdotii Christi non esse expiatio peccatorum. Nam [*Oxon.* 4. d. 14. q. 4. n. 6. seqq.] expiantur peccata cum delentur ab anima per remissionem: solus autem Deus peccata dimittere potest, et animam mundare a sordibus per gratiae infusionem; igitur effectus Sacerdotii Christi non fuit expiatio peccatorum; Christus enim extitit Sacerdos quatenus homo: secundum vero humanitatem non dimittit peccata, sicut nec gratiam creat.

2. PRAETEREA. Si Christus per suum Sacerdotium expiasset peccata, id sane fecisset efficacissime, ut caetera omnia quae praestitit: sed postquam Sacerdotium gessit, offerendo semetipsum oblationem Patri in Cruce peccata omnia non fuerunt expiata; imo in dies homines peccant, et frequenter gravissime; ergo eius Sacerdotii effectus non est expiatio peccatorum.

2. PRAETEREA. Quotidie in Ecclesia offertur sacrificium Deo in remissionem peccatorum; igitur peccata non fuerunt expiata per Sacerdotium Christi, quia tunc non oporteret alia sacrificia Deo offerre; cum autem reipsa offerantur, profecto non videntur peccata per Christi Sacerdotium expiata fuisse.

CONTRA. [*Quodl.* q.20. n.22.] Ad Hebraeos, 9.: *Sanguis Christi, qui seipsum obtulit Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis:* opera autem mortua sunt peccata, vel exhibita in statu peccati mortalis; igitur si expiamur ab eiusmodi operibus per Christi Sanguinem Deo oblatum, effectus oblationis et Sacerdotii Christi est expiatio peccatorum.

RESPONDEO dicendum, effectum Sacerdotii Christi esse expiationem peccatorum; passio enim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. et 9. — 3. d. 19. n. 6.] Christi ab aeterno a Deo praevisa sibi ab ipso offerenda, atque ab eo acceptata, causa extitit meritoria de condigno extrinseca omnium gratiarum et donorum, quae erat daturus Deus cunctis membris corporis Christi mystici, quod est Ecclesia. Per hoc igitur quod obtulit merita sua, quae per passionem erat lucraturus, Deo, collata est nobis gratia, qua expiamur a peccatis, tam originali, quam actualibus; et sustinendo in se acerbissimam mortem et passionem, satisfecit iustitiae divinae pro iis poenis, quae iuste nostris peccatis erant infligendae; ac proinde Sacerdotii Christi effectus est expiatio peccatorum. Et [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 10.] ipse quidem Dominus Christus ab instanti suae conceptionis habuit meritum suae passionis, pro quanto erat sibi praesens, et actu interiori ab ipso acceptata, in quo actu interiori consistebat principaliter ratio meriti eius; nam ipso actu facta est principalis oblatio grata Deo; cum igitur actus proprius Sacerdotis sit Deo offerre quod est sibi gratum et acceptum pro illis, quos habet ad ipsum Deum reducere, et per hanc oblationem Deus dederit nobis gratiam suam, veluti per causam extrinsecam de condigno, sane effectus Sacerdotii Christi fuit mundare populum suum a peccatis eorum. — In quo effectu Sacerdotii Christi, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 8.] per quod collata sunt tam ingentia, et tam necessaria remedia generi humano, mirabiliter elucent misericordia et veritas; maxime enim misericordiae opus est homini inimico tanta remedia concedere; sed etiam maximae iustitiae est ob obsequium adeo gratum personae longe dilectissimae tam potens remedium conferre illis, pro quibus talis persona obtulit huiusmodi obsequium. Iustum enim est acceptare obsequium personae dilectissimae pro illo, pro quo obsequium offertur. Maxima etiam misericordia fuit in ipsa persona offerente, seipsum obtulisse, ac perferre voluisse acerbissimam passionem et mortem pro inimicis Trinitatis, quam summe dilexit; sed simul etiam maximae iustitiae, et respectu Dei offensi, et respectu hominis lapsi. Nam persona offerens et summus hic Sacerdos haud visus fuisset maxime diligere Deum et proximum, nisi pro tam magno bono communi, sicuti est beatitudo hominis, ad quam fuerat praeordinatus, vellet seipsum offerre, et passionem et mortem subire, cum statutum a Deo fuerit non alia via hominem ad gloriam perventurum, nisi per mortem ipsius Sacerdotis summi offerentis seipsum in remedium peccatorum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4.d.2.q.1.n.6. seqq.] Christum passum extitisse causam meritoriam expiationis peccatorum; quia Deus nullum adiutorium spectans ad salutem aeternam contulit

aliquando homini viatori, nisi in virtute oblationis Christi factae in Cruce a persona dilectissima, et ex maxima charitate. Quamvis igitur gratiam non creet, nec peccata dimittat ut causa principalis, nisi quatenus Deus, verissime tamen iste summus Sacerdos, offerendo semetipsum in satisfactionem nostrorum peccatorum, promeruit ut emundaremur ab illis, quia intuitu passionis et oblationis eius confertur nobis gratia, qua peccata delentur, quibus deletis per gratiae infusionem, evadimus unum cum Deo; verissime igitur reducimur ad Deum per Christi Sacerdotium.

AD SECUNDUM concedo, effectum Sacerdotii Christi fuisse, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. seqq.] et hactenus esse, et fore ad finem usque mundi efficacissimum, quemadmodum sunt efficacia signa gratiae a Deo infundendae Sacramenta ab eodem instituta; omnia ergo peccata fuerunt per Christi Sacerdotium expiata, tamquam in causis certissimis et efficacissimis; per Sacramenta nimirum Legis Evangelicae, per Circumcisionem Legis Mosaicae, et per sacrificia legis naturae. Siquidem quibuscumque Deus aliquando contulit gratiam, per passionem Christi praevisam aut exhibitam id fecit, ac subinde per eius Sacerdotium, quo fuit eius passio Deo oblata in satisfactionem et remissionem peccatorum.

AD TERTIUM dico, [*Quodl.* q. 20. n. 22.] Sacrificium, quod quotidie in Ecclesia offertur, specialius valet in remissionem poenarum peccatorum, et ad impetrandam gratiam poenitentialem, quia est in eo specialis commemoratio oblationis, quam Christus obtulit in cruce, iuxta illud Lucae, 22. et 1. ad Corint., 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Celebratur enim Missa et repraesentando oblationem factam in Cruce a Christo, et obsecrando per ipsam, quatenus Deus per Christi passionem et mortem dignetur acceptare sacrificium Ecclesiae; igitur virtute illius oblationis Christi impetrat Ecclesia a Deo supernaturalia dona, et proinde ex Christi Sacerdotio est expiatio peccatorum mundi.

ARTICULUS IV.

UTRUM EFFECTUS SACERDOTII CHRISTI NON SOLUM AD ALIOS PERTINUERIT, SED ETIAM AD IPSUM.

Doctor, De rerum Principio, q. 10. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 22. *a.* 4.

VIDETUR effectus Sacerdotii Christi pertinere etiam ad ipsum. Nam ex dictis *q. antec. art.* 3. Christo convenit pro seipso orare, et de facto pro se oravisse scribitur in *Evangelio* Lucae; igitur si ad Sacerdotium eius pertinet pro aliis orare, cum et pro se oraverit, sui Sacerdotii effectus pertinuit ad seipsum.

2. PRAETEREA. Christus, iuxta dicta *q.* 19. *art.* 3. non solum aliis, sed etiam sibi meruit gloriam et impassibilitatem corporis; igitur cum effectus Sacerdotii eius sit efficere, ut per merita ipsius alii reducantur ad Deum, eique uniantur, hoc etiam ad ipsum aliquo modo pertinet.

CONTRA. Christus fuit expers omnis peccati, et adeo unitus Deo, ut sit Deus; igitur nullus effectus sui Sacerdotii ad ipsum spectare potest, cum nec opus habeat expiari a peccatis, nec reduci ad Deum.

RESPONDEO dicendum, effectus Sacerdotii Christi ad alios quidem pertinuisse respectu quorum Sacerdotio fungebatur, non vero ad seipsum.

Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4.] (sicut dictum est *art.* 1.) in Ecclesia caelesti inferiores reducuntur ad superiorem per Hierarcham medium, qui est Christus Dominus summus Sacerdos. Ipse autem [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2.] habet summam gratiam, qualis scilicet decet Filium Dei, et qua maior esse non potest. Summum porro in gratia influit secundum esse gratiae in inferiora omnia gratiam participantia, et ipsum summum non participat gratiam ab aliquo, sed habet plenitudinem gratiae liberalissime a Deo; igitur non pertinet ad ipsum aliquis effectus Sacerdotii sui, quo fungitur respectu eorum, qui de sua gratia participant, et eo mediante ad supremum reducuntur.

Ut autem melius hoc videatur, [*De rerum princip.*, q. 10. n. 23.] intelligendum, secundum Dionysium, cap. 7. *De Divin. Nomin.* qualiter *infima superiorum coniunguntur supremis infimorum.* Quod ligamentum in rebus imperfectioribus fit per plura, et per naturam magis universaliter sumptam. Sic mixtum et complexionatum ligantur cum vegetativo in omnibus herbis et arboribus; vegetativum cum sensitivo in paucioribus, quia tantum in genere animalium; et sensitivum cum intellectivo non in toto uno genere, sed in tota una specie humana. Suprema igitur infimorum non secundum totum ambitum suum ligantur cum infimis supremorum. Et ligamentum hoc mirabile assimilatur pyramidi habens latitudinem basis, et ascendendo tendit in conum, eiusque perfectio terminatur in puncto unionis Verbi Deo ad humanam naturam, et est minime latitudinis extensivae, quia fit in uno solo homine Christo, sed sublimissimae altitudinis, quia ille homo est Deus. *Patet igitur,* qualiter summus hic Hierarcha in ultimo consummatae perfectionis constitutus haud indigere potest, ut quomodo ad Deum reducatur, cum sit ei intime et personaliter unitus, nec alicuius bonitatis potest esse indigus, quippe a quo omne bonum in inferioribus repertum habet descendere; nullus ergo sui Sacerdotii effectus ad ipsum pertinuit.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum, cum (ex *q.* 21. *art.* 1.) oratio sit desiderium oblatum Deo, ut ab ipso obtineatur quod petitur, patet, non tantum Christo, vel Sacerdoti competere orare, sed cuivis indigenti, cuiusmodi est quilibet viator. Quamvis igitur Christus pro se oraverit, et obtinuerit quae poposcit; non propterea effectum Sacerdotii ipsius consequutus fuit. Is enim potissimum est reducere extrema ad supremum, et expiare a sordibus peccatores, quorum neutrum ipsi competere potest. Quod si inter effectus ipsius Sacerdotii velimus connumerare orationes et preces fundere, dici potest, quemadmodum pro se non rogavit, nisi ad impetrandam glorificationem sui corporis, quae non erat eius perfectio simpliciter (quarum nulla carebat), sed secundum quid, ita et hunc effectum secundum quid ad eum pertinuisse.

Ex his ad secundum; nam Christus in passione, et oblatione sui facta Deo non meruit, quod per hanc oblationem consequutus fuit, scilicet gratiam, qua expiarentur homines a peccatis, et reducerentur ad Deum, cum et peccatis ipse caruerit, et plenitudinem gratiae habuerit; sed dumtaxat pro se meruit id, quod erat quasi accidentale, et non proprius effectus oblationis, sed effectus per accidens, et secundum quid, quatenus per humiliationem Crucis promerebatur amoveri impedimentum, seu suspendi miraculum, per quod gloria animae non redundabat in corpus, et in inferiorem portionem.

ARTICULUS V.

UTRUM SACERDOTIUM CHRISTI PERMANEAT IN AETERNUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. — *Report. ib.* 4. *d.* 2. *q.* 1.
S. Thom. 3. *p. q.* 22. *a.* 5.

VIDETUR Christi Sacerdotium non permanere in aeternum. Nam ex dictis *art. antec.* in eo sita est ratio Sacerdotii Christi, ut per ipsum veluti per perfectissimum mediatorem reducerentur peccatores ad Deum, a quo elongati fuerant per peccatum: sed [*Oxon.* 1. d. 46. n. 3.] haec reductio non permanet in aeternum, quia tandem per Filium ad Patrem reducentur omnes electi, pro quibus eius passio fuit efficaciter oblata et acceptata, adeo ut non supersint alii reducendi, et adducendi; igitur tunc Christus defunctus erit Sacerdotio, ac consequenter non permanet tale Sacerdotium in aeternum.

2. PRAETEREA. Christus praesertim in sua passione et morte Sacerdotium gessit, ut frequenter tactum est in *antecedentibus;* tunc enim vere sacrificium Patri obtulit in remissionem peccatorum mundi, trahendo semetipsum in mortem: sed huiusmodi oblatio semel facta non est amplius facienda, ut inquit Apostolus 9. *Ad Hebraeos;* ergo nec exercitium muneris sacerdotalis, ac proinde dici non potest tale Sacerdotium permanere in aeternum.

CONTRA. Ad Hebraeos, 7. *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco, quod morte prohiberentur permanere: Christus autem eo, quod maneat in aeternum, sempiternum habet Sacerdotium.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. seqq.] Christum functum esse Sacerdotio, idest obtulisse se ipsum in ara Crucis Patri, ad hoc, ut electi reducerentur ad Patrem, et gloriam aeternam adipiscerentur per sua merita, ad quam erant praeordinati. Et quoniam ea oblatio utpote personae dilectissimae fuit gratissima Deo, placuit ei intuitu meritorum Filii sui dare talia adiutoria, et gratias ipsis electis, ut ad aeternam felicitatem pervenirent; igitur Christi Sacerdotium manet in aeternum, sicuti et ii, pro quibus Sacerdotio functus est, in aeternum sunt potituri felicitate per illud promerita. Et quoniam [*Quodl.* q. 20. n. 22.] Christus non est se ulterius oblaturus, ut scribit Apostolus ad Hebraeos, 9. *Neque ut saepe offerat semetipsum;* et ibidem, *Christus semel oblatus est;* Sacerdotium ergo, quod gessit seipsum hostiam immaculatam offerendo, recte dicitur aeternum; quo sensu [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] etiam ipse Dominus Legem Evangelicam vocat *novum et aeternum Testamentum,* Matthaei, 26., idest, post quod nullum aliud est futurum tamquam perfectissimum, cui est successurus status finalis beatitudinis. — *Rursum,* [ib. 3. d. 19. n. 6. — 4. d. 31.] ipsius oblatio semel facta atque a Deo pro omnibus electis acceptata efficaciter stat in aeternum, quia bona, quae nobis ipsa oblatione promeruit, stant in aeternum; eius itaque Sacerdotium pariter erit aeternum, quia etsi Beati ulterius opus non habeant ea oblatione cum iam adepti sint finem illius, tamen ipse summus Sacerdos Christus in Patria in Verbo visus facit ad consummatam ipsorum felicitatem. Et qui per Christi Sacerdotium reducti sunt ad Deum, a quo per Adae

lapsum elongati erant in via, tandem in termino per eius fruitionem obtinebunt requiem sempiternam.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, quamvis ex Christi Sacerdotio fiat ut peccatores a peccatis expiati reducantur ad Deum, a quo elongabantur per peccata, peracta nihilominus ea reductione, non cessare Sacerdotium Christi, sed magis tunc habere actum consummatum et perfectiorem, ac subinde multo excellentius gesturum esse Sacerdotium, post quam per ipsum ad Patrem omnes adducti fuerint electi, quam antea, idest dum reducuntur, vel supersunt adducendi. Cum enim huius Sacerdotii finis sit inferiores reducere ad supremum et primum principium, reductis omnibus, qui sunt reducendi, manifestum est habere eam perfectionem ad quam fuit ordinatum.

AD SECUNDUM concedo, Christum non esse amplius moriturum; nego tamen proinde eius Sacerdotium non esse aeternum, sicuti et ipse aeternus est; nam virtute illius oblationis semper in divina acceptatione manentis, reducuntur quotquot reducuntur, quia intuitu illius recipiunt gratiam, qua ad primum principium reducuntur. Semper ergo fungitur Christus Sacerdotio dum infima ad suprema evehit, et multo magis, idest, perfectiorem actum habiturus est, et gesturus nobiliori modo Sacerdotium, dum per ipsum omnes electi adhaerebunt primo omnium principio per fruitionem, in quo consummatio ipsius Sacerdotii consistit.

ARTICULUS VI.

UTRUM SACERDOTIUM CHRISTI FUERIT SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 7. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 22. *art.* 6

SACRIFICIA aliqua [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 4.] in lege naturae Deo placuisse ac subinde ab ipso fuisse instituta, constat ex *Genes.*, 14. in oblatione Melchisedechi, qui erat Sacerdos Dei excelsi, cui et Abrahamus decimas solvit. Sed quamobrem Christi Sacerdotium dicatur a Propheta esse secundum ordinem Melchisedech, omissis pluribus, quae tangit Apostolus ad Hebraeos, 7., dicendum potissimum Christi Sacerdotium fuisse secundum ordinem Melchisedech, quia [*Oxon.* ib. d. 8. q. 1. n. 3. — d. 3. q. 4. n. 19.] oblatio facta a sacerdote Melchisedecho fuit in pane et vino, non in animalibus caesis, aut in aliqua alia re; qui ritus convenientissime aptatur Pontifici nostro Christo, qui omne sacrificium conclusit in solo pane et vino, tamquam in primaria substantia humani cibi; cui quidem sacrificio omnis sanguis, et occisio animalium, et quicquid offerebatur in lege, cessit. Non enim indigemus sanguine in quo mundemur, quia iam in Sanguine Christi perfecte mundatum est humanum genus. Nostra enim lex est gratiae, et aquea, et ideo non intramus in familiam Christianam per sanguinem Circumcisionis, sed per aquam baptismalem. Nihil propterea figurat expressius corpus mysticum universalis Ecclesiae, cuius Christus est caput, quam panis; hic enim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 1.] conficitur ex multis granis, sicut hoc corpus mysticum coalescit et constat ex multis individuis cuiuscumque nationis; et nihil magis consonum vitae, quam Christus venit nobis daturus, prae

sanguine, in quo potissime residet vita. Hic est igitur ordo Melchisedechi, in quo Christus constitutus est Pontifex maximus, et huic tamquam summo Pontifici detulit Abraham dans decimas de omnibus, et accipiens ab eo benedictionem. Ex quo recte infert Apostolus, maiorem fuisse, quam Abraham, dicens: *Sine ulla contradictione qui minor est a maiore benedicitur.* Cum igitur [*Oxon.* 2. d. 18. n. 3. — *Report.* 3. d. 3. q. 2. n. 1.] acceperit decimas ab Abrahamo, consequenter et a Levi, qui adhuc erat in lumbis eius, Apostolo teste. Eius igitur Sacerdotium maius fuit quam Sacerdotium leviticum et legale, quia legale Sacerdotium in illud Melchisedechi transferri debebat, idest in Sacerdotium Christi, qui constitutus fuit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ideo ipse Christus non fuit de Tribu Aaron, neque de Tribu Levi, sed de Tribu regali Iuda, ut intelligatur Christi Sacerdotium fuisse regale, et secundum verum ordinem Regis iusti.

QUAESTIO VIGESIMATERTIA.

DE ADOPTIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est, an adoptio Christo conveniat.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Deo conveniat adoptare filios. - 2. Utrum hoc conveniat toti Trinitati. - 3. Utrum sit proprium hominum adoptari in filios Dei. - 4. Utrum Christus possit dici filius adoptivus.

ARTICULUS I.

UTRUM DEO CONVENIAT ADOPTARE FILIOS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 10. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 23. *a.* 1.

VIDETUR haud competere posse Deo filios adoptare. Etenim adoptio essentialiter includit extraneitatem illius, qui adoptatur; quia nisi extraneus sit, profecto adoptione non indiget, sed [*Oxon.* 3. d. 10. n. 2.] vi nativitatis suae succedit in haereditatem, vel fit particeps paternorum bonorum: sed nulla creatura est Deo extranea, cum sit omnium creator, profecto creaturae ipsius non sunt ei extraneae, sicut nec proprium opus suo artifici; igitur Deo non convenit filios adoptare.

2. PRAETEREA. Adoptio introducta est ad supplendum defectum generationis naturalis; is enim, cui desunt filii naturales, adsciscit adoptivum, ut propria bona accipiat in haereditatem: sed homines seu creaturae nequeunt succedere in Dei haereditatem; ergo Deo non competit filios adoptare. *Probatio minoris:* nemo [*Oxon.* 1. d. 3. q. 3. per tot.] diceret homini competere filios adoptare, quia scribit equum, vel pecudem suum haeredem, et filium; quia equus, et pecus sunt alterius naturae ab homine: sed magis distant omnes creaturae a Deo, quam bruta ab homine; illa enim sunt primo diversa, haec vero conveniunt in multis; ergo si homini

non convenit bruta adoptare, multo minus convenire potest Deo adoptare creaturas.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 13. — *Quodlib.* q. 6. per tot.] Deus habet naturalem Filium sibi per omnia aequalem, aeternum, et beatissimum; ergo minus convenienter dicitur filios adoptivos habere; etenim tunc adoptio habet locum, cum non suppetunt filii proprii ab adoptante geniti.

CONTRA. Praedestinare est ad haereditatem adoptare: sed Deo convenit creaturas praedestinare, prout de facto multos ad gloriam praeelegit et praedestinavit; ergo et ad haereditatem aeternam adoptare.

RESPONDEO dicendum, convenire Deo filios adoptare. Et quidem [*Oxon.* 3. d. 10. n. 2.] *adoptare* est vocabulum acceptum a Iuristis, ut ille sit et dicatur filius adoptivus alicuius, qui non est naturaliter genitus ab eo, nec ex generatione naturali habet ius succedendi in haereditatem, sed magis ordinatur ex gratia, seu gratuita largitate, ut habeat tale ius succedendi. Tria igitur in adoptione concurrunt: *primum,* ut sit extraneus, scilicet non habens *esse* ab adoptante per generationem naturalem: *secundo,* gratia, quae est gratuita voluntas ipsius adoptantis: *et denique,* bonum ad quod praeordinatur gratuite ab adoptante, haereditas nimirum ad quam habet ius succedendi ex adoptione. — *Cum igitur* [*Oxon.* 1. d. 2. q. 7. n. 3. seqq. — d. 41. n. 14.] Deus sit agens simpliciter perfectum, idest agens ex liberalitate, non expectans aliquam perfectionem aut retributionem ab iis quibus benefacit, et det omnes, quas habent bonitates et perfectiones; eius bonitati apprime congruit adoptare sibi filios; summa enim bonitas potest stare cum liberali sui communicatione, et libere velle ordinare naturam intellectualem ad participationem gloriae suae, non ob aliquid repertum in ipsa natura, quod sit ratio, aut causa adoptionis, sed ex gratuita Dei voluntate; nulla enim creatura habet ius aliquod in bonum illud, quod est fruitio Dei, cum sit omnino extranea, et nullo modo ab ipso naturaliter genita; quandoquidem igitur in ista ordinatione naturae intellectualis ad gloriam concurrunt quae sunt necessaria ad adoptionem, vere dicitur Deus sibi filios adoptasse, ac proinde actus adoptandi maxime Deo congruere.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo concedendo *maiorem.* — *Et cum subditur:* nulla creatura est Deo extranea, dico: [*Oxon.* 4. d. 49. q. 2. n. 20.] utique hoc ipso quod creaturae sunt productae a Deo, illi extraneas esse non posse, quia in ipso vivunt, moventur, et sunt; sed nihilominus esse extraneas, quia non debetur illis omnis perfectio secunda, cuius sunt capaces, et per propriam naturam nequeunt attingere. Natura siquidem intellectualis nata est perfici in extrinseco perfectissimo, in quo tantum potest quietari. Ad perfectionem igitur extrinsecam, ad quam summe inclinatur, et amat, et plusquam naturam cuius est, pertingere non potest propriis viribus, opus est ut adoptetur, et praeordinetur, quam ob adoptionem, et praeordinationem dantur sibi illa, quibus supremam suam attingat perfectionem.

AD SECUNDUM dico, *minorem* esse falsam. — *Et cum probatur:* respondeo, non competere homini adoptare bruta, quia brutum non est imago hominis, et homo est imago Dei, ideoque est similis Creatoris sui similitudinem naturali; quemadmodum [*Oxon.* 1. d. 3. q. 9. per tot.] imago est similis naturaliter illi, cuius est expressiva, et etiam assimilatur Deo si-

militudine gratiae, ac propterea ipse ut natura intellectualis potest attingere ad haereditatem adoptantis, quae aliud non est, quam visio et fruitio ipsius Dei.

AD TERTIUM patet ex dictis, quia Deo non competit adoptare filios ex aliqua indigentia et defectu generationis naturalis, ut evenit inter homines, sed potius adoptat, praeordinatque ad vitam aeternam creaturas intellectuales ex superabundantia suae perfectionis et bonitatis, ob quam condidit rerum universitatem, et creaturas intellectuales gloriae suae et fruitionis capaces.

ARTICULUS II.

UTRUM ADOPTARE CONVENIAT TOTI TRINITATI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 10. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 23. *art.* 2.

VIDETUR adoptare filios non competere toti Trinitati. Etenim adoptio alicuius in filium Dei fundatur in charitate, per quam acquiritur ius in gloriam aeternam: sed [*Oxon.* 1. d. 17. q. 1. per tot.] charitatis datio attribuitur Spiritui Sancto, propter quam charitatem ipse Spiritus Sanctus dicitur animam inhabitare; ergo adoptare filios non est totius Trinitatis, sed Spiritus Sancti dumtaxat.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 10. n. 2.] Filius adoptivus est qui non est naturaliter genitus ab aliquo; igitur ille tantum filios adoptat qui potest habere naturales: sed solus Pater potest habere naturales filios, in quorum defectu adsciscuntur adoptivi; igitur solus Pater, et non tota Trinitas adoptat filios in Divinis.

3. PRAETEREA. Ex dictis *q.* 3. *art.* 8. conveniens magis fuit Filium carnem assumere, quam Patrem, aut Spiritum Sanctum; quia sicuti Deus per sapientiam creavit omnia, ita decuit per sapientiam pariter cuncta restaurasse, quae sapientia est Verbum Dei: sed potissime hominis restauratio fit per donum gratiae qua evadit Dei amicus, et haeres Regni caelestis; ergo Filio potius competere videtur homines adoptare in filios, quam Patri aut Spiritui Sancto.

CONTRA. Tunc Deus adoptat creaturas intellectuales in filios, cum confert illis gratiam sanctificantem: sed [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. per tot.] causare gratiam, sicut et quodlibet aliud ad extra, est totius Trinitatis; ergo et adoptare filios competit toti Trinitati.

RESPONDEO dicendum, adoptare filios competere toti Trinitati; et rationem esse, [*Oxon.* 3. d. 10. n. 1.] quia tota Trinitas agit omnem actum ad extra, et non aliqua sola Persona; igitur tota Trinitas causat charitatem in mente intellectuali, propter quam, qui recipiunt habent ius in haereditatem gloriae caelestis; igitur tota Trinitas filios adoptat. *Assumptum* patet [*Quodlib.* q. 8. n. 3.] per August., 5. *De Trinit.*, c. 14. dicentem: *Ad creaturas Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt unum principium, sicut unus Creator et unus Deus.* Est itaque in tribus una formalis ratio agendi et causandi et principiandi, sicuti in eis est una formalis Deitas, per quam dicuntur unus Deus, unus creator, et unum principium. Quod [*Quodlib.* q. 8. n. 4.] et expressit Salvator cum dixit, Ioann., 5. *Quaecumque fecerit,* (scilicet Pater) *haec et Filius similiter facit.* Cum igitur Pater et

Filius non se habeant in agendo sicut causa universalis et particularis, quia unus esset altero perfectior, nec respiciant diversa causata, sed eadem, cum dicat *haec,* hinc causae diversae non possunt esse, sed eadem et una causa. Nec denique sunt ut agens, et ratio agendi, cum dicat *facit,* ratio autem agendi non proprie agit, sequitur utrumque complete agere et non ex parte, et non unum dependenter ab alio, sed omnino independenter, sicuti una eademque Deitas reperta in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto est independens. Quemadmodum igitur indivise et indistincte agunt ad extra, sic pariter adoptant, ac proinde adoptare filios convenit toti Trinitati.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 1. d. 18. per tot.] Spiritui Sancto attribui dationem charitatis, non quasi reliquae Divinae Personae non concurrant ad eius productionem, sed quia tertia Trinitatis Persona, cum procedat per modum doni vel habeat ex vi productionis suae esse *donum,* per quod dantur a Deo caetera dona recte attribuitur ipsi datio charitatis, non quia sit eius proprietas, sed magis appropriatum.

Ad secundum respondeo, quamvis inter homines, illius sit filios adoptare, qui cum naturales habere potuisset, ex illorum defectu adoptivum adsciscit, tamen in Divinis non fit creaturarum rationalium adoptio, ut aliquis suppleatur defectus, sed potius, ut communicetur perfectio. Et quoniam omnium Personarum est una natura, et vis agendi et communicandi perfectionem, ideo fieri non potest, ut una sine altera filios adoptet per gratiae infusionem.

Ad tertium respondeo, [*Oxon.* 2. d. 1. q. 1. n. 22.] utique mundum conditum esse per sapientiam, non quasi Filius habuerit aliquam specialem causalitatem respectu creaturarum, cuius fuerint expertes aliae Divinae Personae, sed quoniam sapientia appropriatur Filio ob modum productionis suae. Ita pariter et ex aequo tres Divinas Personas operatas esse rerum restaurationem, quamquam humanitas a Filio assumpta fuerit instrumentum, et causa meritoria gratiae conferendae a Trinitate iis, ad quos fructus mortis Christi pervenerunt.

ARTICULUS III.

UTRUM ADOPTARI SIT PROPRIUM RATIONALIS CREATURAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 10. — *Report.* 2. *d.* 3. *q.* 9.
S. Thom. 3. *p. q.* 23. *a.* 3.

Videtur adoptari non esse proprium rationalis creaturae. Si enim rationali creaturae conveniret adoptari tamquam proprium, profecto nulla talis creatura foret expers divinae adoptionis: sed hoc est plane falsum; quia tunc omnes potirentur gloria aeterna, veluti paterna haereditate; igitur adoptari non est proprium rationalis creaturae.

2. Praeterea. Si proprium esset rationalis creaturae adoptari, maxime quia effecta fuit ad imaginem et similitudinem Dei: sed in reliquis omnibus creaturis etiam irrationalibus relucet imago Dei; ergo omnibus convenit adoptari. *Probatio minoris:* id habet imago et similitudo alicuius, ut ducat in cognitionem imagati et assimilati: sed [*Oxon.* 1. d. 3. q. 4. n. 2.] omnes omnino creaturae manuducunt in cognitionem Dei,

teste Apostolo, 1. ad Rom. *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur;* igitur in omnibus relucet imago Dei.

3. PRAETEREA. Creatura intellectualis est capax et potiori iure ingenitae nobilitatis adoptionis divinae, quam homo; ergo non solius creaturae rationalis est adoptari et ordinari ad haereditatem gloriae caelestis. *Assumptum patet;* quia Angeli sunt magis capaces visionis et fruitionis Dei, quam creatura rationalis.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 11.] Verbum *Angelos non apprehendit, sed semen Abrahaae,* ad Hebraeos. 2. in carne autem assumpta est primogenitus in multis fratribus, qui nimirum accipiunt spiritum adoptionis filiorum, secundum Apostolum *ad Rom.* 8.; sola igitur creatura rationalis propre dicitur adoptari in similitudinem naturalis filiationis divinae.

RESPONDEO dicendum, adoptari non esse ita proprium rationalis creaturae, ut nulli alteri creaturarum conveniat; convenit enim praeterea Angelis, qui quatenus charitate sunt praediti, filii adoptivi Dei sunt. *Et declaratur:* [*Oxon.* 2. d. 3. q. 9. n. 15.] nam ideo quaelibet rationalis creatura est vel potest esse filia adoptiva Dei, quia cum sit imago ipsius est capax aeternae beatitudinis, ad quam adipiscendam acquirit ius per gratiam sibi collatam ex gratuita Dei voluntate: sed etiam Angeli facti sunt ad imaginem Dei; igitur et ipsi, vel sunt, vel possunt esse filii adoptivi Dei per gratiam. Quod autem Angelus sit imago Dei, quatenus imago accipitur pro imitante aliquid, quod est aliud a se, et repraesentat, quia cognitum, ex eo declaratur, quia et ipse habet unitatem et trinitatem in actibus suis, quo pacto ponitur in anima rationali imago; habet igitur naturaliter in existendo actus similes illorum actuum, qui ponuntur in Trinitate; eique propterea convenit esse capax Dei unius et Trini, cuius est imago; igitur si Angeli perinde ut homines praeseferunt Dei imaginem, ob quam sunt capaces fruitionis Dei, si homines possunt esse vel sunt filii adoptivi Dei, eadem ratione et Angeli. Non convenit igitur rationali creaturae adoptari in filium Dei, sic ut nulli alteri competere possit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 10. n. 2. seqq.—*Report.* ib. n. 3. seqq.] adoptionem in filium Dei non sequi naturam nisi inchoative; requiritur enim, ut sit gloriae capax, quod non omnibus, sed dumtaxat intellectuali et rationali creaturae congruere potest. Adoptio igitur fundatur in gratia, qua perfunditur voluntas naturae intellectualis et rationalis, et quoniam non omnis talis creatura habet Dei charitatem, ideo non quaelibet adoptatur, esto capax esset adoptionis, ut dictum est.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 1. d. 3. q. 5. per tot.] reliquis in creaturis a rationalibus et intellectualibus non reperiri imaginem et similitudinem Dei, sed solummodo vestigium quoddam, per quod vestigari quidem potest Dei maiestas et gloria, sed nequaquam cognosci tamquam per imaginem et similitudinem; id enim licet solum per hominem et Angelum.

AD TERTIUM concedo, [*Oxon.* 3. d. 10. n. 2. seqq.] Angelos et Beatos esse filios Dei adoptivos, et malos esse potuisse, nisi a gratia per malitiam excidissent.

AD ARGUMENTUM in contrarium respondeo, ex dictis Apostoli non aliud sequi, nisi homines per gratiam Spiritus Sancti evadere filios adoptivos Dei, et cohaeredes Christi, qui propterea primogenitus in multis fratribus appellatur, quoniam Deus et homo est; et si Angelicam naturam

apprehendisset, talis quoque diceretur ad Angelos, sicut dicitur respectu hominum *Primogenitus* in multis fratribus; sed non propterea sequi Angelos non esse filios Dei adoptivos perinde ut homines, cum omnia concurrant, quae ipsa adoptio essentialiter requirit.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS SECUNDUM QUOD HOMO SIT FILIUS DEI ADOPTIVUS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 10. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 23. *a.* 4.

VIDETUR Christus secundum quod homo esse filius Dei adoptivus. Etenim [*Oxon.* 3. d. 10. n. 1.] Christus est praedestinatus esse filius Dei, *ad Rom.*, 1. ergo est adoptivus. *Probatur consequentia;* nam praedestinare est ad haereditatem adoptare; ergo Deus praedestinando Christum esse filium Dei adoptavit ipsum in filium, quia ad haereditatem praeordinavit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Dignitatis est in homine esse filium Dei adoptivum; non enim convenit adoptari alicui creaturae non intellectuali: sed quicquid est dignitatis et perfectionis est attribuendum Christo; ergo Christus est filius Dei adoptivus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Sicut in Christo manent duae naturae, ita et proprietates naturarum: sed adoptari est proprietas naturae habentis gratiam; igitur cum sit in ipso natura humana habens summam gratiam, recte dicetur per hanc fuisse adoptatum in filium, sicuti per naturam Divinam est et dicitur filius naturalis.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 9. — d. 10. n. 3.] Si Christus secundum quod homo non extitisset filius Dei adoptivus, maxime quia per nullum instans reale fuit expers gratiae, in qua fundatur ius ad haereditatem gloriae: sed ex hoc sequeretur neque Beatam Virginem fuisse adoptatam, quae per nullum instans reale caruit gratia sanctificante, neque Angelos esse filios Dei adoptivos, si in gratia fuerunt creati; ergo pariter Christus secundum quod homo fuit filius Dei adoptivus.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 10. n. 1.] August., *Tract.* 82. in Ioann.: *Nos sumus,* inquit, *filii Dei gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia.* Item Ambrosius, lib. 1. *De fide,* c. 9. *Christus filius non est per adoptionem, sed per naturam; per adoptionem nos filii dicimur; ille vero per veritatem naturae est.* Et idem ait Hilar., 3. *De Trinit.*

RESPONDEO dicendum, Christum secundum quod homo non esse filium Dei adoptivum, sed naturalem; et hoc [*Oxon.* 3. d. 10. n. 2.] non quia filiatio est praecise suppositi, et non naturae, ac proinde cum sit praecise in Christo unum suppositum secundum quod est filius Dei naturalis, dici non potest adoptivus. Hoc, inquam, puto esse falsum, ut patebit *q.* 35. *art.* 5. Ponendo igitur filiationem fundari in natura, simili naturae generantis naturaliter, filiatio adoptiva fundabitur in natura quae est similis creanti, ut imago eius similitudine naturali, et etiam similitudine gratiae, qua ipsa potest attingere ad haereditatem adoptantis. *Declaratur* Christum non esse filium Dei adoptivum. Nam ad adoptionem necessario concurrunt tria, *ex* 1. *art.* quae locum non habent in Christo

secundum generationem divinam, per quam est haeres naturalis Patris; atqui neque secundum humanam generationem, nam per hanc generationem non fuit extraneus, quia pro omni instanti quo extitit, habuit plenitudinem gratiae; per nullum enim instans reale fuit humana natura Christi, quin foret unita Personae Divinae, ac proinde semper fuit plenus gratiae et veritatis.

Ad Argumenta. Ad primum [*Report.* 3. d. 10. n. 5.] distinguo *assumptum probationis,* praedestinare est adoptare, quando natura praedestinati habet extraneitatem sufficientem ad adoptionem, *concedo;* si non habet, *nego.* Cum igitur Christus secundum generationem humanam concomitanter de congruo requirat ius haereditandi, non habet eam extraneitatem, quam habet omnis alia creatura non unita personaliter Filio Dei.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 3. d. 10. n. 5.] adoptari esse dignitatis supplentis imperfectionem. Extraneus enim non potest dignificari, nisi adoptetur, et attribuatur ei ius in haereditatem; dignius autem est, caeteris paribus habere ex vi generationis ius in haereditatem, quam aliunde illud adipisci; negamus igitur dignitatem adoptionis in Christo, quia habet dignitatem longe excellentiorem, et ideo nequit inferior illa sibi tribui.

Ad tertium concedo, [*Oxon.* 3. d. 10. n. 5.] de Christo dici proprietates consequentes naturam humanam, (est enim naturalis filius Mariae, est etiam iustus, et gratissimus Deo), sed esse adoptatum non dicit proprietatem naturae humanae, secundum quam Christus numquam fuit extraneus ab haereditate paterna, ut supra patuit, sed dicit proprietatem naturae extraneae.

Ad quartum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 10. n. 4. — *Report.* ib. n. 4.] ex virtute sermonis illum dici vere filium Dei adoptivum, qui ex sua generatione non habet nec directe, nec simpliciter, nec de congruo ius aliquod in haereditatem, ad quam sola gratuita voluntate adoptantis vocatur. Generatio autem Christi Domini secundum humanitatem de congruo exigebat concomitanter habere ius haereditandi, scilicet gratiam summam habitualem, quae decebat Unigenitum Patris, taliter ut de potentia ordinaria Deus debuerit illam dare naturae hypostatice unitae Verbo Divino; recte igitur dicitur filius naturalis secundum etiam humanam generationem, penes quam nequiit fuisse extraneus, cum esset unita humana natura Verbo Dei, quae cum non congruant nec B. Mariae Virgini, nec Angelis in gratia creatis, ea exempla non faciunt contra praesentem resolutionem.

QUAESTIO VIGESIMAQUARTA.

DE PRAEDESTINATIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Praedestinatione Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Christus sit praedestinatus. - 2. Utrum sit praedestinatus secundum quod homo. - 3. Utrum eius praedestinatio sit exemplar nostrae praedestinationis. - 4. Utrum sit causa nostrae praedestinationis.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT PRAEDESTINATUM ESSE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 3. — *Report. ib. q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 24. *a.* 1.

VIDETUR Christo non convenire praedestinatum esse. Nam [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 2.] praedestinatio respicit personam, quae dicitur praedestinata; sed hic nulla est persona, quam praedestinatio potuisset respicere; ergo Christo non convenit esse praedestinatum. *Probatur minor:* quia non pertinebat ad personam Verbi secundum se consideratam, ut patet; nec ad eamdem, ut subsistit in natura humana; quia sic includit unionem: quod autem praedestinatur ad aliquid non debet includere illud, ad quod praeordinatur; igitur Christus non fuit praedestinatus.

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 7. q. 4. n. 1.] Si vere diceretur de Christo ipsum esse praedestinatum, profecto praedestinatio caderet aut super naturam. aut super personam: neutrum potest admitti; ergo nec Christum esse praedestinatum. *Probatio minoris:* nam natura humana non est Deus; ergo nec fuit praedestinata ut esset filia Dei. Neque cadere potest super personam; etenim illud, super quod cadit praedestinatio, oportet praecedere praedestinationem: Persona Christi non praecessit nisi secundum quod Deus; ergo cadere nequiit sub praedestinatione.

3. PRAETEREA. Christo non convenit esse filium Dei adoptivum: [*Oxon.* 3. d. 10. n. 1. seqq.] est enim filius naturalis, ex *q. ant. art. ult.* ergo neque sibi competere potest praedestinatio. *Probatio consequentiae:* praedestinare est ad haereditatem adoptare; est enim electio alicuius ad gloriam tamquam ad haereditatem, et ad gratiam, per quam acquiritur ius ad haereditatem; igitur cum Christus non fuerit adoptatus in filium Dei, neque dici potest esse praedestinatus.

CONTRA. Ad Rom., 1. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 1.] *Factus est ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est esse Filius Dei in virtute.*

RESPONDEO dicendum, recte et vere dici Christum praedestinatum esse. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 2.] Praedestinatio enim *est ordinatio alicuius principaliter ad gloriam, et ad alia in ordine ad gloriam:* huic autem naturae humanae in Christo praeordinata est gloria, et unio hypostatica Verbi in ordine ad gloriam. Nam haud tanta gloria fuisset sibi conferenda si non esset Verbo unita, sicut modo collata est, quemadmodum

merita cadunt sub praedestinatione, sine quibus non ordinaretur de congruo quis ad tantam gloriam sine eis sicut cum meritis; ita videtur ista unio ordinari ad tantam gloriam de congruo, licet non cadat sub praedestinatione tamquam meritum; ergo quemadmodum praedestinatum est hanc naturam uniri Verbo, ita praedestinatum est Verbum esse hominem, et hunc hominem esse Verbum. *Probatur haec consequentia:* nam sicut sequitur ex eo, quod factum est, ut natura humana esset unita Verbo, sequitur, inquam, quod *Deus factus sit homo,* et *homo Deus;* ita ex eo quod praedestinatum est naturam illam esse unitam Verbo, recte infertur, quod praedestinatum sit Verbum esse hominem, et hominem Verbum; est enim eadem ratio utrobique.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 2.] *assumptum* esse falsum; sicut enim Deus potest omne bonum aliud a se diligere, seu natura sit, seu suppositum, ita etiam seu uni seu alteri praeoptari bonum illi conveniens; cum igitur unio hypostatica sit perfectio conveniens naturae, nihil impedit naturam, ut carentem personalitate, ordinari ad illam unionem, et ad gloriam subinde. Et licet in aliis omnibus praedestinatio respiciat personam, et non naturam; id tamen est, quia in nullo alio praeordinavit bonum naturae, nisi praeordinando bonum personae, quia nec aliqua alia natura ordinabilis ad gloriam est, non personata personalitate propria, nisi natura humana Christi.

Et quamvis unio illa hypostatica involvatur in Christo, id tamen non impedit Christum esse praedestinatum. Non enim requiritur ad praedestinationem alicuius, quod illud ad quod praedestinatur si distinctum ab ipso, sed sufficit esse aliquid sine quo non possit esse; nec est ulla repugnantia aliquid dici praedestinatum ad existendum, cum tamen existentia non sit aliquid distinctum ab essentia.

Ex his ad secundum dico, [*Report.* 3. d. 7. q. 4. n. 3.] naturam illam humanam in individuo fuisse praeordinatam ad tantam gloriam, et idcirco ad unionem cum Verbo Dei; et licet natura humana non sit Deus, est tamen homo ille assumptus per hypostaticam unionem; sicuti ergo praedestinatum fuit, hanc naturam uniri Verbo, ita et Verbum esse hominem. *Et cum arguitur;* quia oportet suppositum praecedere praedestinationem ipsam; *respondeo sic:* non oportere illud quod praeordinatur praecedere suppositum, licet id, cui praeordinatur praecedat praeordinatum. *Exemplum:* aliquis praeordinat sibi aliquod bonum, ut Missae celebrationem; sane opus non est, eiusmodi bonum praecedere illud, cui praeordinatur. Ita pariter primo intelligitur Filius Dei praedestinatus esse homo, et exinde homo praedestinatus esse Filius Dei. Utraque tamen fundatur in ista: natura humana unita est personaliter Verbo, unde Verbum factum est homo, et homo Deus.

Ad tertium patet ex dictis, *q. antec. respondendo ad primum.* [*Oxon.* 3. d. 10. q. 3. n. 3. seqq.] Tunc enim dumtaxat praedestinare est ad haereditatem adoptare, cum illud, quod adoptatur habet extraneitatem sufficientem ad adoptionem. Quod si aliquid, seu natura seu suppositum sit, exigat saltem de congruo ex vi ortus, vel productionis suae non habere extraneitatem, sed debeatur sibi gratia de congruo, adoptatum fuisse dici nequit, bene tamen praedestinatum, idest, ordinatum ad tantam gloriam, vel gratiam.

ARTICULUS II.

AN HAEC SIT FALSA, *CHRISTUS SECUNDUM QUOD HOMO EST PRAEDESTINATUS ESSE FILIUS DEI.*

Doctor, loc. cit. art. antec. — S. Thom. 3. *p. q.* 24. *a.* 2.

VIDETUR haec propositio, *Christus secundum quod homo, est praedestinatus esse filius Dei,* esse falsa. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 1.] Etenim secundum quod aliquid praedestinatur esse aliquale, secundum illud est tale; igitur si Christus secundum quod homo sit praedestinatus esse filius Dei, secundum quod homo esset filius Dei: sed falsum est, Christum secundum quod homo esse filium Dei; ergo illa propositio est falsa.

2. PRAETEREA. Si haec foret vera, *Christus secundum quod homo est praedestinatus esse filius Dei;* igitur esset quoque verum, *Christum secundum quod Filius Dei esse praedestinatum fieri hominem;* [*Oxon.* 3. d. 7. q. 1. n. 2. seqq.] non enim solum est verum hac unione hominem esse Deum, sed etiam Deum esse hominem, imo magis verum, quia *Verbum caro factum est,* Ioann. 1.; igitur illa propositio, *Christus secundum quod homo est praedestinatus esse filius Dei,* non est reipsa et omnino propria et vera.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 1.] *Factus est ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est esse Filius Dei in virtute,* ad Roman. 1.

RESPONDEO dicendum, hanc propositionem, *Christus secundum quod homo est praedestinatus esse filius Dei,* esse veram; et patet ex dictis, *in* 1. *art.* [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 2.] Cum enim anima Christi fuerit praeordinata ad summam gloriam, et consequenter ad unionem cum Verbo, propter quam fuit congruum sibi dari tantam gloriam, quae congruitas in nulla alia fuit, ob illam unionem vere Verbum est homo, et homo Verbum, et Deus, et Filius Dei; sequitur subinde, ipsum secundum quod homo esse praedestinatum fieri, et esse Filium Dei. Per praedestinationem enim ordinabatur ad tantam gloriam, et ad unionem consequenter cum Filio Dei; ergo etiam praedestinatione factus est filius Dei.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 6.] cum dicitur, secundum quod praedestinatus est esse Deus, secundum illud est Deus, syncathegorema *secundum quod* vel potest determinare actum praedestinandi, vel ipsum terminum praedestinationis. *Primo modo* propositio est falsa; id enim quod praedestinatur esse non habet ab actu praedestinandi esse tale formaliter; in *secunda* vero *acceptione* est vera; quia quod praedestinatur, secundum illam rationem, qua terminat praedestinationem, est tale per praedestinationem. — *Et cum arguitur:* Christus secundum quod homo non est Filius Dei, *distinguo:* non est filius Dei sic, ut ipsa praedestinatione formaliter sit Deus, *concedo;* sed *nego* naturam humanam non esse rationem, qua Christus possit terminare praedestinationem ad esse Filii Dei. — *Aliter etiam potest responderi;* [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 7.] nam *secundum quod* potest accipi proprie, quatenus scilicet est nota reduplicationis, et dicit causam inhaerentiae praedicati ad su-

biectum; hoc enim pacto concedendum est, Christum secundum quod homo, non esse Deum, quia revera non est Deus humanitate, sed Deitate. Sed si accipiatur *secundum quod* prout dicit formaliter rationem, secundum quam extremum determinate accipitur in se, tunc Christus *secundum quod* homo est Deus; sensus est enim, Christum esse hominem, et esse Deum, quatenus illa persona existit etiam in natura humana, et ut talis existens ipsam praecessit praedestinatio, ut esset Deus et Filius Dei.

AD SECUNDUM dico, primam *consequentiam* esse concedendam, quia utraque propositio est vera. — *Et cum dicitur:* quia magis est vera ista, *Christus secundum quod est Filius Dei est praedestinatus esse hominem;* [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 8.] *respondeo,* in ista materia hanc esse omnino primam, *Natura humana unita est personaliter Verbo,* atque ex ea immediate sequi aliam illam, *Verbum est homo,* quia virtute unionis Verbum subsistit in natura humana, quae extitit terminus factionis Trinitatis. Etsi igitur utraque propositio sit propria et vera, scilicet, *Christus secundum quod homo est praedestinatus esse filius Dei, et secundum quod filius Dei est praedestinatus esse homo;* prior tamen est fundamentum veritatis alterius.

ARTICULUS III.

UTRUM PRAEDESTINATIO CHRISTI SIT NOSTRAE PRAEDESTINATIONIS EXEMPLAR.

Doctor, Oxon. 1. *d.* 41. — 3. *d.* 7 *q.* 3. — *d.* 19. — *Report. ib.* *S. Thom.* 3. *p. q.* 24. *a.* 3.

VIDETUR Christi praedestinatio non esse exemplar praedestinationis nostrae. Etenim si Christi praedestinatio extitisset nostrae praedestinationis exemplar, oportuisset factam esse in signo aliquo priori, ac praedestinati sunt caeteri electi, alioquin non videretur intelligibile quonam modo horum praedestinatio foret exemplata a Christi praedestinatione: sed hoc esse non potuit; igitur Christi praedestinatio non est exemplar praedestinationis nostrae. *Probatio minoris: exemplar* [*Oxon.* 3. d. 8. n. 8.] habet relationem mensurae respectu mensurati, vel exemplati, et exemplatum vicissim dicit relationem ad exemplar: sed correlativa sunt simul natura; igitur Christi praedestinatio nequiit fuisse prior natura praedestinatione aliorum electorum, et per consequens non fuit exemplar praedestinationis aliorum.

2. PRAETEREA. Nihil est alterius exemplatum, nisi habeat eamdem rationem similitudinis cum exemplari: sed alterius rationis, et plane dissimilis est Christi praedestinatio ab aliorum Sanctorum praedestinatione; ergo horum praedestinatio non est a Christi praedestinatione exemplata. *Probatio minoris:* [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] Christi electio ad summam gloriam et gratiam eousque fuit gratuita, ut ipse non potuerit ea bona ne ex parte quidem meruisse: sed alii Sancti non pertingunt ad gloriam ad quam sunt praedestinati, nisi per merita propria, aut per merita Christi, ipsis per Sacramenta applicata; ergo praedestinatio Sanctorum est omnino alterius rationis a praedestinatione Christi, ac proinde non est ab illa exemplata.

CONTRA. August., 1. *De Praedest. Sanctor.,* cap. 15. *est etiam,* inquit,

praeclarissimum lumen praedestinationis et gratiae ipse Salvator ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. Christi igitur praedestinatio est nostrae praedestinationis exemplar.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. per tot.] praedestinationem posse accipi et pro *actu* ipso praedestinandi, et pro *termino* eius. Et *primo* quidem modo manifestum est, Christi praedestinationem non posse esse exemplar praedestinationis aliorum, quia uno eodemque actu Deus praedestinavit Christum et alios electos; sed quatenus praedestinatio dicit ipsum terminum praedestinatum, Christum revera esse exemplar nostrae praedestinationis, quia nostra praedestinatio facta est ad similitudinem illius; quamquam enim ipse praedestinatus sit esse filius Dei naturalis, ut patuit *q. anteced.* et nos praedestinati simus esse filii Dei adoptivi, filiatio nihilominus adoptiva est quaedam similitudo filiationis naturalis, quam similitudinem facit gratuita voluntas adoptantis, quatenus tribuit ius in haereditatem illi, qui ex vi generationis naturalis ius haereditatis adeundae non habet, ut dictum est *art.* 1. *cit. quaest.* — *Ulterius,* [*Report.* 3. d. 7. q.4. n. 4. seqq.] Christi praedestinatio talis fuit, ut praedestinaretur esse Dei filius in virtute, absque ullis praecedentibus meritis eius, ut extitit declaratum *q.* 19. *art.* 3. Et quidem praedestinabatur prius aliis electis; ordinate enim volens prius vult id quod est fini propinquius; et ex omnibus extra Deum nihil est propinquius natura humana Christi, Verbo personaliter unita: sed aliorum praedestinatio electorum ad hunc pariter modum facta est; igitur nostra praedestinatio est ad similitudinem praedestinationis Christi; et per consequens Christus est nostrae praedestinationis exemplar. — *Minor declaratur,* nam volens ordinate finem, et ea quae sunt ad finem, prius vult finem, quam aliquod eorum quae sunt ad finem, quia propter finem vult ea, quae ordinantur ad ipsum; cum igitur in toto processu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, beatitudo perfecta sit finis ultimus, Deus prius vult ipsam beatitudinem electis, quam velit alia, quae spectant ad illum ordinem, cuiusmodi sunt gratia, fides, bonus usus liberi arbitrii, et merita. Vult igitur beatitudinem electis non propter aliquod eorum, quae ordinantur ad illam, ut media ad finem; et per consequens electio aliorum a Christo facta fuit ad exemplar praedestinationis ipsius.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo *uno modo,* [*Oxon.* 1. d. 3. q. 5. n. 4.] similitudinem, quae est exemplati ad exemplar, non pertinere ad primum modum relativorum, sed potius ad tertium, quia non est similitudo univocationis, sed imitationis, sicuti manifeste patet per Philosophum, 5. *Metaph.* text. com. 20. qui ad tertium modum ponit spectare relationem scientiae ad scibile, et universaliter mensurati ad mensuram: exemplar autem habet relationem mensurae respectu mensurati, vel exemplati; igitur non est hic relatio mutua, sed tantum unum dicitur ad aliud, quia aliquid est eius. — *Aliter etiam respondetur* ex Avicen., 6. *Metaph. suae,* cap. 1. [*Oxon.* ib. d. 28. q. 3. n. 10.] ubi vult, causam, inquantum causam, esse prius natura causato, quatenus causato; et tamen causa et causatum sunt correlativa. Si itaque non repugnat intelligere unum correlativorum esse prius natura reliquo, magis poterimus intelligere exemplar esse prius natura exemplato, etsi ponantur correlativa; quia prius debet intelligi id, quod exemplandum est, et posterius ea, quae ab illo, vel ex illo sunt exemplata.

AD SECUNDUM dico, Augustinum, *loc. cit.* sentire nostram praedestinationem factam fuisse ad modum praedestinationis Christi, nimirum omnes electos esse praedestinatos antecedenter ad praevisionem explicitam meritorum, tametsi quia gloria aeterna est corona et merces et praemium, decrevit Deus non conferendam, nisi repraesentatione meritorum. In ordine igitur intentionis Sanctorum praedestinatio extitit simillima Christi praedestinationi.

ARTICULUS IV.

UTRUM PRAEDESTINATIO CHRISTI SIT CAUSA PRAEDESTINATIONIS NOSTRAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 7. *q.* 3. — *d.* 19. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 24. *a.* 4. *De his actum* prima part. q. 23. art. 8.

VIDETUR Christi praedestinatio non extitisse causa praedestinationis nostrae. Eatenus enim fuisset causa praedestinationis aliorum Sanctorum, quatenus in illo priori, in quo fuit volita Verbi Incarnatio, habuisset rationem causae saltem meritoriae respectu praedestinationis nostrae: sed in illo priori non praevidebantur a Deo aliqua merita ipsius; ergo nequiit fuisse causa meritoria praedestinationis aliorum Sanctorum. *Probatio minoris:* quaecumque merita Christus habuit ex ipsius passione praevisa et exhibita oriebantur: sed Christi passio non fuit praevisa in illo priori, in quo ordinabatur eius futuritio, sed post praevisum lapsum Adae: id autem contigit post praedestinationem omnium electorum.

2. PRAETEREA. Si in illo priori in quo Christi futuritio fuit volita esse potuisset causa meritoria, maxime ob actus dilectionis Dei et proximi: sed etiam si praevisus fuerit summe dilecturus Deum et proximum, ii nihilominus actus non fuerunt Christo meritorii; ergo nihil sibi, aut aliis in illo signo mereri potuit, nec esse causa meritoria praedestinationis nostrae. *Probatio minoris:* quia in tali signo praevidebatur perfecte beatus; praevisus enim fuit passibilis quando fuit decreta ipsius futuritio in carne passibili, scilicet post praevisum Adae peccatum; in primo igitur signo erat perfecte beatus, nec proinde in statu merendi.

3. PRAETEREA. Sanctorum praedestinatio est similis praedestinationis Christi, *ex art. praec.* Sed Christi praedestinatio nullam habuit causam meritoriam; ergo talis quoque debet esse aliorum Sanctorum praedestinatio, nullam scilicet habens causam meritoriam; alioquin foret admodum illi dissimilis, et nullatenus exemplata a Christi praedestinatione, veluti ab exemplari.

CONTRA. Ad Ephes., 1. *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Apostolus [*Oxon.* 3. d. 19. q. un. n. 8.] ergo expressit causam meritoriam, per quam adoptamur in filios Dei; igitur si per Christum dat nobis gratiam Deus, per quam gratiam evadimus filii adoptivi ipsius; ergo etiam est causa meritoria gloriae, ad quam ordinatur gratia; ei enim annectitur atque ex ipsa est ius haereditatis adeundae.

RESPONDEO *dicendum primo,* praedestinatio Christi quatenus ipse erat ab aeterno praevisus, et passurus, et reconciliaturus Deo electos per mortem suam, non fuit causa meritoria praedestinationis eorumdem San-

ctorum. Nam [*Oxon.* 3. d. 19. n. 11.] Deus prius voluit omnes electos habere gloriam et gratiam, quam praeviderit eos casuros in Adam, vel in alia peccata, et praevidit eos lapsuros, quam praeordinaverit Christi passionem tamquam medicinam contra lapsum. Etsi igitur passio Christi ut praescita post praevisionem lapsus Adae potuerit esse ratio remittendi offensam, et conferendi gratiam reconciliantem et medicinalem, nequiit tamen esse causa meritoria praedestinationis Sanctorum, cum ii fuerint electi et praeordinati ad gloriam, prius quam ordinaretur illa passio in remedium peccatorum.

Dicendum secundo, Christi praedestinationem quatenus praevidebatur caput omnium electorum, hominum scilicet et Angelorum, fuisse causam meritoriam praedestinationis eorum. Electi enim alii a Christo praedestinabantur ad gloriam et gratiam: sed hanc gratiam oportuit descendisse a capite in ipsos, ut in membra; ergo descendebat a Christo, qui solus habiturus praevidebatur plenitudinem gratiarum et donorum, [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] de qua plenitudine acciperent omnes, qui erant accepturi; igitur fuit causa meritoria praedestinationis omnium electorum, quibus intuitu meritorum Christi conferebatur gratia, et caetera supernaturalia dona; ergo multo magis gloria praeordinabatur per Christum, quia finis est prius volitus, quam media ad ipsum. Si volita igitur [*Oxon.* ib. d. 41. per tot.] fuit gratia electis per Christum, veluti per causam meritoriam, tamquam medium ad finem, volita quoque fuit gloria illorum per eamdem causam, per quam data sunt ipsis media pro gloriae consequutione.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 18. n. 9.] *assumptum* esse falsum, quia Christus non tantum meruit, nec meriturus praevidebatur per passionem, sed praeterea meruit, et meriturus praesciebatur penes portionem superiorem, et secundum omnem actum eius. In illo igitur priori, de quo procedit argumentum, praevidebatur ipsum habiturum plenitudinem gratiae, qualis nempe decebat Unigenitum Patris, et consequenter eliciturum actus intensissimos dilectionis Dei; illi igitur erant meritorii priusquam disponeretur de aliis meritis, quae poterat lucrari ex passione in signis posterioribus ordinanda.

Ad secundum dico, in illo priori signo, quo fuit constitutus caput Ecclesiae et omnium electorum, non fuisse praevisum perfecte beatum, scilicet impassibilem, quoad portionem inferiorem, et corpus; quia tunc vel Dei decretum fuisset mutatum, vel certe ipse vere passus non esset, quorum utrumque est falsum. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 9. seqq.] Non fuit itaque in illo priori habita ratio de his modis, et consequenter persona illa non habebat aliquam conditionem repugnantem merito, quam habent nunc Beati in Patria; qui proinde sunt omnino in termino, et nullo modo in via; et consequenter poterant esse actus illi portionis superioris meritorii, atque intuitu eorum, Deum voluisse praedestinare quotquot aequum iudicabat, et tradere eos Filio suo, ut corpus mysticum, cuius ipse esset caput et princeps a quo, et ex quo ut accipiebant gratiam, deberent accipere gloriam, ut a causa meritoria.

Ad tertium respondeo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] neque Christi, neque aliorum Sanctorum praedestinationem habuisse causam meritoriam intrinsecam, atque in hoc unam alterius esse similem; tamen factum esse, ut Sanctorum praedestinatio habuerit causam meritoriam extrinsecam de

condigno: in universis enim operibus Dei non fuit aliquod opus mere gratiae, nisi sola Incarnatio Filii sui. [*Oxon.* ib. d. 15. q. 1. n. 7.] Ea igitur causa extrinseca est Christus, per quem proposuit Deus, veluti per Personam longe sibi acceptissimam et gratissimam, dare cuncta dona supernaturalia Electis constituentibus corpus mysticum eius, atque de plenitudine capitis accipientibus. Est igitur Christi praedestinatio simul exemplar et causa meritoria praedestinationis Sanctorum. Sed videndus *cit. art.* 8. 1. *par.*

QUAESTIO VIGESIMAQUINTA.

DE ADORATIONE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his, quae pertinent ad Christum comparatione ad nos; et *primo* de Adoratione Christi: *secundo,* de hoc, quod est Mediator noster ad Deum.

Et circa primum quaeruntur sex.

1. Utrum una et eadem adoratione sit adoranda Divinitas Christi et eius humanitas. - 2. Utrum caro Christi sit adoranda adoratione latriae. - 3. Utrum adoratio latriae sit exhibenda imagini Christi. - 4. Utrum sit exhibenda Cruci Christi. - 5. Utrum sit exhibenda Matri eius. - 6. De adoratione Reliquiarum Sanctorum.

ARTICULUS I.

UTRUM UNA ET EADEM ADORATIONE SIT ADORANDA DIVINITAS CHRISTI ET EIUS HUMANITAS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 9. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 25. *a.* 1.

VIDETUR alia adoratione esse adoranda humanitas Christi ab ea, qua adoratur eiusdem Divinitas. Etenim [*Oxon.* 3. d. 9. n. 7.] summum dominium non habuit Deus ab aeterno; fuit enim Dominus ex tempore, cum scilicet creatura fuit serva; dominium igitur est ratione creationis, per quam creatura accipit totum esse suum a Deo: sed tanta ratio dominii videtur competere Deo propter beneficium redemptionis sicut per creationem; ergo ita debetur cultus latriae Redemptori, ut est redemptor, et ratione redemptionis, sicut Creatori ratione creationis; adeoque alia adoratione est adoranda humanitas, in qua et per quam redemptio peracta fuit, et alia Divinitas. — *Assumptum* de aequalitate dominii in Creatore et Redemptore respectu creati et redempti, *probatur:* tum ex illo Apostoli, 1. ad Corinth. 6.: *Empti enim estis pretio magno, glorificate,* etc.; igitur per hoc sum servus eius, quia redemptus: tum ex Gregorio in Cantico *Exultet,* dicente, *nihil nasci profuit, nisi redimi profuisset;* ergo tantum bonum confertur per redemptionem, quantum per creationem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 9. n. 7.] Per redemptionem confertur bo-

num gratiae et gloriae; per creationem vero tantum bonum naturae; ergo par cultus est exhibendus ei, qui redemit, ac illi, qui creavit; ideoque cum Christus fuerit Redemptor secundum naturam humanam, quatenus secundum hanc nos redemit, fuitque ratio redimendi, debetur ei eadem adoratio, quae Creatori, licet distincta ab ista.

3. PRAETEREA. Adoratio, qua colitur Christi Divinitas, est communis sibi, Patri, et Spiritui Sancto; est enim omnibus Divinis Personis unum idemque motivum adorationis: sed adoratio, qua adoratur Christi humanitas, non est communis omnibus Divinis Personis; [*Oxon.* 3. d. 9. n. 1.] quia Christus secundum humanam naturam Trinitatem adoravit; etenim orationem fudit ad Deum, utique unum, et trinum; igitur alia adoratione est adoranda eius humanitas, et alia Divinitas.

CONTRA. Damascen., *lib.* 3. *cap.* 8. [*Oxon.* 3. d. 9. n. 6.] *Christus Deus perfectus, et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu Sancto una adoratione cum incontaminabili carne eius, non inadorabilem carnem eius dicentes: adoratur enim in una Verbi hypostasi, quae eius hypostasis facta est.*

RESPONDEO dicendum, una eademque adoratione esse adorandam divinitatem Christi, atque eius humanitatem, et adoratione quidem, quae dicitur *latria* [*Oxon.* 3. d. 9. n. 2.] De (1) qua primo est videndum. Quemadmodum igitur revereri aliquem actu interiori est reputare bona propria parva et modica respectu bonorum illius, quem reveremur; ita revereri, seu colere, vel adorare aliquem *latria,* est extollere bonitatem eius tamquam summam respectu bonitātis suae, quae etiam sit a bonitate illius, qui tali adoratione colitur et adoratur. Ex quo patet, huiusmodi cultu non esse colendum nisi solum Deum, qui solus habet bonitatem summam, a quo etiam est omne aliud bonum. Quo itaque is actus est laudabilior, dum tendit in obiectum conveniens, eo profecto detestabilior est, si feratur in disconveniens, et vocatur idololatria. Cultui autem latriae interiori correspondent aliqui actus exteriores tamquam signa eius, et ita in quacumque lege sunt, et fuerunt aliqua sacrificia, et ritus, vel genuflexiones protestantes hunc cultum et reverentiam summo Domino exhibendam, et summam esse dominationem in eo profitentes, cui talia exhibentur, et subiectionem esse ad illum in eo, qui exhibet. Caeterum *latria* de utroque cultu, interno scilicet et externo, dicitur aequivoce. Actus enim externus ex se non est moralis, sed quatenus ab interno imperatur. At habitus generatus ab actibus internis virtus est, cum sit consonus rationi rectae; non quidem virtus theologica, quia non habet pro obiecto immediato bonum increatum, sed honorem deferendum Domino increato; est ergo virtus moralis, contenta sub iustitia, qua redditur superiori, quod sibi debetur. — Verumtamen [*Oxon.* 3. d. 9. n. 12.] adoratio in communi univoce dicitur de *Dulia,* qua coluntur omnes Sancti, citra humanitatem Christi in se consideratam, et B. Virginem Matrem eius. *Hyperdulia,* quae est extrema reverentia exhibita creaturae; hoc itaque cultu adoramus et B. Virginem, et humanitatem Christi secundum se spectatam. Et *latria.* Sicut enim bonitas univoce di-

(1) De triplici adoratione, *Latriae, Hyperduliae et Duliae.* Latria (inquit Lychetus hic) non est virtus theologica, sed moralis, et potissime continetur sub iustitia, qua redditur superiori quod sibi debetur. Idipsum docent Magister Richardus 3. *dist.* 4. *art.* 1. *et q.* 8. vult latriam esse nobiliorem caeteris virtutibus moralibus. Bonav. *ibid. art.* 2. Quo laudabilior latriae actus, eo execrabilior idololatria.

citur de omnibus habentibus eam, ita et cultus eiusdem bonitatis. — Quod igitur [*Oxon.* 3. d. 9. n. 14.] una eademque adoratione sit adoranda Christi Divinitas, et humanitas declaratur: etenim terminus ille adorationis, scilicet Christus, includit utramque naturam; cum itaque adoratio tendat in illud suppositum confuse, afficit quicquid in ipso reperitur; igitur colentes Christum, eadem adoratione adoramus Divinitatem, et humanitatem eius. Natura enim humana unita Verbo non impedit totum illud esse adorabile latria; licet alias de seipsa non sit sic adorabilis humanitas; sicuti eadem adoratione colimus Deum Trinum, licet proprietates relativae non sint de se adorabiles; quia tamen non impediunt Personas esse adorabiles, et ipsae una cum Divinitate adorantur, et eadem adoratione coluntur.

Ad Argumenta. Ad primum et secundum dico, [*Oxon.* 3. d. 9. n. 8.] posse poni rationem adorandi vel esse beneficia collata ab ipso, qui colitur, vel esse bonitatem et perfectionem intrinsecam eiusdem, nulla habita ratione bonorum ab eo acceptorum, vel conferendorum. Et primo quidem modo, factum argumentum procedit. Dico ergo, fieri posse, ut aliquis ad idem multis titulis obligetur, ut ad servandam castitatem obstringitur Religiosus habens ordines sacros. Si igitur est aequale vel maius beneficium redimi quam creari, ad eumdem cultum Deo exhibendum sumus multipliciter obligati; non ad maiorem, quia redempti; nam ad maius summo, quo per creationem tenemur, non possumus obligari. Sed tunc nego, debere nos alia adoratione colere humanitatem Christi, et alia eius Divinitatem; quia licet in facta suppositione essemus servi Christi duplici illo titulo, non essemus tamen ratione humanitatis; quia etsi per hanc naturam fuerit Redemptor, non tamen secundum eam effecit principaliter redemptionem, sed causa principalis fuit tota Trinitas; humanitas autem ipsa effecit meritorie, et instrumentaliter. Igitur tantum Trinitati debetur latriae cultus ob multiplicem rationem.

Si teneatur alia via, [*Oxon.* 3. d. 9. n. 8.] dicens, summam bonitatem intrinsecam Deo esse rationem ipsum adorandi, cum haec non sit alia et alia ob diversitatem effectuum, nec erit multiplex ratio adorandi Deum; tunc igitur argumentum applicatum ad Christum, ut Redemptorem, non concludit. Quia illa natura in qua exercuit opera redemptionis non habet bonitatem intrinsecam infinitam, qualitercumque ipsa esset ratio vel principium conferendi nobis maximum bonum.

Ad tertium respondeo ex dictis; [*Oxon.* 3. d. 9. n. 14.] concedo enim Christo secundum Divinitatem inesse summam bonitatem, quae est ratio ipsum adorandi *latria,* atque id motivum habere commune cum caeteris Divinis Personis, ac proinde fateor humanam naturam non habere hanc eamdem rationem intrinsecam, ob quam debeatur sibi latria; esse tamen adorandam, et adorare nos *latria* Christi humanitatem, quatenus est unum quid cum termino adorationis totali; eadem ergo adoratione latriae adoratur Christi Divinitas et humanitas, quia adoratur Verbum subsistens in duabus naturis.

ARTICULUS II.

UTRUM HUMANITAS CHRISTI ADORANDA SIT ADORATIONE *LATRIAE.*

Doctor, loc. cit. art. anteced. — S. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 2.

VIDETUR Christi humanitas non esse adoranda adoratione *latriae.* Nam [*Oxon.* 3. d. 9. n. 1.] *latria* est cultus debitus soli summo Domino, ratione summi dominii: sed Christus tantum secundum naturam Divinam est summus Dominus; igitur secundum hanc tantum debet coli cultu latriae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Etsi natura humana uniatur Verbo Dei, ipsa tamen creatura est, limites creaturae nequaquam excedens; ergo nec cultus debitus Christo secundum ipsam naturam debet excedere cultum debitum creaturae quantalibet excellentia polleat: latriae cultus excedit creaturae debitum; igitur non competit humanitati Christi.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Solummodo illud est latria colendum et adorandum, quod est super omnia diligendum, quia idem, et secundum eamdem naturam est summus Dominus, et finis ultimus: sed Christus tantum secundum naturam Divinam est summe diligendus, quia solum secundum eam est summe bonum, et finis ultimus; ergo secundum quod homo videtur colendus latria.

4. PRAETEREA. Si Christus colendus esset latria non [*Oxon.* ib. n. 14.] exclusa humanitate, pariter foret diligendus summa dilectione, eodem pacto quo adoratur: hoc autem est falsum; ergo neque est latria colendus, ut est quoddam totum Divinitate constans et humanitate. *Probatio minoris:* nam unio hypostatica, qua natura humana Verbo Dei unitur, non est summe diligibilis, nec diligenda, quia est quid creatum, et exiguae bonitatis, cum relatio quaedam esse dicatur; ergo nec totum est summe diligendum, quandoquidem ab eadem unione habet, ut sit quoddam totum.

CONTRA. Augustinus, *Serm.* 58. *De verbis Domini: Ego,* inquit, *dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem, ideo adoro quod a Divinitate suscepta, et Deitati unita est, ut non alium, et alium, sed unum eumdemque Deum et hominem Filium Dei esse confiteor. Denique si hominem separaveris a Deo, illi numquam credo, nec servio. Velut si quis purpuram vel diadema regale iacens inveniat, numquid conabitur adorare? Cum vero ea Rex fuerit indutus periculum mortis incurrit si ea cum Rege adorare quis contempserit.* Haec ille. Et Damascen., lib. 3. c. 8. *Adoro;* ait, *Christi Dei mei simul utramque naturam propter carni unitam Deitatem; non enim quartam apponi Personam in Trinitate, sed unam Personam confiteor Verbi et carnis eius.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 9. n. 6.] Christi humanitatem esse adorandam adoratione latriae; etsi enim natura humana non sit ratio adorandi Christum latria, sed talis ratio solummodo sit eius Divinitas, nihilominus non debet a termino adorationis excludi natura humana, quasi ipsam includendo non possit totum adorari. Et ita loquitur Damascen., loc. citat. *Christus Deus perfectus, et homo perfectus, quem adoramus cum Patre et Spiritu Sancto una adoratione cum inconta-*

minabili carne eius. Ubi positio *cum* est accipienda associative, non copulative, ut non sit sensus: adoramus Verbum, et carnem; sed potius: adoramus Verbum cum carne, idest, habens carnem sibi unitam. Sic ergo non debet excludi a *termino* adorationis caro, licet ipsa non sit *ratio* adorandi; adeoque Christi humanitas est colenda cultu latriae. Est exemplum Augustini de Rege, et purpura. Quamvis [*Ib.* et *Report.* 3. loc. cit. n. 9.] enim Rex propter se et in se sit adorandus, pari cultu est prosequendus ut purpuratus; non quasi purpura addat illi rationem adorandi, sed quia est in termino adorationis, nec faciat quin sit adorandus, licet purpura iacens non sit adoranda. Pariter et caro, ut est unita Verbo. Aliud exemplum de toto, et partibus; si revereor hominem propter sapientiam, vel virtutes, totum revereor, corpus scilicet et animam, non animam solum excludendo corpus ab ipso reverito.

Ad Argumenta. Ad primum, et secundum [*Oxon.* 3. d. 9. n. 14.] est una responsio; dumtaxat enim probant naturam humanam non esse rationem adorandi, quod concedendum est; solummodo enim talis ratio est natura Divina; nam si humana natura esset ratio adorandi Christum adoratione latriae, ipsa separata a Verbo eamdem rationem haberet: quod expresse negat Augustinus, dicens: *Si hominem separaveris a Deo, illi non servio;* hac videlicet servitute latriae: sed non probatur ipsam non involvi in termino adorationis, aut non adorari eadem adoratione latriae; cum nullum ea de causa sequatur inconveniens; sicuti nihil obstat, quin sit ille homo Deus; et quemadmodum ille homo est Deus, quia Verbo unitus, ita est terminus adorationis; ita quod nequeat esse talis per se consideratus, sed quatenus unitus.

Ad tertium respondeo iuxta dicta *ad Primum argumentum, art. praec.;* [*Oxon.* ib. n. 6. et 14.] et primo in sententia tenentium rationem adorationis latriae esse bonitatem intrinsecam adorati absolute; *concedo maiorem,* et *distinguo minorem:* Christus secundum Deitatem est dumtaxat summe diligendus, sic ut ratione eius sit summe diligibilis, eaque sola sit ratio motiva summe diligendi ipsum, *concedo minorem,* et *consequentiam;* scilicet Christum dumtaxat secundum Divinitatem esse adorandum. Si vero *solum* intelligatur exclusive a termino adorationis, sive dilectionis, *nego minorem,* et *consequentiam;* quia ut in termino illo includitur duplex natura, ita nulla debet excludi in adoratione et dilectione.

Qui autem [*Oxon.* ib. n. 8. et 14.] teneret rationem adorationis esse summam bonitatem, ut se communicantem adoranti, concederet summe adorandum esse summe diligendum, non tamen e converso, quia summum bonum in se intensive est summe diligendum, sed non esset summe adorandum, nisi summa beneficia praestitisset adoranti. Haec itaque sententia negaret *assumptum* in argumento; nam si per impossibile essent duo Dii, quorum alter creasset nos, Creatorem deberemus adorare; uterque tamen esset summe diligibilis.

Ad ultimum potest dici sic: [*Oxon.* ib. n. 14.] si oporteret actum diligendi distincte respicere obiectum diligibile, tunc totum Christum non summe diligi, qui tamen summa adoratione adoratur, propterea quod adoratio confuse tendere potest in obiectum, ut adoratio tendit, tunc Christum esse summe diligendum, etsi nec unio, nec natura humana sit ratio summe diligibilitatis: sicuti Trinitatem adoramus una

adoratione, et diligimus una dilectione, licet proprietates personales non sint formaliter infinitae. Itaque totum est in adoratione adorandum; nec nimis distinguere debemus naturam illam creatam a Verbo, sed Verbum subsistens in duabus naturis adorare summa adoratione, et diligere summa dilectione oportet.

ARTICULUS INCIDENS.

QUAENAM ADORATIO DEBEATUR CHRISTO QUATENUS EIUS HUMANITAS, QUA FUIT REDEMPTOR, EST RATIO ADORATIONIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 9. — *Report. ib.*

VIDETUR sibi deberi adoratio latriae. Nam [*Oxon.* 3. d. 9. n. 9. — *Report.* 3. d. 9. n. 5.] debetur ei maior adoratio, quam hyperduliae; igitur adoratio latriae. *Probatur assumptum:* etenim cultus hyperduliae debetur sibi absolute secundum illam naturam, secundum quam fuit plenus gratia, quamquam non redemisset nos; ergo cum in illa redemerit nos, de facto debetur ei maior cultus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Secundum humanam naturam est caput Ecclesiae, secundum Augustinum super illud Ioann., 15. *Ego sum vitis:* habet itaque influere gratiam in totam Ecclesiam; ergo tota Ecclesia sibi specialius tenetur, quam si non esset caput, nec influeret in membra: sed si haberet solum tantam gratiam personalem, quantam habuit, deberetur sibi summa hyperdulia, licet non esset Ecclesiae caput; ergo modo cum sit caput debetur sibi maior cultus, ac subinde latria.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Una ex rationibus positis ab aliquibus, quare non potuit reparatio hominis fieri a pura creatura, est, quia tunc genus humanum non esset perfecte restitutum ad illam excellentiam, quam habuit prius, quia teneretur servire illi creaturae, quae ipsum reparasset, et non teneretur servire soli Deo; ergo oportuit reparatorem esse Deum. Ista ratio non concluderet si Christus prout eius humanitas est ratio adorationis esset tantum adorandus adoratione hyperduliae. Etenim tunc homo redditus foret pristinae excellentiae, cum solum Deum teneretur adorare latria, et alium mediatorem hyperdulia: nam non teneretur adorare alium latria. Si modo natura humana in Christo non sit ratio alterius adorationis ab hyperdulia; oportet igitur esse rationem alterius adorationis, et nonnisi latriae.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 10.] Ansel., 2. *Cur Deus homo,* cap. 14. probat vitam illius hominis fuisse maius bonum, quam fuerint mala omnia peccata, quae non immediate erant in Personam Divinam. Ex quo arguitur sic: si illud bonum erat tantum bonum quantum malum erat eius privatio; ergo quoniam privatio eius erat maius malum, quam omnia mala quae possent esse infinita, illud malum fuit peius aliis infinitis; igitur bonum sibi oppositum fuit bonum aequale infinito, ac proinde Christo secundum naturam humanam debetur eadem adoratio, quae exhibenda est bono infinito.

CONTRA. Augustinus, serm. 58. *De Verbis Domini: Si hominem separaveris a Deo, illi numquam credo, nec servio,* eadem scilicet servitute, qua ei servitur ut est unitus. Illa autem est servitus, et adoratio

latriae; igitur ipse secundum humanitatem non habet rationem, cui debeatur adoratio latriae; nam semper eamdem haberet, et quatenus est unitus, et inquantum intelligitur separatus.

RESPONDEO ex dictis *art. praeced.* [*Oxon.* ib. n. 11.] quemadmodum latriae exhibendae potest poni ratio vel bonitas intrinseca ipsius qui ita adoratur, vel bonitas illa, ut se communicans adoranti, ita etiam potest poni ratio adorationis hyperduliae, nempe vel bonitas intrinseca ipsius adorati absolute, vel ut per ipsum, tamquam per causam secundam communicatur adoranti maius bonum. Si primum dicatur, patet qualiter non debetur Christo secundum humanitatem maior adoratio ex eo quod est Redemptor, quam si talis non fuisset. Sed secundo modo dicendi inhaerendo, potest dici, Christo deberi maiorem reverentiam, quia Redemptor, quam si non esset Redemptor, si nempe illa quae deberetur ei tunc, non esset maxima, quae si maxima foret deberetur sibi eadem ex alia ratione, et titulo, ut de latria in *primo articulo* dictum est, nec aliud rationes adductae videntur probare.

Et PRIMA quidem, [*Oxon.* ib. n. 12.] quae procedit de ipso ut est mediator, et causa meritoria salutis nostrae; et SECUNDA, ut est caput Ecclesiae, hae, inquam, tantum probant ei exhibendam esse maximam adorationem infra latriam, si alias illi ea non fuisset debita, nec ex eo quod multiplicarentur rationes exhibendae adorationis, facit ut debeatur ei cultus, qui soli Deo debetur. — TERTIA ratio solum probat, congruum fuisse, ut Persona redimens et meritorie salvans fuerit Deus, quatenus eidem Personae debeamus istam summam hyperduliam ratione redemptionis, cui debemus adorationem latriae ratione creationis; sed non fuissemus propter hoc minus perfecte reparati, si obnoxii essemus et impendere deberemus alteri hyperduliam, quam illi cui debemus latriam. Et nunc de facto adoramus Beatam Virginem hyperdulia, et omnes alios Sanctos dulia, nec tamen ob has adorationes sumus magis depressi, quam si solus Deus esset a nobis colendus et adorandus, sicut revera essemus, si alicui alteri exhibere teneremur illam adorationem, qua debemus Deum adorare. Sicut congruum est Patrem nutrire filium, quem genuit, magis quam alium, ut eidem personae debeatur reverentia, quae debetur genitori, et nutritori.

AD ULTIMUM ex Anselmo dico, [*Oxon.* ib. n. 13.] vitam creatam Christi non fuisse bonum infinitum formaliter, nec summe diligendam. Unde et Trinitas voluit eam non esse in morte, ex quo voluit eius mortem. Caeterum averti a Deo in uno est gravius, quam averti ab eo in alio; et tanto gravius, quanto conversio ad illum esset melior, caeteris paribus; et quoniam diligendo naturam humanam in Christo, summa conversio potuit esse in Deum, quae fit per actum utendi creatura, hinc odiendo illam vitam erat pessima aversio, et occisio illius hominis erat gravissimum peccatum quantum fuit ex parte obiecti. — *Et cum dicitur,* fuisse gravius omnibus aliis peccatis etiam possibilibus non immediate commissis in Deum; *respondeo,* peccata habere gravitates distinctas, et unam non includere aliam; gravitas illius igitur quoad intensionem videtur maxima fuisse, et quantum ad extensionem maxima fuit in aliis peccatis simul acceptis.

RURSUM ARTICULUS INCIDENS.

AN, ET QUANDO TENEAMUR EXHIBERE DEO CULTUM LATRIAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 9. — *Report. ib.*

RESPONDEO *dicendum primo,* [*Oxon.* 3. d. 9. n. 4.] teneri et obligari nos ad aliquando eliciendum actum adorationis latriae erga Deum; rationabile enim est creaturam intellectualem obligari ad aliquando recognoscendum et reverendum summum Dominum suum. Quantum enim creatura intellectualis praestat non intellectuali in perfectione, et cognitione Dei, tantum supremo Creatori suo magis obligatur, et tenetur ad rependendum actum dilectionis, obsequii, et reverentiae illi, a quo esse, et praestantissima beneficia recepit, non coactus ab aliquo, quis enim esset ille? sed solo instinctu infinitae bonitatis suae. — Et sane ad id obligamur ex primo praecepto primae Tabulae· *Non habebis deos alienos.* Quod praeceptum non est intelligendum dumtaxat negative, quatenus nempe prohibet adorationem exhiberi alicui, cui non convenit; sed etiam affirmative, ut habeatur Deus verus, et ut tamquam Dominus adoretur; quod clare significat illud *Deuteronomii,* 6. allegatum a Salvatore, Matthaei, 4. *Dominum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ubi exprimitur praeceptum affirmativum de adoratione, et excluditur adoratio exhibenda aliis, sicut cum dicitur: *Non adorabis deos alienos;* prohibetur Idololatria.

Dicendum secundo, [*Oxon.* ib. n. 5.] hunc actum adorationis latriae esse aliquando eliciendum. Etsi enim praeceptum sit affirmativum, sicut illud, *Honora Parentes;* et quamvis hoc possit sine transgressione observari, esto quod praecipitur numquam exequutioni demandetur, ut si Parentes iam obiissent, vel si essent longe dissiti, adeo ut aliquando non occurreret opportunitas eos honorandi; nihilominus nihil potest excludere pro semper opportunitatem adorandi Deum; simpliciter igitur ad actum huius praecepti affirmativi aliquando eliciendum tenetur quilibet adultus rationis compos.

Sed quandonam praeceptum hoc affirmativum urget, ut nisi actus adorationis eliciatur, violari intelligitur? *Respondeo* [*Oxon.* ib.] tempore legis Mosaycae videtur determinatio fuisse ad actum huius praecepti per illud aliud mandatum, *Sabbathum sanctifica;* quod etiam fuit praeceptum tempore legis naturae, sicut scribitur de Sacrificio Abelis, et Caini, *Gen.,* 4. ut scilicet aliquo determinato tempore vacaret homo ab operibus servilibus; ita tamen, ut non in hac tantum negatione esset observatio praecepti, sed in actu positivo in sanctificando, idest, magnificando Deum ut supremum Dominum, ipsumque colendo, ut ipse vel per internam inspirationem, vel alio modo revelaverat. At pro tempore legis Evangelicae cultus iste exhibendus Deo in sanctificatione Sabbathi, determinatur impendendus die Dominico, et etiam determinatur quantum ad actum illum, qui debet exhiberi, scilicet in oblatione illius summi Sacrificii Eucharistiae, videlicet quod debet Sacerdos pro se offerre et pro populo, et in illa oblatione populus etiam offert spiritualiter, qui tenetur audire Missam totam die Dominico. *De consecrat.,* d. 1. c. *Missas.*

Etsi quis aliqua necessitate excusetur ab exequutione huius actus, quem determinavit Ecclesia, necesse est implere illud in aliquo aequivalente, ut saltem praefato die specialiter cultui divino deputato aliquem actum eliciat relatum immediate in Deum ad eius reverentiam. Et fortasse illud praeceptum obligat etiam aliquo alio tempore ultra determinatum in lege naturae, Mosaycae, et Evangelicae; sed sufficit nobis ad praesens certum esse diebus Dominicis nos obligari et teneri ad aliquam adorationem Deo exhibendam.

Caeterum actus latriae [*Report.* 3. d. 9. n. 3.] est eliciendus iuxta praeceptum Legislatoris, qui in omni lege determinavit modum, quo debebat talis reverentia sibi exhiberi; et alium quidem modum habuit lex naturae, alium lex Mosayca, et diversum ab illis denique et profitetur et repraesentat lex Evangelica. In omni tamen lege concurrebant oblationes, orationes vocales, et signa corporalia, cuiusmodi sunt prostrationes, genuflexiones, inclinationes, quibus nimirum exprimeretur atque significaretur actus internus adorationis. Ad actum igitur latriae ista tria debent concurrere, signum corporale, oblatio, et oratio, et specialissime iste actus exhibetur in Sacramento Altaris.

ARTICULUS III.

UTRUM IMAGO CHRISTI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE.

Doctor, loc. infra citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 25. *art.* 3.

RESPONDEO, Christi imaginem esse adorandam adoratione latriae. Nam imago, ut de ea hic loquimur, [*Oxon.* 1. d. 3. q. 9. n. 2.] *est repraesentativum totius, quatenus est* natum *imitari ipsum.* Si non adsit enim ratio imitabilitatis, imago alterius non dicetur, quia quantumcumque duo ova sint similia, unum non est imago alterius, cum unum non sit natum alterum imitari, inquit Augustinus, *lib.* 83. *qq. q.* 25. Cum igitur imago imitetur imaginatum, et totum ipsum repraesentet eam ut per speciem cognitam, cognoscitur imaginatum naturali discursu. Et quoniam omnis discursus praesupponit notitiam illius simplicis, ad quod discurritur, [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] videns imaginem Christi Domini, per eam, ut per quoddam repraesentativum illius quod imitatur, cognoscit ipsum, et discurrit, et fertur ad ipsum, quem prius ex fide sciebat. Et profecto experimur Christi passionem nos facilius contemplari, si imaginem Crucifixi frequentius intuemur; ex ea enim intuitione species Christi patientis in phantasia generatur. Itaque, (ut in *secundo art.* dictum est) quoniam Christus est adorandus adoratione latriae, sequitur et imaginem eius pariter esse sic adorandam, quatenus nimirum ad imagatum se extendit, ipsumque imitatur et repraesentat.

Verumtamen, imagines tantum per accidens adorantur, non per se, quia sic esset idololatria. Quod igitur in eis per se adoratur est imagatum, cuius sunt imagines et imitationes; sic igitur imaginibus adoratio debetur per accidens ratione interioris significationis, et eadem adoratione adoratur per se illud, quod est significatum, sicut eodem modo et ratione significationis adorantur verba sancti Evangelii, et Sacramenta a Christo instituta.

ARTICULUS IV.

UTRUM CRUX CHRISTI SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE.

Doctor, Report. 1. *d.* 16. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 25. *a.* 4.

VIDETUR Christi Crux non esse adoranda adoratione latriae. Nam [*Oxon.* 4. d. 7. q. 2.] nusquam in divina Scriptura reperitur, Christi Crucem aut imagines esse adorandas latria, aut fuisse adoratas, sed magis oppositum; ergo proponere Crucem cultu latriae adorandam, videtur novum dogma, subinde non tolerandum in Ecclesia.

2. PRAETEREA. Ex dictis, *art.* 1. *et* 2. ideo adorare et colere debemus cultu latriae humanitatem Christi, quia est unita supposito Verbi Dei, ad quod latriae cultus terminatur, sed Crux in qua Salvator pependit non est unita supposito Verbi; ergo si non est adoranda latria Christi humanitas, quatenus non intelligitur supposito Divino unita, multo minus adorare debemus Crucem, in qua Christus mortem pertulit.

3. PRAETEREA. Si Crux foret adoranda quia tetigit corpus Christi adorandum, pari cultu essent prosequenda quaecumque corpus illud Sacratissimum tetigerunt, et praesertim clavi, lancea, indumenta ipsius, et alia id genus: hoc non videtur admittendum; ergo neque Crux est adoranda adoratione latriae.

CONTRA. Damascen., *lib.* 4. *cap.* 12.: *Hoc,* inquit, *ingentis sane pretii lignum, ac venerandum, in quo Christus seipsum sacrificii causa pro nobis obtulit, ut ex sancti Corporis et Sanguinis contactu sanctificatum optimo iure adorari debet.* Est igitur Crux latria adoranda, sicut eo cultu adoratur ille per quem Crux veneratur.

RESPONDEO dicendum, Christi Crucem esse adorandam adoratione latriae; et quidem loquendo de ipsa Cruce in qua Dominus Salvator noster pependit duplici de causa esse latria colenda. *Prima* est, quia repraesentat Crucifixum, idest, hominem illum clavibus dirissime transfixum ad instar Crucis efformatum. [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] Hinc cupientes colere Christum et passionem eius, quo fortius eius acerbissima passio, et mors memoriae imprimatur, Crucem aut Crucifixi imaginem intuemur; quod est verum non solum de ipsa Christi Cruce, sed de omnibus aliis et ideo in quacumque tandem materia expressae, vel celatae sint, latriae cultu sunt adorandae. *Sed ulterius* vera Christi Crux ob aliam causam est hoc latriae cultu prosequenda, quia nimirum tetigit sacratissima Membra eius, ac suscepit ebibitque pretiosissimum Sanguinem Christi Filii Dei.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 2.] ex eo quod non contineatur in Scriptura Crucem esse latria adorandam, non sequi novum dogma esse, et non admittendum ab Ecclesia; quia complura tenemus certissima, et infallibili traditione, quae non leguntur in divinis Scripturis, sicut de adoratione ad Orientem scribit Damascenus, *lib.* 4. *cap.* 13.: *Est autem,* inquiens, *Apostolorum hoc institutum litteris Sacris haud quaquam proditum: complura etenim illi, nulla Scripturae auctoritate nixa nobis tradiderunt.*

AD SECUNDUM dico, revera Crucem non extitisse, nec esse unitam

personaliter Verbo Dei sicut Christi humanitas; sed nos non hac ratione fore latria adorandam diximus, sed quia repraesentat ipsum Christum, cultu latriae colendum, et quia tetigit corpus Sacratissimum eius.

AD TERTIUM respondeo, Damascen., *lib.* 4. *capit.* 12. *cit.* expresse sentire, Clavos, Lanceam, Indumenta Christi, Praesepe, Antrum, Sepulcrum Christi adorari debere; sed non eodem modo; quia Crucem adoramus in quacumque materia exculpta fuerit, Lanceae autem, et Clavorum effigiem non adoramus, sed solum illam, qua confossum Corpus Christi fuit, et Clavos, quibus Cruci Salvator mundi confixus est.

ARTICULUS V.

UTRUM B. VIRGO SIT ADORANDA ADORATIONE LATRIAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3 *p. q.* 25. *art.* 5.

VIDETUR B. Virgo esse adoranda adoratione latriae. Etenim ex dictis *art. praeced.* Christi Crux, in qua scilicet ipse pro mundi salute affixus fuit, est adoranda adoratione latriae, et quia repraesentat ipsum Crucifixum, cui debetur latria, et quia tetigit membra eius dum in ipsa pependit: sed B. Virgo Maria praeterquam quod Christum in suo purissimo Ventre novem mensibus gestavit, eumdem aluit, lactavit, et frequentissime subinde pertractavit; ergo pariter et ipsa est latria adoranda.

2. PRAETEREA. Clavi, Lancea, atque caetera Christi indumenta non in seipsis coluntur cultu latriae, sed relative ad Salvatorem, qui talibus in hac vita usus est, vel ipsius sacrum corpus tetigerunt; igitur sub hoc respectu, est quoque latria adoranda B. Virgo, quia Mater Christi extitit, ipsumque frequentissime pertractavit.

CONTRA. Latria est cultus debitus summo Domino Creatori: is est solus Deus; ergo non est colenda latriae cultu aliqua creatura, sicut est B. Virgo Mater Dei.

RESPONDEO dicendum, B. Virginem esse adorandam non latria, sed hyperdulia, quae est extrema reverentia, et summum obsequium, quod exhibere possimus purae creaturae: [*Oxon.* 3. d. 9. n. 11. seqq.] seu enim ponatur ratio adorationis hyperduliae bonitas intrinseca ipsius qui sic colitur in ordine gratiae; seu ponatur ratio adorationis bonitas, ut se communicans adoranti, B. Virgini debetur cultus hyperduliae, qui nulli alteri Sanctorum potest competere, et exhiberi, nisi humanitati Christi in se consideratae. Nam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] B. Virgo eousque fuit in ordine gratiarum et donorum sublimata, ut vere sit Mater Dei, quam praerogativam nulli alteri creaturarum concessit Deus; sed et merita ipsius fuerunt tanta, ut plurimum etiam pro nobis meruerit. Sed et meruit accelerationem Incarnationis, ut citius nimirum repraesentaretur illa Incarnatio a Deo praeordinata. Magis igitur ipsa nobis meruit e profuit, quam omnes alii Sancti simul; ergo prae omnibus Sanctis est colenda, et adoranda cultu excellentiori, qui non est alius, quam hyperduliae. Sed quia et eius excellentia in se, et merita item ipsius originem, progressum, et consummationem receperunt a Deo, a quo bona cuncta procedunt, huic tantum debetur cultus latriae.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, concedo Beatissimam Matrem saepe pertractasse Filium suum dilectissimum, quem Ventre suo sacratissimo gestavit novem mensibus, et lactavit, et aluit; sed ex eo non sequi nisi ei exhibendam esse summam reverentiam possibilem exhiberi purae creaturae. Sicut enim illa per ea quae gessit circa Filium suum non excessit limites purae creaturae, ita non est attribuendus ei cultus, qui debetur soli Creatori; Crucem autem latria adoramus et quia repraesentat crucifixum Creatorem; et ulterius Christi veram Crucem adoramus pari cultu, quia praeterea ebibit Sanguinem eius.

AD SECUNDUM respondeo, licet relative ad Filium intelligatur Mater, tamen B. Virginem non esse adorandam latria, quia cultus iste videtur terminare ad personam illam prae omnibus Sanctis, et creaturis venerandam. Caetera instrumenta passionis Christi, indumenta item ipsius, et alia id genus, quibus usus est, recte coli posse latria per respectum ad Dominum Redemptorem, cui summus cultus debetur, quia eiusmodi inanima et insensibilia in seipsis non merentur aliquam specialem venerationem, sicut B. Virgo: hinc iis, qui Christum in crucifixione, et passione tetigerunt non exhibemus aliquem cultum, quia viderentur coli et honorari illi, qui ea de causa Christi sacratissimum Corpus tangentes, aeterna supplicia promeruere.

ARTICULUS VI.

UTRUM RELIQUIAE SANCTORUM SINT ADORANDAE.

Doct., Oxon. 3. *d.* 9. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 25. *a.* 6.

RESPONDEO, [*Oxon.* 3. d. 9. n. 12.] Sanctos esse colendos *Dulia,* qui est cultus debitus creaturis non habentibus eminentiam aliquam singularissimam, et quia templa sunt Spiritus Sancti, quatenus inhabitat per charitatem, a qua nequeunt amplius excidere, [*Oxon.* 3. d. 40. n. 7.] et quia nobis plurimum meruerunt; et ulterius, quia non solummodo ratione perpetua et generali orant pro omnibus electis, verum etiam quia volunt et orant, ut eorum merita prosint ad salutem eorum, qui invocant illos; [*Oxon.* 4. d. 45. q. 4. n. 4. seqq.] congruum est enim Deum revelare ipsis (etsi id non spectet ad eorum beatitudinem) orationes viatorum rogantium Deum, ut subvenire dignetur eorum necessitatibus per merita Sanctorum specialiter nominatorum; et eadem ratione congruum est Beatos esse Dei coadiutores eo modo, quo id ipsis competere potest, in procuranda salute electorum. Quemadmodum igitur in via meruerunt sibi, et nobis, ita nunc in Patria fundunt preces et orant pro nobis; recte enim potest quis perfectionem summam adeptus velle, ut per sua merita, per quae etiam perfectionem attigit, alius per suam orationem attingat et consequatur; et ratione igitur propriae excellentiae, et ratione beneficiorum a Deo nobis per ipsos collatorum, debetur Sanctis cultus *Duliae.*

Pari quoque cultu venerandas esse eorum Reliquias, ex eo patet, quod corpus spectat ad veritatem humanae naturae, et in ipso meruerunt dum essent in via, atque ita sit totus homo glorificandus. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 3.] Nec refert corpora eorum esse corrupta, et in cineres

redacta, quia adhuc superest altera pars compositi, [*Quodlib.* q. 10. n. 22.] scilicet materia per se, per quod corruptio distinguitur ab annihilatione. Ea vero quae ipsis inservierunt, ut vestes aliaque id genus, gratia illorum, qui talibus usi sunt, et quae ut instrumenta ad vitae necessaria, sancteque traducendam adhibuerunt, debito honore sunt prosequenda et colenda in ordine ad Sanctos.

QUAESTIO VIGESIMASEXTA.

DE EO, QUOD CHRISTUS MEDIATOR DEI ET HOMINUM DICITUR, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de hoc, quod dicitur Christus Dei et hominum Mediator.

Et circa hoc quaeruntur duo.

1. Utrum esse Mediator Dei et hominum sit proprium Christo. - 2. Utrum hoc conveniat ei secundum humanam naturam.

ARTICULUS I.

UTRUM ESSE MEDIATOR DEI, ET HOMINUM SIT PROPRIUM CHRISTO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. — *d.*20. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 26. *a.* 1.

VIDETUR non esse proprium Christo esse mediatorem Dei et hominum. Nam [*Oxon.* 2. d. 10. n. 2.] Angeli superiores mittuntur ad inferiores loquendo eis, et illuminando interius, et alii inferiores mittuntur exterius ad illa revelata nuncianda hominibus, vel explenda; igitur et ipsi Angeli funguntur officio mediatoris Dei et hominum; adeoque id proprium Christo esse dici non potest.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 11. n. 5.] Angelus potest docere hominem, sicut homo facit, imo perfectius, quia efficacius et celerius, cum sit naturae et intellectus praestantioris; igitur funguntur officio Mediatoris, et revera secundum propriam naturam gradum medium tenent inter Deum et homines.

3. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 20. n. 14.] Sacerdos ex ordine suo est nuncius Sponsae ad Sponsum; ergo est proprie mediator inter Deum et homines; atque ita munus mediatoris non competit Christo dumtaxat.

CONTRA. [*Oxon.* 1. d. 1. q. 2. n. 14.] Ecclesia frequenter dirigit orationes suas ad Patrem, et in fine inducit Filium tamquam mediatorem, et nullum alium; igitur esse mediatorem Dei, et hominum praecise competit Christo.

RESPONDEO: ille est vere et proprie mediator Dei et hominum, qui homines per peccatum aberrantes ad Deum reduxit, illumque eis iustissime iratum propitium reddidit: haec autem [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6. —

d. 20. n. 10.] solus Christus praestitit, qui voluntarie passionem acceptando, eamque pro electis Patri efficaciter offerendo, ordinata fuit in satisfactionem peccatorum nostrorum, atque ita omnem gratiam, primam scilicet et poenitentialem, nobis promeruit, et caetera alia dona supernaturalia, quae conferuntur nobis in Baptismate et tempore viae, et tandem gloriam sempiternam. Ex inimicis itaque per Christum mediatorem evasimus Dei amici, et filii adoptivi; idque non solum fuit post exhibitam passionem suam, sed pro quolibet statu post lapsum; quia [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 9.] nemo salvari potest, nisi sit membrum Ecclesiae, quod non contingit nisi in fide Mediatoris, per quam fidem omnia membra spectant ad ipsum caput, eique nectuntur per charitatem.

Ad Argumenta. Ad primum dico, Angelos utique mitti ad homines, eosque jussu Dei illuminare; sed id non esse officio mediatoris fungi, sed potius mediatori inservire, et obire iussa Principis eorum. Per hoc enim illi non reducunt homines ad Deum nisi ministerialiter. At summus mediator [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] de condigno promeruit nobis gratiam et gloriam: qui autem [*Oxon.* 4. d. 45. q. 4. n. 4.] vellet tribuere Angelis et caeteris Beatis munus mediatoris, quatenus orationibus satagunt reducere electos ad Patrem caelestem, non esset contra hanc *resolutionem.*

Ad secundum, concedo Angelos posse docere homines, esseque naturae praestantioris quam homines, sed nego exinde sequi eos esse mediatores. Illud enim habet Salvator, non ex natura, sed ex plenitudine gratiarum, quam congruum fuit habere Filium Dei; ex quo factum est, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] ut mors eius oblata Patri foret longe gratissima, utpote Personae dilectissimae, cuius subinde intuitu remittere sibi placuit homini offensam, et dare illi gratiam, quam promeruit Filius suus dilectissimus.

Ad tertium dico, Sacerdotes novi Testamenti posse utique appellari mediatores Dei et hominum, tamquam summi mediatoris et Pontificis Christi Vicarii; ipsis enim [*Quodlib.* q. 20. n. 14.] habentibus gradum notabilem in Ecclesia convenit offerre Sacrificium Corporis Christi, esseque ministros et dispensatores mysteriorum Dei; sed cum haec omnia habeant per summum mediatorem, ipse solus simpliciter est dicendus mediator.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS SECUNDUM QUOD HOMO SIT MEDIATOR DEI ET HOMINUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 9. — *d.* 13. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 26. *art.* 2.

Videtur Christus non esse mediator Dei et hominum inquantum homo. Etenim ad rationem mediatoris videtur pertinere non esse ullum extremorum inter quae officio fungitur mediatoris; alioquin enim qua ratione ipse mediator est, posset esse et illud extremum, cum quo essentialiter convenit: sed Christus secundum quod homo convenit essentialiter cum omnibus hominibus; igitur secundum quod homo nequit esse mediator Dei et hominum.

2. Praeterea. *Ex art. antec.,* Christus mediatoris functus est officio,

quatenus reduxit homines ad Deum, a quo elogati fuerant per peccatum; extitit igitur Mediator quia delevit hominum peccata: sed solius Dei est delere et remittere peccata; igitur Christus quatenus Deus fuit mediator, et non secundum quod homo.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 10.] Quicumque ante Christi adventum salutem adepti sunt, in fidem mediatoris venturi salutis potiti fuere: sed mediator tunc venturus erat simul Deus et homo; ergo secundum utramque naturam Christus est mediator, et non secundum quod homo praecise.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 9. n. 9. — d. 13. q. 4. n. 8.] Christus sub ea ratione extitit Dei, hominumque mediator, qua est Ecclesiae caput, reducens corpus suum mysticum ad Deum, et Patrem: est autem Ecclesiae caput secundum naturam humanam; ergo quatenus homo est mediator Dei et hominum.

RESPONDEO dicendum, Christum esse mediatorem Dei et hominum inquantum homo; quod declaratur: nam fuit mediator quatenus tollens peccatum de medio, reduxit et reconciliavit hominem Deo: hoc autem munere functus est, quia per passionem suam satisfecit pro nobis: sed passus est, et satisfecit inquantum homo, etsi peccatum deleverit inquantum Deus, cuius solius est remittere peccata; igitur fuit quoque mediator ut homo. — *Ulterius,* [*Oxon.* 1. d. 7. n. 20.] medium ut medium habet mediare inter extrema, sic ut participet quidem de extremis, et non sit alterum eorum quatenus medium: Christus autem ut Deus erat per omnia aequalis Patri; ergo sub ea ratione non fuit mediator inter Deum et hominem; ac proinde oportuit talem fuisse inquantum homo; nam inquantum homo participabat de utroque extremo, et non erat alterum illorum. Inquantum enim homo, erat Deus, et ut homo non erat Deus deitate, sed per idiomatum communicationem. — *Denique,* ea ratione Christus fuit Dei et hominum mediator, qua habebat plenitudinem gratiarum et donorum, ob quae erat Patri longe acceptissimus, et gratissima eius oblatio: sed [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 9.] erat plenus gratiae et veritatis quatenus homo, et non ut Deus, ut patet; igitur ut homo quoque officio mediatoris fungebatur. Sic etiam erat mediator quomodo in fide ipsius erant salutem adepturi quicumque salvandi erant; hoc modo autem fuit sub ratione, qua erat homo; nam in forma hominis erat venturus, et redempturus genus humanum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, naturam humanam, quae est in Christo, convenire quidem essentialiter cum aliis hominibus, quatenus corpore humano, animaque constat rationali; sed quia assumpta fuit a Verbo Divino, ideo hominem illum singularem esse Deum, quod nulli alteri convenit. Etsi igitur in essentialibus praedicatis conveniat Christi humanitas cum caeteris hominibus, maxima tamen inter illam et alios homines intercedit differentia; non solum ob praedictam unionem, sed etiam [*Oxon.* 3. d. 9. n. 9. seqq.] quia est omnium hominum et Angelorum caput, omnesque spectant ad regnum ipsius: electi, quatenus constituunt corpus mysticum eius; reprobi, inquantum sententia Christi iudicis poenis addicti sempiternis. — *Et cum dicitur in argumento,* quia tunc extremum cum quo medium essentialiter convenit posset rationem medii induere; *dico,* mediatoris officium non esse dimetiendum aliqua regula metaphysicalis convenientiae, sed potius pendere et ortum trahere

ex reali excellentia collata naturae humanae Christi, ob quam caput est electorum, et fons omnium donorum descendentium in membra corporis sui mystici; et quia extitit Deo longe acceptissimus et gratissimus, ideoque reconciliare potuisse genus humanum factum Deo inimicum propter inobedientiam Adae, nullum proinde alium hominem extitisse idoneum exequendi mediatoris munus.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. per tot.] Dei solius esse remittere peccata principaliter, et effective creando gratiam; at Christum peccata hominum delevisse meritorie, inquantum passus et mortuus est pro nobis in satisfactionem iustitiae divinae, et promeruit omnem gratiam, quam Deus erat daturus electis; proprie igitur mediatoris munus exercuisse quatenus est homo, quia non meruit nec passus ac mortus est, nisi inquantum homo.

Et per idem AD TERTIUM; quia quotquot salvi facti sunt per fidem mediatoris venturi credebant in ipsum tamquam in personam acceptissimam, carissimamque Deo, gratia cuius dimitteret ipsis peccata, tam originale, quam actualia. Quicumque ergo credebant mediatorem venturum, et per talem fidem salutem adipiscebantur, credebant esse causam meritoriam gratiae, per quam peccata delebantur: erat autem causa meritoria quatenus homo; licet hanc notitiam, [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 9.] seu fidem explicitam non oportuerit omnes credentes habere, sed illos tantum qui vel ratione officii, quod gerebant, vel quia eiusdem mediatoris distinctam notitiam ex Scripturis aut aliorum praedicatione acquisierant.

QUAESTIO VIGESIMASEPTIMA.

DE B. VIRGINIS MARIAE SANCTIFICATIONE, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Post praedicta, in quibus de unione Dei et hominis, et de his quae unionem consequuntur, tractatum est, restat considerandum de his quae Filius Dei incarnatus in natura humana sibi unita gessit, vel passus est; quae quidem consideratio quadripartita erit. Nam *primo* considerabimus de his, quae pertinent ad ingressum eius in mundum: *secundo,* de his, quae pertinent ad progressum vitae ipsius in hoc mundo: *tertio,* de exitu ipsius ab hoc mundo: *quarto,* de his, quae pertinent ad exaltationem ipsius post hanc vitam.

Et circa *primum* quatuor consideranda occurrunt: *primo* quidem de conceptione Christi: *secundo,* de eius nativitate: *tertio,* de eius circumcisione: *quarto,* de eius Baptismo.

Circa conceptionem autem eius oportet *primo* aliqua considerare quantum ad Matrem concipientem: *secundo,* quantum ad modum conceptionis: *tertio,* quantum ad perfectionem prolis conceptae.

Ex parte autem Matris, occurrit considerandum: *primo,* quidem de sanctificatione eius: *secundo,* de virginitate eius: *tertio,* de desponsa-

tione eiusdem: *quarto,* de annunciatione ipsius: *quinto,* de praeparatione eius ad concipiendum.

Circa primum quaeruntur sex.

1. Utrum B. Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero. - 2. Utrum fuerit sanctificata ante animationem. - 3. Utrum per huiusmodi sanctificationem fuerit sibi totaliter sublatus fomes peccati. - 4. Utrum per huiusmodi sanctificationem fuerit consequuta, ut numquam peccaret. - 5. Utrum per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem gratiarum. - 6. Utrum sic sanctificari fuerit proprium sibi.

ARTICULUS I.

UTRUM B. VIRGO MATER DEI FUERIT SANCTIFICATA ANTE NATIVITATEM EX UTERO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 3. *q* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *a.* 1.

VIDETUR B. Virgo non fuisse sanctificata ante nativitatem ex utero. Etenim [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 3.] si fuisset sanctificata priusquam nasceretur; igitur ipsa mundata fuisset a peccato originali per gratiam sanctificantem; dumtaxat enim originale potuit tunc habuisse; igitur si fuisset mortua ante passionem Filii sui, ingressa esset ianuam Paradisi: hoc autem videtur inconveniens, ut prius redempta, quam Redemptor illuc intraret; igitur non fuit sanctificata ante nativitatem ex utero.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] B. Virgo venit in mundum secundum communem propagationem; igitur in ipsa fuit eadem infectio, undecumque tandem ea sit, quae est in aliis filiis Adae communiter propagatis; sicut igitur caeteri homines nascuntur cum originalis culpae noxa, pariter et B. Virgo sicut caeteri homines venit in mundum. Quod [*Oxon.* ib. n. 1.] et dicit expresse Fulgentius, *De fide ad Petrum,* cap. 23.: *Firmissime tene, et nullatenus dubites omnem hominem, qui per concubitum viri et mulieris concipitur, cum peccato originali nasci;* igitur non fuit sanctificata ante nativitatem ex utero.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3. n. 1.] Secundum Apostolum, 1. *ad Corinth.,* cap. 15., *Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale;* ergo prius oportet quemque nasci carnaliter, quam spiritualiter renasci; igitur B. Virgo non potuit sanctificari ante nativitatem ex utero.

CONTRA. [*Oxon.* Prol. q. 2. n. 8.] Ecclesiae Catholicae auctoritas tanta est, ut dicat Augustinus, contra *Epistolam fundamenti: Evangelio non crederem, nisi Ecclesiae Catholicae crederem.* Haec autem Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis; ergo oportuit eam prius quam nasceretur sanctam fuisse. Item [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3. n. 2.] Ioannes Baptista sanctificatus fuit in utero matris suae, *Luc.,* 1. ergo magis Mater Dei, et Regina omnium Sanctorum.

RESPONDEO dicendum, B. Virginem sanctificatam fuisse ante nativitatem ex utero. Quod omnino convincit auctoritas Ecclesiae; et praeterea nullam hoc involvere repugnantiam, declaratur: nam [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 9.] quantum ad acceptationem divinam gratia aequivalet iustitiae originali; adeo ut gratiam habenti non imputetur peccatum originale, ut patet in Baptismate, vel Circumcisione. In quocumque igitur instanti,

quo fuit illa anima in utero Matris suae potuit Deus ipsi dedisse parem, aut maiorem gratiam, quam esset daturus in Baptismate; tunc igitur fuisset sanctificata. Et etiam in primo instanti sui esse, quo debebat infuisse peccatum originale, si tunc dedisset gratiam Sanctificantem praeventa esset macula originalis. Quae macula si contrahi et redundare dicatur in animam ex carne infecta, pariter potuisset ipsam mundare, et postea animam infundere. Et si per unicum instans fuisset illa anima sub culpa originali, nullum est inconveniens intelligere ipsam mundatam immediate post illud instans; si agens enim naturale [*Oxon.*ib.n.10.] potest agere incipere in instanti, ita quod in illo instanti fuerit subiectum in esse quieto sub contrario, et in tempore immediate sequenti potest esse sub calido per actionem agentis, si fuerit sub frigore, multo magis potest id fieri per agens supernaturale. Pro quocumque enim instanti, in quo agens naturale agit, potest Deus agere; igitur in tempore immediate sequenti ad instans, quo anima B. Virginis fuisset sub culpa originali, potuit in ipsa infundere gratiam, et peccatum originale delere. Quod si fuisset sub culpa per aliquod tempus, potuit ei quoque Deus gratiam largiri antequam nasceretur, ut facit in iam natis, et Sacramentum Baptismatis suscipientibus.

Ad Argumenta. Ad primum, nego B. Virginem fuisse fruituram gloria caelesti, si ante Filium mortua esset, ex eo quod sanctificata sit, et mundata a peccato originali priusquam nasceretur; nam [*Oxon.* ib. n. 19.] Sancti Patres qui decesserant ante mortem Christi reperiebantur in Lymbo, etsi quidam ex illis iam mundati fuerint ab peccato originali prius quam nascerentur. Clausa itaque fuit ianua Caeli usque ad solutionem satisfactionis pro culpa Adae; decreverat enim Deus se remissurum quidem culpam originalem ob passionem Filii sui praevisam omni credenti, et credituro in ipsum; non tamen se remissurum poenam illi peccato debitam, scilicet carentiam visionis divinae propter passionem praevisam, sed propter illam exhibitam ac repraesentatam. Quemadmodum igitur Patribus decedentibus ante Christi passionem non patuit ianua, ita videtur dicendum de B. Virgine, si ante Filium suum ex hac vita migrasset.

Ad secundum dico, ex eo quod B. Virgo nata est secundum communem propagationem aliud non sequi, nisi revera ipsam habuisse rationem et causam in se contrahendi peccatum originale, quatenus erat filia Adae. Caeterum [*Report.* 4. d. 4. q. 3. n. 7.] exinde nequimus inferre in utero minime sanctificari potuisse; non solum quia potuit sic praeveniri a Deo, ut per nullum instans sub ipso fuerit originali peccato, ut patebit *art. seq.*, sed etiam, [*Oxon.*4. d. 1. q. 6. n. 11. seqq.] quia sicuti post Baptismum quis est filius Adae, nec tamen habet culpam originalem, ita ante Baptisma, seu in utero, eamdem vel maiorem gratiam potest a Deo accipere, qua deleatur originalis culpa, quamquam interim sit communi lege propagatus, et filius Adae.

Ad tertium respondeo, dictum Apostoli esse intelligendum de iustificatis secundum communem et universalem legem a divina Sapientia praescriptam, secundum quam in Lege Christiana iustificantur per Baptismi susceptionem, et per Circumcisionem iustificabantur in Lege Mosaica Israëlitae; sed non propter hoc aliqui iustificari non potuerunt prius quam nascerentur ex utero matris ex speciali Dei privilegio, ut [*Oxon.* 4.

d. 4. q. 3. n. 2.] legitur de Hieremia, 1. *Hierem.* et Ioanne Baptista, *Lucae,* 1. et de Beatissima Christi Matre tenet firmiter Ecclesia, qui omnes prius carnaliter concepti fuerunt, et posterius vel natura, vel tempore in utero materno iustificati.

ARTICULUS II.

UTRUM B. VIRGO FUERIT SANCTIFICATA ANTE ANIMATIONEM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 3. *q.* 1. — *Report ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *a.* 2.

VIDETUR B. Virgo non fuisse sanctificata, nisi post contractum peccatum originale. Nam [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 3.] Christus fuit Redemptor universalis omnium, omnibusque ianuam aperuit: sed si B. Virgo non contraxisset originale, Christus non fuisset eius Redemptor, quia ipsius non indiguisset; igitur non possumus nec debemus attribuere innocentiam originalem Matri, quia hoc ipso Filio derogaretur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] B. Virgo habuit poenas communes naturae humanae ex Adam propagatae, scilicet famem, sitim, et caetera huiusmodi: sed has poenas ipsa voluntarie non assumpsit, sicut a Christo voluntarie assumptae fuerunt in satisfactionem peccatorum nostrorum; quia B. Virgo non erat redemptrix vel reparatrix nostra; igitur erant sibi inflictae a Deo; et non iniuste; igitur ob originale peccatum, ut aliis hominibus.

3. PRAETEREA. Si B. Virgo haud obnoxia fuisset originali peccato, maius beneficium Deus contulisset iis, quos ab ea culpa liberavit, quam Matri suae: id autem non videtur verisimile; ergo non est dicendum ipsam non cecidisse in Adamo. *Probatio minoris* [*Oxon.* 4. d. 22. n. 16.] *ex Lucae,* 7. ubi habetur Christum quaesivisse a Simone de duobus debitoribus quorum alteri creditor plus dimiserat, alteri minus, quis creditorem plus diligeret? et respondisse, *aestimo quod is, cui plus donavit,* idque iudicium fuisse a Salvatore approbatum; igitur magis tenerentur Deo liberati a peccato iam contracto, quia plus istis dimisisset, quam Mater Christi, cui minus dimisisset; ergo existimandum est ipsam culpam originalem contraxisse.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 2.] Anselmus, *De Conceptione Virg.,* cap. 18. *Decuit,* ait, *ut ea puritate Virgo niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi:* si vero aliquando sub originali fuisset, recte possemus intelligere maiorem puritatem; ergo B. Virgo purissima fuit, et immunis ab omni prorsus peccato.

RESPONDEO dicendum, quamquam B. Virgo non fuerit sanctificata ante animationem quia caro, ut non est subiectum peccati, ita nec gratiae sanctificantis, fuisse tamen sanctificatam in ipsa animatione, idest in eodem signo, in quo debebat ex communi lege filiorum Adae inesse sibi culpa, sic ut numquam fuerit, nec contraxerit peccatum originale. Quod declaratur ex ipsa excellentia Filii sui, cui ne derogetur, quidam oppositum opinantur (1). Nam [*Oxon.* ib. n. 4.] perfectissimum mediatorem

(1) D. Thom. *in praesenti art.* Idipsum Bonaventura, 3. *dist.* 3. *art.* 1. *q.* 2. dicens hunc dicendi modum esse convenientiorem, rationabiliorem, et securiorem ideoque ei sententiae se adhaerere profitetur, ac ne dum Matris excellentia ampliatur Filii gloria minuatur. Hi sequuntur Mag. Alensem, 3. *p. q.* 7. quibus subscribit Richardus, 3. *dist.* 3. *art.* 1. *q.* 1. At Magistri Scoti pro-

(sicuti fuit Christus Dominus) decuit habuisse perfectissimum actum mediandi respectu alicuius personae, cuius est mediator: sed non intelligitur extitisse perfectissimum mediatorem Dei et Matris suae, nisi praeservasset ipsam ne incideret in culpam originalem; igitur ipsa fuit praeservata, ne culpa inficeretur originali. — *Minor* ostenditur *primo,* [*Oxon.* ib.] per comparationem ad Deum, cui reconciliat: *secundo,* per comparationem ad malum, a quo liberat: *tertio,* per comparationem ad personam, cui reconciliat. Ex *primo* sic: supponendo non esse impossibile praeveniri culpam originalem ne insit, cum non sit culpa, nisi ex alio contracta; et si id possibile fuit, pro nullo decuit Mediatorem fecisse, quam pro Matre sua. *Arguitur igitur sic:* [*Oxon.* ib n. 5.] mediator non intelligitur perfectissime mediare, vel placare aliquem pro offensa contrahenda, nisi praeveniat ne offensa insit, et ne aliquis ob eam offendatur; nam si iam offensum placat, et flectit, ut remittat culpam, non exercet actum perfectissimum mediandi vel placandi, sicut fecisset praeveniendo offensam; igitur Christus non perfectissime reconciliat, aut placat Trinitatem pro culpa contrahenda a filiis Adae, nisi praeveniat, ut alicui ex ipsis ob culpam inhaerentem non sit Trinitas offensa. Cum igitur Christus fuerit perfectissimus mediator, oportet omnino impediisse, ne aliquis culpam contraheret originalem: non decuit autem alium fuisse, quam Beatissimam Matrem eius. — Ex *secundo* capite arguitur: [*Oxon.* ib. n. 6.] quia Christus videtur immediatius Reparator noster a peccato originali, quam actuali; nam necessitas Incarnationis assignatur communiter ex peccato originali: sed eousque fuit perfectissimus mediator respectu Matris suae, ut eam praeservaverit ab omni peccato actuali; igitur etiam a peccato originali; praesertim cum hoc peccatum originale sit maior poena, quam carentia visionis divinae; peccatum enim est maxima poenarum naturae intellectualis; igitur Christus ut perfectissimus mediator meruit auferri gravissimam hanc poenam a Beatissima Matre sua, alioquin nec perfectissime reconciliasset, nec perfectissimus Mediator fuisset. — Ex *tertia* denique arguitur. [*Oxon.* ib. n. 7.] Persona reconciliata non summe obligatur mediatori, nisi ab eo totum bonum habeat, quod accipere potest: sed praeservatio a culpa contrahenda potest haberi per mediatorem; ergo nulla persona summe tenebatur Christo, ut mediatori, si nullum praeservavit peccato originali. *Minor* et tacta fuit *in* 1, *art.* et clarius declarabitur *in seqq.*

Ad Argumenta. Ad primum concedo, Christum esse universalem mediatorem, ac Redemptorem omnium, atque etiam Beatissimae Matris suae, et proinde [*Report.* 3. d. 3. q. 1. n. 8.] eam magis indiguisse Redemptore, quam quivis alius, et tanto quidem magis indiguisse, quanto maius bonum sibi conferebatur per ipsum, et quoniam longe maius bonum est innocentia perfecta, quam post offensam culpae remissio, maius bonum sibi per mediatorem collatum fuit cum ab originali praeservabatur, quam si postea fuisset purgata et mundata; indiguit ergo [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 14.] quam maxime Redemptore, ob cuius merita a gratia praeventa fuit, ne ulla peccati labe inficeretur, sicut alii indiguerunt mediatore, ut per illum remitteretur ipsis peccatum contractum.

---

cessus eo tendit ut ostendat longe sublimius ac excellentius redemptam fuisse per Christi merita Virginem Matrem si intelligatur in nullo instanti culpae originali obnoxiam extitisse. Hanc praeter omnes Scotistas sequuntur alii innumeri ex Neutericorum Schola, sed et Catharinus singularissime expendit Magistri Scoti doctrinam *tribus Opusculis,* ac in *Comm.* super *Epist. ad Romanos,* nihil pertimescens suorum censuras et odia.

AD SECUNDUM de poenis et passionibus B. Virginis, concedo eas habuisse, ac potentissime tollerasse, non quia extiterint sequelae culpae originalis contractae ex communi propagatione, ut *argumentum* procedit; sed magis [*Oxon.* ib. n. 8.] fuerunt illi relictae, ut mereretur vel sibi, vel nobis; nullum enim est inconveniens, ut per mediatorem ablatae sint ab ea poenae inutiles et disconvenientes, cuiusmodi sunt peccata, et sibi relictae utiles et profuturae.

AD TERTIUM respondeo, [*Report.* 3. d. 3. q. 1. n. 6.] etsi verum sit ex duobus debitoribus magis obligari illum, cui plus dimittitur, quam cui minus; nihilominus longe maius beneficium est praeservari ne contrahatur ulla obligatio debiti, quam iam contractum dimitti; absolute igitur maiori obligatione adstringeretur illa persona, quae per mediatorem praeservaretur a culpa originali, quam ea, quae iam contracta per ipsum Mediatorem mundaretur, quia longe excellentius beneficium illa accepisset, ac ii qui post contractum peccatum per gratiam mediatoris liberantur. Sed videndus *articulus Incidens infra post secundum* opportune appositus.

ITERUM ARTICULUS II.

UTRUM B. VIRGO FUERIT SANCTIFICATA ANTE ANIMATIONEM.

Doctor, et S. Thom. loc. cit. art. praec.

VIDETUR B. Virgo non fuisse sanctificata ante animationem, sed [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 1.] post contractum originale peccatum, ex Augustino *super illud* Ioannis, cap. 2. *Ecce Agnus Dei; solus,* dicente, *innocens, quia non sic venit,* idest secundum communem propagationem; constat autem B. Virginem venisse secundum communem propagationem; igitur habuit corpus propagatum et formatum de semine infecto, et per consequens erat ratio infectionis eadem in anima eius ab corpore, quae in animabus aliorum pariter propagatorum. Quod etiam videtur dicere Leo Papa in sermon. *De Nativit. Domini, Sicut,* inquiens, *a reatu nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.*

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 3. q. 1. n. 1.] Bernardus, *Epist.* 174. idem dicit, et probat ex hoc, quia si ipsa non esset concepta in originali, aut igitur fuisset ante purgata quam concepta, vel tunc; non ante, quia non aderat antea natura purgabilis; non simul, quia tunc fuit libido; atque ita foret purgata, et non purgata; igitur post contractum peccatum originale fuit sanctificata.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 1.] Paulus, ad Roman., 5. *Omnes,* inquit, *in Adam peccaverunt, et egent gratia Dei.* Hoc autem non est, nisi quia in Adam omnes fuerunt secundum rationem seminalem: sed secundum eamdem constat propagatam fuisse B. Virginem; ergo sanctificata fuit post contractum originale peccatum.

4. PRAETEREA. Arguo per rationem; nam non potuit sanctificari in primo instanti suae conceptionis; ergo pro sequentibus instantibus extitit a macula originali purgata. *Probatur assumptum:* [*Oxon.* ib. n. 15.] B. Virgo prius naturaliter fuit filia Adae; oportuit enim prius fuisse personam, et exinde gratia sanctificante repleri: sed in illo priori quo fuit filia Adae tenebatur habere iustitiam originalem, quam sibi caeterisque omnibus

communiter propagatis in Adamo dederat Deus; ergo pro illo priori contraxit originalem culpam, et consequenter fuit sanctificata post contractum originale peccatum.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 3. q. 1. n. 1.] Augustinus, *De natura et gratia*, cap. 36. *Cum de peccatis agitur, de sancta Virgine Maria, propter honorem Domini, nullam prorsus volo habere quaestionem.*

RESPONDEO dicendum, Beatissimam Virginem fuisse sanctificatam non ante animationem, sed in ipso instanti naturae animationis, sive conceptionis suae, non a culpa, quae infuerit, sed a culpa, quae infuisset nisi in eodem signo gratia sibi fuisset infusa. Neque in hoc ulla apparet repugnantia: nam [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 9. seqq.] (ut dictum fuit in *primo art.*), sicuti Deus potest gratiam infundere, qua deleatur peccatum originale in instantibus sequentibus, ita et in quocumque antecedenti instanti, ac proinde etiam in primo, quo scilicet intelligebatur existere a parte rei; et ideo cum id docuerit fecisse perfectissimum Mediatorem, quod honorificentius et excellentius est debemus attribuere Mariae: ut quemadmodum [*Oxon.* 3. d. 18. n. 13.] in curia illa supercaelesti est humanitas Christi Domini habens summam gratiam et gloriam absque ullis meritis praecedentibus, et sunt multi, qui numquam peccaverunt peccato personali, et multi qui post peccata poenituerunt; ita pariter sit aliqua persona, quae non fuerit aliquando obnoxia ulli peccato, nec actuali, nec originali, et est B. Virgo Maria.

AD ARGUMENTA. [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 14.] Ad auctoritates quae adducuntur in contrarium respondetur per hoc, quia quilibet filius Adae naturaliter est debitor iustitiae originalis, et demerito Adae caret ea, et ideo omnis talis habet unde contrahat peccatum originale: sed si alicui in primo instanti creationis animae detur gratia, ille etsi careat iustitia originali, non tamen est debitor eius, quia merito alterius praevenientis peccatum datur sibi gratia, quae aequivalet illi iustitiae quantum ad acceptationem divinam, imo excedit; quantum igitur est ex se quilibet haberet peccatum originale, nisi alius praeveniret merendo; omnes proinde propagati ex Adam sunt peccatores, quia ex modo, quo habent naturam ab ipso, habent quoque unde careant iustitia debita, nisi eis aliunde conferatur; et ita sunt exponendae omnes auctoritates, quae possent contra praesentem resolutionem adduci. — *Ad rationem,* quae conficitur ex prima auctoritate, et innuitur in ultima, etsi responsum fuerit in *primo art.* rursus dico, [*Oxon.* ib. n. 8.] quatenus supponit vel accipit maculam redundare in animam ex corpore infecto, illam non esse viam Anselmi, lib. 1. *De Concept. Virg. per totum*, ut dictum fuit, 1. 2. *q.* 81. Sed fac rem ita se habere, quemadmodum tamen infectio carnis manens post Baptismum non esset necessaria causa ut maneat peccatum originale in anima; ita potuit Deus in primo instanti conceptionis Virginis facere ne foret causa infectionis animae, vel impedire per gratiam animae collatam ne eius infectione inficeretur et anima.

AD ARGUMENTUM Bernardi [*Oxon.* ib. n. 20.] potest responderi: in instanti naturae conceptionis fuisse sanctificationem non a culpa, quae nulla fuit, sed a culpa, quae infuisset, nisi praeventa esset a gratia. — *Et cum arguit:* quia tunc fuit libido; *Dico* libidinem fuisse in conceptione et commixtione seminum, non in conceptione naturarum; et licet animae creatio fuisset in commixtione seminum, nullum tamen est inconveniens,

Deum tunc gratiam animae infudisse, ob quam anima non contraheret aliquam infectionem a carne cum libidine seminata.

AD RATIONEM respondeo sic : [*Report.* 3. d. 3. q. 1. n. 10.] subiectum potest comparari ad formam, et ad privationem, et ipsum esse prius natura utroque; similiter privatio et forma possunt comparari ad susceptivum pro mensura, qua aptum natum est alterum istorum inesse. In prima comparatione non sequitur: gratia non inest; ergo culpa inest; quia in isto priori naturae in quo susceptivum est prius habitu, et privatione, non est natum habere unum, aut alterum; solum igitur potest inferri, in ratione naturae, quae est fundamentum filiationis Adae, non includi iustitiam, nec eius privationem, quod concedo. In secunda tamen comparatione, nimirum pro ista mensura, pro qua alterum natum est inesse, si habitus non inest, privatio vere inest. — *Et si arguas:* [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 18.] Maria non est iusta in primo instanti naturae; ergo in illo instanti est iniusta, vel non iusta;— *dico, consequentiam* esse falsam in praedicatis compositis; non enim sequitur: non est album lignum; ergo est lignum non album; idest ex se, quia tunc non posset esse album. Ita hic: non est iusta in primo instanti, idest ratione sui; ergo est non iusta; non sequitur, quia neutrum illorum essentialiter includit. — *Et si arguas,* in primo instanti naturae vere intelligitur non iusta; *Dico* id falsum esse; sed vere non intelligitur iusta, quia abstrahentium non est mendacium; per hoc enim, quod non intelligo hominem esse animal, non propterea intelligo ipsum non animal; quia tunc non posset esse abstractio sine mendacio auferendo ab aliquo, quod sibi essentialiter inest.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM INNOCENTIA SIT PRAESTANTIUS DEI BENEFICIUM, QUAM POENITENTIA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 22. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *a.* 2.
Ad tertium.

VIDETUR poenitentia esse maius beneficium, quam innocentia. Etenim [*Oxon.* 4. d. 22. n. 16.] Lucae, 7. habetur, Christum quaesivisse a Simone de duobus debitoribus, quorum alteri creditor plus dimisit, alteri minus, quis eorum plus creditorem diligeret? et Simonem respondisse, *Aestimo, quod is, cui plus donavit;* eiusque responsum Salvatorem approbasse illis verbis, *Recte iudicasti:* sed Deus innocenti nihil donat hoc modo, quia non invenit in eo quod dimittat: peccatori vero multa condonat per poenitentiam; igitur peccator magis Deo tenetur, et per consequens maius beneficium ab eo recipit, cum per poenitentiam dimittuntur sibi crimina, quam innocens.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 22. n. 14.] Cadens post poenitentiam in peccatum facit contra legem gratitudinis, contra promissionem suam de non peccando in posterum, et contra praeceptum divinum : cadens autem ab innocentia non facit nisi contra gratitudinem; igitur cadens post poenitentiam gravius peccat; ergo maius beneficium sibi collatum fuit per poenitentiam, alias non gravius peccaret.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 15.] Cadens a statu innocentiae per pecca-

tum gravius peccat, quam cadens a statu poenitentiae: sed nisi praestantius beneficium esset innocentia, quam poenitentia, gravius non peccaret; ergo maius Dei beneficium est innocentia, quam poenitentia. *Probatio minoris:* quia innocens minorem habet occasionem cadendi; gravius igitur peccat, quam is, qui cum alias peccasset, debilioribus pollet viribus ad resistendum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] simpliciter maius beneficium divinum esse conservari innocentiam, quam concedere post commissum peccatum poenitentiam. *Probatur:* quia status innocentiae (quatenus scilicet non solum includit gratiam sanctificantem primo concessam, verum etiam, ut involvit reliqua consequentia, ut donum perseverantiae, et caetera adiutoria, tam intrinseca, quam extrinseca) absolute et simpliciter perfectius coniungit fini, et perfectius etiam continet effectum gratiae poenitentialis quoad liberationem a peccato, quam ipsa poenitentia; ergo est maius Dei beneficium. *Probatur assumptum:* quia innocentiae donum liberat a peccatis praeveniendo ne in illa labatur: poenitentia vero liberat post lapsum: melius autem et expetibilius est non labi in peccata, quam post lapsum ab illis liberari. Unde maius beneficium contulit Deus suae Matri praeveniendo ne culpam originalem contraheret, nec ullum actuale committeret peccatum, quam Magdalenae et aliis Sanctis, qui aliquando peccata commiserunt, et per poenitentiam liberati fuerunt. Singularis ergo omnino gloria, et ornatus est in Beatis de numquam cecidisse in peccatum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 16.] *donari* posse accipi dupliciter: *primo* quidem, ut est actus voluntatis liberaliter se communicantis, et non ex aliquo debito eius, cui se communicat. *Secundo,* potest summi pro condonare, seu remittere debitum contractum, quo pacto accipitur cum dicimus, *donavit peccata.* Iuxta igitur priorem acceptionem maiora donantur innocenti, quia praevenitur ne contrahat debitum peccati; at secundo modo, plus condonatur peccatori per remissionem, quia liberatur a debito cui subditur. Caeterum prius donum simpliciter est excellentius secundo, quia nullus est, cui Deus parva donat, quoniam pauca commisit, quin sit eidem aliud beneficium datum maius, quam donare, idest remittere plura, scilicet praeservare eum ab aliis in quae cadere potuisset, et cecidisset, nisi praeservatus a Deo fuisset.

Et haec doctrina [*Oxon.* ib. n. 17.] est Augustini, *Homil.* 23. *inter* 50. declarantis textum citat. *Lucae,* et docentis eum, qui praeservatus fuit a Deo ne maiora scelera committeret, magis se Deo debitorem confiteri debere, quam illum, qui a commissis per poenitentiam liberatus fuit. Verba ipsius sunt ista: *Adulter non fuisti in illa vita tua praeterita plena ignorantiis? Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres; suasor defuit, et ut suasor deesset ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentires ego feci. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes, et quod non admisisti. Mihi debet et iste quod factum est, et dimissum vidisti: mihi debes et tu, quod non admisisti: nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo si desit Rector, a quo factus est homo.* Haec illae. Si itaque maiore obligatione gratitudinis adstringitur Deo ille, cui per specialem gratiam fuit innocentia conservata, quam qui in peccata labi permissus fuit, et per poenitentiam sublatus, maius profecto beneficium erit innocentia, quam poenitentia.

Quod *confirmari potest exemplo:* [*Oxon.* ib.] qui ex liberalitate concederet alteri omnia sua ut eis utatur ad libitum, alicui vero alteri concederet aliqua mutuo, adveniente autem tempore restitutionis remitteret illis; quis ex duobus beneficio affectis eum plus diliget? Utique primus, qui longe maius beneficium accepit; et nihilominus plura remitteret alteri; at quod nihil habeat primo dimittendum ex beneficio illius est, qui omnia sua liberaliter ei concessit, et ideo maius beneficium accepit, et maiori vinculo gratitudinis illi obstrictus tenetur. Propositio ergo illa, *Cui plus dimittitur plus diligit dimittentem,* non est vera, nisi ut refertur ad eum, qui donat debita, et per cuius beneficium non stat, ut minus debens non debeat tot in reipsa, quot magis debitor, nempe quia per gratiam creditoris confertur ipsi beneficium, quo praeventus non incurrit tot debita, quot alter.

Ad secundum respondeo sic: [*Oxon.* ib. n. 15.] aliquod peccatum potest habere nunc unam circumstantiam aggravantem, nunc aliam, et fieri etiam potest ut circumstantia aggravans peccatum elicitum, ab ista personalem statum habente, sit gravior altera circumstantia aggravante. *Ad propositum,* quod poenitens promiserit se de caetero non peccaturum, si iterum peccat, gravius ex eo peccabit. At haec circumstantia non perinde aggravat, ut circumstantia status innocentiae, in quo minor occasio occurrit delinquendi, et magis tenetur Deo innocens, quia plura sunt ipsi donata; quod enim non deliquerit, ex dono Dei fuit, quod donum non fuit datum poenitenti.

ARTICULUS III.

UTRUM PER SANCTIFICATIONEM FUERIT B. VIRGINI FOMES TOTALITER SUBLATUS.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 29. — *d.* 32. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *art.* 3.

Videtur non fuisse penitus sublatus fomes peccati B. Virgini per Sanctificationem. Nam ex supradictis in hac *quaestione art.* 1. quamvis B. Virgo habuerit culpam originalem, subiecta tamen fuit multis poenalitatibus ut essent sibi materia meriti: sed etiam fomes peccati fuisset sibi occasio merendi; ergo ipsum habuit.

2. Praeterea. Primus homo in iustitia originali conditus non habebat fomitem, sed erat in ipso ante peccatum perfecta tranquillitas; sola igitur iustitia originalis tollit fomitem, et non gratia. Iusti autem gratiam habentes experiuntur contrarietatem partis inferioris ad superiorem, et subinde habent fomitem: sed etiam si B. Virgo non contraxisset culpam originalem per gratiam praevenientem, non fuisset per hoc sibi reddita iustitia originalis; ergo non fuisset sibi fomes sublatus.

3. Praeterea. (Cf. 3. p. q. 15. art. 2.) Christus non habuit fomitem peccati, nec originale peccatum, quia erat plenus gratiae et veritatis, nec filius naturalis Adae: sed [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 15.] B. Virgo non habuit huiusmodi plenitudinem gratiarum, cum non fuerit unita hypostatice Deo, et erat filia naturalis Adae; ergo sibi non fuit fomes totaliter sublatus.

Contra. [*Oxon.* ib. n. 4.] Oportuit Mediatorem perfectissimum ha-

bere actum perfectissimum mediandi: sed ex hoc oportuit ipsum liberare Matrem suam ab omni peccato actuali, et praeservare ab originali; ergo etiam talem condere eam, ut esset immunis ab omni fomite peccati, et ab inclinatione ad peccandum.

RESPONDEO dicendum, per sanctificationem fuisse B. Virgini fomitem prorsus sublatum; per fomitem enim [*Oxon.* 2. d. 29. n. 4.] intelligimus pronitatem in appetitu sensitivo, qua fertur ad propria obiecta immediate, cupitque condelectari in illis, a quo si per rationalem appetitum retrahatur, non sponte et delectabiliter retrahitur, sed invitus et cum tristitia; ex quo sane oritur pugna inter carnem et spiritum, et discordia maxima. In statu vero innocentiae erat pax et tranquillitas; in B. autem Virgine per Sanctificationem facta fuit eadem pax et tranquillitas; adeo ut nec sensitivus appetitus ferebatur in propria obiecta ultra praescriptum rationalis appetitus; nec id erat ipsi aliqua causa tristandi; igitur ei fuit omnis fomes peccati sublatus. *Declaratur minor:* quemadmodum enim ex Filii sui excellentia, qua erat perfectissimus Mediator et Redemptor, decuit eam habuisse specialissimum privilegium Redemptionis praeservativae, adeo ut minime redempta fuerit ut alii post lapsum in originale peccatum, sed prius quam ipsi obnoxia esset; ita pariter decebat tantum eam elongari ab omni peccato, ut nequidem ulla omnino inclinatio ad illud in ipsa superesset; id enim pariter spectat ad actum nobilissimum perfectissimi Mediatoris et Redemptoris. — *Rursus,* [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1.] in caeteris filiis Adae, qui in ipso peccaverunt, etsi post maculam originalem per merita Mediatoris praevisa vel exhibita deleatur peccatum originale in Baptismate vel in Circumcisione, superest tamen in ipsis omnibus fomes peccati, et pronitas ad peccandum; quia nimirum quamquam eorum fuerit Reparator et Redemptor, non habuit tamen circa eos actum nobilissimum, quem oportuit habere. Cum igitur hunc habuerit erga Matrem suam, ut abstulit actuale et originale peccatum, ita et fomitem et omnem pronitatem ad peccandum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, [*Oxon.* ib. n. 8.] fomitem peccati potuisse esse sibi occasio merendi, sicuti et mors, et aliae poenae quas sustinuit, fuerunt; sed nego propterea fomitem infuisse, quia sicuti potuit contraxisse originale, et non contraxit, ita perpetua innocentia et sanctificatio eius ab ipsa omnem fomitem arcuit. Etenim factum est, ut sicuti illa anima semper erat gratissima Deo, eique subiecta, ita et inferiores vires appetitus sensitivi essent subditae rationi, et appetitui rationali.

AD SECUNDUM, concedo stare simul fomitem cum gratia in Sanctis viris; fomes enim [*Oxon.* 2. d. 32. n. 4.] ut talis peccatum non est; quia fomes non est aliud, quam naturalis pronitas appetitus sensitivi in propria obiecta, quae non sunt ita prosequenda, sed prout ratio dictat. Et concedo etiam non tolli carentiam iustitiae originalis nisi per ipsam originalem iustitiam, quia privatio non recedit a subiecto, nisi per habitum oppositum. Sed tamen cum inest gratia, illa carentia non est culpa originalis, quia non debita; redditur ergo iustitia in aequivalenti quoad divinam acceptationem. — *Et cum dicitur:* sola iustitia originalis tollit fomitem, et non gratia; *respondeo,* si gratia expellit peccatum originale, *concedo:* si praeveniat ne insit, *nego;* quia cum iam gratia praeveniat ne umquam sit deordinatio animae ad Deum, neque erit virium inferiorum ad superiores; ac propterea pax magna, et tranquillitas est praesertim

si detur inamissibiliter, uti de facto datam esse B. Virgini ex eo patet, quod ipsa non erat aliquando peccatura, ne venialiter quidem; igitur tollebat omnem deordinationem, et pronitatem ad peccandum. — *Aliter etiam respondeo* ad id quod dicitur, solam iustitiam originalem tollere fomitem, et non gratiam; nam [*Oxon.* ib. d. 37. q. 2. n. 9. seqq.] licet gratia non ita perfecte coniungat fini ultimo quantum ad aliquam conditionem accidentalem sicuti iustitia originalis, simpliciter tamen et eminentius coniungit fini sub ratione finis, et quidem quantum ad illud, secundum quod avertit a fine ultimo peccatum originale. Cum igitur per hoc avertamur a fine ultimo quoad deordinationem portionis superioris a voluntate divina, quae antecedenter dederat iustitiam originalem, ad quam sequitur deordinatio portionis inferioris a superiori; si gratiae non repugnat tollere peccatum originale, ut carentia iustitiae antecedenter datae non sit debita, nec ei repugnabit praevenire, aut auferre deordinationem partis inferioris ad superiorem; et quamvis gratia id non praestet in aliis Sanctis, est, vel quia est privilegium speciale Mariae, vel quia praevenit ipsum originale peccatum, ut dictum est.

Ad tertium dico: quamvis B. Virgo non habuerit eam plenitudinem gratiae, quae erat propria Christo, ut capiti et fonti, a quo omnis gratia in membra dimanat; fatendum tamen est tantam habuisse quanta decebat Matrem Unigeniti a Patre, quae quemadmodum fecit, ut numquam peccaret, nec maculam originale contraheret; ita et praestitit ut et fomite peccati careret.

ARTICULUS IV.

UTRUM B. VIRGO PER HUIUSMODI SANCTIFICATIONEM CONSEQUUTA FUIT, UT NUMQUAM PECCARET.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 3. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *a.* 4.

Videtur B. Virgo per eiusmodi sanctificationem haud consequuta esse, ut numquam peccaret. Nam qualiscumque fuerit sanctificatio B. Virginis, non ponebatur per illam extra statum viae; antequam enim ex hac vita migraret erat viatrix: sed [*Oxon.* 2. d. 23. n. 4.] voluntas creaturae dum est in via peccare potest, et averti a fine per conversionem inordinatam ad creaturam; ergo sanctitas B. Virginis non reddebat ipsam impeccabilem.

2. Praeterea. Christus extitit impeccabilis non quia habebat gratiae plenitudinem, sed potius quatenus natura illa humana erat unita hypostatice Verbo Dei, et fruebatur Divina Essentia: sed B. Virgo erat pura creatura et non videbat Divinam Essentiam, neque fruebatur obiecto beatifico; ergo sanctitas ipsius non reddebat eam impeccabilem.

3. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 6. n. 11.] Beati non sunt impeccabiles nisi in sensu composito, idest, non quia carent potentia ad peccandum, sed quia Deus praeveniendo voluntatem ut semper continuet actum fruendi, evenit ut numquam reducatur ad actum potentia ad peccandum; ergo si impeccabilitas Beatorum non est ab gratia sanctificante, multo minus quivis viator potest esse impeccabilis per quamlibet sanctificationem.

Contra. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 13.] Christus meruit, ut Beatissima Mater

eius non contraheret originale peccatum, collata ei gratia eo signo, quo infuisset peccatum: sed inde factum est, ut numquam peccaret actualiter; quod enim homines in peccata labantur, ab originali peccato et deordinatione est; ergo per sanctificationem eiusmodi, utique singularissimam, obtinuit B. Virgo ut numquam peccaret.

RESPONDEO dicendum, B. Virginem a gratia sanctificante in suae conceptionis instanti habuisse, ut numquam peccaret. Quod quidem [*Report.* 3. d. 3. q. 1. n. 1.] Augustinus clarissime expressit, *De Natura et Grat.*, c. 36. dicens: *Cum de peccatis agitur, de Sancta Virgine Maria propter honorem Domini, nullam prorsus habere volo quaestionem. Inde enim scimus, quod ei sit plus gratiae collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum.* Beatam igitur Virginem vicisse ex omni parte peccatum attribuendum est eius sanctificationi, quae tanta fuit, ut nullum penitus admiserit peccatum. — *Deinde,* [*Oxon.* 2. d. 23. n. 7.] quod humana natura ex se defectibilis non peccet a gratia est. Hoc supposito arguo sic: Christus non fuisset perfectissima causa meritoria, et perfectissimus mediator, si non meruisset dari alicui personae, scilicet Matri suae, tantam gratiam, quanta potuit et decuit esse in pura creatura: sed fuit revera talis causa meritoria; debemus enim [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 9.] attribuere omnem excellentiam Christo Domino; igitur meruit ut Deus daret tantam gratiam, quanta decuit puram creaturam, et subinde de facto tanta data fuit Matri suae, quae prae omnibus creaturis erat sibi coniunctissima, quippe qui de eius carne carnem assumpsit: si aliquando autem peccavisset, minime ei data fuisset illa plenitudo gratiae, quae potest esse de congruo in pura creatura, quia intelligere possemus aliam maiorem, quae faceret, ut persona per ipsam sanctificata nullum admitteret et committeret peccatum; gratia igitur B. Virgini collata talis, tantaque fuit, ut praeveniret originale, et excluderet omne omnino actuale peccatum. — *Denique,* [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] Christus per suam passionem reconciliavit Trinitati eam acceptanti genus humanum obnoxium peccato primi parentis: sed non reconciliavit perfectissime, nec fuit perfectissimus Reparator caeterorum hominum, a Matre sua, quia permissit omnes nasci filios irae, et non impediit peccata actualia multorum; habuisse igitur oportet [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 4-7.] actum perfectissimi reconciliatoris erga Matrem suam; ab ipsa subinde oportuit arcuisse omnes poenas impeditivas perfectissimae reconciliationis: si autem permisisset ipsam aliquando labi in aliquod peccatum, licet minimum, non liberasset eam ab omnibus poenis et malis; ergo non perfectissime eam Trinitati reconciliasset; nam peccatum est maior poena naturae intellectualis, quam quaevis alia, quae non sit peccatum; et per consequens B. Virgo, quia Mater Christi, a sanctificatione debuit obtinuisse ut numquam laberetur in aliquod peccatum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, concedo B. Virginem ante mortem extitisse viatricem, ut caeteri homines, et concedo etiam habuisse voluntatem suapte natura defectibilem et potentem peccare; sed fuisse impeccabilem, [*Oxon.* 2. d. 23. n. 7.] et numquam de facto peccavisse ex dono Dei sanctificantis Matrem Unigeniti Patris tali sanctificatione, ut fuerit cum ea incompossibile quodlibet peccatum.

AD SECUNDUM respondeo, non esse ullam repugnantiam, Christum

impeccabilem extitisse pluribus ex causis, quarum quaelibet de se abunde illum talem reddidisset. Erat igitur impeccabilis ut beatus, et pariter quia plenus gratiae et veritatis, et fortassis etiam aliis ex titulis eam dignitatem obtinuit. B. autem Virgo Mater eius numquam peccavit, quia tantam habuit gratiam et sanctificationem et rectitudinem, ut nulla ratione potuerit in mentem illam sincerissimam aliqua obliquitas irrumpere, aut fraus inimici penetrare.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 4. d. 49. q. 6. n. 11. seqq.] si Beati ideo impeccabiles sint, quia Deus non permittit eos interrumpere actum fruendi, pariter quos reddit impeccabiles in via non permittet eos elicere aliquem actum obliquum, sed semper operari faciet iuxta inclinationem charitatis, per quam tales singulari dilectione prosequitur. Omnis propterea impeccabilitas habitualiter, et in actu primo est a gratia sanctificante, et proinde recte et vere dicitur B. Virginem ab excellentissima sanctificatione impeccabilitatem obtinuisse; et qualis porro eius sanctificatio fuerit, *art. seq.* declarabitur.

ARTICULUS V.

UTRUM B. VIRGO PER HUIUSMODI SANCTIFICATIONEM ADEPTA FUERIT PLENITUDINEM GRATIARUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 3. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *a.* 5.

Videtur B. Virgo per sanctificationem in utero minime adepta fuisse plenitudinem gratiarum. Nam [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] habere plenitudinem gratiarum proprium est humanitati Christi, propterea quod unita sit hypostatice Verbo Divino; hinc scribitur Ioann., 1.: *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis:* sed quae conveniunt Christo nequeunt purae creaturae competere; ergo B. Virgo per sanctificationem in utero non fuit adepta plenitudinem gratiarum.

2. Praeterea. Si B. Virgini attribuenda foret gratiarum plenitudo, maxime quia habuit modum quemdam sanctificationis, quem alii Sancti non habuerunt, nimirum quia per gratiam sanctificantem praeservata fuit, ne obnoxia esset originali peccato; alii vero Sancti liberati fuere per gratiam a culpa, quam contraxerant: sed exinde non sequitur B. Virginem donatam esse gratiarum plenitudine, vel maiorem gratiam adeptam esse ac fuerit in omnibus aliis Sanctis simul. *Probatur:* [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 9.] quia post deletionem culpae originalis alicui eorum potuit elargitam esse a Deo gratiam in Baptismate, vel Circumcisione parem illi, qua perfusa est B. Virgo, vel ad eum gradum per merita attigisse.

3. Praeterea. Etiamsi B. Virgini attribuenda esset amplior gratia, quam reliquis omnibus Sanctis descendentibus de Adam, quia in ipso peccaverunt, et B. Virgo fuit expers culpae originalis; tamen nequiit B. Virgini attribui maior gratia, quam fuerit in omnibus Angelis, qui numquam sub peccato aliquo fuerunt, et praestantioris sunt naturae, et plenitudinis gratiae capaciores; sed non alia ratione ipsa donata esset plenitudine gratiarum, nisi quia maior gratia foret perfusa, quam caeteri omnes Sancti simul; ergo B. Virgo in sanctificatione non fuit adepta plenitudinem gratiarum.

4. PRAETEREA. Si B. Virgo Maria plenitudinem gratiarum et donorum consequuta esset, utique in Ecclesiae beneficium iis usa fuisset: sed non constat eiusmodi dona et gratias gratis datas in aliorum beneficium exercuisse, et tamen Ecclesia tempore suo maxime indigebat ministris donum sapientiae habentibus, qui alios erudirent, et docerent Christi doctrinam; ergo videtur B. Virgo non fuisse adepta plenitudinem gratiarum et donorum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 9.] Lucae, 1. *Ave gratia plena,* ait Angelus Gabriel ad Mariam; ergo vel obtinuit quando primo sanctificata fuit, vel tunc in conceptione Filii sui adepta est plenitudinem gratiarum.

RESPONDEO dicendum, B. Virginem per huiusmodi sanctificationem adeptam esse plenitudinem gratiarum. Talis siquidem [*Oxon.* 4.d.25.q.2. n.3 - 2. d. 19. n. 5.] ac tanta eius santificatio fuit, ut nulla pura creatura sibi possit in sanctitate aequiparari; modo igitur excellentiori, ad quem non pertingit ulla sanctitas alterius creaturae, sanctificata fuit; sanctificatio igitur eius [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] habuit modum altiorem et excellentiorem, ad quem non decuit attigisse aliam creaturam. Modus autem ille altior praesetulit plenitudinem gratiarum. Nam eo pacto ac in tali gradu adepta est sanctitatem et gratiarum plenitudinem, prout Filius eius Christus gratiam illi promeruit: sed Christus [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 4.] erga Matrem suam habuit excellentissimum actum mediandi gratiamque promerendi; non solum enim promeruit ut culpa aliqua eius deleretur, quae nusquam infuit, sed praeterea ne inesset, quod ut et aliis Sanctis mereretur, non fuit concessum. Maiorem, amplioremque igitur gratiam obtinuit pro Matre sua, quam pro omnibus aliis Sanctis. Sicut enim omnes alii Sancti a Matre sua aliquando sub culpa fuerunt, ita sub culpa numquam B. Virginem fuisse maiori Dei dilectione dignata est, et sanctitate donata subinde fuit, quam omnes alii Sancti simul, nam omnes simul aliquando gratia privati fuere, seu per propriam seu per culpam alienam; simul igitur omnes non fuerunt semper Deo grati, nec sancti, et proinde una B. Virginis sanctitas est longe excellentior caeterorum omnium sanctitate. Habuit igitur eam gratiarum plenitudinem, quae non potest inveniri in aliqua alia creatura, cum nulla alia fuerit perinde dilecta, et Deo chara.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, habere plenitudinem gratiae esse proprium Christo, quatenus omnes gratiam, qua sanctificantur, ab illo accipiunt tamquam a capite in omnia corporis membra influente. Et hoc modo B. Virgo nequiit habuisse gratiarum plenitudinem, quia gratiam, quam ipsi contulit Deus, de plenitudine Filii sui descendit; sed plena fuit gratia, et omnium supernaturalium donorum, quia cum Christum concepit, extitit Deo propinquissima prae omnibus aliis creaturis, et quo erat Deo propinquior, eo excellentiorem et altiorem actum mediandi et gratiam promerendi credendum est habuisse Filium suum erga ipsam, ac proinde maiorem gratiam adeptam fuisse, quam data sit caeteris Sanctis simul.

AD SECUNDUM respondeo: [*Oxon.* 3. d. 32. n. 5.] si omnes alii Sancti a B. Virgine ceciderunt in Adam, et sola ipsa fuit praeservata, manifestum est, Deum magis ipsam unam dilexisse, quam omnes alios simul; atque ita maiorem gratiam ei contulisse, quam omnibus Sanctis simul;

Deus enim omnibus aliis Sanctis simul aliquando irascebatur, et uni B. Virgini numquam irascebatur; fuit igitur ipsa prae omnibus magis dilecta. Ad hoc [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 5.] etiam est exemplum consonum exemplo Anselmi, 2. *Cur Deus homo,* c. 16. Nam si aliquis ob iniuriam illatam Regi, id condigne referat, ut Rex tam sibi, quam omni filio naturali illius irascatur, eousque ut omnes haereditate, ad quam iure sanguinis vocabantur, excidisse declaret; si unus mediator obtineret, ut alii post contractam offensam Regis rursus ei reconcilientur, et pristino iuri restituantur, uno eorum excepto pro quo sic Regem placet, ut nusquam Regiam incurrat offensam, neque iram eius promereatur, manifestum est qualiter is mediator respectu istius unius maiorem et excellentiorem placationem exercet, et charitatem ostendit, quam respectu caeterorum omnium, idque intensive, et extensive, sicuti intensior est actus iste placandi, et mediandi; excedit enim alium actum placationis extensive, et intensive, quia et habet quasi duos effectus, praeservandi scilicet et placandi; iisque par gratia, vel effectus gratuitus correspondet; voluit ergo plura, et maiora bona illi uni, quam caeteris omnibus; nec ratio istius violationis [*Oxon.* 3. d. 32. n. 5.] est petenda et quaerenda in isto sic praeservato, sed in sola voluntate divina acceptante petitiones mediatoris. Et quamvis impossibile non sit Deum dedisse, aut dare aliis parem gratiam; tamen congruum est eam dumtaxat datam esse Matri Christi, nec ulli alteri creaturarum dari.

Ad tertium dico, (Cf. q. 7. et 8.) Angelos esse quoque nobiliores humanitate Christi, et tamen non ipsos, sed Christum extitisse plenum gratiae et veritatis; ipse enim est caput hominum, et Angelorum, de quo omnes accipiunt quotquot habent gratiam et veritatem; ergo etsi Angeli Sancti numquam sub peccato fuerint, quia tamen Christi Mater est omnibus aliis creaturis Deo propinquior, hanc congruum fuit gratiarum plenitudinem accepisse, non vero aliquem Angelorum. Etsi autem [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 12.] ea gratiarum plenitudo data sit B. Virgini in instanti suae conceptionis, quae scilicet decebat futuram Matrem Dei, summam tamen plenitudinem gratiarum, ad quam Deus disposuerat eam perventuram, videtur accepisse ipsa in conceptione Filii sui, iuxta illud Lucae, 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Ad quartum respondeo, ex eo quod B. Virgo donis et gratiis quibus plena erat non sit usa in aliorum beneficium, nec posse nec deberi inferri eis caruisse; sicut enim per humilitatem adepta est maternitatem Dei, ita voluit esse omnium humilium exemplar, et ductrix foeminei sexus. Quia enim sciebat [*Oxon.* 4. d. 25. q. 2. n. 3.] ex Christi institutione, non debere foeminas publice docere in Ecclesia, ipsa voluit id exacte servare, relinquens id munus discipulis Filii sui, esto fuerit omnium creaturarum sapientissima, et cui nulla alia sit in sanctitate aequiparanda. Caeterum donum prophetiae habuisse constat ex cantico *Magnificat,* quod spiritu prophetico protulit, *Lucae,* 1.

ARTICULUS VI.

UTRUM SIC SANCTIFICARI FUERIT PROPRIUM B. VIRGINI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 3. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 27. *a.* 6.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3. n. 2.] taliter sanctificari in utero sic esse proprium B. Virgini, ut nulli Sanctorum fuerit concessum, nec congruum fuisse concedi, quia sola illa erat futura Mater Dei. Etsi enim Ioannes Baptista, et Hieremias in utero fuerint sanctificati, et prius quidem quam nascerentur; nemo tamen eorum immunis fuit a macula originali, sed ut fuerunt concepti filii Adae, sic in ipso peccaverunt. Mundati ergo sunt et reconciliati Deo per merita Mediatoris, post quam ei inimici extiterunt. At [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. per tot.] B. Virgo ita fuit gratia sanctificante praeventa, ut semper fuerit filia Dei, eique longe acceptissima, quia talem elegerat, ac reipsa fecerat, et ideo unice ad eam legimus dictum ab Angelo fuisse: *Ave gratia plena,* Lucae, 1.

DISSERTATIO THEOLOGICA

FUERITNE BEATISSMA SEMPER VIRGO MARIA IMMUNIS A DEBITO CONTRAHENDI PECCATUM ORIGINALE?

PRAESENS inquisitio supponit, Dominam nostram Virginem Mariam, singularissimo Dei privilegio, et plane inaestimabili favore ita praeventam atque ornatam fuisse cumulo gratiarum et supernaturalium donorum, ut ad ipsam accedere, et quovis modo pertingere non potuerit foeditas culpae originalis, cui omnes Adae filii subiecti nascimur. Id vero mirum videri non debet fatentibus (ut fide tenemur) in Virgine Matre locum aliquando non habuisse peccatum ullum personale, ne levissimum quidem; quod interim cum gratia sanctificante cohaerere potuisse non dubitatur. Quanto ergo magis dedecuisset Christi Matrem culpa illa, quae gratiam Dei ab illa depulisset, et filiam irae et indignationis divinae oppido constituisset?

Sententiam hanc ante tempora Ioannis Scoti improbabilem reputatam, Sacrae Theologiae Magistris, atque Orbis Universitatibus, neminem, praeter Christum, a regula generali, excipientibus, praeunte eodem Scoto, ac processu temporis magis magisque invalescentem, de communi sensu Catholicorum (iis exceptis, quos partium studium in transversum agit) eum gradum probabilitatis tenere cernimus, ut proxime inter fidei dogmata reponenda videatur. Sed huc non tendit praesens disputatio, quae supponit Reginam Angelorum, Dei praeveniente gratia, praeservatam fuisse a macula peccati originalis.

Illud itaque suscepimus inquirendum, numquid, uti praeservata Deipara perhibetur a culpa originali, ita pariter excepta et immunis dicenda sit a debito contrahendi originale peccatum? Et plane interest plurimum asserere Virginem Mariam maculae originalis culpae expertem fuisse, et a debito peccandi in Adamo absolutam esse. Quod Caietanus diligenter et subtiliter advertens *tom.* 2. *opusc. tract.* 1. *cap.* 2. dicit, plus distare inter haec duo quaesita, quam distet Caelum a terra; et declarans qualiter salva fide quisque tenere potest (licet alibi aliter sentire videatur de sententia Catharini, *opusc.* 2. *De Immaculata Concep.* § *Quoniam ergo, prope finem*) B. Virginem gratia praeveniente praeservatam esse a peccato originali, docet (et latius explicat *cap.* 3.)

haereticum, vel erroneum esse affirmare Virginem Matrem non habuisse debitum contrahendi peccatum originale, compluribus in medium productis Scripturae testimoniis.

Quin imo qui culpam originalem ad Mariam pertinere negant, iidem asserunt, et ultro fatentur, eam debito contrahendi illum subiectam extitisse; quam subinde contrahere debebat, nisi Dei privilegio praeservata esset. Ita docuit Magist. Scotus, *Oxon.* 3 *d.* 3. *q.* 1. eiusque Sectatores omnes et Neoterici quique fere post illum Scripturae Divinae exponendae operam impenderunt. Scotus igitur loco cit. n. 41. scribit: *Quilibet filius Adae naturaliter est debitor iustitiae originalis, et ex demerito Adae caret ea: et ideo omnis talis habet unde contrahat peccatum originale.* Et paucis interiectis, *Et ita,* inquit, *exponendae sunt auctoritates, quod omnes naturaliter propagati ab Adam sunt peccatores, hoc est, ex modo, quo habent naturam ab Adam, habent unde careant iustitia debita, nisi eis aliunde conferatur.* Quam catholicam doctrinam late explicat. *Oxon.* 2. *d.* 32. n. 8.

Amplius S. Bonavent. licet 3. *sent. dist.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *et* 2. et lect. xi. *speculi B. M. Virginis* docuisset communem tunc temporis sententiam de Conceptione B. Virginis (quae pariter erat Alensis, Alberti, Thomae, Henrici, Richardi, etc.) procedente tamem tempore, reque melius perpensa, sermone 2. de B. semper Virgine Maria circa medium *dico,* inquit, *quod Domina nostra fuit plena gratia praeveniente in sua sanctificatione, gratia scilicet praeservante contra foeditatem originalis culpae, quam contraxisset ex conceptione naturae, nisi speciali gratia praeventa, praeservata fuisset.* Haec Bonaventura.

Dionysius item Carthusianus, 3. *sent. dist.* 3. *q.* 1. postquam exposuisset, qualiter Beatissima Virgo a multis S. Scripturae regulis quae universim ponuntur, fuerit exempta, uti sunt *In dolore paries filios:* Et *multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos.* Item *Non est homo qui non peccet.* et *Pulvis es,* et *in pulverem reverteris,* et similibus; et propterea iuremerito includi non debere in illa, quae est de peccato originali; tandem in fine haec habet: *Nec in hoc Filii derogatur excellentiae, quoniam ipse Dominus Iesus in peccatum originale incidere non potuit; Maria autem potuisset, nisi praeservata fuisset.* Haec ille. Idipsum late prosequitur, ac declarat Mayron. 3. *d.* 3. *q.* 2. Magister quoque Aureolus, 3. *d.* 3. *q.* 1. *art.* 4. scribit: *Pie teneo et credo quod B. Virgo non contraxit originale, et adduco rationes ad hoc, etc.* iisque in medium productis, subdit, Christum proinde extitisse magis redemptorem Matris suae quam aliorum, quia eam gratia praeveniendo, effecit ne in Adam peccaret. Agnoscit nihilominus in B. Virgine debitum incidendi in originale, dicens: *Christus solus innocens, quia solus non de-*

buit peccare, nec potuit; non sic B. Virgo, imo saltem potuit. Haec ille. Idipsum, ut dictum est, fatentur antiquiores Scoti sectatores; sed et Durandus, *ibidem q.* 1. *n.* 14.

Ex quibus liquido constat, qui Mariae immaculatam Conceptionem propugnare profitentur, una in ipsa debitum incidendi in originale peccatum agnoscere; nec ulla ratione exsolutam ab illo fuisse; alioquin vi originis et propagationis suae in Adam non erat peccatura, nec comprehendenda sub illa generali sententia, *In quacumque die comederis, morte morieris;* cum tamen illi id constanter negent, quod non corruerit in Dei praevenientem gratiam rectissime refundentes.

Verumtamen interea temporis non defuerunt Theologi, qui devotionis affectu, ut videtur, in Deiparam abrepti, et studio, ut fas est, illi obsequia exhibendi delati, asserere non dubitaverunt, perinde Dei Matrem exemptam fuisse a macula originali, ac a debito illam contrahendi.

Quam opinionem libenter et avide complectens Ambrosius Catharinus, Vir multae pietatis et eruditionis, annixus est explicare modum, quo intelligi queat B. Virginem exsolutam fuisse a tali debito, contra communem sententiam Theologorum, paucis exceptis. Opusculo itaque *De casu hominis, cap. ult.* § *Vide et octavo,* haec habet: *B. Virgo secundum quod vere fuit filia Adae, debuit hoc originale peccatum contrahere simul cum aliis, sed quod de facto contraxerit, non est opinandum quovis modo. Quoniam ad incursionem huius peccati non satis fuisset esse filios Adae, nisi pacto coniuncta fuisset causa filiorum cum causa patris* (Vere, et recte; ita est enim). Et paucis interiectis, subiicit: *Quod ergo Beatissima illa Virgo id non incurrerit, ob eam gratiam fuit, quia excepta fuit in pacto illo. Hoc autem quod excepta fuerit, suadetur, quoniam, haec erat electa, et praelecta primogenita filia,* etc.

Rursus in fine *opusc.* 3. *De Immaculata Conceptione,* notat Catharinus B. Virginem, ut obtemperaret edicto profani Principis accessisse quidem Bethelem cum Iosepho sponso, sed puerperio Salvatoris mundi praepedita, nequaquam dedisse nomen suum ut describeretur a Quirino. Quare infert (per allegoriam tamen) nullo tenebatur debito erga Principem tenebrarum, cuius figuram gerebat Princeps Romanus, praeventa, ut dictum est, in divina electione, etc.

Adversus quam opinionem pluribus, et infense nimis agit Caietanus, *loco supracit. cap.* 2. *et* 3. criminans ac traducens eam ut erroneam, et haereticam, veluti fidei dogmatibus contrariam, aut iis quae exinde consequuntur necessario. Corduba etiam *lib.* 1. *qq. Theologicarum, q.* 44. *conclusione sexta,* eamdem notam impingit Catharini sententiae, adducens quoque S. Thomae

auctoritatem, qui 1. 2. *q.* 81. *art.* 3. scribit, necessarium esse credere secundum fidem catholicam, omnes secundum seminalem propagationem ab Adamo provenientes esse obnoxios peccato originali.

Horum Theologorum censurae, ut non ausim subscribere, ita Catharini opinionem, ut infertur de principiis, ab ipso, seu suppositis seu assertis, minus veram minusque fundatam fore reputandam censeo. Et sane, undenam, quaeso, didicit, aut colligere potuit Magister iste, exceptam fuisse Virginem Matrem in pacto inito cum primo Parente? Supponitur quippe datam fuisse iustitiam Adamo etiam pro omnibus filiis descensuris ab ipso per naturalem propagationem, non virtute originis traducendam, sed a Deo dandam omnibus, qui de illo erant modo naturali processuri, nisi is pro seipso, caeterisque, transgrediendo divinum mandatum, amisisset. Et porro pactum hoc agnoscit et profitetur Catharinus, recte inde inferens, iustitiam et gratiam obventuram Mariae de illa, quae data fuit Adamo, ut capiti generis humani, descendere oportuisse; ergo amissa iustitia ob demeritum, ad omnes omnino pertinere debebat privatio iustitiae illius, qui futuri erant participes formae quam eadem privatio excludit, iuxta doctrinam Ansel., *De Concept. Virg.*, cap. 2. et 3. et 26. et *De Casu Diaboli*, cap. 16. Quotquot ergo involuti erant in pacto habendi iustitiam, iidem necessario inclusi intelliguntur in debito quo eos obstrinxit Deus cum parente primo paciscendo. Si igitur Maria accepit iustitiam in Adamo, ad eam pertinere debuit facta in illo iustitiae nuditas; qua expoliatam utique se vidisset, nisi desuper gratia praeveniente, iusta, ac Deo longe acceptissima apparuisset.

Deinde, Catharinus ita opinando, pacta ingeminat citra omnem necessitatem, omnique destitutus auctoritate. Nam ipse vult Mariam comprehensam in pacto eodem, quo Deus iustitiam dedit Adamo, omnibusque filiis eius naturali ordine descensuris; et foedus illud nullam subiit mutationem respectu iustitiae transfundendae, seu maior seu minor fuerit futura in filiis Adae. At quoad debitum habendi illam, novum pactum comminiscitur, opinans, initum inter Deum et Matrem Filii sui, quo statuit in hypothesi qua Adam iustitiam perdidisset haud imputatum iri Virgini gloriosae debitum habendi illam, eo quod in pacto excepta sit. Verum, quae necessitas fuit excipiendi hanc in foedere illo, cum ipsa vere fuerit filia Adae, adeptura iustitiam sibi datam in illo, si stetisset? Et constat iustitia stante, non oportuisse excipere Virginem in pacto omnibus communi; ergo alio pacto eximi debuit, et iniri novus ordo rerum. Et nihilominus quotquot Theologorum putant, quos inter non infimum locum tenet ipse Catharinus, praecipue *Opu-*

sculo de eximia Christi Praedestinatione qui, inquam, sentiunt, Christum adventurum nobis, etiam si Adam non peccavisset, non arbitrantur novo decreto, novoque pacto decretam Christi futuritionem, sed aeterna illa, stabilique voluntate Dei immutata, circa alium modum solummodo Dei decretum versari intelligendo, optime omnia cohaerere declarant; exinanivit profecto semetipsum post mundi constitutionem, et proinde post praevisum peccatum, et obnubilata claritate, quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset, tradidit se in mortem, proposito voluntatis divinae penitus invariato. Nulla igitur ratione urgente, duo pacta intrudit Catharinus inter Deum Virginemque Matrem; quae electa et praeelecta recte concipitur in eo quod propter merita Christi Filii sui Deus noluerit in actu reduci debitum habendi iustitiam, sibi, ceterisque de Adamo propagandis datam, eo quod gratia ornatam statuerit creare animam illius felicissimam.

Illud interea mihi non probatur quod obiiciunt Catharino post Caietanum et Cordubam cit. Vazquez: *disp.* 115. 3. *p. c.* 3. Suarez, 3. *p. super q.* 27. *art.* 2. *sect.* 2. aliique, futurum ex illa opinione, ut Maria Christi meritis non indiguisset, nec omnino per Christum redempta esset, si debito peccandi in Adam exsoluta intelligeretur. Siquidem Apost. ad Rom. 3. et 5. absolute dicit omnes peccavisse in Adamo, et ideo salutem consequi non dari sine Redemptore. Nulla siquidem est eiusmodi illatio. Etenim quemadmodum Maria in primo suae Conceptionis instanti sanctificata fuit propter merita Mediatoris praevisa, ita etiam nonnisi de eiusdem meritis a Deo praeservata fuisset, ne in debitum contrahendi originalem culpam incideret. Nam, ut scribit Scotus, *Oxon.* 4. *dist.* 2. *q.* 1. *in universis operibus Dei, non fuit aliquod opus mere gratiae, nisi sola Incarnatio Filii Dei.* Ipse enim Christus altissimus est causa meritoria de condigno omnis gratiae et veritatis, seu supernaturalium donorum corpori suo mystico elargitorum. Unde et scriptum est: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Quare dubitari non potest, si Deus Mariam a debito contrahendi culpam originalem exemisset, id ipsi datum non esse ob merita Christi praevisa, uti eorumdem intuitu meritorum caetera supernaturalia dona accepisse Ecclesia Catholica profitetur. Et quemadmodum quia Adae peccato inclusa non est, altiori ordine redempta rectissime intelligitur, ita quo magis magisque a foeditate seiuncta appareret, si debitum hoc ad eam non pervenisset, exinde eminentius redempta dici deberet, ac si tantum a peccati macula esset praeservata.

Quod addit Catharinus per tropum, Mariam non agnovisse hoc debitum, eo quod sub Cyrino Praeside Romano, nomen

suum describendum non dederit, nihil est. Nam (etsi per Evangelistam non notetur) ipsa sponsusque eius cum Puero recens nato priusquam e Bethelem recesserint, accedere potuerunt ad Praesidis tribunal, nomina describenda daturi, quamvis subito ei muneri non satisfecerint. Imo impius Iulianus hoc ipsum nobis obiiciendum putavit his verbis, *Dicitis enim, Iesum descriptum esse cum Patre, et Matre sub Cyrenio,* quod Cyrillus, *lib.* 6. *in Iulianum sub finem,* diffitendum non putavit. Et cum Salvator iusserit tributum dari Caesari, ipsique pro se, et Petro persolverit; quamvis Rex saeculorum penitus esset immunis, cur tenuerit describi, et censeri, cum interiecto Octaviani Caesaris edicto pariturus, in Bethelem deferri voluerit, nulla causa probabilis apparet.

Cur vero existimem, non esse veluti erroneam traducendam hanc Catharini opinionem, inde moveor, quia quemadmodum doctrina est Ecclesiae Virginem gloriosam non fuisse comprehensam quibusdam in regulis universim prolatis, uti sunt: *In dolore paries filios,* et *pulvis es, et in pulverem reverteris,* et *non est homo qui non peccet;* et de originali culpa idipsum profiteatur consensus fidelium, etsi non tanta cum certitudine; quidni excipi quoque potuit, eximique in communi pacto omnes complectente filios Adae, etsi usque modo id sit intellectu explicatuque difficillimum? Nec S. Thomae auctoritas quidquam illi censurae favet. Ipse enim opinatus est 3. *p. Summae q.* 27. cum communi sui temporis Theologorum, ad Mariam pertinuisse, uti ad omnes alios, culpam originalem. Si autem oppositam sententiam amplexus esset (quam innuerat 1. *dist.* 44. *a.* 3. § *Ad tertium*) fortassis aliquid altius in hoc quaesito docuisset.

Deinde, si vera est eiusdem S. Doctoris sententia 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. (quam latius explicarunt cum Magister Scotus, 3. *dist.* 7. *q.* 3. tum eiusdem sectatores omnes, aliique plures) Christum hominibus adventurum, etiamsi Adam non peccasset; scribit enim: *Oportuit omni tempore esse creditum mysterium Incarnationis, sed diversimode. Nam ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriae, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem et resurrectionem, quia homo non fuit praescius peccati futuri.* Haec ille. Quo in rerum systemate per quam rimam debitum contrahendi noxam originalem intrasset, cum eius culpae locus nusquam esset? Et mirum profecto est Catharinum, opusc. *De eximia Christi praedestinatione,* pro hac sententia strenue decertantem non magis inde immunitatem ab hoc debito in B. Virgine intulisse.

Quare ergo et Magister Scotus sentiens cum Aquinate quoad Christi adventum in innocentiae statu, pariter eamdem a debito contrahendi noxam originalem non exemit? imo ex sententia, identidem docuit, futurum ut subderetur culpae originali, nisi Dei gratia praeventa fuisset?

Ego puto Scotum cum suis Sectatoribus non absolvisse Mariam a debito contrahendi culpam originalem esto praevisam immediate post Filium, quia decretum de adventu Christi quoad substantiam immobile, quasi conditionatum extitit respectu modorum illud consequentium; nempe si Adam innocentiam servare maluisset, futurum, ut gloriae electorum consummator et immortalis Christus ad homines accessisset; sin minus, et passibilis et mortalis et medicus curandis peccatorum vulneribus efficacem exhibens medicinam in mundo apparuisset.

Quoniam etiam existimabant datam esse iustitiam Adamo pro omnibus ab se via naturali descensuris, absque ulla exceptione, necessario inferebant, Mariam debitricem extitisse iustitiae sibi datae in parente primo, et reipsa sub carentia eiusdem iustitiae apparituram fuisse, nisi Dei gratia praeventa esset; indeque probe intelligebant, optimeque explicabant ipsa cum carentia culpae originalis, debitum carendi ea iustitia simul infuisse.

Quoniam itaque modus hic probandi hanc Mariae immunitatem seu exceptionem a debito communi filiorum Adae haud probandus videtur, fortassis si diceretur, ad Mariam debitum hoc non attinuisse, propterea quod sibi obventura iustitia, non erat ab illa Adami derivanda, non ita de facili redargueretur. Undenam ergo illi obvenisset? Ex meritis utique Filii sui immediate, et non de Adami perseverantia in bono. Posset ergo res ita digeri, et explicari: Incarnatio Filii Dei, extitit opus mere gratiae, et quia huic proximior caeteris erat sua ipsius Mater, huic Deus propter Mediatorem praedestinavit gratiam et iustitiam inenarrabilem, adeo ut dici potuerit *gratia plena,* et eorumdem intuitu meritorum Christi, dedit iustitiam Adae pro se, caeterisque filiis suis, excepta Virgine, quam uni Christo voluit subiectam in ordine gratiarum, et nequaquam Adamo, excepta naturali propagatione. Tali in facto constat, Mariam absolutam a debito contrahendi peccatum Adae penitus fuisse, et forte huc respiciebat Catharinus cum suasurus suam opinionem scripsit: *Quoniam haec erat electa, et praeelecta primogenita filia.* Verum quia ipse voluit Mariae iustitiam transfundendam esse ex Adamo, non item debitum, inter se pugnantia docuisse videtur, et pacta ingeminasse nulla fretus auctoritate.

Neque id alienum a veritate videbit reputanti iustitiam et gratiam datam Virgini Matri longe praestantiorem esse illa, quae

pro se suisque posteris concredita fuit Adae. Illa siquidem tanta pollebat excellentia, ut in plenitudine supernaturalium donorum praerogativam complecteretur etiam perseverantiae inextimabile donum, sicque efficiebat possidentem ultimo fini immobiliter adhaerere, ut ne tantillum quidem inde averti permitteretur; et quod Christus possidebat virtute nativitatis suae, idipsum ex privilegio obtinuerit beatissima eius Mater: id vero nulli alteri creaturarum concessum fuisse constat. Haec igitur sola audire meruit *Ave gratia plena,* a qua excidere nequiit, de eiusdem gratiae munere; in immensum ergo praecellebat Adami iustitiae, quam deserere poterat, et reipsa amisit; minus congruum proinde fuit ab iustitia concessa Adamo eam, quae Virgini dabatur, derivari, sed magis ab altiori principio, nempe immediate a causa meritoria omnis gratiae et veritatis: Et sane cum excellentiae repertae in plenitudine gratiae Virginis minime intelligi queant in Adamo, qui fieri potuit, aut decuit ipsum extitisse caput Virginis in ordine gratiarum, quae longe perfectiori iustitia et cumulo gratiarum dignata fuit?

Illud huic modo exponendi opponi posset, quod Sancti communiter asserant datam esse a Deo iustitiam Adamo tam pro se, quam pro omnibus filiis suis; haec autem expositio dicit, Mariam non per Adamum, sed a Deo accepisse propter merita Christi, quorum etiam intuitu meritorum datam iustitiam primis parentibus non dubitatur. Quare videntur statui duo capita: alterum in Adamo respectu filiorum caeterorum; alterum in Virgine Matre, quae independenter ab Adamo accepisse sanctificationem perhibetur. Verumtamen hic modus explicandi non negat quod auctoritas tradit; sed non propterea falsum illico reputandum est quod expresse non dicit, ut docet Scotus, 1. *dist.* 26. Quis ergo novit utrum in Arcanis sapientiae divinae sit alius ordo praestitutus praeter, et supra illa, quae Ecclesiae hactenus revelavit? Et porro Spiritus veritatis edocuit Ecclesiam ab illa comminatione in universum pronunciata: *In quacumque die comederis morte morieris;* et *pulvis es et in pulverem reverteris,* nempe tu, et filii tui, fore excipiendam Virginem Matrem; quae fortassis mortem culpae originalis non pertulit, nec quidquam culpae actualis, aut aliquid de regno tenebrarum accedere potuit ad Christi mundissimam Matrem, eamque in corpore regnare cum Christo pie credit. Cur ergo pariter non dicatur immunis exemptaque a debito contrahendi quodcumque peccatum, et subinde non comprehensa sub regula generali complectente caeteros filios Adae? Quod tangitur videri ex eo statui duo capita, nihil est. Nam sicuti Christus altissimus est unica et sola causa meritoria omnis gratiae et veritatis, constitutus a Deo haeres universorum, per quem fecit et saecula, ita ex uno inhabitare fecit genus humanum super faciem universae

terrae, unitatem capitis in ordine gratiae non impetit, seu dicatur immediate ex illo descendisse gratiam et iustitiam in Virginem Matrem, seu asseratur derivatum iri in ipsam ex illa, quae data et concredita fuit Adamo. Perinde est enim causa una meritoria supernaturalium donorum. Nec ordo is gratiarum commensuratur ordini naturarum, secundum Dionysii doctrinam *De Caelesti hierarchia;* sed unice pendet a proposito voluntatis divinae eligentis. Adam ergo extitit pater Mariae, ut unitas, et unitatis Sacramentum in genere servaretur. Sed Maria gratia, et sanctitate (sicuti dictum est) longo intervallo praestabat Adae sanctitati. Ad illam quippe dictum est: *Ave gratia plena Dominus tecum.* Hanc gratiae plenitudinem Adam adeptus non est, nec semper Domini habitaculum fuit. Nam cum levissima tentatione pulsatus cecidit, defuisse sibi donum perseverantiae ostendit; non ea igitur gratiae ubertate qua potuit donatus fuit, uti Mediatoris Mater, numquam vel levissimae culpae subiecta, ideoque ut plena gratiae et veritatis, perpetuum Spiritus Sancti templum futura. Videtur proinde gratiae plenitudo, quae Mariae obvenit, de Christi plenitudine atque meritis accepisse, independenter ab Adamo, nec propterea in ipsum peccare potuisse, ab omni debito penitus absoluta.

Et ad hunc intellectum nullo negotio possunt inflecti pene omnia argumenta Scoti de actu perfectissimo Mediatoris respectu Matris suae ex *Oxon.* 3. *dist.* 3. *q.* 1. Nam si impetrare et obtinere potuit, ut Dei gratia praeveniente a peccati foeditate sua ipsius Mater immunis appareret, quanto magis et a debito contrahendi illam, cum tale debitum peccatum formaliter non sit, etsi de peccati radice prodeat? carentia autem originalis iustitiae in Adae posteris rectissime Dei offensa et peccatum iudicatur, dicente Scriptura, *Quacumque die comederis, morte morieris,* nempe tu, caeterique omnes pro quibus tibi concredita iustitia fuit. *Deinde,* actus iste mediandi quo principio terminoque, Filio nempe eiusque Matri, congruere intelligatur, perfectissimus prae ceteris mediandi actibus sit oportet. Si vero respectu solius culpae arcendae vim suam exercuisset, non item ne debitum illam habendi inesset, utique perfectior foret ille actus, qui simul utrumque munus complecteretur; non extitisset proinde Christus altissimus excellentissimus mediator Deum inter ac Beatissimam Matrem suam, non dando ei, quod exhibere potuisset, quove magnificentius, imo magnificentissime sua ipsius excellentia prae omnibus creaturis eniteret. Et vere si nos iussit honorare parentes, quanto magis ipse quidquid cedere potuit in decus, honorificentiam atque excellentiam Matris suae credendus est impendisse? Et porro dubitari non potest, nec debet, merita Redemptoris extendi non potuisse ad hanc impetrandam et obtinendam Matris suae prae omnibus Adae filiis praeroga-

tivam, atque immunitatem. Ut sicuti caeteri omnes conclusi sunt sub peccato et lege incidendi in illud, et Mariam voluit exceptam a lege cuiuscumque peccati, ita et a debito contrahendi illud exemptam voluisse pie credere ac sentire possumus, et non alia via et ratione, nisi quia plenitudinem gratiae ipsi Deus immediate contulit propter Christi merita praevisa, aliis vero dedit, vel se daturum statuit, quia concredidit eamdem Adamo; non sic intelligendo, quasi gratia danda posteris Adae ex illo accipienda, et transfundenda fuerit, sed quoniam stante pacto et lege, Adam sibi, suisque omnibus eam conservasset, si Dei mandato obedire maluisset.

Quidam arbitrantur alio ex principio deduci ac persuaderi posse Beatissimae Virginis immunitatem a debito contrahendi labem culpae originalis. Nam supponendo tamquam fidei dogma, Deum ab omni aeternitate simplici contuitu penitus pervadisse ac novisse congeriem infinitorum possibilium, eorumque terminos, et principia ex eis, omnesque subinde complexiones, earumdem item consonantias, dissimilitudines, et contrarietates, et systemata quoque aliorum mundorum factu possibilium, quibus in systematibus divinae sapientiae, et inenarrabilis intelligentiae, Augustinus, 12. *De Civit.*, cap. 19. et ex eo Damascenus, lib. 2. *De fide,* cap. 1. reponenda esse putant *Saecula Saeculorum,* quorum est frequens mentio in Divinis Scripturis; proculdubio et comprehendit in mirabili coordinatione iam conditi saeculi Verbum Dei in excelsis assumere posse humanam naturam in unitate personae concipiendam ex Virgine, quae una foret et Mater. Item obiiciebatur illius prospectui ut possibilis primi hominis creatio, unde, ceu ex capite, caeteri omnes essent processuri: fierique pariter posse, ut sibi concrederetur iustitia, et sanctitas transfundenda in posteros, si fixo gradu stetisset; et non danda, si corruisset. Has inter complexiones illa eminebat veluti apprime consentanea dignitati et excellentiae Christi Matris, ut ad ipsam non pertineret obligatio contrahendi illud peccatum, in quo omnes Adae posteri erant communicaturi, si ipse innocentia excidisset. Si ergo id ut possibile intellectus divinus noverat, repraesentabatque voluntati, cur factum non dicatur, cum tantopere rationabile appareat, eique convenientissimum, quae evasura erat Christi Mater? Et certe ita asserenti Augustinus non refragaretur, 3. *De lib. arb.,* scribens: *quicquid tibi certa ratione melius occurrit, scias hoc Deum magis fecisse, quam non fecisse.*

Verumtamen hypothesis haec cum sua illatione, uti egregie ostendit rei possibilitatem in altera providentia, ita minus congruere probatur praesenti iam statutae, in qua post decretum de Christi futuritione, humanique generis creatione, foedus ineundum voluit Deus cum primo homine, et reipsa pactus est,

oportere ipsum servare iustitiam qua ornatus erat, quo in posteros transfunderetur, alioquin tam sibi quam illis ammissurum, si divinis non paruisset mandatis. Hunc ordinem deliberatum novit divinus intellectus post determinationem voluntatis. In priori enim signo novit quidem earum complexionum possibilitatem; sed adhuc erant sibi neutrae, et indeterminatae. Ea autem stante determinatione, et eventu didicimus complexam non esse Dei voluntatem ordinem illum providentiae qui per praemissum digeritur discursum, sed alium, idest praesentem, cui non cohaeret ille, stante lege vel pactione statuta inter Deum et Adamum.

At, inquies, divinae voluntati praeostendebat intellectus, cessurum in decus maximum Virginis Matris, si tanto intervallo distaret ab omni labe peccati, ut ne debitum quidem ullum contrahendi peccatum ad ipsam pertinere assereretur; ergo hoc ipsum videtur maxime rationi consentaneum, ac proinde id voluntatem elegisse et ita factum esse.

Nos dicimus, hoc eodem argumento deceptos Avicennam, Averroem, Aristotelem, aliosque Philosophos complura erronea docuisse latentibusque contradictionibus ultro admissis. Putantes enim divinam voluntatem semper eligere debere quod praestantius et melius sibi ab intellectu ostenditur, intulerunt Deum necessario agere ad extra, mundum ab aeterno extitisse, saeculum perfectius condi non potuisse nec posse, et alia id genus, quorum contraria docet Catholica fides, illaque ut absona a veritate detestatur; et etiam per Metaphysicam revincere nititur Mag. Scotus, *Oxon.* 1. *d.* 8. *q.* 5 inde potissimum deducta ratione, quia tali in Philosophorum hypothesi, sequeretur ab finito infinitum dependere, quod ut impossibile pergit declarare.

Et sane, quis non rideat Avicennam, 9. *Metaph. suae, cap.* 1. insimulantem nos Christianos haereseos, eo quod profiteamur mundum initio temporis conditum esse, primumque Principium gloriosum per tempus infinitum eiusdem factionem praecessisse, quapropter videtur Avicennae ab Christianis Deo suam liberalitatem ademptam esse. *Scias,* inquit, *quod primus non praecessit creaturam apud eos prioritate absoluta tantum, sed prioritate temporis, in qua est motus et corpus vel corpora, et hi sunt haeretici qui abstulerunt de eo suam liberalitatem.* Ita ille. Cuius tamen vanam existimationem iampridem Tertullianus contra Hermogenem agens, falsitatis revicerat. Et ex illo Cornelius Mussus, *lib. De Divina Historia, cap.* 4. Sed et magis deridendus Averroes, quoties nos Christianos ludibrii causa *loquentes* appellat, ipse interim propriam vocem ignorans cum de Deo, eiusque providentia, scientia, et infinitate, de mundi aeternitate, de intellectu hominis, ut alia plura omittam, sermonem instituit.

Porro radix aperiendae veritatis est, quia fienda quaeque non ab intellectu accipiunt rectitudinem, aut obliquitatem, sed a voluntate Dei statuente rerum ordines, et decernente haec et illa fore repraesentanda; quibus ita volitis, mox intellectus apprehendit eorum rectitudinem et rationem et iustitiam, qua ratione et rectitudine carebant, non positive, sed privative, in statu possibilitatis, quam acceperunt per actum divini intellectus. Haec est doctrina Mag. Scoti I., dist. 38. ubi haec habet: *Posita determinatione voluntatis Dei respectu quorumcumque operandorum, intellectus eius cognoscit istum ordinem operandorum; et tunc est ibi recta ratio, hoc est cognoscens rectitudinem; non tamen recta ratio, hoc est directiva ipsius potentiae operantis;* et dist. 39. idipsum docet, clareque explicati scilicet quia non pellicitur divina voluntas a bonitate possibilium quorumcumque, nec dirigitur omnino in agendo a scientia ostendente rectitudinem, cui consentanee se habere debeat. Nam scientia Dei non est practica in ordine ad factibilia, sed mere speculativa; ideo propterea non ostendit illi quid faciendum sit, vel non faciendum; sed tantum quid est factu possibile. Inflectitur ergo divina voluntas et determinatur ad haec et illa exhibenda a se ipsa, suaque bonitate dans volitis rectitudinem, pondus, et mensuram talem, quae exactissime congrua sit fini a semetipsa praefixo, et hoc est quod dicit Anselmus, Prosol. XI. *Id solum iustum quod vis, et non iustum quod non vis.* Atque haec eadem latissime explicantur ab Scoto, *quaest.* 4. *De rerum princ.*

Vides nunc quantopere Philosophi a veritate aberraverint, existimantes Dei voluntatem eo quod rectissima sit, necessario debere esse conformem praestantiori dictamini intellectus, eumque rerum ordinem ipsam ab aeterno eligere debuisse, quem caeteris praestantiorem ostendebat Sapientia Divina. Siquidem nullus est hic comminiscendus practicus intellectus; imo is non aliam novit in factibilibus rectitudinem et rationem et iustitiam, nisi illam, quae derivatur a voluntate habente in se complicatam rectitudinem omnem, omnemque rationem datam, et dandam prout sibi libuerit. Quare rectissime August., *lib.* 83. *qq .q.* 28. scribit, non esse quaerendam causam divinae voluntatis, quia eius nulla est causa, cum nihil maius sit divina voluntate.

Quod itaque idem dicit 3. *De libero arbit.: Quicquid tibi vera ratione melius occurrit,* etc., utique ita est. Verumtamen vera ratio non est accipienda ex his quae intellectui nostro videntur, et meliora apparent, quia is nisi recta fide dirigatur, passim a scopo aberrat; sed magis desumenda est a fine intento a rerum Conditore, quoties is nobis de auctoritate innotescit. Didicimus autem a fide conditum Adamum generis humani Principem, eique datam iustitiam pro omnibus de illa naturali pro-

pagatione descensuris, idque intuitu meritorum Christi, per quem Deus fecit et saecula. Hoc supposito, sequitur per necessariam illationem primum hominem suo demerito tam sibi, quam filiis suis sanctitatem perdidisse. Ratio ergo probans non fuisse amissam iustitiam pro Maria, hac supposita veritate, eo quod id sit maxime consentaneum rationi, non est vera ratio, sed apparens nobis finem verum non considerantibus. Imo ne verisimilis quidem est ratio, sed fallit per transitum et considerationem ordinis providentiae factu possibilis, ad ea quae iam facta repraesentataque sunt, perinde ac si Dei scientia foret practica, et voluntas ut recta esset, teneretur sequi ea, quae praeclariora ab intellectu ostenduntur; quia nullam praestare potest intellectus ab se scitis rectitudinem, imo unice eam mutuantur a voluntate illa, quae omnium prima regula est, nec potest proinde aliunde dirigi, vel regulari in agendis.

Summa itaque dictorum haec est: Doctores propugnantes Deiparae conceptionem immaculatam debitum contrahendi originale peccatum in ipsa agnovisse, futurum profitentes ut reipsa illi subiiceretur, nisi Dei gratia praeventa esset. Non fore inurendam haereseos notam Catharini opinioni; quia sicuti Maria excipitur in multis S. Scripturae regulis, quae in universum pronunciatae reperiuntur, ita fortassis comprehensa non fuit in pacto illo universali inito cum Adamo, ut putat Catharinus. Minus tamen videri eam opinionem veram, minusque fundatam, quia geminantur pacta sine auctoritate saltem, si non contra id quod traditum est. Forte exempta est Maria ab obligatione cui obnoxii nascuntur omnes filii Adae, quia huic pro Maria concredita non fuit iustitia, sed pro omnibus illis quibus nocere suo facto potuit. At nequivit ullam noxam intulisse Virgini Matri tali in hypothesi, quia haec extitit gratia plena, et perpetuum domicilium talis gratiae et sanctitatis, qualis decebat Dei Matrem, quod datum non fuit Adae; adeoque hinc haud absurde colligi posse immediate post Christum electam fuisse Virginem Matrem ad talem tantamque gratiam, ut non docuerit in illam transfundi dependenter ab Adamo, sed immediate a Deo, per Mediatorem in ipsam derivari, proptereaque expertem penitus esse debiti omnis subeunde culpae originalis.

Denique expositum est, ultimum dicendi modum involvere errorem Philosophorum putantium Dei voluntatem accipere rectitudinem seu dirigi in agendis ab his, quae sibi ab intellectu ostenduntur; quod exploditur per Catholicam veritatem, propter ea quae inde falso consequuntur. Quare secundus modus dicendi, nisi repugnans inveniatur Scripturae auctoritati, aut Ecclesiae determinationi, videtur posse probabiliter sustineri.

QUAESTIO VIGESIMAOCTAVA.

DE VIRGINITATE B. MARIAE, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Virginitate Matris.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum fuerit Virgo in concipiendo. - 2. Utrum fuerit Virgo in partu. - 3. Utrum permanserit Virgo post partum. - 4. Utrum votum Virginitatis emiserit.

ARTICULUS I.

UTRUM B. MARIA FUERIT VIRGO IN CONCIPIENDO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 28. *art.* 1.

VIDETUR B. Maria non potuisse esse Virgo in concipiendo. Nam [*Oxon.* 3. d. 4. q. 1. n. 1.] opposita contrarie non possunt inesse eidem simul, ne per potentiam quidem divinam; alias enim Deus posset facere contradictoria simul esse vera, ut deducit *Philosophus,* 4. *Metaph.t. com.* 9. *et* 27. probans, quia si contraria sunt in eodem simul, etiam contradictoria essent simul vera: sed virginitas, et maternitas sunt opposita contrarie; ergo B. Maria non potuit esse Virgo in concipiendo, cum hoc ipso effecta sit et Mater.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Activum et passivum sunt correlativa mutua, 5. *Metaph., t. com.* 20. Sed mater se habet ad patrem sicut passivum ad activum, secundum *Philos.,* 3. *De generat. animal.,* c. 19. ergo quaecumque mulier est mater, habet pro correlativo patrem, et per consequens nequiit esse Virgo.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 2.] Inter B. Mariam et Ioseph fuit verum matrimonium: sed verum matrimonium debet habere tria bona, scilicet, fidem, prolem, et sacramentum; ergo quandoquidem ex eo matrimonio procreata est proles, nequiit de Virgine Matre provenisse.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 4. q. 1. n. 1.] Lucae, 1. *Concipies in utero, et paries filium;* dixit Gabriel ad Virginem, cui nomen erat Maria.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 2.] B. Mariam fuisse virginem in concipiendo esse certum de fide tamquam in Scripturis expressum, ut statim notatum fuit. Hinc Damasc., *lib.* 3. *cap.* 12.: *Deiparam,* inquit, *Dei genitricem, Deique parentem, et proprie, et vere Sanctam Virginem celebramus.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 15. — *Report.* ib. q. 2. n. 16.] Virginitatem et Maternitatem minime opponi aliqua oppositione formali, seu privativa, seu contraria ea sit; Virginitas enim tantum excludit actionem causae activae naturalis, non vero virtutem activam matris. Maternitas etiam non necessario ponit, aut involvit actionem illius causae naturalis; sed tantum communiter loquendo illa actio ipsam maternitatem concomitatur. Si igitur aliud agens suppleat totam illam actionem causae naturalis, concurrente activa virtute matris, erit maternitas secundum suam rationem cum privatione actionis causae naturalis activae,

et ita cum virginitate stabit maternitas, uti revera gestum est hic, nempe in conceptione Christi Domini, ubi suppleta fuit causalitas Patris per supernaturalem virtutem, et ideo absque virginitatis laesione extitit illa conceptio. *Exemplum:* obiectum creatum natum est concausare cum intellectu meo intellectionem; intellectum igitur concipere notitiam, communiter requirit obiectum creatum movere intellectum, sed non requirit hoc ex ratione sua formali; si enim Deus suppleat actionem obiecti movendo intellectum, potest intellectus eamdem notitiam concipere, quam conciperet obiecto movente; et ita si in intellectu concipiente non moveri ab obiecto creato designaretur nomine virginitatis, vel incorruptibilitatis, non esset illa formalis repugnantia intellectum concipere, et virginem esse. Ita contingit in proposito.

Ad secundum *concedo* [*Oxon.* 3. d. 4. q. 1. n. 16.] activum et passivum in communi ad invicem necessario referri; sed *nego* hoc activum et hoc passivum in particulari esse mutuo correlativa, quia aliud activum gerere potest vicem huius activi; adeoque in eo casu non poterit mutuo referri ad passivum tale. Cum igitur pater sit hoc activum speciale, possitque eius actio suppleri ab agente supernaturali, sicuti revera factum est, non potest inferri, si est huius concepti mater, debuisse intervenire quoque actionem patris, sed vel patris, vel alterius gerentis vicem eius.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 4. seqq.] in matrimonio B. Mariae cum Iosepho non oportere ponere illa tria bona, ut excusantia actum carnalem, qui ibi numquam fuit; nec universaliter in spirituali matrimonio, cum nempe contrahentes statim pari voto castitatis se adstringunt. Ex veritate igitur matrimonii B. Mariae non sequitur necessario ipsam proinde iacturam Virginitatis fecisse. Et quamvis prolem inde susceperit; quia tamen non per viam communem procreata est, sed Spiritus Sancti virtute, ideo Virgo fuit, et Mater Unigeniti Dei.

ARTICULUS II.

UTRUM MATER DEI FUERIT VIRGO IN PARTU.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 4. — *Report. ib. q.* 1.
S. Thom. 3. *p. q.* 28. *art.* 2.

Videtur Mater Dei non fuisse Virgo in partu, quamvis Virgo conceperit. Si enim B. Mater Dei Virgo in partu extitisset, ipsa minime Christum peperisset: sed revera Christum Deum et Salvatorem nostrum peperit; ergo Virgo non fuit in partu. *Probatur assumptum:* nam [*Oxon.* 3. d. 4. n. 15.] Virgo qua talis clausa est: sed clausa non potest parere; ergo si Virgo in partu fuisset, parere non potuisset.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Si B. Maria Virginitate non diminuta prolem edidisset; ergo oportuit habuisse virtutem movendi corpus prolis suae localiter ad exeundum, adeo ut esset simul cum alio corpore: sed nulla virtus creata potest movere localiter corpus ad aliquod *ubi*, nisi expellat aliud corpus non gloriosum, sicuti fuit Christi corpus, dum erat viator; ergo B. Maria non potuit parere Filium sine propriae Virginitatis iactura.

3. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 1. — 3. d. 22. n. 4.] Christus habuit verum corpus humanum ex carne et ossibus compactum, ac

sunt caeterorum hominum corpora, et non phantasticum, ut dicebant haeretici, adversus quos agit Damascen., *lib.* 3. *cap.* 12. Sed si Christi corpus claustra Virginitatis integra reliquisset, cum in lucem prodiit, viderentur illi haeretici aliquem sui erroris habuisse praetextum, quia corpus aëreum, vel caeleste per Virginem transiens Virginitatem non violasset Matris.

CONTRA. [*Miscell.* 6-7.] Isaiae, 7. *Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium:* ea autem non alia fuit, quam Beatissima Mater Christi; igitur verissime extitit Virgo in partu.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 49. q. 16. n. 4.] certa fide tenendum esse, Christum Dominum natum fuisse de Maria Virgine, ac proinde Beatissimam Matrem Salvatoris nostri extitisse Virginem in partu; quemadmodum enim potuit fuisse Virgo, et concipere in utero filium Spiritus Sancti virtute supplentis concursum causae superioris, quae naturaliter fuisset cooperatura; ita salva integritate illibatissimae Virginitatis, potuit filium peperisse eadem supernaturali virtute, qua conceperat. Corpus igitur Christi cum de utero materno exiret, fuit simul cum partibus alterius corporis Matris, easque penetravit; ideoque claustra Virginitatis integra remanserunt virtute divina, et propterea [*Oxon.* 3. d. 4. q. 1. n. 1.] Angelus ad Mariam dixit: *Concipies in utero, et paries filium,* Lucae 1., idest, sicuti absque ulla Virginitatis laesione concipies filium, ita salva Virginitate paries. Quod profecto convenientissime gestum est, [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 2 3.] quia Christus non putavit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam. Sicuti itaque voluit Iosepho desponsari, ne diceretur concepisse ex adulterio, ita statuit et voluit [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 12.] salvam illi esse Virginitatem in partu, nec inde ullam suae integritatis diminutionem subire, unde constat adeptam fuisse plenitudinem gratiarum, et supernaturalium donorum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 4. n. 15.] utique clausam peperisse, sed per miraculum; quia corpus fuit cum alio corpore, quod naturaliter minime contingere potuisset; et forsitan fuit novum, et aliud miraculum ab illo, quo Virgo concepit sine actione causae naturalis activae. Quemadmodum igitur aliae matres operantur circa foetum in utero fovendo, conservando, et nutriendo, et tandem ipsum parturiendo, ita et B. Maria in partu circa prolem operabatur, ut in lucem exiret.

AD SECUNDUM dico, [*Report.* 3. d. 4. q. 2. n. 14.] tenentes matrem se habere in partu ut terminus a *quo* tantum, sicut arbor respectu fructus cadentis, adeo ut nihil agat, sed ipsa ponderositas causet lapsum fructus, vel aliqua alia causa extrinseca, ita, inquam, opinantes facile salvant B. Mariam clausam peperisse; quia tunc praecise Spiritus Sanctus egisset ad separationem prolis a Matre, respectu cuius nulla est implicantia. Sed ponendo matres in partu agere per virtutem expulsivam, vel aliqua alia ratione active concurrere ad prolis expulsionem, secundum quam viam procedit argumentum, dico, [*Oxon.* 3. d. 5.] etsi B. Maria non potuerit extra se prolem emittere naturaliter, et virgo permanere, valuit tamen id supernaturaliter et per miraculum efficere, sic nempe, ut quod aliae matres successive, et longiori tempore faciunt, ab ipsa perfectum sit vel in instanti, vel brevissimo tempore, movendo scilicet corpus prolis extra se, sine ulla tamen laesione corporis, vel partis ipsius, per quam corpus prolis transibat, Deo faciente, ut pars illa non resisteret corpori transeunti per ipsam, perinde ac si fuisset corpus penetrabile. Sicut Christi corpus penetravit ianuis

clausis ad Discipulos, et resurrexit non adaperto sepulchro; fuit igitur partus ille Mariae naturalis quoad substantiam, sed peragebatur modo supernaturali, et miraculoso.

AD TERTIUM respondeo: quamvis haeretici ex Virginitate B. Mariae sumerent occasionem errandi circa veritatem corporis Christi, non propterea esset aliter sentiendum et pronunciandum praeter id, quod fides certissima docet, siquidem, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 16.] *utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur,* ut habetur *extra de reg. Iur. qui scandalizaverit.* Praesertim cum passio et mors Christi evidentissime ostendat ipsum verum corpus passibile habuisse subiectum passionibus humanis: at Matrem Christi Virginem ipso in partu extitisse eximie congruit sublimissime dignitati eius, et Sapientiae infinitae Dei, quae in utero talis Virginis dignata fuit carnem sumere incontaminatam, et sine ulla prorsus floris virginalis diminutione nasci, et inter homines apparere factus homo.

ARTICULUS III.

UTRUM MATER DEI PERMANSERIT VIRGO POST PARTUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 30. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 28. *a.* 3.

RESPONDEO dicendum, quemadmodum B. Maria fuit virgo in concipiendo et pariendo Christum Dominum, ita illibatissimam permansisse post partum; quamvis impurus Helvidius audacissime asserere voluerit post Christi partum alios ex congressu Iosephi Sponsi sui genuisse; sed haereticus iste nefarius et detestandus potest revinci ex ipsa Scriptura Divina; nam [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 4.] B. Virgo, (ut patebit *art. seq.*) emiserat votum castitatis, ut insinuatur illis verbis Mariae ad Gabrielem, Lucae, 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* idest, quomodo me despondere possum Iosepho, quae proposuerim ac voverim Virginitatem perpetuo servaturam? Quo posito si matrimonium contraxit, id fecit quia Spiritus Sancti revelatione didicerat se a marito non cognoscendam; ergo ut fuerat Virgo in conceptu, et in partu, ita et Virgo post partum permansit.— *Ulterius,* [*Oxon.*ib.n.5.] *Matthaei,* 1. legitur, Angelum instruxisse Iosephum illis verbis, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Cum igitur omnia, quae gesta sunt circa Ioseph per illuminationem Angelicam facta sint gratia Mariae, quae fuit immediata in illa ineffabili et mirabili conceptione Filii Dei, indubitanter tenendum est, et ipsam quoque per Angelum, vel immediate a Deo fuisse edoctam antequam desponsaretur Iosepho, ne timeret accipere virum illum iustum in coniugem, quoniam dabatur sibi in custodem a Spiritu Sancto, et testem Virginitatis, qui una cum ipso pariter se contineret, et in multis ad Virginitatis custodiam congruentibus ei obsequeretur et inserviret; dubitari igitur non potest de perpetua et illibatissima Virginitate Matris Dei.

ARTICULUS IV.

UTRUM MATER DEI VIRGINITATEM VOVERIT.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 30. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 28. *a.* 4.

VIDETUR Mater Dei non vovisse Virginitatem. Etenim B. Virgo contraxit matrimonium cum Josepho; igitur tunc non voverat castitatem; non videtur [*Report.* 4. d. 30. q. 2. n. 1.] enim eo fuisse deventura, ut contra id, quod voverat faceret; nam saltem sese periculo violandi votum exposuisset.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 2. — *Report.* ib.] In Lege veteri vigebat praeceptum illud divinum; *Crescite, et multiplicamini.* Gen., 1. Unde pro benedictione erat foecunditas, et pro maledictione sterilitas, ut patet ex multis locis Sacrae Scripturae; igitur non est verisimile B. Virginem contra illud praeceptum facere voluisse vovendo Virginitatem, ex qua sequitur sterilitas, vel non multiplicatio generis humani.

3. PRAETEREA. [*Report.* ib. n. 5.] Inter B. Mariam Matrem Dei et Iosephum extitit verum matrimonium: ergo non potuit illa antecedenter castitatem vovisse. *Probatio consequentiae:* nam per contractum matrimonialem transfertur dominium proprii corporis in alterum coniungem, et vicissim accipitur: sed qui castitatem vovit nequit sui corporis dominium in alterius potestatem transferre, quia non est amplius sui iuris, quoad actum matrimonialem; ergo si B. Mater Christi vere matrimonium contraxit, prius non voverat castitatem.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 4.] 27. q. 2. cap. sufficiat, § *Cum ergo: Voverat Maria se Virginem perseveraturam.* Unde ait Angelo: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* idest me non cognituram proposui.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] B. Virginem ante contractum matrimonium cum Iosepho absolute vovisse Deo suam castitatem et Virginitatem; quod Sancti communiter coniiciunt ex suo responso ad Gabrielem, Lucae, 1. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Unde Augustinus, *De sancta Virginitate,* cap. 4. *Quod profecto,* inquit, *non diceret nisi se prius Virginem Deo vovisset.* Et quidem si ipsa non cognovisset virum ad eam diem, et caruisset proposito pariter cognoscendi imposterum, frustra ita interrogasset; quia deinceps cognoscenda, si non fuisset sterilis, concipere et parere potuisset. Praesetulit ergo et prope expressit ea interrogatio propositum firmissimum de non cognoscendo viro, et ideo mirabunda sciscitatur quomodo fieri poterat, ut ipsa pareret, quando Virginitatem perpetuo servare proposuisset? Et Angelus ad hunc intellectum respondens edocuit eam de modo, quo erat Mater futura, et Virgo permansura, *Spiritus Sanctus,* inquiens, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Lucae, 1.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM *respondetur,* B. Virginem ante desponsationem habuisse quidem Virginitatem in desiderio, minime tamen absolute eam vovisse, sed sub conditione, scilicet si Deo id fieri placuisset: post vero desponsationem, oraculo accepto, revelataque sibi divina vo-

luntate, absolute illud votum emisisse. — *Contra* hoc in omni voto quantumcumque absoluto videtur includi haec conditio, *Si Deo placet;* quia nullus debet offerre aliquid Deo, seu velit, seu nolit; neque enim quis ordinate sic offerret; ergo cum huiusmodi conditione sic intellecta stat absolute votum. — *Respondeo* ergo B. Virginem antequam esset desponsata, absolute vovisse castitatem et Virginitatem, et nihilominus valide matrimonium contraxisse, quia sciebat se in nullo votum esse violaturam, ut dicetur *quaest. seq.*

AD SECUNDUM dico, [*Report.* 4. d. 30. q. 2. n. 2.] praeceptum illud, *Crescite, et multiplicamini,* etc. non fuisse generale mandatum obligans omnes in Lege Moysi; nam Hieremias, Elias, Ioannes Baptista, et Ioannes Evangelista Virgines fuerunt, et tamen sub lege, cum quibus non legimus fuisse specialiter dispensatum; fuit ergo illud mandatum per modum praecepti affirmativi obligans quidem semper, sed non ad semper, verum solummodo tempore necessitatis, quae necessitas propagandi genus humanum per communem viam non urgebat tempore B. Virginis.

AD TERTIUM respondeo, [*Report.* ib. n. 6.] ideo B. Virginem cum Iosepho matrimonium contraxisse, quia acceperat per revelationem a Deo, id ei, quam voverat, castitati impedimento non futurum. Caeterum hoc posito, nil impedit quominus verum fuerit illud matrimonium. De qua re tamen *quaest. seq. art.* 2.

QUAESTIO VIGESIMANONA.

DE MATRIS DEI DESPONSATIONE, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Matris Dei desponsatione.

Et circa hoc quaeruntur duo.

1. Utrum Christus debuerit de desponsata nasci. - 2. Utrum fuerit verum matrimonium inter Mariam Matrem Domini et Ioseph.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS NASCI DEBUERIT DE VIRGINE DESPONSATA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 30. *q.* 2. *Report.* ib. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 29. *art.* 1.

VIDETUR Christus minime nasci debuisse de Virgine desponsata. Nam 17. q. 1. [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 1.] *Sunt quaedam,* et d. 27. c. 4. *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnabile est:* sed B. Maria voverat castitatem, *ex q. antec. art. ult.;* igitur nec laudabile videtur ipsam despondi voluisse, nec Christum ex ea natum esse.

2. PRAETEREA. [*Report.* 4. d. 30. q. 2. n. 4.] Quod congruum fuerit ipsam matrimonium contrahere ratio assignatur, ut partus eius celaretur diabolo, et mysterium Incarnationis lateret: sed haec ratio est nulla; ergo Christus nasci de desponsata congruum non fuit. *Probatur minor;* nam diabolus naturaliter potuit cognoscere integritatem eius tam mentis,

quam corporis; igitur per matrimonium illud sibi non potuit imponi, sic, ut ipsum lateret Virginem concepisse, quod naturae excedebat vires. — *Et si dicatur,* utique ipsum naturali virtute potuisse id scire, nisi a Deo impeditus fuisset; *contra,* aeque impediri potuisset, si B. Virgo non nupsisset; igitur haec congruentia est nulla.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Desponsatio et Matrimonium ordinantur ad copulam carnalem; sed B. Virgo voverat Deo castitatem, ac subinde proposuerat perpetuo abstinere ab omni copula carnali; ergo non debuit matrimonium contraxisse, nec Christum de desponsata nasci.

CONTRA. Matthaei, 1. [*Oxon.* ib.] *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Et Lucae, 1. *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 2.] Christum nasci debuisse de Virgine desponsata; ad quod sunt rationes congruae, et duae accipiuntur ab Ambrosio super illud Lucae, 1. *Missus est,* etc. *Primo,* ut sponsus esset testis virginitatis Mariae, et ita non haberet occasionem mentiendi de virginitate sua, quia secundum Ambrosium, si fuisset indesponsata, occasionem mentiendi habuisset, desponsata non habuisset. Et subinde tam testimonio, quam ex praesumptione magis sibi crederetur de virginitate eius. — *Secunda ratio* est, ne Maria infamia notaretur, ut de facto accidere potuisset, si indesponsata filium peperisset. Christus itaque non putavit ortus sui fidem Matris suae iniuriis astruendam; sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, et lubricam famam pudoris; ideo maluit Dominus aliquos de ortu suo, quam de Matris pudore dubitare. Et ita virginibus sinistra opinione viventibus nullum relinqueretur velamen excusationis, quod haberent, si Mater Domini fuisset infamata. — *Aliam* etiam *rationem* tangit Origenes super illud Matthaei, 1. *Cum esset desponsata,* etc. Ut nimirum Sponsus Mariae esset in obsequium Virgini, et Puero in Aegyptum euntibus, et redeuntibus. — *Denique,* [*Oxon.* ib. n. 3.] congruum fuit Christum de desponsata nasci, ne ipse videretur incipere ab iniuria legis, neve daret occasionem Iudaeis, et Herodi persequendi ipsum, cum partus innuptae lege damnaretur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* ib. n. 7.] revera damnabile esse voventibus castitatem, et nubere et velle nubere, nisi sint sufficienter certificati per contractum nuptiarum nihil esse eventurum, quod voto sit repugnans castitatis, quo pacto B. Maria Virgo certissima fuit, ac proinde non se aliquo periculo exposuit violandi iam emissum votum.

AD SECUNDUM dico, eam rationem et congruentiam adduci ab Ambrosio, Augustino, et aliis. — *Et cum instatur:* [*Report.* 4. d. 30. q. 2. n. 4.] quia propria virtute potuisset virginitatem Mariae cognoscere; *dico* id verum esse, ni a Deo fuisset prohibitus appropinquare illi intellectualiter, vel localiter ob malitiam suam, et dignitatem illius, quem gestavit; et ideo non permittebatur mysterium aliquo modo cognoscere, ut dicit Bernardus, *Homil.* 2. *Super Missus est,* etc. Etsi autem potuerit aeque impediri si permansisset innupta, tamen videns ipsam nuptam egregie deceptus est, putans eam esse, ut caeterae foeminae, quae uterum gestant.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 4. d. 30. q. n. 8. et 4.] B. Virginem debuisse matrimonium contrahere, ut patet ex dictis; sed quod id non re-

pugnaverit voto castitatis ex eo constat, quia ipsa per matrimonium non se obligavit ad aliquod repugnans voto suo. Tunc enim se obligasset, quando voluisset copulam carnalem; hanc autem non voluit nisi sub conditione, *si peteretur;* at ipsa didicerat revelatione eam conditionem non fore aliquando ponendam; *de quo art. sequenti.*

ARTICULUS II.

UTRUM INTER MARIAM ET IOSEPH FUERIT VERUM MATRIMONIUM.

Doctor, loc. cit. art. antec. — S. Thom. 3. *p. q.* 29. *a.* 2.

VIDETUR inter Mariam et Ioseph non fuisse verum matrimonium. Nam [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 1.] *Numer. ult.* habetur sancita lex de connubiis, et iubentur mulieres nubere viris suae Tribus; ergo Maria secundum legem non potuit nubere nisi viro de Tribu sua: sed Ioseph erat de Tribu Iuda, ut dicitur Lucae, 2.: *Eo quod esset de Tribu Iuda, et de Domo David:* Maria autem erat de Tribu Levi, quia cognata Elisabeth; ergo inter B. Mariam et Ioseph non videtur fuisse legitimum matrimonium; contractus enim iste contra legem initus ipso iure irritus est et invalidus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Contrahens matrimonium in aliquid aliud consentit, quam in cohabitationem, quia sic frater et soror possunt consentire; ergo in carnalem copulam; nil aliud enim videtur addere matrimonium super cohabitationem: sed in illam Maria non poterat consentire, quia voverat castitatem; ergo inter ipsam et Ioseph non fuit verum matrimonium.

CONTRA. Augustinus, lib. 2. *De consensu Evangelist.*, c. 1.: *Non erat fas, ut Ioseph ab hoc coniugio Mariae separandum Evangelista putaret, quod non ex eius concubitu, sed Virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus coniugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere, vocarique coniugium non permixto corporis sexu.*

RESPONDEO dicendum, inter Beatissimam Virginem et Ioseph fuisse verum matrimonium. Sed [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 4-6.] quomodo potuerit id esse, cum illa iampridem Virginitatem voverat, est declarandum. Itaque sciendum est, in contractu matrimoniali esse et intervenire quidem mutuam dationem corporum ad copulam carnalem, sed nonnisi sub conditione implicita, *si petatur;* si enim numquam petatur, nec urget obligatio reddendi. Hinc contrahentes cum proposito statim vovendi castitatem, vere contrahunt: sed pariter votum castitatis in B. Maria Virgine potuit stare ante verum contractum; ergo ipsa vere matrimonium contraxit. Nam huiusmodi matrimonium nullum praeiudicium contulit iam emisso voto; siquidem debuisset inferre ratione copulae carnalis ad quam tenebatur sub conditione *si petatur.* At ipsa fuit certissima quod numquam peteretur, ut dictum fuit *art.* 3 *qu. antec.*; ergo potuit vere contraxisse absque praeiudicio voti castitatis. In contractu igitur illo dedit, et transtulit dominium corporis sui in Ioseph coniugem suum; at usum non dedit, nec obstrinxit se ad dandum usum aliquando, et quia scivit ipsum num-

quam usum eius esse petiturum, et quia Deus eam ab huiusmodi debiti redditione absolvit, ac sibi dispensative relaxavit, ut etiamsi peteretur reddere non debuisset.

Quod autem dominium possit separari ab usu, diserte habetur, *cap. Exiit, De verbor. significat. in* 6. [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 6.] ubi ex sententia dicitur, dominum posse, retento sibi dominio alicuius rei, tradere usum alteri, posseque eum usum perpetuo a dominio separare, qui necessarius est utentibus, nec dominium habentibus; igitur a simili B. Maria potuit tradere dominium sui corporis ad talem actum, *si petatur,* retento tamen usu, cum certa esset, sibi ab eo, in quem dominium sui corporis transferebat, aliquando non petendum. Neque id B. Virgo fecit propria auctoritate, sed magis usum illum sibi retinuit auctoritate Spiritus Sancti, qui proprie eum usum sibi reservavit, taliter ut ille cui traditum erat dominium et potestas corporis Mariae, cuique talis usus proinde debebatur, numquam esset eum exigiturus, neque requisiturus Dei suprema potestate inhibitus. — *Confirmatur,* nam adultera habet potestatem in corpus alterius coniugis, quam in matrimonio acquisivit, et nihilominus non habet nec habere potest usum illius corporis propter adulterium, in quo amisit ius petendi debitum a viro suo; ergo si peccatum potest perpetuo prohibere usum, stante potestate data in matrimonio, multo magis id poterat Spiritus Sanctus ob aliquam causam honestam, de quibus causis actum est *in antec. art.* — *Confirmatur etiam,* si quis contraxisset sponsalia cum iuramento, et postea vovisset castitatem, prius teneretur contrahere matrimonium iuramento promissum, et exinde ante matrimonii consumationem deberet religionem intrare; iste igitur dedisset potestatem sui corporis coniugi vere contrahendo matrimonium, et haberet interim intentionem numquam dandi usum quantum est ex parte sui, etsi nesciat utrum sponsa interim sit usum petitura nec ne; ergo multo magis licet sic contrahere, si sciat uxorem numquam esse usum petituram, uti est in proposito de Beata Virgine.

Ad Argumenta. Ad primum potest dici [*Oxon.* ib. n. 7.] uno modo, legem illam latam fuisse propter filias Salphaad, ne scilicet eorum haereditas ad aliam Tribum transferretur, ut patet ibidem *Num. ult.* Non tenebantur igitur ad eam legem nisi mulieres illae ad quas devolvebatur paterna haereditas, sicut ad illas devoluta fuit patre eorum mortuo. B. autem Virgo non fuit sic haeres, ideo licuit ei nubere viro alterius Tribus.

Quod si ea lex de nubendo intra propriam Tribum obligat omnes sub lege Moysis, [*Oxon.* ib. n. 8.] *dico* tunc B. Virginem fuisse de Tribu Iuda, de qua erat et vir eius, et quidem ex parte patris. Nam Salvator erat de Tribu Iuda, iuxta illud Apocalyp., 5. *Vicit leo de Tribu Iuda;* quae in genealogia Christi deducitur ab Abraham usque ad Ioseph. Hic autem non magis attinebat ad Christum, quam quivis alius de eadem Tribu; igitur id oportet fuisse, quia B. Virgo erat de ipsamet ex parte patris; ex parte enim matris fuit de Tribu Levi, et genere Sacerdotali, ut est evidens *Lucae,* 1. ubi habetur Elisabetham de Tribu Levitica extitisse Mariae cognatam.

Ad secundum [*Oxon.* ib.] patet ex dictis *in solutione,* quia consensus iste est in traditionem mutuae potestatis corporum ad prolem procreandam, et per consequens in usum, *si petatur.* Sed hic fuit certitudo, quod numquam usus iste a sancto Ioseph peteretur.

QUAESTIO TRIGESIMA.

DE B. MARIAE VIRGINIS ANNUNCIATIONE, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Annunciatione B. Virginis.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum conveniens fuerit ei annunciari, quod in ea gerendum erat. - 2. Per quem erat hoc annunciandum. - 3. Per quem modum ei annunciari debebat. - 4. De ordine annunciationis.

De hoc argumento in scriptis quae extant nihil invenitur Doctorem tetigisse, sed in *Commentariis,* quos super *Evangelia* scripsit, et hactenus desiderantur, verisimile est de his omnibus disseruisse. Videsis Mayronem, 3. dist. 4. q. 1. et Bonaventuram in Opusculis, quae de B. Virgine Maria scripsit.

QUAESTIO TRIGESIMAPRIMA.

DE CONCEPTIONE SALVATORIS QUOAD MATERIAM DE QUA CORPUS EIUS CONCEPTUM EST, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ipsa conceptione Salvatoris. *Primo,* quantum ad materiam de qua eius corpus conceptum est: *secundo,* quantum ad conceptionis auctorem: *tertio,* quantum ad modum et ordinem conceptionis.

Circa primum quaeruntur octo.

1. Utrum caro Christi fuerit sumpta ab Adam. - 2. Utrum fuerit sumpta de David. - 3. De Genealogia Christi, quae in Evangelio ponitur. - 4. Utrum decuerit Christum nasci de foemina. - 5. Utrum fuerit de purissimis Sanguinibus Virginis corpus eius formatum. - 6. Utrum caro Christi fuerit in antiquis Patribus secundum aliquid signatum. - 7. Utrum caro Christi in Patribus fuerit peccato obnoxia. - 8. Utrum fuerit decimata in lumbis Abrahae.

ARTICULUS I.

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT SUMPTA DE ADAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 3. *q.* 2. — *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib.* — *Quodlib. q.* 19. *S. Thom.* 3. *p. q.* 31. *art.* 1.

VIDETUR caro Christi non fuisse sumpta de Adam. Etenim secundum Apostolum, 5. ad Roman. [*Oxon.* 2. d. 30. q. 1. n. 1.] *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, in quo omnes peccaverunt:* sed non alia ratione omnes peccaverunt in Adam nisi quia omnes in eo originaliter fuerunt; ergo si caro Christi originaliter descenderet de Adam, non fuisset ipse immunis a communi omnium peccato, quia eamdem originem cum aliis hominibus qui peccaverunt et peccant in Adam ha-

buisset; oportuit ergo aliunde originem traxisse, ac caeteris hominibus eveniat.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 6.] Quemadmodum primus homo sponte peccavit per suavitatem diabolo se subiiciendo, ita secundus homo per asperitatem ipsum diabolum vicit, ac pro hominis peccato per voluntariam mortem satisfecit; igitur contrarius fuit processus primi, et secundi hominis circa damnationem, et redemptionem generis humani; ergo secundus homo contrariam primo pariter debuit habuisse originem, et consequenter ipsius caro non videtur sumpta de Adamo.

CONTRA. Iuxta Apostolum ad Hebraeos, 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae:* sed [*Oxon.* 3. d. 20. n. 11.] semen Abrahae descendit de Adam, idest homines qui nascuntur per seminalem rationem propagantur sic, ut eorum caro sit sumpta de Adam; ergo et Christi corpus fuit sumptum de Adam.

RESPONDEO dicendum, Christi carnem fuisse sumptam de Adam, idest de Virgine, quae propagata fuit communi lege filiorum Adae, ac subinde Christi carnem verissime de Adam descendisse; Christus enim advenerat moriturus ac sua morte satisfacturus Patri pro peccato Adae; necesse ergo fuit advenisse in corpore passibili, in quo pati posset, et mori. Corpus autem id passibile conveniens fuit desumi ex Adamo, non per communem propagationem, ne esset filius eius, sed accipi ex propagatis ex Adam materiam, unde Spiritus Sancti virtute formaretur corpus illud divinum, ut qui venerat curaturus et deleturus peccata mundi orta ob peccatum Adae, de ipso quoque Adamo acciperet unde medicinam et lavacrum pararet. Hinc Damascen., *lib.* 3. *cap* 6. [*Quodlib.* q. 19. n. 18.]: *Nihil enim eorum,* inquit, *quae plantavit in nostra natura Deus Verbum a principio plasmans non defecit, sed omnia assumpsit: totus enim toti unitus est mihi, ut totum toti tribuat: quod est inassumptibile est incurabile. Et cap.* 2. *eiusdem lib.* [*Oxon.* 3. d. 8.] declarans materiam de qua corpus illud fuit efformatum, dicit, *Generatum fuisse ex purissimis sanguinibus B. Virginis.* Cum igitur B. Virgo descenderit ex Adamo per communem propagationem, consequenter et Christi corpus oportet sumptum fuisse de eodem Adamo.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 3. q. 2. n. 2. seqq.] quamvis Christi corpus fuerit sumptum de Adam quoad corpulentam substantiam, ipsum nihilominus minime in Adam peccasse, aut originale contraxisse, quia non extitit filius naturalis Adae, idest communi via propagatus; quamvis enim materia ex qua compactum est corpus illud fuerit ex filiis Adae, tamen virtute Spiritus Sancti efformatum fuit; non igitur accepit iustitiam in Adam, quam Deus sibi, omnibusque ab eo naturaliter descendentibus dederat, adeoque numquam extitit debitor eius iustitiae, et ita numquam obnoxius fuit culpae originali.

AD SECUNDUM dico, minime oportuisse secundum hominem habere diversam, vel contrariam originem a primo homine, licet ad reparationem generis humani contrario omnino ordine processerit, ut tangit argumentum. Imo convenientissime Verbum assumpsit hominem descendentem de Adamo secundum corpulentam substantiam, ut nimirum diabolus eadem humanitate vinceretur per quam totum genus humanum perdiderat; magis igitur elucet divina Sapientia, quae sciverit ex eodem Adamo, qui peccaverat, parare medicinam morbo immedicabili humana virtute.

ARTICULUS II.

UTRUM CARO CHRISTI FUERIT SUMPTA DE DAVID.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 18. — 3. *d.* 7. *q.* 3. 4. *d.* 30. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 31. *art.* 2.

VIDETUR caro Christi sumpta non fuisse de David. Nam [*Oxon.* 3. d. 38. *Ad primum princ.*] Evangelista Matthaeus texens genealogiam Christi incipiendo a David et Abraham, utpote quibus facta fuerit de Christi adventu repromissio, deducit illam usque ad Ioseph Virum Mariae, de qua natus est Iesus Christus: sed Ioseph non vere extitit Pater Salvatoris, sed talis praecise putatus fuit; ergo Christus secundum carnem non descendit de David.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 18.] Christus extitit verissime filius Mariae: sed Beatissima Virgo non fuit de familia David, et Tribu Iuda, sed de Tribu Levi; igitur Christus non descendit de David sed de Levi. *Probatur minor;* quia *lucae,* 1. scribitur, Mariam fuisse cognatam Elisabethae quae erat Uxor Zacchariae Pontificis; igitur erat de Tribu Levitica sicuti et cognata eius Elisabeth.

CONTRA. Ad Roman., 1. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 1.] *Factus est ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est esse Filius Dei in virtute;* igitur Filius Dei carnem sumens, de progenie David sumpsit, et proinde de Tribu Iuda fuit.

RESPONDEO dicendum, dubitari non posse Christi carnem sumptam fuisse de Davidis semine. Etenim *Lucae,* 1. scribitur Angelum loquentem de Christo, qui Spiritus Sancti virtute erat nasciturus de Virgine Maria sine laesione virginitatis suae, dixisse: *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius.* Non [*Report.* 4. d. 38. q. 2. n. 9.] alia autem ratione potuit appellari Filius David, nisi quia Mater ipsius fuerat de cognatione Davidis. Unde Ioannes, 5. *Apocaly. De Christo,* scribit: *Vicit leo de Tribu Iuda, radix David;* est igitur caro Christi sumpta de Matre quae erat de progenie David.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, cum constet ex Divina Scriptura, Christum secundum carnem esse semine David, [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 8.] et pariter certum sit Iosephum Mariae Sponsum non verum, sed putativum extitisse Patrem illius, deducendo Evangelista Iosephum ex Tribu Iuda et familia David, necessario sequitur, Mariam Matrem Salvatoris fuisse de eadem cognatione David et Tribu Iuda; quod et Hieronymus super cap. primum Matthaei expressit dicens: *ex una Tribu fuisse Ioseph, et Mariam, unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam; hinc simul censentur in Bethlehem ut de una scilicet stirpe generati.*

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 8] concedendo B. Virginem pertinuisse ad Tribum Leviticam ex parte Matris, sed una per lineam paternam descendisse ex Tribu Iuda, atque ita de utraque Tribu fuisse. Et quidem Ioachim descendit ex Nathan filio David, sicut vult Damascenus, *lib.* 4. *cap.* 15. Sed Anna Mater B. Virginis praesumitur fuisse de Tribu Levi, et per Annam Maria erat cognata Elisabeth.

ARTICULUS III.

UTRUM CONVENIENTER GENEALOGIA CHRISTI AB EVANGELISTA TEXATUR.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 30. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 31. *a.* 3.

RESPONDEO dicendum, genealogiam Salvatoris convenientissime ab Evangelistis texi, sicut patet per Damascenum, *lib.* 4. *c.* 15. [*Oxon.* 4. d. 30. *q.* 2.] Siquidem ostendunt descendisse de Abrahamo, et de Davide, ad quos necessario oportet spectavisse et attinuisse Beatissimam Matrem eius, alioquin nec ipse ex eis descendisset, cum fuerit in terris sine Patre carnali. Beata igitur Virgo erat de Tribu Iuda, et Levi. De Tribu Iuda ex parte Patris, sed de Levitica Tribu ex parte Matris: Ioachim enim descendit de Natham filio Davidis. Sed Anna Mater B. Mariae dicitur fuisse de Tribu Levi, et per ipsam erat Elisabeth cognata Mariae. Evangelium igitur dicens, Christum fuisse de Tribu Iuda deducendo Ioseph ex illa Tribu, significat subinde et Mariam fuisse de eadem Tribu Iuda, quia alioquin, ut supra dictum est, Christus non esset de Tribu Iuda, quam etiam rationem tangit Hieronymus *in Comm. sup. cap.* 1. *super Matthaeum,* ut notatum fuit in responsione *ad primum art. antec.*

ARTICULUS IV.

UTRUM DECUERIT CHRISTUM NASCI DE FOEMINA.

Doctor, loc. infr. cit. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 31. *a.* 4.

VIDETUR minime decuisse Christum nasci de foemina. Etenim [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 9.] Christo praestantiora quaeque et excellentiora sunt attributa, dicente Augustino, 3. *De libero arbitr.: Quicquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc Deum magisse fecisse quam non fecisse.* Sed praestantius est habere corpus miraculose efformatum, sicuti Adam habuit, quam naturaliter procreatum, ut caeteri homines possident; ergo existimandum est Christum habuisse corpus modo perfectissimo efformatum, ac proinde non de foemina progenitum esse.

2. PRAETEREA. Sexus masculinus praestantior est sexu foeminino; [*Oxon.* 4. d. 25. q. 2. n. 4.] unde natura non permittit, saltem post lapsum, mulierem tenere gradum eminentem in specie humana. Siquidem est dictum sibi in poenam peccati sui: *Sub viri potestate eris,* Genes., 2. Igitur magis conveniens fuisset Christum accipere corpus de sexu praestantiori, quam de foemina.

CONTRA. Ad Roman., 1. inquit Apostolus de Christo, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 1.] *Factus est ex semine David secundum carnem:* sed non alia ratione fieri potuit ex semine David nisi nascendo de aliqua foemina de progenie Davidica; igitur cum ita factum fuerit, decentissime gestum fuisse sentiendum est.

RESPONDEO, convenientissime Christum nasci elegisse de foemina, etsi potuerit assumere corpus unde sibi placuisset. Cum enim mortem

subire pro hominibus decrevisset, et in humana forma inter homines conversari, verum corpus assumere debuit, obnoxium scilicet passionibus et morti: si autem natus de foemina non esset et homo nobiscum univoce non fuisset, vix crederetur ei de sua passione, et occasio aliqua haereticis videretur data falso asserendi passum vel non vere ipsum, vel corpus caeleste et impassibile habuisse; igitur ad adstruendam fidem suae passionis, et certiores nos faciendum de veritate corporis sui, quod humanum esset, et simile aliis humanis corporibus quoad substantialitatem naturae, convenientiorem modum excogitare videtur non potuisse, quam eligere concipi et nasci de foemina, ut ita esset homo, ac talis appareret, parvulus, adolescens, et vir; [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 1.] *ac proficeret aetate, et sapientia coram Deo, et hominibus, ut scribitur* Lucae 2.— *Ulterius,* ipse Christus in natura assumpta fuit constitutus caput omnium electorum, hominum scilicet et Angelorum, ut caeteri electi essent corpus quoddam mysticum, in quod corpus a capite in membra descenderent influxus omnium gratiarum et donorum; igitur convenientissime debebant uniri omnia membra capiti per unum illorum tamquam per collum; unde quasi de canali quoddam gratiae illae, ac supernaturalia dona in reliqua membra derivarentur et pervenirent. Omnia igitur membra per unum potissimum capiti annecti et colligari debebant, quod membrum id speciale privilegium haberet, ut quo immediatius esset fonti gratiarum, et capiti unitum, eo abundantius de ipsius plenitudine participaret, et ipsum quoque foret gratiae plenum, non ut caput, sed tamquam membrum ei immediate subiectum et unitum. Ad haec autem facienda decentissimum fuit carnem ex aliquo sumere, qui cum non potuerit esse vir, foeminam oportuit extitisse, quae est Beatissima Mater eius, cui nulla alia creatura in sanctitate et plenitudine gratiarum potest aequiparari, ut extitit declaratum *q.* 27. *art.* 5.

Ad Argumenta. Ad primum dico, Christum in adimplenda sibi a Patre commissa dispensatione, ea elegisse, quae magis illi fini congruebant, sicuti et recta ratio dictat esse faciendum. Cum igitur decrevisset inter homines apparere in plenitudine temporum, et de progenie Davidis et Abrahae nasci, non decuit habuisse corpus miraculose efformatum ut Adam, quia tunc filius Abrahae non extitisset, nec circumcidi, nec Legalium observantiam profiteri debuisset; quae omnia non congruebant fundationi Ecclesiae et promulgationi doctrinae Evangelicae. Nam illa de Synagoga debebat surgere, et haec ut perfectiva Legis Mosaicae a Magistro suisque Discipulis erat promulganda. At ideo magna et ingentia exemplo convenienter fieri minime poterant; is enim modus haud congruisset conversationi humanae, nec divinam providentiam decuisset; nam disponit omnia fortiter et suaviter.

Ad secundum respondeo, ea ratione probari Christum sexum muliebrem assumere non debuisse, quod verissimum est. At de viro, et non de foemina illud assumi non potuisse, quia tunc nec conceptus, nec natus esset, nec diceretur.

ARTICULUS V.

UTRUM CORPUS CHRISTI DE PURISSIMIS SANGUINIBUS VIRGINIS FORMATUM FUERIT.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 31. *a.* 5.

VIDETUR corpus Christi non esse formatum de purissimis sanguinibus B. Virginis. [*Report.* 2. d. 33. n. 6.] Quia Christi corpus est corpus eiusdem rationis cum caeteris corporibus humanis: sed corpora formantur ex semine patris et sanguine menstruo matris; ergo etsi pater in hac generatione non concurrerit, tamen corpus formabatur ex menstruo, et non ex sanguinibus purissimis Virginis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 2.] Evangelium adstruens fidem Incarnationis ita loquitur: *Verbum caro factum est;* Ioann., 1. Ubi Augustinus per carnem hominem intelligit. Igitur Christi corpus videtur potius efformatum fuisse ex carne Virginis quam ex ipsius sanguinibus; id enim magis videtur congruere miraculosae formationi corporis illius.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 18. — 7 *Metaph.;* q. 12] Si ex sanguinibus Virginis potius quam ex eius carne formatum esset Christi corpus, sane id evenisset, quia sanguines illi ad virtutem rationis seminalis magis accedere, vel habere videntur: sed ratio seminalis nulla est cum homo generatur, quia nec tunc manet substantia, quam qualitas illa consequitur; ergo magis videtur formatum corpus Christi ex corpore Virginis, quam ex sanguinibus ipsius.

CONTRA. Damascen., *lib.* 3. *cap.* 2.: *Post Sanctae Virginis assensum Spiritus Sanctus in eam supervenit, eam lustrans, vimque ei tum ad suscipiendum Verbi Deitatem, tum ad gignendum suppeditans. Ac tum illa vere subsistens Altissimi Dei sapientia, et potentia, in eam obumbravit, atque ex castis et purissimis ipsius sanguinibus carnem anima rationali, atque intelligente animatam sibi ipsi condidit.*

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 3. d. 4. q. 2. n. 4.] Christi corpus fuisse generatum ex purissimis sanguinibus B. Virginis, ut ait Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 2. ubi vult expresse in eodem instanti, quo B. Virgo assensum praebuit illis verbis, *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum,* Lucae, 1. in eodem instanti, inquam, supervenisse in ipsam Spiritum Sanctum, ac virtute Altissimi obumbratam, ac veluti divino semine foecundam dedisse Filio Dei ex castis et purissimis eius sanguinibus carnem animatam anima rationali et intellectuali, non cum semine procreatam, sed per Spiritum Sanctum, non paulatim per additamenta expleta figura, sed uno contextu absoluta. Vult itaque, in ipso instanti, in quo B. Virgo assensum praebuit Angelo annuncianti Incarnationis mysterium, descendisse purissimos sanguines eius e loco ubi reperiebantur ad locum generationis, atque ex iis efformato corpore organico, eique infusa anima rationali assumptum fuisse eum hominem ad unitatem suppositi a Verbo Dei. Quaecumque itaque praestant aliae matres, quantum est ex parte earum ad generationem filiorum, idipsum, et totum praestitit B. Virgo in Christi conceptione.

Verumtamen intelligendum, [*Oxon.* 3. d. 4. n. 7.] quod in formatione

corporis nostri, *primo,* procedit motus localis materiae aptae ad eius formationem de loco ubi reperitur ad locum convenientem generationi ipsius corporis organici: *secundo,* sequitur figuratio ipsius corporis, quae necessario est cum motu locali: *tertio* tandem sequitur condensatio ipsius materiae ex qua est illud corpus, estque quaedam alteratio praecedens generationem corporis densioris ex ipso corpore rariori; quae alteratio pariter est cum loci mutatione, non quidem, qua acquiratur novus locus, sed qua occupatur minor; et in *ultimo* instanti istius alterationis inducitur forma, qua corpus est perfecte organicum, sive ea forma sit anima intellectiva, sive sit aliqua alia praecedens ipsam, seu sit una forma totius corporis organici, sive sint ipsae formae partiales partium heterogenarum non habentium aliam formam totius distinctam a seipsis. Utcumque id ponatur, certum est aliquid esse in ultimo instanti, quod antea non fuit et sine quo non est corpus perfecte organizatum.

Ad propositum, [*Oxon.* ib. n. 8.] numquid in B. Virgine erant isti tres motus successive, peracti tamen breviori tempore in formatione corporis Christi, vel totum fuit in uno instanti? Et quidem si hoc negotium ponatur gestum in unico instanti, tunc fuissent aliquo tempore sanguines illi dispersi in corpore B. Mariae, sed nequaquam moti successive dicerentur ad locum aptum generationi, nec figurati et condensati, sed in ultimo instanti illius temporis fuisset in eo loco corpus figuratum et densum, sicut esset in termino trium motuum, si tres illi motus antecedenter successive extitissent. — Et cui probabilior et verisimilior videretur haec secunda via, declarandum superesset B. Virginem cooperari potuisse Spiritui Sancto in ista actione instantanea et quantum ad formam substantialem istius termini, et quantum ad *ubi,* et figuram, et densitatem, licet subito inductas, et consequenter multo magis potuit Spiritui Sancto cooperari, sicut causa secunda causae principali, si fuerunt illi tres motus successive. Sed priorem modum docet expresse Damascenus.

Declaratur igitur, eam in instanti cooperatam fuisse Spiritui Sancto; nam, [*Oxon.* ib. n. 8. seqq.] non potest causa activa impediri ab actione sua, (si mater sit causa activa, de quo infra, *q.* 32. *art.* 4.) nisi aut quia non habet in se activam virtutem, aut quia licet habeat non potest tamen ea uti, aut quia tandem praevenitur a virtute fortiori. Sed nullum istorum impedimentorum fuit in B. Virgine; ipsa enim potuit agere, cum non fuerit sterilis; peperit enim filium; si aliae igitur matres habent activam virtutem, et ipsa eamdem habuit: sed si habuit, potuit ea uti in instanti. Et *probatur*, quia etsi sibi dimissa non potuerit agere, nisi transeundo per medium et successive ut aliae matres, [*Oxon.* ib. n. 1. seqq.] quia tamen altera concausa erat Spiritus Sanctus, huic non sunt illa media necessario transeunda successive, sed potest id facere in instanti; igitur et B. Virgo pariter ei cooperari. Nam agens transiens per omnia media in ultimo instanti agit non per actionem illam, quam habuit circa media, quia illa in ultimo instanti non est; igitur si illa media non requirantur per virtutem Spiritus Sancti, potest eadem esse actio in ultimo termino agentis creati, quae fuisset si transisset per omnia media; in instanti igitur conceptionis aequaliter potest mater agere ad generationem, sicut si successive transisset per omnia media.

Neque causa haec, [*Oxon.* ib. n. 12.] de qua agimus, fuit sic prae-

venta a causa superiori, ut ipsa non egerit, quia Spiritus Sanctus agit libere; potest igitur supplere actionem patris tantum et matris quantum ad actionem praeviam, et relinquere ei actionem propriam generativam, qua in instanti attingat genitum, et terminum generationis. Corpus igitur Christi formatum est ex purissimis sanguinibus B. Virginis in instanti, ut dicebat Damascenus.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Report.* 3. d. 4. q. 2. n. 9.] in instanti generationis menstruum non agere, quia in illo instanti corrumpitur forma eius; dumtaxat igitur menstruum est principium praeviae alterationis, sed non principium generationis substantiae per aliquam virtutem in eo. Mater igitur in instanti generationis agit per virtutem inexistentem in ea secundum se, et non in menstruo; adeoque cum in generationibus communiter factis menstruum muliebre non sit principium essentiale ipsius generationis, non oportuit Christi Domini corpus ex eo gigni et formari, cum per divinam virtutem suppleta fuerint ea omnia, quae antecedenter ad generationem praestitisset ipsum menstruum.

Ad secundum respondeo, revera Verbum hominem assumpsisse, non sanguines B. Virginis, et ideo Evangelistam uti gesta erat rem exposuisse; [*Report.* ib. n. 15. seqq.] illum autem hominem, seu humanum corpus organicum, nos efformatum dicimus ex purissimis sanguinibus Virginis, subito per miraculum ad locum generationi aptum deductis. Ut eo facto, Christi conceptio foret miraculosa quoad modum, et naturalis quoad substantiam; quia alioquin, si penitus per miraculum efformatum esset, adeo ut actio B. Virginis non intervenisset, minime vocari posset Mater Christi, quia nec talis extitisset. Nam Adam non est pater Evae per hoc, quod ex eius carne et ossibus divinitus efformata sit.

Ad tertium dico sic: [*Oxon.* ib. n. 10. seqq.] quicquid sit et teneatur de rationibus seminalibus, B. Virgo pro generatione corporis Filii sui eam materiam subministravit operatione Spiritus Sancti, per quam vere esset Mater illius; quia etsi vis seminalis nulla sit dum generatur homo, tamen ipsa B. Virgo potuit immediate operari in instanti generationis, quia ipsa immediate fuit praesens, et habuit vim activam generativam respectu termini actionis, ut declaratum est *in solutione.* Sicut ergo aliae foeminae cum concipiunt attingunt terminum generationis, cuius sunt matres, ita et B. Virgo; et quemadmodum mater suppeditat materiam formando corpori filii sui, ita et B. Virgo; sed haec materia eo extitit purior aliis, quo ipsa corpore et spiritu innocentior prae caeteris non modo foeminis, sed omnibus etiam creaturis fuit.

ARTICULUS VI.

UTRUM CORPUS CHRISTI IN ANTIQUIS PATRIBUS FUERIT SECUNDUM ALIQUID SIGNATUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 3. *q.* 2. — *Report.* 2. *d.* 33. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 31. *a.* 6.

Videtur Christi corpus fuisse in Patribus secundum aliquid signatum. Nam ad Roman., 1. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 1.] *Factus est ex semine David secundum carnem:* sed semen David fuit aliquid signatum in ipso; igitur fuit in Patribus Christi corpus secundum aliquid signatum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 3. q. 2. n. 1.] Si Christi corpus non extitisset in antiquis Patribus secundum aliquam portionem designatum, maxime quia illa portio absumpta iam videretur per innumeras replicatas acceptiones: sed hoc non obstat. *Et probatur,* quia quemadmodum panes illi Evangelici iussu Domini multiplicati fuere, ut sufficerent quinque millibus, ita semen in se potuit multiplicari, ut sit satis omnibus futuris generationibus; atque ita Christi corpus in aliqua ipsius seminis portione extitit designatum.

CONTRA. Ex dictis, *art.* 1. *huius quaest.* caro Christi fuit desumpta ex Adam, quatenus originative ex eo processit: ad hanc autem processionem originis non est necesse ponere ipsum extitisse in Adam secundum aliquod signatum; ergo, etc.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] corpus Christi non extitisse in antiquis Patribus secundum aliquid signatum, sic ut fuerit aliqua portio in Adam de qua omnes filii eius propagarentur, et consequenter etiam Christi corpus, ut aliqui dicere voluerunt. Nam quantum finitum per ablationem finitam ab eo aliquoties factam tandem consumitur, ut non possit ulterius accipi; ergo ex acceptione illius portionis, ut seminis in tot centenis millibus propagatis, iam tandem consumpta esset, ut nemo alius posset ulterius propagari, quod est falsum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 3.] Christus fuit de semine David, quatenus B. Virgo ab illo descendit secundum communem legem propagationis humanae; atque ita eius origo de David fuit; at ex eo non sequitur, Christum extitisse in ipso, vel in aliquo secundum aliquid signatum, ut dictum est.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 1.] quemadmodum impossibile Deo non est multiplicare semen perinde ac panes Evangelicos multiplicavit, ita non esse asserenda ulla miracula ubi non constat intervenire. Incredibile est autem et sine ulla prorsus ratione assereretur, genus humanum propagari per miraculosam seminis multiplicationem, cum naturaliter, et sine ullo miraculo homines procreentur, sicuti et alia animalia perfecta. Ut ergo nemo dixerit in aliis animalibus miraculose semen eorum multiplicari, ita nec fieri arbitrandum est in hominibus.

ARTICULUS VII.

UTRUM CARO CHRISTI IN PATRIBUS FUERIT PECCATO OBNOXIA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 3. *q.* 2. *d.* 32.-33. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 31. *a.* 7.

VIDETUR caro Christi in antiquis Patribus fuisse peccato obnoxia. Siquidem eatenus Christi corpus dicitur sumptum de David, Abraham, et Adam, quatenus conceptum fuit de purissimis Sanguinibus B. Virginis, quae extitit naturalis filia Adae, et de progenie Davidis: sed B. Virginis corpus fuit in originali peccato conceptum, quia propagatum via communi, et seminis commixtione efformatum; ergo et caro Christi secundum quod fuit in Patribus extitit peccato obnoxia.

2. PRAETEREA. Quantumcumque ponatur caro Christi extitisse in antiquis Patribus, si exinde habuit originem, non potuit esse talis origo dis-

similis ex quibus dimanabat: sed antiqui Patres erant peccato obnoxii; ergo et caro Christi ut erat in illis debuit pariter fuisse peccato obnoxia.

CONTRA. Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 2. *Dei Filius ex castis et purissimis sanguinibus carnem anima rationali atque intelligente animatam, primitias videlicet nostrae conspersionis sibi ipsi condidit.* Sed in statu primo, quo conditus fuit homo, non erat peccato obnoxius; igitur caro Christi non extitit in Patribus peccato obstricta.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 3. q. 2. n. 3.] quamvis antiqui Patres descendentes de Adamo (excepta B. Virgine Maria) fuerint peccato originali obnoxii, Christum tamen non contraxisse peccatum originale, licet descenderit ab eis secundum carnem; Adam enim accepit iustitiam originalem pro omnibus descendentibus ab ipso, qua per peccatum amissa, perdidit quoque pro omnibus filiis suis, ut nemo nascens ex illo habeat iustitiam originalem naturaliter, ut fuisset habiturus si eam conservasset qui pro omnibus acceperat; in quolibet ergo naturaliter propagato regulariter est carentia iustitiae originalis debitae, quia acceptae in primo homine, quae proinde carentia est ipsum peccatum originale. Cum igitur Christus non fuerit filius naturalis Adae, [*Report.* 2. d. 32. n. 6. et 19.] quia non propagatus per rationem seminalem, sed conceptus de purissimis sanguinibus B. Virginis Spiritus Sancti virtute, consequenter pro Christo Adam iustitiam originalem non accepit; igitur nullum potuit in ipso debitum extitisse respectu eius, quod non fuit sibi datum in Adamo, nec subinde amissum; non contraxit igitur peccatum originale. Et quamvis Christus purus homo esset, et non Deus, si nihilominus eodem modo fuisset propagatus, per miraculum scilicet, et non descendisset de Adamo secundum communem legem, adhuc caruisset originali peccato, ut vult Anselmus, *De concept. Vir.* c. 10. et expresse, c. 19. et addidit quoque aliam rationem cur Christus hanc culpam non contraxit; quia nimirum caro Virginis fuit prius mundata, quod sine dubio est intelligendum de sanctificatione illa specialissima, quae solam decebat Matrem Dei, ut dictum fuit *q.* 27. *art.* 6.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo concedendo corpus [*Report.* 3. d. 3. q. 1. n. 7.] B. Virginis propagatum fuisse communi via, et seminum commixione efformatum; sed nego tamen propterea ipsam culpam originalem contraxisse, ut dictum est *q.* 27. *art.* 2. Erat quidem peccato illi obnoxia nascitura, nisi eodem instanti, quo infuisset peccatum, gratia sanctificante praeventa esset; ex hoc igitur capite caro Christi non fuit sub peccato in antiquis Patribus, quia ut refertur ad illos per Matrem suam, nulli unquam fuit subiecta peccato.

AD SECUNDUM est responsio ex proxime dictis. Quia [*Oxon.* ib.] caro Christi originem traxit ab antiquis Patribus, quatenus Beatissima Virgo Mater eius de illorum progenie nata est; at quoniam illa culpam originalem non contraxit, nec ei culpae potuit in Matre fuisse obnoxia caro Christi filii sui. Et quamvis, (quod tamen falsum asserimus) aliquando B. Virgo sub culpa fuisset, non propterea Christus originale contraxisset, quia non descendit de communi via, qua propagantur filii Adae, in quibus solum potest esse carentia iustitiae originalis; et ideo etiamsi purus homo, et non Deus fuisset, adhuc, ut dictum est in *solutione*, expers omnis culpae originalis extitisset.

ARTICULUS VIII.

UTRUM CHRISTUS IN LUMBIS ABRAHAE FUERIT DECIMATUS.

Doctor, Report. 3. *d.* 3. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p.q.* 31. *art.* 8.

VIDETUR Christus in lumbis Abrahae fuisse decimatus. Etenim Christus est ex semine David et Abrahae secundum carnem, quatenus Beatissima Mater eius de prosapia extitit illorum: sed Mater Christi fuit decimata in lumbis Abrahae; ergo etiam Christus eius filius.

2. PRAETEREA. Cum Abraham decimas solvit Melchisedecho, Levi decimatus fuit in Abraham, quia tunc Levi erat in lumbis eius, secundum Apostolum, *Ad Hebraeos*, 7. Sed pariter tunc Christus erat in lumbis illius, de quo tam Levi, quam Christus originem traxerunt; ergo tunc et Christus decimatus fuit in lumbis Abrahae.

CONTRA. Melchisedech accipiens decimas ab Abraham ei benedixit: *sine ulla autem contradictione* (inquit Apostolus *ad Hebraeos,* c. 7.) *quod minus est a meliore benedicitur;* igitur solvit Abraham decimas pro omnibus, qui erant in lumbis eius benedici indigentibus a meliore Sacerdotio, quam fuerit Leviticum, quod erat in lumbis Abrahae; ergo cum Melchisedech gesserit Christi figuram, ut declarat Apostolus *ibidem,* pro ipso non solvit Abraham decimas, sed potius in typo decimas accepit.

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 3. d. 3. q. 2. n. 13.] Christum non fuisse decimatum in lumbis Abrahae sicut Levi, idest Abraham non solvisse decimas Melchisedecho pro Christo, qui erat futurus, et descensurus de semine eius, quemadmodum solvit et obtulit pro Levi, qui pariter tunc erat in lumbis eius. Nam, ut dictum est *q.* 22. *art.* 6. Melchisedech gerebat figuram et typum Christi summi Sacerdotis, ad quem referebatur Sacerdotium illud Leviticum et legale, ut ad finem eius perfectivum; Abraham igitur offerens decimas pro omnibus Melchisedecho, obtulit et pro Levi, quem erat ipse propagaturus per rationem seminalem; non autem pro Christo, quia iste non erat ab eo descensurus per rationem seminalem, licet fuerit in lumbis eius per corpulentam substantiam; non fuit igitur decimatus, sed erat in typo decimas accipiens a Levi, et ab Abrahamo, idest ab omnibus descensuris ab eo: qui omnes tamquam obnoxii peccato Adae debebant expiari per ipsum, non immolatione victimarum, sed oblatione corporis sui in ara Crucis, et profusione sanguinis sui; quod totum Sacrificium Christi egregie fuit praefiguratum in oblatione Melchisedechi, ut dictum fuit *cit. q.* 22.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, B. Virginem fuisse decimatam in Abrahamo dante decimas de omnibus Melchisedecho, et quidem eo perfectius decimas pro ipsa tunc oblatas fuisse, quo magis indigebat benedictione Melchisedechi; caeteri enim omnes filii Abrahae obtulerunt decimas petentes expiari a peccato Melchisedechi benedictionibus; sed B. Virgo prae omnibus benedicta fuit, ne unquam foret obnoxia peccato. Verissime ergo et magis quam quivis alius fuit decimata in Abrahamo. At Filius eius nequiit pariter decimari, quia, ut dictum fuit, ipse decimas accipiebat in typo per Melchisedechum, et per ipsius Sacerdotium erant expianda omnia peccata, et impetrandum ne unquam Mater sua sub aliquo esset peccato.

AD SECUNDUM dico Christum fuisse in lumbis Abrahae per corpulentam substantiam, non per rationem seminalem, quia descendit de Abraham accipiendo carnem de filia Abrahae, non per viam humanae propagationis, sed Spiritus Sancti virtute, ideo opus ei non fuit a Melchisedecho benedici, quia nihil in eo expiandum esse potuit, sed magis ipse suo Sacerdotio erat omnia peccata deleturus, et reducturus genus humanum ad Deum, a quo longe discesserat per Adae peccatum.

QUAESTIO TRIGESIMASECUNDA.

DE CONCEPTIONE CHRISTI QUOAD ACTIVUM PRINCIPIUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de principio activo in conceptione Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi. - 2. Utrum possit dici, quod Christus fuerit conceptus de Spiritu Sancto. - 3. Utrum possit dici, quod Spiritus Sanctus sit Pater Christi secundum carnem. - 4. Utrum B. Virgo aliquid active egerit in conceptione Christi.

ARTICULUS I.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS FUERIT PRINCIPIUM ACTIVUM CONCEPTIONIS CHRISTI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 32. *a.* 1.

VIDETUR Spiritus Sanctus non fuisse principium activum conceptionis Christi. Quia [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 18.] tota Trinitas aequaliter operata est Incarnationem; cum ergo eadem ratio sit communis tribus Personis, non magis Spiritus Sanctus, quam Pater et Filius fuerunt principium activum conceptionis Christi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 16. n. 1.] Augustinus, 4. *De Trinit.*, c. 9.: *Fateamur Filium minorem factum, et intantum minorem, inquantum factum, et intantum factum, inquantum missum.* Est autem missus, inquantum hominem assumpsit; igitur incarnatio, vel Christi conceptio magis attribuenda est Patri, a quo missus est, quam Spiritui Sancto.

CONTRA. [*Oxon.* 1. d. 5. q. 2. n. 12. seqq.] Lucae, 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quod declarans Damascen., *lib.* 3. *cap.* 2. vult Mariam concepisse de Spiritu Sancto: *de* autem notat efficientiam, vel originem, secundum Ansel., *Monol.*, c. 8.

RESPONDEO dicendum, totam Trinitatem operatam esse Incarnationem, licet eius factio convenienter Spiritui Sancto approprietur. Et primum quidem ostendit primum argumentum. Quod etiam [*Quodlib.* q. 8. n. 2.] expresse ponit August., 2. *De Trinit.*, c. 5. ubi loquens de Filio incarnato: *Mitti*, inquit, *a Patre sine Spiritu Sancto non potuit:* et paucis interpositis sequitur: *Fortasse aliquis cogitat, ut dicamus etiam a seipso esse missum Filium, quia ille Mariae conceptus, et partus operatio Trinitatis est, qua cau-*

sante omnia causantur. Vult itaque Augustinus, Incarnationem una, eademque operatione Patris, et Filii, et Spiritus Sancti esse factam, sicut earum trium Personarum una est essentia atque potentia. — Quod vero tres Divinae Personae fuerint activum principium Incarnationis exinde constat, quia [*Oxon.* 3. d. 4. n. 3. et 7.] in aliis humanis generationibus pater est principium effectivum filii; ergo cum in Christi conceptione nullus fuerit pater terrenus, sed omnem talem causalitatem suppleverit Deus, fatendum est Trinitatem principium activum Christi conceptionis fuisse. — Cum ergo ita res sese habuerit, cur magis Spiritui Sancto Scripturae et Patres attribuunt istam causalitatem Incarnationis, quam Patri vel Filio? *Respondeo,* [*Oxon.* 1. d. 32. q. 2. n. 8.] quemadmodum de Filio appropriate dicitur ars, et Sapientia, et notitia, licet omnes Personae Divinae sint aeque sapientes, et habentes eamdem artem, sive notitiam omnium intelligibilium, quia scilicet ex modo suae processionis competit sibi, quod sit notitia actualis procedens de memoria paterna declarans omne intelligibile, quod in memoria illa continetur; ita, [*Oxon.* 1. d. 18. n. 6. seqq.] quoniam Spiritus Sanctus ex vi processionis suae, habet ut sit amor primus et infinitus, ac per actum amoris procedens a Patre et Filio liberaliter producentibus, convenientissime appropriantur ei omnia dona gratiae, quae dantur a tribus Personis omnibus creaturis, et ipse Spiritus Sanctus dicitur inhabitare animam per charitatem, et esse donum Patris, et per ipsum dari omnia dona, quia nimirum ipse est primus amor. Et quum inter omnia dona dantis primum donum, quod quis dare potest sit amor eius, et nihil habeat rationem doni, nisi quatenus cadit sub actu amoris, rectissime Spiritui Sancto appropriantur omnia opera gratuitae voluntatis divinae ad extra; et quandoquidem [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] in universis operibus Dei non fuerit aliquod opus merae gratiae nisi sola Incarnatio Filii Dei, ad quam nulla merita praecesserunt, nec praecedere potuerunt, unde et dixit Augustinus, 13. *De Trinit.*, cap. 8.: *In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo,* manifestum est id opus non potuisse convenientius appropriari ulli alteri personae Divinae, quam Spiritui Sancto, etsi reipsa omnes tres Divinae Personae ex aequo ipsam Incarnationem effecerint. Ex quibus patet AD PRIMUM ARGUMENTUM.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 1. d. 15. n. 4. seqq.] *mitti* esse manifestari, quod persona missa ab alia procedat; hinc nonnisi Filius, et Spiritus Sanctus possunt mitti ad extra. Concedo ergo Christi missionem attribui et appropriari Patri, quia per eam manifestatur Filius a Patre procedere; sed exinde non potest inferri eius conceptionem eidem appropriari oportere; nam etsi assumpserit hominem per missionem, ipsa tamen assumptio, vel conceptio facta est per summam gratiam, fuitque donum excellentissimum Dei, ac propterea ei personae attribuenda atque approprianda est, quae ex vi processionis suae est amor, per quem omnia quae dantur habent rationem doni, quia amor est primum donum, ut in *solutione* dictum est.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS DEBEAT DICI *CONCEPTUS DE SPIRITU SANCTO.*

Doctor, Oxon. 3. *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 32. *art.* 2.

VIDETUR Christus dici non posse conceptus de Spiritu Sancto. Nam ex dictis *q. anteced., art.* 5. corpus Christi fuit formatum de purissimis Sanguinibus B. Virginis; ergo si conceptus esset de Spiritu Sancto, oporteret fuisse commixtionem seminum B. Virginis et Spiritus Sancti, quod est impossibile. Sed *probatur consequentia ;* [*Oxon.* 1. d. 5. q. 2. n. 12.] quia *de* notat efficientiam, seu originationem, et consubstantialitatem, ut patet, cum dicitur: *Filius est genitus de substantia Patris.* Si ergo Christus diceretur conceptus *de* Spiritu Sancto, ut ei fuit consubstantialis materia subministrata a Matre, pariter eidem esset consubstantialis Spiritus Sanctus quoad illam conceptionem, quod est omnino impossibile, cum illa conceptio fuerit corporea et materialis.

2. PRAETEREA. Incarnatio Christi secundum rei veritatem, et proprie loquendo, est a Spiritu Sancto, perinde ac ab ipso sunt caeterae creaturae, a tribus Divinis Personis productae: sed non praeterea vere dici potest Christus conceptus de Spiritu Sancto, sicuti non dicitur de Filio, vel de Patre; ergo nequit dici conceptus esse de Spiritu Sancto. *Probatio minoris:* [*Oxon.* 2. d. 44. n. 2.] per hoc, quod creaturae omnes sunt a Deo, uno et Trino, Apostolus *ad Roman.*, 2. dicit: *Ex ipso, et in ipso, et per ipsum sunt omnia;* non autem *de* ipso; ergo nequit cum veritate dici Christus conceptus de Spiritu Sancto.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 25. n. 4.] In Symbolo dixit Iacobus Zebedaei de Christo *Qui conceptus est de Spiritu Sancto.*

RESPONDEO dicendum, vere et recte dici Christum esse conceptum de Spiritu Sancto. Quamquam enim Christus ab Virgine Maria conceptus non sit, nisi ratione humanitatis, praedicata nihilominus ista, [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 14.] *conceptus, genitus, passus,* et huiusmodi, nata sunt denominare totum ratione naturae; adeo ut natura respectu eorum praedicatorum se habeat ut *quo* in ordine ad ipsum totum, Christus igitur, ut vere et recte dicitur *genitus, passus, mortuus,* ita, *et conceptus.* Christus itaque conceptus [Prol. q. 3. n. 16.] habet duplicem veritatem: prima est ad Patrem et Spiritum Sanctum, quibus est consubstantialis; secunda vero est Verbi ad naturam assumptam. Respectu autem naturae assumptae qua Christus est conceptus; Spiritus Sanctus habet rationem principii effectivi, ut supra dictum est, sed quoad ipsum totum, quod conceptum dicitur, non habet rationem principii activi, sed est ei omnino consubstantialis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo [*Oxon.* 1. d. 5. q. 2. n. 12.] ex dictis statim; concedo enim propositionem illam *de* importare originationem et efficientiam et consubstantialitatem, et utrumque revera hic concurrere constat. Cum enim dicimus, *Christus est conceptus de Spiritu Sancto,* significamus ipsum esse Christo consubstantialem, idest habere eamdem naturam divinam, et praeterea fuisse principium activum in illa mirabili

conceptione, qua Verbum factum est homo. Nec commixtionem aliquam Spiritus Sancti et Sanguinum B. Mariae oportuit hic intervenisse; quia Spiritus Sanctus supplevit causalitatem Patris modo aliquo eminentiori et proprio sibi, sicuti faceret, si absque ullo obiecto mutaret intellectum creatum ad intellectionem lapidis, quod illi facillimum esset, cum contineat eminentissime omnem causalitatem causae secundae effectivae.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* ib.] reliqua opera Dei ad extra ab Incarnatione Christi, haud posse cum proprietate dici processisse *de Deo.* Quia cum particula *de* notet consubstantialitatem, dumtaxat Filio Dei et Spiritui Sancto convenit, licet tertia Persona Divina potius dicatur procedere ex Patre et Filio. — *Et cum arguitur,* quia Incarnatio non dicitur esse de Patre aut Filio; *respondeo,* huius causam dictam esse in *art. praec.,* quia scilicet dona convenienter appropriantur Spiritui Sancto, et non Patri vel Filio, cum ipse sit donum donorum, et substantialis amor; igitur quamvis Incarnatio non magis effecta sit a Spiritu Sancto quam a Patre et Filio, recte tamen Christus dicitur conceptus de Spiritu Sancto, et non de Patre et Filio.

ARTICULUS III.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS DICI DEBEAT PATER CHRISTI SECUNDUM CARNEM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 8. *d.* 10. — *Report ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 32. *a.* 3.

VIDETUR Spiritus Sanctus dici debere pater Christi secundum carnem. Nam [*Oxon.* 3. d. 4. n. 12.] Christus conceptus est de Spiritu Sancto, gerente et supplente concursum patris naturalis; igitur id in ipsa conceptione praestitit, quod praestitisset pater naturalis: sed si iste concurrisset recte diceretur pater illius hominis; igitur et Spiritus Sanctus est pater eiusdem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3 d. 15. per tot.] Spiritus Sanctus requievit super Christum, et effudit in eo omnia dona gratiarum; igitur quemadmodum fuit filius Dei ob alios titulos, ita est filius Spiritus Sancti ob plenitudinem gratiae; vel si eam plenitudinem dedit ei tota Trinitas, filius erit totius Trinitatis

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 3. q. 9. per tot.] Christus praecepit, ut orantes appellaremus Patrem Deum, non alia ratione, nisi quia fecit et creavit nos ad similitudinem suam, sed Spiritus Sanctus effecit corpus Christi, quia de Spiritu Sancto conceptus est; ergo Spiritus Sanctus est pater Christi.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 8. n. 3.] Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 7. *Duas generationes Christi veneramur, aeternam scilicet Patris, et temporalem Matris.* Igitur nulla est tertia eius generatio, Spiritus Sancti, aut Trinitatis.

RESPONDEO dicendum, Spiritum Sanctum dici non posse Christi patrem, quamquam Christus de Spiritu Sancto conceptus sit. Ad hoc enim ut Christus filius Spiritus Sancti diceretur, oporteret ipsum esse ab eo naturaliter productum sibi similem in natura intellectuali. Christus autem

[*Oxon.* ib. n. 10.] solummodo est similis Patri quoad naturam divinam, et Matri quoad naturam humanam. Quod vero ita esse oporteret, declaratur; nam Spiritus Sanctus non est filius, quia naturaliter non producitur; nec vermis est filius solis, nec planta plantae, nec proprie bos est filius bovis, quia scilicet non est similitudo, vel non est in natura intellectuali; igitur nec Christus quoad humanitatem est Spiritu Sancti filius, nec ipse dicendus Christi pater. Quia vero genitum [*Oxon.* 4. d. 12. q. 3. n. 8.] principaliter assimilatur generanti in forma substantiali, secundum quid autem assimilatur sibi in accidentibus, secundum autem hanc similitudinem accidentalem, quatenus homo praesefert imaginem Dei, est Dei filius, et quatenus habet gratiam est filius adoptivus, quia ex ea habet ius succedendi in paternam haereditatem, quae est gratia sempiterna. Sed nec tunc est naturaliter creatus, nec naturaliter habet gratiam, sed ex liberalitate Dei, et ideo utrobique est filiatio imperfecta. Christus vero [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 11.] nequaquam est filius adoptivus per gratiam, sed naturalis; ideo ipsi non possumus attribuere hanc filiationem adoptivam, nec ei indignitatem attribuimus ullam, quia sicuti dignificantur illi, quibus non competit de iure haereditas, si ad ipsam adoptentur, ita extraneum esse ab haereditate gloriae est indignitatis. Christus igitur etsi revera appellandus sit Filius naturalis Patris, nihilominus non est Spiritus Sancti aut Trinitatis filius.

Ad Argumenta. Ad primum dico, sicuti sol nequit appellari pater vermis, quia supplet concursum patris vel causae univocae; etenim productus est dissimilis producenti; ita nec Spiritum Sanctum dici posse Christi patrem, eo quod suppleverit concursum causae univocae, et non solum ex dissimilitudine naturae, verum etiam quia non fuit ea productio naturalis, sed ex Dei liberalitate.

Ad secundum respondeo, dictum fuisse *in solutione* quonam modo simus filii Dei tam quoad naturam, quam secundum gratiam; est enim utrobique filiatio imperfecta, quia est similitudo non in forma substantiali, sed in accidentibus. Quia igitur deest pariter haec similitudo in Christi humanitate respectu Spiritus Sancti, et abest etiam naturalis productio, nequit dici pater illius hominis, imo est filius naturalis solius Patris, non Spiritus Sancti, neque Trinitatis.

Ad tertium dico: si ad Christi humanitatem procreandam concursum praebuisset pater naturalis, vere extitisset filius illius; quia tunc haberet habitudinem producti naturaliter, essetque similis producenti in natura intellectuali. At supplente Spiritu Sancto eam causalitatem, non est ipse pater ipsius, quia productus non habet ad Spiritum Sanctum praefatam habitudinem, quam, quia habet respectu Matris, est Mariae filius, et non Spiritus Sancti, neque Trinitatis.

ARTICULUS IV.

UTRUM B. VIRGO ALIQUID ACTIVE EGERIT IN CONCEPTIONE CORPORIS CHRISTI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 32. *a.* 4.

Videtur B. Virgo nihil egisse in conceptione corporis Christi. Etenim [*Oxon.* 3. d. 4. n. 3.] B. Virgo in conceptione filii sui non fuit dissimilis

aliis foeminis; sed foeminae non habent activitatem in concipiendis filiis earum; ergo nec B. Virgo in conceptione corporis Christi. *Minor probatur:* primo per Philosoph., 1. *De Generat. animal.,* cap. 20. ubi vult expresse, in generatione marem esse quoddam movens et agens, et foeminam tantum patiens; et addit, hanc non conferre genituram, sed materiam ad genituram viri; et concludit, eam materiam sanguinem menstruum esse; quem etiam sequitur Avicenna, 9. *De animal.,* cap. 2.

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 4. q. 2. n. 3.] Mas et foemina non distinguuntur specie, sed numero; si igitur foemina esset principium activum generationis, posset ipsa generare per se sine mare; sicuti si visus esset activus per se, posset ubique agere sine obiecto 2. *De anima;* et ideo Philosophus vult semen maris se habere velut coagulum respectu lactis; ac proinde ova piscium antequam sint irrorata semine maris non esse prolifica.

3. PRAETEREA. [*Report.* ib.] Duo agentia univoca non sunt necessaria requisita ad eumdem effectum: sed si foemina esset principium activum generationis, duo agentia univoca concurrerent ad eumdem effectum; ergo foemina non est principium activum generationis. *Maior patet;* quia in uno ordine causandi virtus activa potest esse in uno supposito; nam inter supposita eiusdem speciei non est ordo per se secundum perfectius et imperfectius.

4. PRAETEREA. [*Report.* ib. n. 4.] In omnium sententia, mater ministrat materiam; igitur in instanti generationis forma menstrui corrumpitur; menstruum igitur non est activum in instanti generationis prolis; et consequenter B. Virgo nihil egit in conceptione corporis Christi, sed tantum materiam subministravit, ex qua formatum fuit virtute Spiritus Sancti, quod videtur intellexisse Damascen. cum dixit, *corpus Christi formatum fuisse ex purissimis sanguinibus B. Virginis.*

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 4.] Damascen., *lib.* 3. *cap.* 2.: *Virtutem tribuens susceptivam, simul autem generativam.* Si autem B. Virgo tantum esset principium passivum, non videtur quare Damascenus virtuti susceptivae virtutem generativam copularet; ergo est pariter principium activum.

RESPONDEO dicendum, B. Virginem non fuisse praecise principium passivum, subministrans materiam praecise; sed etiam egisse virtute sua activa in conceptione corporis Christi Filii sui, perinde ut aliae matres active se habent respectu propriae prolis, de quo prius videndum, et postea de B. Virgine in particulari.

Dicendum est ergo [*Report.* ib. n. 5.] tam matrem, quam patrem habere rationem principii activi respectu prolis, ut censuit Galenus, in hoc contradicens Aristoteli, ut refert Avicenna, *loco supra citato. Et probatur:* quia formae eiusdem speciei habent potentias eiusdem speciei, 1. *Metaph., t. com.* 25. igitur si formam unius, scilicet patris, consequitur, naturaliter vegetativa activa, similiter et alterius. Si enim anima vegetativa foeminae et maris differrent sicuti activa et passiva, essent potentiae omnino diversae rationis. — *Neque iuvat* dicere vegetativam esse activam quoad potentiam nutritivam, non vero quoad generativam. *Quia* ipsa est activa quoad omnes eius partes. Nec videtur rationabile, potentiam eiusdem rationis esse activam in uno supposito, et in alio passivam. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 3.] pater naturaliter plus diligit filium suum, (si-

cuti quisque naturaliter suum opus) quam filius diligat patrem, *ex* 8. *Ethicor., cap.* 12. *et* 9. *Ethicor., cap.* 8. Et ratio est, quia benefaciens plus afficitur beneficiato, quam e converso: sed mater plus diligit filium suum, quam pater, sicut patet per eumdem, 8. et 9. *Ethicor.,* ergo aliquo modo filius debet esse opus matris et effectus ejus, sicut est et patris. — *Denique,* [*Oxon.* ib. n. 3. seqq.] filius quandoque assimilatur magis matri, quam patri; ergo in matre est aliqua virtus activa. *Consequentia probatur:* siquidem agens intendit assimilare sibi effectum, ita quod effectus nulli assimilatur, nisi propter aliquam actionem eius. *Dicit Avicennæ* ad hoc, *loco cit.* Semen patris principaliter intendere assimilare prolem patri, sed propter inobedientiam materiae deficere ab eo, quod intendit, et facere quod potest, et ita cum transmutatio non fiat in quodlibet, sed in oppositum, assimilare opposito, scilicet matri. — *Contra* hoc; [*Oxon.* ib. n. 4.] igitur calidum impeditum, et propter impedimentum non potens perfecte sibi assimilare effectum, assimilabit eum frigido, quod nihil est dictu. Nam impeditum tantum non assimilabit eum sibi; quod si evadat simile frigido, id recte erit ab alio agente; adeoque si semen patris impeditum non valeat assimilare prolem patri, si fiat similis matri, erit ob actionem eius.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 17.] Philosophum *eo loci* velle matrem non esse causam *principalem* activam, sed patrem, quod verum est, quamvis ipsa principalius ministret materiam, de qua corpus principalius formatur, quam de materia patris. Quod si revera intendat ut verba sonant, nimirum virtutem in semine patris esse tamquam artifex, et materiam ministratam a matre, ut lignum de quo artifex facit scamnum, non est tenendus hic *Philosophus,* sed magis credendum *Galeno,* tamquam experto.

Ad secundum [*Report.* 3. d. 4. q. 2. n. 7.] nego sequelam, quod scilicet mater posset generare per se; quia utraque causa habet rationem principii activi, etsi mater sit agens inferius, quod semper praesupponit agens superius saltem natura, et causa inferior numquam est potens agere potentia propinqua, nisi posita actione causae superioris in actu prius natura.

Ad tertium, [*Report.* ib. n. 8.] cum dicitur, duo agentia univocata non requiruntur ad eumdem effectum, concedo, nisi sint ad invicem subordinata tamquam minus principale principaliori. Quemadmodum enim potentia non tribuit suam virtutem activam obiecto, nec e contra, sed magis opus est utramque causam concurrere, ita est de mare et foemina, quae sunt individua eiusdem speciei, quorum unum est altero imperfectius, nimirum foemina est mare imperfectior.

Ad ultimum de sanguine menstruo, concedo, [*Report.* ib. n. 9.] corrumpi in instanti generationis substantiae per aliquam virtutem in eo, iuxta quod potest sustineri, matrem verius dici agere in instanti generationis per virtutem inexistentem in ipsa secundum se, non in menstruo, quam patrem per aliquam virtutem eius; quia etsi pater in eo instanti non esset, nihilominus generaretur proles in utero matris, quae iam excepit semen patris.

ITERUM ARTICULUS IV.

UTRUM B. VIRGO ALIQUID ACTIVE EGERIT IN CONCEPTIONE CORPORIS CHRISTI.

Doctor, et S. Thomas loc. cit. art. praec.

VIDETUR B. Virgo in Christi generatione mere passive se habuisse. Etenim [*Oxon.* 3. d. 4. n. 3.] secundum Augustinum, 10. *Super Genes. cap.* 5. Christus non descendit e parentibus secundum rationes seminales: sed si B. Virgo se habuisset active respectu formationis corporis Filii sui, videretur corpus illud formatum fuisse secundum rationem seminalem; ergo mere passive se praebuit.

2. PRAETEREA. B. Virgo non id a Deo accepit, ut esset pater Christi, sed mater; ergo non accepit potentiam activam in conceptione Christi. *Probatio consequentiae:* nam cum quaelibet res sit propter suam operationem, (*ut dicitur,* 2. *De Caelo, text. com.* 17.) natura non distingueret ad opus generationis sexum maris et foeminae, nisi esset distincta operatio maris ab operatione foeminae: sed in generatione distinguitur operatio agentis et patientis; igitur tota virtus activa est ex parte patris, passiva autem ex parte foeminae et matris.

CONTRA. [*Report* 3. d. 4. q. 2. n. 11.] Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 2. *Spiritus Sanctus erat purgans, et tribuens simul vim conceptivam, et generativam;* idest, tribuit vim conceptivam Verbi, et generativam quantum ad potentiam propinquam. In causis enim per se ordinatis, causa inferior non est in potentia propinqua ad agendum, nisi posita actione causae superioris prius natura. Spiritus igitur Sanctus supplens causalitatem patris, prius natura, non tribuit potentiam generativam Matri naturalem, sed propinquam, quam scilicet erat habitura, si pater naturalis una cum ipsa generavisset.

Aliqui [*Oxon.* 3. d. 4. n. 5.] tenentium sententiam Galeni, et putantium quamlibet matrem cum patre esse causam activam respectu formationis corporis prolis, minus tamen principalem et secundariam, et cum patre integrantem unam causam totalem, declarant, B. Virginem esse Matrem Christi, ex hoc, quia ipsa ministravit materiam, in qua erat vis activa, etsi illa vis hic non habuerit actionem aliquam, eo quod fuerit praeventa a Spiritu Sancto subito formante corpus illud de materia sibi ministrata, B. Virgo tamen fuit Mater Christi, quia materiam praebuit, in qua vis erat unde ageret quantum fuit ex parte sui, nisi a fortiori agente fuisset praeventa. *Exemplum:* virgae Aaron fuit data foecunditas per quam successive produxisset flores, et fructus; at non produxit, quia illam foecunditatem praevenit virtus divina subito producens, quae erat virga illa productura tempore statuto. — *Sed hic modus dicendi non salvat* B. Virginem esse Matrem Christi. Nam si ignis esset perfectissime activus, et haberet passum ut lignum approximatum, tamen praeveniretur ab aliquo agente fortiori calefaciente lignum, nullo modo ignis esset causa agens respectu illius caloris; et si ignem gignere calorem foret ignem esse patrem caloris, nullo modo ignis ille esset pater caloris; igitur pariter in proposito, propter solam virtutem activam, si

fuit praeventa, sic ut non egerit, B. Virgo, dici non potest Mater, si mater est causa agens. — *Confirmatur* ex exemplo allato: si enim arbor diceretur pater, vel mater illius fructus, quem producit, illa tamen virga, licet de se foecunda fructus produxisset, si fuit praeventa, et non produxit, dici nequit mater vel pater illius fructus. — Quod etiam *probatur* in proposito; nam nullus homo fuit pater illius filii, etsi aliquis habuit virtutem activam, secundum quam potuit egisse ad formationem corporis eius; quia tamen eam actionem praevenit Spiritus Sanctus nullus homo est pater eius, nec ipsa pariter erit Mater Christi.

Ideo est *alius modus* explicandi, [*Oxon.* ib. n. 6.] qualiter B. Virgo potuerit agere in ista conceptione, et cooperari Spiritui Sancto in instanti. Opinantur igitur, Deum contulisse vim aliquam supernaturalem B. Virgini, qua adiuta cooperata est Spiritui Sancto in conceptione corporis filii sui, sine qua vi ipsa id agere minime potuisset in instanti. — *Contra:* Ista vis supernaturalis esset accidens per accidens huius naturae; ergo si B. Virgo per huiusmodi accidens egit ad formationem corporis Christi, non ita per se egit ad eius formationem sicut aliae matres, quae per se, et non per accidens agunt ad formationem suarum prolium; non enim ita vere convenit lapidi disgregare, quod inest ei per albedinem, sicut convenit ei descendere deorsum; hoc siquidem inest ei per naturam suam, seu per accidens naturale digregare, vero convenit ipsi per accidens, quo sine posset esse. — *Deinde.* In quo subiecto fuisset huiusmodi vis vel accidens supernaturale? Si ponatur fuisse in intellectu, vel in voluntate, non potuit esse ratio agendi ad generationem filii, quae est actio principaliter vegetativae virtutis. Si vero dicatur infuisse ipsi vegetativae: *Contra;* vegetativa est potentia materialis, igitur non est capax accidentis supernaturalis. — *Rursus,* accidens non potest esse ratio producendi quae est substantiam, terminus generationis. Et si dicas eam vim esse perfectionem intrinsecam collatam vegetativae Matris, ob quam potuit eum terminum attingere; *contra:* si vegetativa Matris evasisset intensior ex illa vi sibi collata; igitur B. Virgo fuisset plusquam Mater, cum aliae matres non habeant eum gradum perfectionis, et consequenter aequivoce fuisset Mater cum aliis. — *Denique,* vegetativa matris sine illa perfectione supernaturali nequiit agere in instanti; ergo nec cum illa. *Probatio consequentiae:* formae eiusdem rationis, licet una perfectior altera, eodem modo se habent quoad modum agendi in instanti, vel in tempore, esto una perfectius producat, quam altera; et ita lux perfectior et imperfectior aeque instantanee illuminant, licet perfectior perfectius subinde illuminet.

Respondeo ergo, dicendum B. Virginem sua naturali virtute attigisse terminum conceptionis suae prolis; perinde ut [*Oxon.* ib. n. 7.] aliae matres, ac ut causam activam minus principalem cooperatam fuisse in instanti Spiritui Sancto, iuxta Damascenum, de quo *quaest. antec. art.* 5. et agetur *art. seq.*

Ad Argumenta. [*Oxon.* ib. n. 17.] Ad primum ex Augustino dico, eum effectum solum produci per rationem seminalem, ad cuius productionem vis activa creata concurrit ut totalis causa, quod in proposito non evenit: quia etsi B. Virgo per suam naturalem virtutem egerit, nihilominus totalis causa minime erat naturalis, cum principalior causa fuerit Spiritus Sanctus.

Ad secundum dico, utique B. Virginem accepisse a Deo ut esset

Mater et non pater Christi. *Et cum arguitur.* quia omnis vis activa in opere generationis spectat ad patrem; *negandum est hoc,* iuxta dicta supra *hoc eodem articulo,* de foeminis in communi: tantummodo enim pater est agens magis principale, et foemina minus principale. — *Et quando dicitur,* quia natura non distinxisset sexum maris et foeminae nisi deberet etiam esse operatio distincta; *respondeo,* esse distincta ea duo agentia quoad operationem, quia alteri competit principalior, alteri minus principalis actio, utraque tamen integrant effectum unum totalem. Praeter quam quod necessario diversitas sexus requirebatur, ut una ex illis causis posset intus se fovere, alere et producere foetum ad eam maturitatem, donec tempestivum foret illum excludere.

RURSUM ARTICULUS IV.

UTRUM B. VIRGO ALIQUID ACTIVE EGERIT IN CONCEPTIONE CORPORIS CHRISTI.

Doctor, et S. Thom. loc. cit. art. praecedenti.

VIDETUR B. Virgo nihil in ista conceptione corporis Christi agere potuisse. Nam Christi conceptio fuit in instanti: sed [*Report.* 3. d. 4. q. 2. n. 13.] virtus creata non operatur, nec agere potest in instanti ad illud, quod natum est fieri in tempore; igitur B. Virgo non fuit causa activa in conceptione Christi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 4. n. 10.] Quamvis quaedam media, per quae indispensabiliter transeundum est agentibus naturalibus, obstare non potuerint Spiritui Sancto habenti virtutem infinitam, pura nihilominus creatura non habet potestatem percurrendi illa in istanti: sed Maria in conceptione corporis Christi extitit pura creatura; ergo necessario eius actio generativa pertransivit per media illa, per quae caeterea matres attingunt filios suos. Cum igitur Christi conceptio peracta sit in instanti virtute infinita Spiritus Sancti, ad illam nequiit cooperatam esse Mariam.

3. PRAETEREA. Ex dictis, *in prima parte* [q. 105. a 2.] de rationibus seminalibus, Ratio haec seminalis [*Oxon.* ib. n. 13.] non est principium agendi in generatione, quia tunc non manet, sicuti non est substantia, quam consequitur; sed tantum est ratio agendi in alteratione praecedente generationem: sed si B. Virgo cooperata est Spiritui Sancto in ista conceptione, cum fuerit in instanti, ipsam nulla alteratio praecessit; igitur ex parte Matris nulla fuit actio per rationem seminalem, et per consequens non fuit aliqua vis in materia ministrata.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 4.] Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 2.: *Virtutem tribuens susceptivam, simul autem et generativam.* Si vero B. Virgo tantum esset principium passivum, non copulavisset virtuti susceptivae virtutem generativam; ergo extitit principium activum in Christi conceptione.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 7. seqq.] B. Mariam active se habuisse in conceptione corporis Christi filii sui sicut aliae matres agunt respectu prolium suarum, et consequenter in instanti cooperatam fuisse Spiritui Sancto gerenti vicem patris naturalis. Quamquam enim in aliis foeminis, quae sunt matres (ut declaratum fuit *quaest. anteced. art.* 5.)

actionem generativam praecedant tres motus locales successive eius materiae, ex qua proles formantur, quae primo movetur localiter de loco ubi reperitur ad locum aptum generationi corporis organici, quae est mulieris matrix, et secundo sequitur figuratio corporis, quae etiam motu locali peragitur, et tertio sequitur condensatio illius materiae, quae est quaedam alteratio praevia ad generationem, fitque pariter successive, et cum loci mutatione, quippe qua occupatur minor locus, quam antea; quamvis, inquam, ita eveniat in aliis matribus, quae peractis illis omnibus motibus localibus, tandem terminum generationis attingunt, et concipiunt; nihilominus in B. Virgine tres illi motus non praecesserunt, sed virtute Spiritus Sancti delatus est subito sanguis eius ad locum generationi convenientem, fuitque figuratus in corpus organicum, et in ipso infusionis animae instanti cooperata est B. Virgo divinae virtuti, et verissime attingit terminum generationis, sic ut fuerit Mater illius prolis, eadem scilicet actione, qua caeterae matres attingunt filios suos.

Sed *probatur* Mariam sic in instanti cooperari potuisse Spiritui Sancto, ut aliae matres cooperantur patri successive. Quia [*Oxon.* ib. n. 8-10.] si non cooperari et agere potuisset, maxime quia eius actio esset peragenda successive: sed hoc non impedit. Et *probatur:* Spiritus Sanctus et Maria sunt agens perfectius, quam pater naturalis et ipsa fuisset; ergo ista media per quae oportuisset patrem naturalem, et Mariam pertransire, non fuerunt necessaria in illa actione Spiritus Sancti et Mariae. — *Aliter* etiam potest deduci ratio sic: [*Oxon.* ib. n. 12.] omnis causa activa habens virtutem respectu alicuius effectus, et non praeventa ab alio naturaliter causante illum effectum in eo instanti, in quo producitur, potest agere ad productionem eius: Maria fuit talis causa, cum activae sint aliae matres, et non fuerit eius causalitas praeventa, quia Spiritus Sanctus libere agit, et subinde potuit supplere causalitatem patris, et non Mariae, sed admittere eius actionem, ut causae minus principalis; ergo B. Virgo potuit cooperari in instanti Spiritui Sancto respectu conceptionis Christi filii sui; ergo de facto cooperata est, quia ipsa verissime est Mater Christi, qui in instanti conceptus fuit. — Et hoc intendit Damascenus in citata auctoritate, *ex lib.* 3. *cap.* 2. Non vult enim Spiritum Sanctum dedisse virtutem generativam Mariae, quasi eam non habuerit ut aliae matres, quia ipsa sterilis non fuit, nec debemus ei hanc imperfectionem attribuere; sed quia potentia activa causae inferioris est remota, quando superior causa non agit. Per virtutem igitur generativam intelligit potentiam propinquam ad effectum producendum, quam utique habuit Spiritus Sancti virtute, sicuti eamdem acquisivisset per concursum patris naturalis, si huic cooperata fuisset. Vis enim activa matris nata est subordinari vi activae patris, et ita a patre nata est conferri matri potentia propinqua ad generandum; sed non confert proinde potentiam remotam ad generandum, quae est actus primus matris quo ipsa est foecunda. Hoc igitur sensu Spiritus Sanctus dedit potentiam generativam Mariae, quia fuit causa principalis, et susceptivam dedit inquantum erat conceptura et paritura Verbum Dei. Nam sicut natura, ad quam ut ad formalem terminum erat ista generatio ordinata, tantum erat in potentia obedientiali, ut uniretur Verbo, ita illa Mater tantum habuit potentiam obedientialem, ut esset Mater

Verbi; per hoc enim erat Mater Verbi, quia Verbum subsistebat in natura illa sibi unita.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patet responsio ex dictis; quia [*Oxon.* ib. n. 10.] Spiritus Sanctus et Maria erant perfectius agens, quam fuissent ipsa et pater naturalis, et ideo illa media, quae fuissent sibi et patri naturali necessaria, non fuerunt Spiritui Sancto supplenti concursum patris naturalis pertranseunda.

AD SECUNDUM respondeo: [*Oxon.* ib. n. 11.] si per media illa a natura determinata ad generationem humanae prolis deventum esset ad terminum attingendum et producendum ab agente generante, utique tunc tale agens generans non attingeret terminum ratione mediorum, quia media tunc non sunt, nec actio habita circa ipsa media. Praecise igitur tunc produceret, quia habet virtutem activam respectu talis termini. Quandoquidem ergo Spiritus Sanctus potuerit fecisse, ut non oporteret transire per ista media ordinaria naturae, et vis activa matris fuerit eadem, seu transeundo, seu non per media, eadem virtute activa potuit aeque agere, (ut revera egisse existimandum est) in terminum, praetermissis mediis, ac si per illa successive pertransisset.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib. n. 13.] etsi virtus seminalis non maneret in instanti generationis, adhuc B. Virginem potuisse cooperari in terminum generatum, quia ipsa fuit immediate praesens, et habuit vim activam generativam respectu termini actionis. Et forte est ita in omnibus aliis Matribus: si enim ponatur in instanti generationis semen corrumpi, quia est pars materialis prolis, verius tamen agit quam pater, quia ipsa immediate in instanti generationis. Pater non ita, sed tantum in alteratione praevia per vim illam activam, quae fuit in semine ipsius.

QUAESTIO TRIGESIMATERTIA.

DE MODO ET ORDINE CONCEPTIONIS CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de modo, et ordine conceptionis Christi. *Et circa hoc quaeruntur quatuor.*

1. Utrum corpus Christi in primo instanti conceptionis fuerit formatum. - 2. Utrum in primo instanti conceptionis fuerit animatum. - 3. Utrum in primo instanti conceptionis fuerit a Verbo assumptum. - 4. Utrum conceptio illa fuerit naturalis, vel miraculosa.

ARTICULUS I.

UTRUM CORPUS CHRISTI FUERIT FORMATUM IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 3. — *Report. ib. d.* 2. *q.* 3. — *S. Thom.* 3 *p. q.* 33. *a.* 1.

VIDETUR corpus Christi non fuisse formatum in primo instanti conceptionis suae. Nam [*Oxon.* 3. d. 2. q. 3. n. 1.] corpus Christi, secundum

Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 2., *Fuit formatum ex purissimis sanguinibus B. Virginis:* sed corpus generatum et formatum est densius sanguinibus ex quibus coagulatur; ergo minorem occupat locum, et per consequens formationem illam necessario sequitur motus localis: motus autem localis non est in instanti, sed successive; ergo nec in primo instanti potuit esse formatum corpus illud.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Corpus organizatum est alterius figurae quam sanguis ex quo compactum est; igitur occupat alium locum ab illo, quem occupabat prius, et consequenter huiusmodi formatio seu organizatio requirit motum localem, qui non potest fieri in instanti.

3. PRAETEREA. Si corporis Christi formatio unico instanti peracta esset, B. Virgo nihil omnino agere potuisset in eius conceptione, ac proinde nec eius Mater dici deberet: sed ex dictis *q. anteced. art.* 4. B. Virgo active egit in conceptione corporis Christi; igitur corpus Christi non fuit formatum in primo instanti conceptionis. *Probatio minoris:* actio B. Virginis debuit necessario fuisse in tempore; ergo si formatum fuisset Christi corpus in instanti, B. Virgo praeventa esset in agendo, atque ita ipsa nihil efficere potuisset.

4. PRAETEREA. Christi corpus est etherogeneum habens multas formas substantiales specie diversas, ut caetera corpora humana: sed aliae foeminae non pollent vi activa inducendi omnes illas formas simul, cum potius una prius altera inducatur, iuxta varias earumdem formarum dispositiones; ergo neque B. Virgo potuit simul et in primo instanti omnes illas formas induxisse; opus ergo illi fuit tempore congruo, et per consequens Christi corpus non fuit formatum in primo instanti suae conceptionis.

CONTRA. Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 2.: *Non paulatim per additamenta expleta figura, sed uno contextu absoluta.* Vult igitur expresse corpus Christi in primo conceptionis instanti fuisse perfectissime formatum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 4.] Christi corpus in primo conceptionis instanti habuisse eamdem perfectissimam organizationem, quam possibiliter potuisset habere, si B. Virgo, ut aliae matres, sensim illud efformavisset una cum Spiritus Sancti virtute. Pro quo intelligendum, diversimode a diversis poni modum organizationis, et aliqui dicunt ipsam animam intellectivam esse qua formaliter corpus est organicum; alii vero putant ultimam inductionem formae disponentis ad animam intellectivam dare formaliter corpori organizationem; et alii demum opinantur esse transmutationem praecedentem istam ultimam inductionem formae organicae disponentis ad animam intellectivam. Utcumque autem intelligatur, necesse est ut ipsam corporis formationem praecedant duae transmutationes, videlicet, et motus localis, quo materia defertur ad locum convenientem generationi; et alteratio, qua materia in loco debito alteratur et disponitur ad formam corporis organici inducendam. Et secundum opinantes partes etherogeneas corporis organici differre specie, essent ponendae multae transmutationes, et generationes, quibus generarentur aliae, et aliae partes, vel formae substantiales quidditative distinctae, et quidem una prius altera, iuxta exigentiam earum formarum. — Sed etiamsi ita contingat in formatione aliorum corporum, [*Oxon.* ib. n. 5.] in conceptione tamen corporis Christi non

potuit esse, ut pars prius altera generaretur et formaretur, sed in eodem instanti omnes simul formatas fuisse ex eo constat, quia pars, quae assumebatur a Verbo, numquam praefuit in supposito corporis illius; igitur omnes in eodem instanti formabantur. — Verum neque [*Report.* 3. d. 3. q. 3. n. 2.] praecesserunt hanc formationem motus illi locales, qui interveniunt in aliis generationibus. Siquidem possibile est Deo in instanti facere, ut materia quae est in venis sit in loco generationis, et simul reddere eamdem sufficienter dispositam ad animam intellectivam; igitur Christi corpus in instanti suae conceptionis fuit perfectissime formatum.

Ad Argumenta. Ad primum et secundum patet ex dictis: quia [*Report.* ib. n. 5.] ista conceptio fuit miraculosa, et non fuerunt illi motus successive, ut in aliis conceptionibus, quae fiunt secundum ordinem naturalem, sed omnia peracta sunt in instanti reali.

Ad tertium responsum fuit *q. antec. art.* 4. Sed *rursus,* [*Oxon.* 3. d. 4. q. 1. n. 9.] nego B. Virginem non egisse in actione illa instantanea; cooperata est enim Spiritui Sancto, et quoad formam substantialem istius termini, et quantum ad *ubi,* et figuram corporis, licet subito inductas, quia habuit vim activam respectu omnium illorum, nec ei erant necessario pertranseunda aliqua media, cum altera concausa habuerit virtutem infinitam.

Ad quartum dico, B. Virginem simul egisse, atque virtute sua activa partiali attigisse inductionem omnium formarum specie diversarum corporis Christi. [*Oxon.* ib. n. 9.] Nam quando activa causa non habet terminum adaequatum potest simul agere respectu alterius termini inadaequati; ideo enim potest tantum unum simul, quia illud est terminus adaequatus ei causae activae; maxime autem potest simul in plura inadaequata, si contingat ea includi in primo sibi adaequato: atqui nulla forma partialis corporis organici est terminus adaequatus huic potentiae activae, sed magis forma totius corporis organici; cum igitur omnes illae formae partiales includantur in toto, quod est terminus adaequatus, in omnes illas simul potest, amotis per Spiritum Sanctum impedimentis, quibus praepediuntur aliae matres ne agant simul ad inductionem omnium partialium formarum corporis organici.

ARTICULUS II.

UTRUM CORPUS CHRISTI FUERIT ANIMATUM IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS.

Doct., Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 3. — *Report. ib. d.* 3. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 33. *a.* 2.

Videtur eius animatio non fuisse in primo instanti suae conceptionis. Quia [*Report.* 3. d. 3. q. 3. n. 1.] tunc corpus illud debuisset habere magnitudinem congruam animationi, qualem scilicet habent caetera puerorum corpora cum animantur, quod contingit, secundum Philosophum, post quadraginta sex dies; igitur si in primo instanti corpus Christi fuisset animatum, improportionabiliter ad caetera corpora humana auctum esset; igitur videtur animatum eo tempore, quo aliorum puerorum corpora animantur; quod et videtur sentire Augustinus, 4. *De Trinit.*, c. 5. exponens illud Ioannis, 2. *Quadraginta sex annis aedificatum est templum hoc,* di-

cens eum numerum convenire formationi corporis Christi, quia quadraginta diebus completur formatio corporis humani.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 3. n. 2.] Omnis substantia generabilis et corruptibilis, quae non creatur, producitur per mutationem: tota natura assumpta a Verbo est generabilis et corruptibilis, et non immediate creabatur, quia fuit ex sanguinibus; igitur producebatur per mutationem, et per consequens pars potentialis illius totius mutabatur ad formam eiusdem totius; igitur prius fuit sub mutatione opposita illi formae, et hoc prius tempore, quia opposita privativae non possunt simul tempore esse in eodem; prius igitur tempore erat corpus non animatum, quam animatum, et subinde non in primo instanti conceptionis fuit animatum.

CONTRA. Damascenus, [*Oxon.* ib.] *lib.* 3. *cap.* 2.: *Dei Filius construxit sibi ipsi ex castis et purissimis sanguinibus carnem animatam anima rationali ac intellectiva;* igitur in primo instanti conceptionis suae.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 5.] Christi corpus in primo instanti conceptionis suae fuisse animatum, idest formam illam, a qua corpus illud dicitur et est organizatum, quae nimirum immediate disponit ad animam intellectivam, non praecessisse tempore animationem corporis illius. Quia si corporis illius organizatio praecessisset tempore eius animationem; igitur B. Virgo non esset Mater illius hominis, nec Christi; consequens est falsum. Sed *probatur* sequela: quia tota actio eius fuisset completa prius duratione, quam esset homo; ergo non genuisset hominem. Tunc enim primo est homo cum anima corpus organicum informat; ergo si per aliquod tempus praeextitisset corpus illud organicum sine anima, B. Virgo dumtaxat genuisset corpus organicum et non hominem; oportet igitur in eodem durationis instanti fuisse corpus perfecte organizatum et animatum. Et non solum id est verum de generatione B. Virginis, sed de quacumque alia humana generatione, ob eamdem rationem, licet caetera corpora non formentur in instanti, sed successive et paulatim (1).

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Report.* 3. d. 3. q 3. n. 5.] corpora humana, quae formantur in utero foeminarum, habere quoad quantitatem, latitudinem, et statum ad maximum, et minimum ultra quos terminos non formantur. Corpus igitur Christi formatum, et animatum in primo instanti conceptionis suae non videtur habuisse eam quantitatem, quam habent pueri post quadragesimum sextum diem, sed minorem, aptam tamen animationi, quoniam nutriebatur usque ad quadragesimum sextum diem, et in illo die non excessit regulariter corpus aliorum puerorum. *Quod si dicatur,* in primo instanti corpus Christi habuisse iustam illam quantitatem, quam caeteri pueri post quadragesimum sextum diem, tunc oportuit corpus Christi in nativitate fuisse maximum respectu aliorum puerorum, quia per totum medium tempus nutriebatur, et tunc ipsius gestatio in utero B. Virginis fuit miraculosa, ut et eius conceptio.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* ib. n. 8.] mutationem posse accipi dupliciter, stricte scilicet, et communiter. Et *prior* quidem est inter privationem et formam eius; quando igitur forma producitur simul cum susceptivo non est proprie mutatio ad illam formam, cum susceptivum non fuerit

---

(1) Hanc sententiam sequutus est B. P. Franciscus *Oratione pro obtinenda paupertate, t.* 1. *Opusc.* dicens ad Dominum Salvatorem *quae* paupertas *scilicet tibi cum tanta fidelitate adhaesit, quod et in Matris utero inchoavit suum obsequium dum corpus animatum habuisti omnium minimum.* Vidèsis *Ann.* Wading. Idipsum docet Mag. 3. d. 3. cap. *illi autem.*

prius sub privatione, nec prius fuit aptum natum recipere formam, quam habuerit eam; non praecessit igitur in eo privatio formae. Etsi itaque prius natura corpus Christi fuerit organizatum, quam animatum, in illo tamen priori, ut non erat aptum natum habere formam, ita nec privationem formae, et per consequens nulla fuit ibi mutatio ad formam, licet fuerit ibi vera *passio* de genere passionis. Quamvis igitur totum non sit simul productum per creationem, non oportuit tamen ipsum habere formam per mutationem. Si vero accipiatur mutatio *communiter*, quatenus se extendit ad quamcumque inductionem, sive praecesserit privatio sive non, concedo, in ultimo instanti extitisse huiusmodi mutationem, sed non propterea formatio fuit prius tempore animatione, quia in primo signo naturae illius instantis temporis fuit organizatio, et in secundo signo naturae animatio, utrumque tamen factum est in eodem signo reali.

ARTICULUS III.

UTRUM CORPUS CHRISTI IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS FUERIT A VERBO ASSUMPTUM.

Doct., Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 3.—*Report. ib. d.* 3. *q.* 3.—*S. Thom.* 3. *p. q.* 33. *a.* 3.

VIDETUR corpus Christi non fuisse a Verbo assumptum in primo suae conceptionis instanti. Etenim [*Oxon.* 3. d. 2. q. 3. n. 6.] per hoc quod corpus illud a Verbo assumptum fuit referebatur per relationem dependentiae ad Verbum: sed omne quod ad aliud refertur est aliquid; excepta relatione, secundum Augustinum, 7. *De Trinit.*, c. 2. igitur est aliquid prius in se, et exinde relatione ad aliud relatum; ergo Christi corpus prius oportuit conceptum fuisse, et postea a Verbo assumptum, et per consequens non in primo suae conceptionis instanti assumebatur; sed in secundo, postquam nimirum conceptum fuit.

2. PRAETEREA. Corpus Christi debuit ante assumptionem fuisse animatum; [*Report.* 3. d. 3. q. 3. n. 3.] alioquin non esset assumptus homo; igitur homo extitit fundamentum talis assumptionis: atqui fundamentum est prius relatione; ergo prius fuit ille homo sub personalitate propria, quam sub aliena. Nam in illo priori, ut praecedens assumptionem, natus erat personari personalitate propria, et in illo priori nequiit assumi, nec assumebatur; ergo prius fuit corpus conceptum et animatum quam assumptum; adeoque non in primo instanti suae conceptionis.

CONTRA. [*Report.* ib. n. 1.] Damascenus, *lib.* 3. *cap* 2.: *Simul caro et Dei Verbi animata caro rationalis, et intellectiva.* Quo igitur instanti corpus fuit animatum, in eodem fuit et assumptum. Item Fulgentius, *De fide ad Petrum*, c. 18.: *Firmissime*, inquit, *tene, et nullatenus dubites; non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis priusquam susciperetur a Verbo; sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi Incarnatione conceptam.*

RESPONDEO dicendum, [*Report.* ib. n. 2.] corpus Christi in eodem instanti reali suae conceptionis, quo fuit formatum et animatum, in eodem quoque fuisse a Verbo assumptum, sic ut in ultimo instanti prolationis verborum Virginis, quibus assensum praebuit, fuit in eius utero Verbum incarnatum, quemadmodum in ultimo instanti prolationis verborum Sa-

cerdotis consecrantis est corpus Christi in altari. Quod et *probatur:* [*Oxon.* ib. n. 3.] quia si animatio corporis ipsius praecessisset duratione incarnationem, seu eius a Verbo assumptionem, igitur illa natura fuisset in se aliquando personata, et non in Verbo; corpus enim animatum, si in aliquo tempore est in se subsistens, persona est: hoc autem est plane falsum; quia si natura humana Christi fuisset in se aliquando personata, B. Virgo non extitisset vere Mater Dei, quia non Deum, sed hominem istum genuisset, cuius natura postea fuisset unita Deo. Et hoc patet, quia fuisset terminata tota ratio maternitatis B. Mariae in productione puri hominis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, [*Oxon.* ib. n. 6.] fundamentum istius assumptionis praecessisse natura Incarnationem. Fundamentum enim est prius natura relatione fundata in ipso, ut ait Augustinus *in praeallegata auctoritate.* Corpus autem Christi non extitit fundamentum assumptionis, sed natura totalis, idest corpus animatum anima intellectiva; adeoque ipsa entitas totalis praecessit incarnationem natura. Itaque corporis organizatio (in sententia non ponente animam intellectivam esse qua corpus est organicum et formatum, sed quid ipsam animam praecedens) est prior natura animatione, et animatio prior natura Incarnatione; sed haec omnia unico eodemque instanti reali durationis extitere, quod instans pluribus instantibus naturae aequivalere potest.

AD SECUNDUM dico, [*Report.* ib. n. 5.] revera prius fuisse naturam illam per se, quam assumptam; non tamen in se personatam. Per hoc enim quod intelligebatur prius natura in se, intelligebatur actu non dependere ad aliud; sed hoc non sufficit, ut ipsa proinde dicatur tunc personata, quia alioquin anima separata, non dependens actu ad corpus, esset persona, quod est plane falsum. Habuit igitur natura humana Christi in illo priori dependentiam habitualem: in illo autem priori ipsa non est nata personari personalitate propria, vel aliena; sed in sequenti signo, nisi assumpta fuisset a Verbo, esset personata in se, sed quia fuit praeventa, ne foret actu, et aptitudine in se independens, fuit personata in aliena persona. Et quidem in ipso eodem instanti, quo fuit corpus illud formatum et animatum, ut dictum est.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONCEPTIO CHRISTI FUERIT NATURALIS, VEL MIRACULOSA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib. q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 33. *a.* 4.

VIDETUR Christi conceptio fuisse naturalis. Nam [*Report.* 3. d. 4. q. 2. n. 2.] Christus fuit filius B. Virginis naturalis; ergo et B. Virgo est Mater ipsius naturaliter secundum carnem; si enim Christus est naturaliter filius B. Virginis; ergo B. Virgo extitit naturaliter Mater Christi. *Probatur assumptum:* filius dicit relationem realem ad matrem, cuius est filius, et a qua carnem assumpsit; sed ipse filius est genitus, vel conceptus secundum activam potentiam Matris, quae est illi naturalis, ut aliis foeminis; ergo est filius naturalis eius.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* Prolog. q. 1. n. 20.] Tunc actus respectu potentiae

est naturalis, cum naturaliter ad illum inclinatur: sed potentia generandi in Maria naturaliter inclinabatur ad productionem prolis; ergo proles ipsius est illi naturalis, etiamsi concursum praebuerit loco patris naturalis Spiritus Sanctus, vel effecerit quod fuisset facturus pater naturalis.

3. PRAETEREA. Ex dictis *q. antec.*, [*Report.* ib. n. 10. seqq.] B. Virgo per suam naturalem virtutem attigit terminum istius generationis, perinde ut aliae matres, etsi non indiguerit transire per media illa, quae necessario debent percurrere aliae foeminae in generatione filiorum: sed aliae foeminae non dicuntur matres prolium suarum naturaliter eo quod sensim et successive procedant ad attingendum terminum generationis, sed praecise quia influunt in ipsum terminum per virtutem naturalem earum; ergo cum idem omnino praestiterit B. Virgo, ipsa est naturaliter Mater Christi.

CONTRA. Anselmus, *De Concept. Virginali*, c. 11. *Quoniam ergo*, inquit, *propagatio viri de sola Virgine ita non est naturalis aut voluntaria, sed mirabilis, sicut illae, quae mulierem protulit de solo viro, et sicut creatio viri de limo palam est* etc. Comparat ergo Christi conceptionem productioni Adami de limo, et Evae de costa viri: sed hae non fuerunt naturales productiones, sed miraculosae; ergo et miraculosa extitit Christi conceptio.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 14.] Christi conceptionem fuisse naturalem quoad substantiam, sed supernaturalem et miraculosam quoad modum. Ex parte siquidem potentiae activae B. Virginis erat naturalis, sicut naturalis erat Mariae illa potentia, secundum quam fuit naturaliter foecunda, et potuisset concipere a patre naturali, et naturaliter agere ad productionem prolis. Propter igitur istam potentiam activam naturalem, qua operabatur, potest dici Mater Christi. Sed quia ea generatio peracta est modo inusitato, mirabili, et excedente vires totius naturae, iuxta hoc nequaquam potest dici naturalis; potentia enim illa activa B. Virginis naturaliter non erat reducibilis ad actum, nisi a causa activa determinata naturali, scilicet per vim activam patris naturalis, quae non potuisset in instanti illam potentiam activam matris reducere ad actum, sed successive tantum, et quidem determinato tempore, ut in eius potestate non fuerit alio modo, via, et ratione in generatione illa procedere. Conceptio autem Christi vel facta fuit in instanti, vel si successive generatus est, extitit nihilominus illa conceptio perfecta et completa adeo brevi tempore, quo fieri non potuisset per ullam virtutem naturalem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, Christum fuisse naturalem [*Report.* 3. d. 4. q. 2. n. 15.] filium Mariae, sed non naturaliter filius; adverbium enim *naturaliter* determinat verbum, et ita determinat modum agendi; ideo etsi dicatur recte Christus naturalis filius Mariae ex parte principii activi, a quo naturam humanam accepit, quia tamen ei principio activo non competebat modus ille agendi *naturaliter*, ideo dici non potest ipsam genuisse Christum naturaliter.

AD SECUNDUM respondeo per idem; [*Oxon.* 3. d. 4. n. 14.] quia etsi ut comparatur proles illa ad potentiam generativam B. Virginis dicenda sit naturalis, ob rationem quam tangit argumentum; nihilominus ut comparatur ad agens, est conceptus filius modo penitus supernaturali, quia tale agens non erat natum naturaliter imprimere eam formam in tali passo, sed solus pater naturalis fuisset tale agens, ut declaratum fuit.

Et per idem AD TERTIUM, [*Oxon.* ib.] quia probat solum Beatam Virginem fuisse Matrem Christi quoad substantiam naturaliter, non quoad modum.

QUAESTIO TRIGESIMAQUARTA.

DE PERFECTIONE PROLIS CONCEPTAE, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de perfectione prolis conceptae.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum in primo instanti conceptionis Christus fuerit sanctificatus per gratiam. - 2. Utrum in eodem instanti habuerit usum liberi arbitrii. - 3. Utrum in eodem instanti potuerit mereri. - 4. Utrum in eodem instanti fuerit plene comprehensor.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS FUERIT SANCTIFICATUS PER GRATIAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 34. *a.* 1.

VIDETUR Christus in primo instanti suae conceptionis non fuisse sanctificatus per gratiam. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3. n. 1.] Nam, 1. *Ad Corinth.*, c. 15. *Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale;* ergo oportuit primum Christum nasci corporaliter, et postea sanctificari per gratiam, vel saltem prius debuit concipi, et postea sanctificari, adeo ut non fuerit in primo prorsus conceptionis instanti sanctificatus.

2. PRAETEREA. Christus est fons gratiae, et causa meritoria omnium gratiarum, per quas sanctificantur membra eius, [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] quia *de plenitudine eius omnes accepimus,* Ioannis 1.; ergo ipse non est sanctificatus; nam alii sanctificati dicuntur, quatenus de gratia illius participant; ipse autem a nullo videtur accepisse.

3. PRAETEREA. Quoquot sanctificantur, utique a peccato sanctificantur gratia illis collata peccatum vel originale vel actuale expellente: sed in Christo nullum penitus fuit peccatum; ergo neque in primo nec in sequentibus suae conceptionis instantibus potuit sanctificari.

CONTRA. Ioann., 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis;* ergo cum in primo instanti fuerit Patris Unigenitus, in eodem instanti extitit gratiae plenus, adeoque sanctificatus.

RESPONDEO dicendum, Christum in primo suae conceptionis instanti fuisse sanctificatum per gratiam, et quidem summam, ut dictum est *q.* 7. Cum enim in primo instanti conceptionis corpus illud fuerit perfecte formatum et organizatum, ut patuit supra, *q. antec.* et in eodem instanti ei infusa anima rationalis et homo ille a Verbo Divino assumptus in unitate personae, consequenter in eodem instanti replebatur illa anima summa

gratia. Et hoc quidem patet ex illo Ioann., 1. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 12.] *Vidimus gloriam eius quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Ratio igitur et causa vel congruitas cur data sit ei gratia, et quidem omni ex parte plena, est quia homo ille erat Patris Unigenitus: sed si in primo instanti assumebatur a Verbo, in eodem erat Patris Unigenitus, idest ille homo erat Deus, et Deus homo; ergo in eodem signo homo ille Patris Unigenitus sanctificatus fuit per gratiam.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3.] gratiam sanctificantem, ut iniustitiam, respicere personam in se, non ut coniunctam vel divisam localiter respectu alterius personae. Cum itaque Christus in primo instanti suae conceptionis omnino extiterit persona distincta a Beatissima Matre eius, quia erat Unigenitus Patris, et filius primogenitus Matris, Creator, infinitus, et Deus, et B. Virgo creatura, finita, erat capax omnis sanctificationis, quam Trinitas decreverat conferre animae illi felicissimae; non opus ergo erat, ut nasceretur secundum corpus, nec expectare sequentia instantia, cum in primo reali signo durationis potuerit id fieri, et decuerit apprime factum esse, quia tunc constitutus fuit caput corporis Ecclesiae, in cuius membra erant deventuri influxus ab illo. Unde dicitur in Evangelio Ioannis, 3. *Non enim dat Deus spiritum ad mensuram.* Quia tantam sanctificationem et gratiam contulit Filio, quantam potuit creare.

Ad secundum respondeo [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] ex dictis; concedo enim non perinde sanctificatum fuisse Christum, ac alii sanctificantur; quia reliqui omnes Sancti accipiunt gratiam ad mensuram, et partem aliquam accipiunt de plenitudine illius. *Rursus,* sanctificatio aliorum Sanctorum est per merita Mediatoris, cuius intuitu Deus dat ipsis gratiam et gloriam; at Christi sanctificatio est ex sola liberalitate Dei.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 2. d. 1. q. 1.] terminum *a quo* mutationis non necessario esse aliquod positivum, sed sufficere privationem, iuxta Philosoph., 5. *Physicor.,* text. 7. Quamvis igitur in Christo nullum fuerit peccatum, extitit nihilominus anima illa capax gratiae sanctificantis, quatenus in primo signo naturae intelligebatur non habere gratiam, quae illi collata fuit in eodem instanti durationis, quo creabatur et corpori organico infundebatur et a Verbo natura illa humana assumpta fuit in unitatem personae.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS HABUERIT USUM LIBERI ARBITRII.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 7. — — 3. *d.* 18. *Report. ib. q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 34. *a.* 2.

Videtur Christus in primo suae conceptionis instanti non habuisse usum liberi arbitrii. Nam in eo instanti fuit sibi ostensum Dei voluntatem esse, ut passionem subiret et mortem; igitur vel potuit Deo praecipienti refragari, vel non potuit Si *primum;* igitur potuit peccare, quod fieri non potuisse dictum est supra, *q.* 15. *art.* 1. Si autem dissentire non potuit; igitur nec poterat uti libero arbitrio; et per consequens in primo instanti suae conceptionis non habuit usum liberi arbitrii.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 11. seqq.] Si habuisset usum liberi arbitrii in primo instanti suae conceptionis, in eodem potuisset mereri: sed videtur meritum tunc habere nequivisse. Et probatur; nam nemo meretur in eo, quod non est in sua potestate: passio Christi non erat in ipsius potestate, quia mortem esse sibi subeundam decreverat Deus; ergo necessario debuit eam dispensationem impleri, et sic non potuit exinde mereri.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 2.] Si voluntas in primo instanti habuisset actum, illum utique ipsa non praecessisset; ergo necessario talem actum elicuisset; ergo non esset talis actus ab libero arbitrio. *Probatio primae consequentiae: Omne, quod est quando est necesse est esse:* nam si illud quod est foret contingens, id non esset pro eodem instanti in quo est, sed pro illo in quo causa praecedens valeret illud contingenter causare; ergo pro primo instanti voluntas nequit habere usum liberi arbitrii.

CONTRA. [*Quodlib.*q. 16.n. 8] Augustinus, *Enchirid.*, c. 14.: *Voluntas aut voluntas non est, aut libera dicenda est:* in primo autem instanti conceptionis erat in Christo eadem voluntas, quae modo, et cum iisdem perfectionibus gratiae et gloriae; igitur habuit eumdem arbitrii usum, quem modo.

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 3. d. 18. q. 1. n. 3.] Christum habuisse perfectum usum liberi arbitrii in primo instanti suae conceptionis. Cum enim in eo instanti fuerit per gratiam sanctificatus, eius voluntas habuit actum primum perfectissimum, quia omnem perfectionem quam habitualiter habere poterat, et subinde etiam intellectus omnem habitum possibilem sibi inesse; igitur cum omnia ei praesto fuerint, et nullum impedimentum occurrere potuerit, in eodem instanti pollebat usu liberi arbitrii, libere scilicet volendi, quae scientia eius perfectissima sequenda dictabat, et nolendi ea, quae fugienda esse per scientiam infusam et beatam didicerat.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, Christi voluntatem non potuisse esse discordem a divina, nolendo suam passionem, et ideo peccare nequiisse, sed ex hoc haud posse inferri, ergo non habuit usum liberi arbitrii; liberum enim arbitrium, secundum Anselmum, *De libero arbitrio*, c. 10.: *Est potestas servandi rectitudinem propter se.* Quam [*Oxon.* 2. d. 7. n. 1.] potestatem perfectius habebat anima Christi non valens esse discordem a divina, quam habeant alii potentes peccare. Unde Anselmus, *ibidem* c. 1. [*Quodlib.* 16. n. 8.] *Liberior est ille, qui sic habet, quod decet, et expedit, ut hoc amittere nequeat, quam ille, qui sic habet hoc ipsum, ut possit perdere.* Unde et concludit: *liberior igitur est voluntas, quae a rectitudine declinare nequit.* Ex hoc igitur capite, quod Christi voluntas non poterat a divina discordare, potius adstruitur eius liberum arbitrium, quam concludatur sibi non infuisse.

AD SECUNDUM dico, voluntatem posse habere actum meritorium circa aliquod obiectum, quod non est in eius potestate, imo quod est necessarium, et impossibile aliter se habere; sicut amantes Deum amore amicitiae volumus sibi bonum, ut ipsum esse iustum, sapientem, et huiusmodi, quibus tamen perfectionibus Deus necessario pollet. Quamvis igitur non fuerit in potestate voluntatis humanae Christi impedire eius passionem, potuit tamen mereri complacendo sibi de illa passione, ipsamque acceptando propter bonum consequens ex ipsa, quia accepta fuit Deo.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 18. n. 17.] actum a voluntate Christi a primo instanti elicitum fuisse contingentem, et non necessarium, atque ita ab libero arbitrio processisse. Contingens enim numquam est formaliter contingens nisi quando est, ideo contingens quando est contingenter est in sensu divisionis. Voluntas ergo in primo instanti, ut prior natura suo actu, ita contingenter elicit actum suum, sicut si per diem praecessisset illum. Quapropter quemadmodum entia antequam sint quaedam sunt contingentia, et quaedam necessaria, sic etiam quando sunt quaedam sunt contingentia et quaedam necessario.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS MERERI POTUERIT.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 18. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 34. *a.* 3.

VIDETUR Christus haud potuisse mereri in primo instanti. Nam [*Oxon.* 3. d. 18. n. 2.] duae mutationes, quorum terminus unius praecedit terminum alterius, non sunt simul duratione: sed creatio voluntatis in *esse* primo, et motio voluntatis ad proprium actum sunt duae mutationes; esse enim voluntatis ut terminus creationis praesupponitur termino alterius mutationis, scilicet activi; igitur non potuit *esse* primo et simul operari, et per consequens non potuit mereri in primo instanti.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 3.] Si oportuisset mereri in primo instanti, Angelus pariter potuisset peccare in primo instanti: sed hoc est falsum; igitur et illud unde sequitur. *Probatur minor;* quia in primo instanti fuit in Angelo motus naturalis rectissimus, qui naturaliter praecedit velle liberum, cuiusmodi est peccare; igitur non potuit in primo instanti esse motus naturalis rectissimus, et velle deordinatum, quia tunc essent simul contradictoria, scilicet esset rectissimus, et non esset rectissimus. Peccatum praeterea Angeli tunc redundaret in Deum, quia omne coaevum effectui est causaliter a causa totali effectus; exemplum de igne, et eius splendore, uterque enim est a generante ignem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 11.] Ad actum meritorium requiritur deliberatio, et electio; actus enim meritorius est electivus, cum sit actus virtutis: sed electio praesupponit syllogismum practicum, et discursum; discursus vero peragitur necessario aliqua mora; ergo fieri nequit, ut in primo prorsus instanti Christus mereri potuerit.

4. PRAETEREA. Pro quocumque instanti, pro quo erat libertas in Christo ad merendum, sufficiens debuit quoque fuisse libertas ad non ponendos illos actus, et consequenter ad peccandum, alioquin necessario elicuisset actus meritorios, quod videtur contradictio: sed in primo instanti Christus carebat libertate ad peccandum pro illo instanti; ergo nec habuit libertatem ad meritum sufficientem. *Minor patet;* quia in illo instanti Christus fuit repletus gratia habituali sanctificante, cum qua est incompossibile peccatum.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 3.] Ad merendum necessaria sunt potentia potens mereri, praesentia obiecti apprehensi, et usus potentiae circa illud: omnia haec fuerunt in Christo in primo instanti; igitur in eodem potuit mereri.

RESPONDEO dicendum, Christum potuisse mereri, et de facto meruisse in primo instanti. *Declaratur;* [*Oxon.* ib. n. 11.] nam omne habens esse primum perfectum, et obiectum approximatum, et non impeditur, et actus eius est permanens, et non successivus, potest agere pro quocumque instanti; quia quae sufficiunt ad actum in uno instanti sufficiunt pro quocumque: sed omnia haec fuerunt in primo instanti conceptionis in Christo, quia potentia perfecta, obiectum ostensum per intellectum, scilicet tota Trinitas, cui poterat velle bonum propter se, et nullum impedimentum, et actus volendi est permanens, quia actus beatificus est stans; ergo sicut poterat mereri pro instantibus sequentibus, ita et pro primo.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 17.] verum esse *assumptum,* si una mutationum praecedat alteram tempore; falsum si tantum natura, quia tunc sunt simul duratione, sicuti est in proposito; quia terminus secundae mutationis tantum est posterior natura termino prioris mutationis.

AD SECUNDUM, [*Oxon.* ib. n. 18. et 20.] concedo, Angelum potuisse peccare in primo instanti, cum in eo fuerint omnia requisita ad peccandum, sicuti in instantibus sequentibus. — *Et cum arguitur contra;* quia tunc fuit in ipso motus naturalis rectissimus; dico, si hoc concluderet, probaret quoque non potuisse peccare neque in instantibus sequentibus, quia erat idem motus naturalis, et prior actu elicito. *Respondeo igitur,* motum illum naturalem non esse aliquem actum elicitum, sed inclinationem naturalem voluntatis in bonum, quae inclinatio est ipsamet voluntas, et perseverat eadem in Angelis malis, in quibus sunt naturalia integra; sicuti ergo stante ea inclinatione potuerunt peccare in instantibus sequentibus, ita et in primo. — *Et cum probatur* praeterea, sequi ex eo, ut redundaret peccatum in Deum; [*Oxon.* ib. n. 18.] *negat hoc* Augustinus, 11. *De Civit.,* c. 13. dicens: *Qui sentiunt malum Angelum peccasse a principio, non ex hoc sentiunt cum Manichaeis ponentibus unum Deum malum.* Igitur iuxta hoc non attribueretur peccatum eorum Deo. — *Et cum probatur* quia omne coaevum effectui, etc.; *respondeo,* id verum esse de positivis: peccatum autem est privatio boni, quod deberet inesse actui, et non inest, ideo est a causa proxima, non a remota, quae semper daret eam bonitatem quantum est ex parte sui, ni secunda causa deficeret. Vel nego absolute illam propositionem; quia si Deus, vel creatura produceret solam substantiam ignis, ipsa in eodem instanti temporis in quo esset, produceret in se quantitatem, et calorem. At de hac *quaestione* actum est *in prima parte.*

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 11.] discursus et syllogizatio practica est necessaria ut habeatur actus electivus voluntatis, quatenus facto iudicio per cognitionem practicam, voluntas eligat quod fuerit conclusum esse eligendum. Quando igitur voluntas eligit, ratio practica non discurrit, sed iam discursus praecessit electionem. Si ergo sententia ultimate practica possit haberi sine discursu praecedente ita perfecte sicut per discursum, poterit voluntas libere eligere in instanti, sicut praecedente discursu; perfectus enim in cognoscendo non discurrit, sicut artifex in citharizando perfectus non discurrit in percutiendo chordas, nec syllogizat, alias esset imperfectus, ut habetur 2. *Physicor.,* text. com. 36. Cum itaque Christus a principio suae conceptionis fuerit perfectus in

cognitione omnium, saltem abstractiva, potuit sine tali syllogizatione eligere, et mereri, ut fecisset cum syllogizatione; electio enim de se est actus simplex.

AD QUARTUM dico, *minorem* esse falsam; et si enim vere in illo instanti fuerit gratia in Christo, quae de facto est incompossibilis cum peccato, nihilominus si pro illo instanti quo fuit gratia ipse peccasset, (habuisset enim potentiam ad peccandum non obstante unione hypostatica dictum est *art. incid.* 2. *q.* 15. *ad art.* 1.) non infuisset tunc gratia; [*Oxon.* 1. d. 39. n. 22.] sicut enim in instanti, quo quis habet nolitionem simpliciter non determinabatur, ita Christi voluntas pro omni instanti, pro quo habet gratiam, potest peccare, non quia possit simul cum gratia ponere peccatum, sed quia quando posita est gratia, voluntas poterat peccare, nec peccans haberet gratiam, aut quid ex gratia consequens.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS FUERIT PERFECTUS COMPRAEHENSOR IN PRIMO INSTANTI SUAE CONCEPTIONIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 18. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 34. *a.* 4.

VIDETUR Christus in primo instanti suae conceptionis perfectus compraehensor minime esse potuisse. Etenim [*Oxon.* 3. d. 18. n. 4.] in primo suae conceptionis instanti potuit mereri, *ex art. anteced.* et si potuit mereri profecto existimandum est meruisse; ergo in eodem instanti nequiit gloria compraehensoris potiri; verum si extitit compraehensor id in sequenti instanti oportuit evenisse. *Probatio consequentiae,* meritum semper praecedit praemium: status autem compraehensoris est corona et praemium praecedentium meritorum, quia melior omnibus, quae sunt ad ipsum, ut ad finem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Christus eatenus meruit, quatenus fuit viator, et passibilis secundum partem sensitivam, et portionem inferiorem voluntatis: sed hoc ipso non potuit fuisse perfectus compraehensor, dum erat in via; quia rationi perfecti compraehensoris repugnat passibilitas, tristitia, et moeror; ergo cum Christus fuerit obnoxius his passionibus, non extitit perfectus compraehensor in primo suae conceptionis instanti, quia ad ipsum pertinere nequivisset aliqua passibilitas.

CONTRA. Iuxta solutionem *q.* 19. *art.* 2. *iterum repetito,* Christus per suam humanam actionem, ut non potuit meruisse Incarnationem, ita nec fruitionem Divinae essentiae; ergo semper fuit perfectissime beatus et compraehensor, adeoque in primo instanti.

RESPONDEO dicendum, in primo instanti suae conceptionis Christum fuisse perfectissime compraehensorem et beatum; in primo enim instanti conceptionis suae natura illa humana assumebatur in unitatem personae a Filio Dei, [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 10. 14. et 17.] et dabatur ei summa gratia possibilis, quanta scilicet decebat Unigenitum Patris, cui Deus dedit Spiritum non ad mensuram, sicut aliis dat ad mensuram qui omnes de eius plenitudine accipiunt, et secundum eam plenitudinem gratiae habuit in primo instanti actus perfectissimos circa Deum; igitur fruebatur Deo, eratque beatus et compraehensor. *Probatio consequentiae:*

si enim habuit gratiam non ad mensuram, et caeteri omnes secundum determinatam portionem, prout ab illo, et per illum magis et minus de ea accipiunt; igitur Christus in eo instanti habuit maiorem gratiam, quam omnes Sancti simul, et consequenter actum ei correspondentem: si autem iste actus dilectionis Dei non fuisset actus beatificus et compraehensoris, non extitisset perfectissimus, nec elicitus a voluntate habente omnem possibilem gratiam, sed fuisset multum deficiens ab actu perfectissimo, sicuti sunt actus dilectionis divinae aliorum viatorum secundum proportionem gratiae, quam acceperunt. Et ideo sicut anima Christi non potuit sibi mereri gratiae plenitudinem, ita nec fruitionem, quia fruitio haec est actus immediate productus, et descendens ab illa plenitudine gratiarum, et tendens in obiectum perfectissimum, nempe divinam essentiam clare visam; igitur oportuisset esse meritorium sui, quod omnino fieri non potest. Quae omnia intelligenda sunt de congruo, et non quasi aliter accidere nequivisset. Etenim absque ulla contradictione illa anima potuit esse hypostatice unita Deo, et repleri summa gratia, nec tamen frui Divina Essentia ut supra declaratum fuit *art.* 2. *incid. ad art.* 1. *q.* 15.

De *facto* tamen ita factum esse, hoc est in primo instanti suae conceptionis Christum compraehensorem extitisse, convenientissimum fuit, non tantum quia ille homo est Filius Dei, ac proinde ut sibi personaliter unitum decebat statim admitti ad possessionem paternae haereditatis, a qua vi generationis aeternae, et temporalis, ut dictum fuit, *q.* 23. *art.* 4. numquam fuit extraneus, sed etiam quia quemadmodum Deus creaverat in *esse* naturae aliquam speciem, ut angelicam, ad quam creandam, non potuit cooperatam fuisse causam secundam ob talis naturae perfectionem, ita in genere moris creare voluit aliquem actum beatificum ad quem non posse esset aliquis actus meritorius prior, et talis fuit actus beatificus animae Christi, et hoc ob nobilitatem et excellentiam actus, et modum habendi illum, quia infuit animae illi beatissimae priusquam haberet aliquem actum nec circa finem, nec circa ea, quae sunt ad finem.

Ad Argumenta. Ad primum manifestum est ex dictis, supponi in eo falsum, scilicet aliquod meritum praecessisse fruitionem divinae essentiae in anima Christi. Etenim nullum intervenit hic meritum, neque proprium, neque alienum; sed sola liberalissima Dei voluntas. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 11.] Unde, 13. *De Trinit.*, c. 18. ait Augustinus: *In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae iunctus est Deo.* Summa nimirum condescensio voluntatis divinae, quae fuit principium assumptionis, tametsi eam assumptionem, ut congruebat sequuta sit etiam summa gratia habitualis sanctificans, et gloria consumata, et haec omnia quodvis Christi meritum praecesserunt, quamvis exinde ipse sibi meruerit impassibilitatem animae et corporis, uti declaratum fuit *q.* 19. *art.* 3. *tertio item repetito.*

Ad secundum dico, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 34. seqq.] nihil detractum fuisse de gloria et de gaudio inde consequenti, per hoc, quod Christus fuerit secundum partem sensitivam, et inferiorem portionem voluntatis passibilis, et obnoxius tristitiae et dolori, quia ab alio, et ab alio obiecto diversae illae affectiones oriebantur; gaudium nimirum et gloria ab obiecto beatifico, tristitia et moeror ab morte et passione imminentibus. Et quamvis gaudium et gloria fuerit plane maxima, non excludebat tamen tristi-

tiam, et passibilitatem inferioris portionis, quia gloria et delectatio non permittebatur eousque redundare per specialem Dei dispensationem et miraculum; extitit proinde Christus a primo instanti suae conceptionis perfectissimus compraehensor, et interim etiam viator.

QUAESTIO TRIGESIMAQUINTA.

DE NATIVITATE CHRISTI, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Consequenter post Christi conceptionem agendum est de eius nativitate. Et *primo,* quantum ad ipsam nativitatem: *secundo,* quantum ad nativitatis manifestationem.

Circa primum quaeruntur octo.

1. Utrum nativitas sit naturae, vel personae. - 2. Utrum Christo sit attribuenda alia nativitas praeter aeternam. - 3. Utrum secundum nativitatem temporalem Beata Virgo sit Mater eius. - 4. Utrum debeat dici Mater Dei. - 5. Utrum Christus secundum duas filiationes sit filius Dei Patris, et Virginis Matris. - 6. De modo nativitatis. - 7. De loco. - 8. De tempore nativitatis.

ARTICULUS I.

UTRUM NATIVITAS SIT NATURAE, VEL PERSONAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 8. *q.* ult. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 35. *a.* 1.

VIDETUR nativitas esse personae, et non naturae. Nam [*Report.* 3. d. 8. q. 2. n. 3.] filiatio est per se suppositi, et non naturae; non dicitur enim natura genita et nata, sed suppositum filii genitum et natum; ergo nativitas non est attribuenda naturae, sed personae, quae proprie generatur et nascitur.

2. PRAETEREA. [*Report.* ib. n. 4.] Si nativitas naturae, et non supposito attribuenda foret, natura diceretur filia, et non suppositum: hoc autem est falsum, quia nemo vocat naturam repertam in supposito filiam, sed magis ipsum suppositum natum.

3. PRAETEREA. Nasci est quoddam generari: sed quod generatur non est natura, sed suppositum; sicut enim generatur aliquid ad hoc, quod sit, ita nascitur aliquid ad hoc, quod sit: *esse* autem proprie est rei subsistentis; nam forma quae non subsistit dicitur esse solum, quia ea aliquid est; igitur nativitas attribuenda est supposito tamquam subiecto, licet ut termino etiam formae attribuatur.

CONTRA. Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 7. *Duas Christi nativitates veneramur, unam aeternam, alteram temporalem:* sed per nativitatem temporalem non est natum suppositum temporale, sed homo sine personalitate; igitur nativitas haec temporalis terminabatur ad humanam naturam.

RESPONDEO dicendum, [*Report.* ib. n. 10.] nativitatem esse naturae, et non personae, seu filiationem fundari in natura simili naturae gene-

rantis naturaliter. Etenim nativitas, vel filiatio, *est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali;* sicut enim paternitas est habitudo producentis, ita filiatio est habitudo producti; et quidem *naturaliter,* et propterea Spiritus Sanctus non est filius. *Similis producenti,* et ideo vermis non est filius solis. *In natura intellectuali,* ob quam conditionem ignis non est filius alterius ignis, nec planta plantae, nec bos bovis. Etsi omnino contendas vitulum esse filium bovis, tunc filiatio *est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali vel sensitiva.* Porro ea in descriptione nihil per se et primo respicit suppositum, nisi ratione productionis passivae, quia omnia alia addita respiciunt naturam vel in producente, vel in producto, vel in utroque. Filiatio ergo ratione nullius magis determinat sibi, ut sit suppositi, quam generatio passiva: sed generatio passiva plurificatur ad plurificationem ipsarum naturarum actualiter existentium, atque per ipsas generationes acceptarum, ut patet ex Damasceno *citato;* ergo ipsae nativitates et filiationes plurificantur ad plurificationem naturarum acceptarum per generationes, et consequenter nativitas est naturae, et non suppositi. Sed de hoc iterum redibit sermo infra, *art.* 5.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Report.* 3. d. 8. q. 2. n. 4.] cum dicitur: filiatio est suppositi, et non naturae; aut intelligitur esse suppositi mediante natura, et fundamento, aut non mediante fundamento. Et secundo modo, propositio est plane falsa; at primo modo intellecta est vera. Sed interim suppositum non est simile producenti, nisi media natura, quam habuit per generationem, et in ista filiatio fundatur, qua deinde totum denominatur filius. Quia igitur Filius habet esse simile Patri per naturam suam, nativitas primo erit naturae, et non suppositi.

Ad secundum, cum dicitur, [*Report.* ib.] natura non potest esse filia, *concedo;* sed ex hoc non sequitur filiationem inesse supposito sine fundamento; quamquam enim relatio non denominet fundamentum, sed suppositum, huic tamen non inest sine fundamento; habitudo igitur nativitatis et filiationis immediatius est in natura ut in fundamento, quam in supposito.

Ad tertium respondeo, cum generationes passivae plurificentur ad plurificationem naturarum actu in supposito existentium et acceptarum per diversas et proprias generationes, tametsi deinde non ipsae naturae natae, vel genitae dicantur, sed magis supposita in quibus subsistunt; fieri non posse, ut in ipsis suppositis generationes subiectatae reperiantur, sed potius in naturis realiter existentibus. *Dico ergo ad argumentum,* suppositum esse quod generatur, et nascitur denominative, ac propterea appellandum fore terminum generationis; naturam vero existentem esse subiectum, in quo ipsa passiva generatio reperitur.

ARTICULUS II.

UTRUM ATTRIBUENDA SIT CHRISTO ALIQUA NATIVITAS TEMPORALIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 8. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 35. *a.* 2.

Videtur non esse Christo attribuenda aliqua nativitas temporalis. [*Oxon.* 3. d. 8. n. 1.] Quia tunc ultra filiationem realem aeternam ad

Patrem ob aeternam nativitatem, esset in eo aliqua alia filiatio temporalis ob nativitatem temporalem; ergo quoniam filiatio constituit filium, si Christus haberet duas filiationes propter duas nativitates, ipse esset duo filii, quod est falsum.

2. PRAETEREA. *Ex art. anteced.* [*Oxon.* ib. n. 10.] filiatio, vel nativitas est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali: sed quod nascitur in natura intellectuali est persona; ergo cum in Christo sit unica tantum persona, et unica pariter in ipso erit nativitas.

3. PRAETEREA. Non videtur haec concedenda, *Christus est bis natus:* sed si ultra nativitatem aeternam esset illi attribuenda etiam nativitas temporalis, bis natus esset per duplicem nativitatem; ergo unicam tantum nativitatem habuit Christus.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 3.] Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 7.: *Duas,* inquit, *Christi generationes veneramur;* ergo sunt revera in ipso duae nativitates.

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 3. d. 8. q. 2. n. 8.] debere nos attribuere Christo ultra aeternam, etiam temporalem nativitatem; cum enim, ut recta fides docet, sint in Christo duae naturae impermixtae, divina scilicet et humana, et divinam acceperit ab omni aeternitate a Patre, humanam vero in novissimis temporibus a Matre, in qua et per quam opus nostrae redemptionis perficeret, ut est genitus Deus aeternus de Deo, ita est homo natus in tempore de Virgine Matre; est ergo in eo aeterna, et temporalis pariter nativitas. Quod et diserte scribit Damascenus *loco citato,* dicens: *Natus est in novissimis temporibus propter nos, secundum nos, et super nos. Propter nos quidem, quia propter nostram salutem. Secundum nos, quia factus est homo ex muliere et tempore partus. Super nos autem, quia non ex semine, sed de Spiritu Sancto, et ex Sancta Virgine super partus leges.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, [*Oxon.* ib. n. 18.] filium filiatione esse filium, sicut pater paternitate est pater; sed ex hoc non sequi ad plurificationem filiationum plurificari et filios. Cuius rei ratio est, quia concreta non plurificantur, nisi pariter plurificentur tam formae, quam supposita; sola enim plurificatio formae non sufficit, praesertim ubi plures formae sunt eiusdem rationis, sive eodem nomine expressae, ut duae scientiae; igitur duo scientes. Nec ex hoc, quod Christus habeat duas volitiones, est duo volentes; ita est et de filiationibus.

AD SECUNDUM patet ex dictis *art. praec.* Nam filiatio idem [*Oxon.* ib. n. 10.] est ac generatio passiva: generatio autem passiva manifeste plurificatur ad plurificationem ipsarum naturarum per ipsas generationes acceptarum; adeoque non plurificato supposito, optime sibi inesse queunt plures nativitates si habeat plures naturas, ut in supposito Verbi evenit, in quo est natura divina et humana.

AD TERTIUM concedo, Christum esse bis natum, aeternaliter a Patre, et in tempore de Matre Virgine, ut dictum fuit.

ARTICULUS III.

UTRUM SECUNDUM TEMPORALEM CHRISTI NATIVITATEM B. VIRGO POSSIT DICI MATER EIUS.

Doct., Oxon. 3. *d.* 8. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 35. *a.* 3.

VIDETUR B. Virgo haud recte dici posse Mater Christi. Nam [*Oxon.*3. d. 4. q. 1. n. 1.] hoc censuit Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 10.: *Genitricem Christi,* inquiens, *nequaquam dicimus B. Virginem;* ergo B. Virgo non est appellanda Christi Mater.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Si B. Virgo dici posset Mater Christi, maxime quia in formatione corporis eius materiam, idest sanguinem subministravit: sed si propterea ipsa Mater Christi esset, etiam Adam esset mater Evae, et limus esset mater Adam, quia Eva ex costa Adae, et Adam ex limo factus est, ut ex materia; igitur cum nec Adam sit mater Evae, nec limus Adae, nec B. Virgo videtur vocanda Mater Christi.

3. PRAETEREA. Eatenus B. Virgo dici posset Mater Christi, secundum temporalem nativitatem ipsius, quatenus Christus ad illam relatione reali filiationis refertur: sed Christus non refertur reali relatione ad B. Virginem; ergo ipsa non est dicenda Mater Christi. *Probatio minoris:* quia in Christo non est nisi unica relatio filiationis aeternae.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Lucae, 1. habetur dixisse Angelum ad Mariam *Concipies in utero, et paries filium:* si autem filium peperit, profecto Mater eius filii est.

RESPONDEO dicendum, B. Virginem esse, et dici debere Matrem Christi. Ex dictis enim *art.* 1. [*Oxon.* ib. n. 10.] *Filiatio est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali.* Sed Christus secundum naturam humanam dicit hanc habitudinem filiationis ad Matrem, quia ab ea naturali virtute productus, etsi modo mirabili et supernaturali, atque similis est illi in natura intellectuali; ergo vere est filius eius, ipsaque proinde vere et recte Mater Christi appellanda est. — *Denique,* [*Oxon.* 3. d. 8. n. 11.] si B. Virgo Maria genuisset purum hominem, vere Mater eius extitisset, et genitus pari veritate et proprietate filius diceretur relatione reali filiationis: sed perinde se habuit in ista generatione, quam viribus propriis, licet Spiritus Sancti virtute elevatis, attigit, ac si purum hominem genuisset; nec Christus ut homo minus naturam ab ipsa assumpsit, quam purus homo accepisset; ergo eodem modo est nunc Mater Christi sicut esset, si purum hominem genuisset.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 3. d. 4. n. 16.] Damascenum non negare B. Virginem absolute esse Matrem Christi, sed tantum ad Nestorii mentem, qui ex illo vocabulo concludere intendebat B. Virginem non esse appellandam Matrem Dei, ponendo ipsam peperisse purum hominem; unde ita scribit: *Christiparam autem nequaquam dicimus B. Virginem, quia ad renuendum vocabulum Theotocos, idest, Deipara, et Dei Genitrix, scelestus, et odibilis, et cum Iudaeis sapiens Nestorius adinvenit.* Non igitur negavit B. Mariam esse Matrem Christi, sed dumtaxat noluit communicare in sermone cum haeretico Nestorio, qui sub illo vocabulo occultabat ac propinare satagebat venenum suum.

AD SECUNDUM patet *ex solutione,* qualiter nec Adam est mater Evae, nec limus Adae. Sed tamen non sequitur idipsum de B. Virgine, quia ipsa et materiam ministravit, et active se habuit in generatione prolis, quam similem sibi in natura intellectuali peperit, et ideo ut Christus est vere filius eius, ita et ipsa vere mater.

AD TERTIUM dico, *minorem* esse falsam. Et cum *probatur;* quia unica est relatio aeterna filiationis in Christo [*Report.* 3. d. 8. n. 8.]; *respondeo,* esse quoque in ipso relationem realem filiationis temporalis ratione naturae humanae acceptae de B. Virgine. Nam sicut Paternitas aeterna, si Pater carnem assumpsisset, nequiret esse ratio, qua Pater diceretur filius temporalis, ita nec filiatio aeterna potest esse ratio, qua filius dicatur incarnatus, et genitus in tempore. Debet proinde habere hanc novam appellationem a nova forma reali naturae humanae inexistenti, et ad Matrem terminata. Quod autem [*Oxon.* ib. n. 11.] debeat ea forma relativa esse realis, ex eo constat, quia consequitur extrema ex natura extremorum sine actu intellectus; posita enim matre generante et supposito habente naturam per generationem, ex natura talium extremorum, sine ullo actu intellectus, sequitur in supposito filiatio, et in alio extremo maternitas.

ARTICULUS IV.

UTRUM BEATA VIRGO DEBEAT DICI MATER DEI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 2. *q.* 3. — *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 35. *a.* 4.

VIDETUR B. Virgo dici non debere Mater Dei. Si enim extitisset Mater Dei, fuisset Mater Patris et Spiritus Sancti, et non tantum Filii: sed hoc est falsum nec omnino admittendum; ergo non videtur appellanda Mater Dei. *Probatur sequela:* nam Deus praedicatur ex aequo de tribus Personis Divinis; ergo non potest esse Mater Filii, quin simul sit Patris et Spiritus Sancti Mater, si admittatur esse Mater Dei.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 4. n. 1.] B. Virgo est Mater Christi, quia Christus quatenus homo carnem sumpsit de illa secundum quam in tempore natus est; ergo si foret dicenda Mater Dei, oporteret secundum Divinitatem pariter natum esse de eadem: sed Christus secundum Deitatem natus est aeternaliter a Patre, sic ut nesciat quodvis aliud principium; ergo ipsa nec potest, nec dici debet Mater Dei.

3. PRAETEREA. In Divina Scriptura numquam legitur B. Mariam esse Matrem Dei, sed solum esse Matrem Christi et Matrem hominis; unde Salvator frequenter se appellat filium hominis, scilicet Virginis Matris: non videtur autem asserendum de hoc sublimi misterio, nisi quod in Scriptura revelatum est; ergo B. Virgo non est dicenda Mater Dei.

CONTRA. Lucae, 1. [*Oxon.* ib.] *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum:* Iesus autem est Christus Dominus verus Deus, et homo; ergo est Mater Dei.

RESPONDEO dicendum, certum esse B. Virginem esse et dici debere Matrem Dei, prout determinat Damascenus *contra Nestorium,* lib. 3. cap. 12. [*Oxon.* ib. n. 2.] *Deiparam,* dicens, *Dei genitricem, Deique pa-*

rentem et proprie et vere sanctam Virginem celebramus: nam ut verus Deus est qui ex ipsa natus est, ita vera Dei Genitrix, verum Deum ex ipsa incarnatum genuit. Et paucis interiectis: *Non enim,* inquit, *hominem nudum genuit Sancta Virgo, sed Deum verum, non nudum sed incarnatum.* Quibus innuit hanc rationem: quod generatur hypostasis est: [*Oxon.* 3. d. 2. q. 3. n. 3. — *Report.* ib. d. 3. q. 3. n. 2.] sed B. Virgo non generavit suppositum humanum, idest, eius actio generativa prius duratione non fuit expleta per hoc, quod terminabatur ad naturam illam humanam singularem, quia tunc habuisset propriam personalitatem, cum pro aliquo instanti durationis in se, et per se subsistens fuisset; igitur quandoquidem natura humana a Verbo assumpta numquam habuit creatam personalitatem, priusquam actio B. Mariae terminaretur assumpta fuit natura humana a Verbo, ut verissime in eodem instanti durationis simul fuit unitum naturae humanae, et ipsa natura humana terminabat activam generationem Mariae. Quemadmodum ergo vere B. Virgo genuit hominem animatum, etsi anima illa immediate a Deo producta sit, quia in eodem durationis instanti anima corpus organizatum informabat, et B. Virgo in ipsum habebat actionem generativam, ita Deum genuit, ac vere Mater Dei extitit.

Ad Argumenta. Ad primum nego sequelam; ad cuius *probationem* dico, hoc praedicatum *Deus* dici utique ex aequo de tribus Personis; non tamen de tribus Personis dici, quod sint genitae, aut B. Virginem esse Matrem omnium trium, cum sit solius Filii carnem eius in utero assumentis; et rationem huius esse, quia haec propositio, *Deus est homo,* non est primo vera, sicuti est ista, *homo est animal.* Est igitur illa propositio vera virtute alterius propositionis, nempe huius, *Verbum est homo,* quia solum Verbum carnem assumpsit. Quoniam igitur non est illa primo vera, non poterit dici et praedicari vere de omnibus de quibus dicitur Deus, nisi pariter dicatur illud, cui convenit primo esse homo: quia autem Verbum non dicitur de Patre et Spiritu Sancto, neque de his poterit dici *homo,* aut filius hominis, nec per consequens B. Virgo erit Mater Patris, vel Spiritus Sancti, sed solius Filii, ut dictum est.

Ad secundum respondeo: [*Oxon.* 3. d. 4. n. 7. et 9.] quemadmodum B. Virgo, et quaevis alia mulier generans filium vere et proprie dicuntur matres hominis, licet animam, qua constituitur homo, non generent, nec producant, ita etsi Beatae Virginis activitas attingere non potuerit Deitatem, proprie tamen et vere est dicenda Mater Dei, quia priusquam eius actio generativa expleta esset, Deus assumpsit hominem illum; ideoque quoniam qui genitus fuit erat verus Deus et homo, ea quae generavit Mater Dei extitit et hominis.

Ad tertium patet *ex dictis.* Quamvis enim Scriptura non dicat Beatam Virginem esse Matrem Dei, testimonium tamen perhibendo ipsam esse Matrem Christi, subinde et Matrem Dei appellat, cum Christus sit verus Deus, ut testatur Ioann. *in Evangelio,* cap. 1. dicens: *Verbum caro factum est, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

ARTICULUS V.

UTRUM IN CHRISTO SINT DUAE FILIATIONES.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 8. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 35. *art.* 5.

VIDETUR non esse ponendas in Christo duas reales filiationes. Nam [*Oxon.* 3. d. 8. n. 3.] filiatio est per se suppositi, non autem naturae; siquidem non natura, sed suppositum habens naturam dicitur et est filius: sed in Christo non est nisi unicum suppositum incarnatum; ergo unica realis filiatio.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] In tantum esset ponenda in Christo aliqua filiatio realis ad Matrem, in quantum aliter non possemus salvare ipsum esse filium eius: sed hoc est falsum. Et *probatur;* quia sicut Deus est Dominus realiter creaturae, licet relatio dominii non sit in eo realis, sed rationis, ita B. Virgo potest esse realiter Mater Christi sine relatione reali, ponendo tantum relationem rationis, quatenus in Christo cointelligitur terminari maternitas realis ad ipsum, absque eo quod ponatur, ullam relationem realem correspondere maternitati in Christo, sicut nec ponitur in Deo per terminationem relationis realis in creatura repertae.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si Christi ad Matrem esset relatio realis; igitur ipse esset realiter aequalis Matri secundum naturam humanam: consequens est falsum, quia aequalitas fundatur super unitatem unionis; sed ibi non est realis unitas unionis ad Matrem, sicut patet discurrendo per omnes uniones reales; igitur non est in Christo relatio realis ad Matrem.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Non est filiatio Christi ad Matrem nisi propter relationem realem, qua referebatur ad Matrem: istam relationem non habuit in morte, quia nec erat illa unio animae ad corpus, ob quam resultabat natura humana; ergo tunc non inerat filiatio. Aut ergo in resurrectione illam habuit, quod non videtur verum, quia fuit resurrectio alia acceptio illius *esse,* quam generatio, et ita aliud *esse* acceptum, ut non praesetulit eam in resurrectione, et consequenter non esset modo filius Mariae, ut ante mortem.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Si Pater esset incarnatus fuisset filius: non filiatione aeterna; ergo temporali: sed proprietas aeterna filii ita abstrahit ab omni creatura, ut termino sicut proprietas Patris; ergo per filiationem aeternam Christus non habuit respectum ad Matrem ut per ipsam dicatur eius filius; ergo est filius per filiationem temporalem.

RESPONDEO dicendum, esse in Christo aeternam ad Patrem, et temporalem ad Matrem filiationes reales. Cum enim filiatio, ex dictis *art.* 1. *et* 3. *sit habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali;* et Christus sit revera realiter productus, erit pariter filius per realem filiationem, quemadmodum talis esset si purus homo a B. Virgine genitus extitisset. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 3.] si filiatio dumtaxat esset personae, adeo ut non possit plurificari ad pluralitatem fundamentorum, aut id haberet quatenus relatio est absolute, aut inquantum talis relatio originis: neutrum dici potest; ergo si in persona reperiantur duo

fundamenta realia filiationis, erunt in ipsa duae filiationes reales. — *Probatur minor,* quod non repugnet ei ut relatio est, quia alioquin si Christus fuisset albus non potuisset esse realiter similis alteri albo; nec extitisset eadem ratione realiter aequalis habenti tantam quantitatem, quantam ipse habuit, cum fuerit unum suppositum; sed nec in suppositis creatis relationes possent plurificari etiam plurificatis fundamentis, quod nemo dixerit; igitur non repugnat relationi, qua relatio est, plurificari in uno eodemque supposito, si ei insint plura fundamenta.

Sed neque inquantum est *talis* relatio ea plurificatio repugnat; [*Oxon.* ib.] nam non magis repugnat relationem originis plurificari in supposito, quam ipsam originationem, quae praecedit istam relationem originis, ut proxima ratio fundandi eam: sed origines plurificantur in eodem supposito, secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 7. dicentem: *Duas generationes Christi veneramur;* ergo cum non sit maior ratio cur sint duae generationes activae respectu Christi, quam passivae, si illae non repugnant in uno supposito, nec istae, praesertim cum filiationes non petant subiectari in supposito, sed in eo ubi est generatio passiva subiectata: est autem in natura ut in subiecto, non in supposito, tametsi illud ex illa denominetur productum seu filius. — *Rursus,* [*Oxon.* ib. n. 4.] Pater aeternus quamvis sit unum suppositum, tamen habet duas relationes originis, ad Filium nempe et ad Spiritum Sanctum, ac subinde super idem suppositum fundantur duae relationes originis activae; ergo multo magis super duo fundamenta diversa possunt fundari duae relationes originis passivae. — *Denique,* secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 15. Christus habet duas operationes, divinam scilicet et humanam: actiones autem sunt suppositorum; ergo si non obstante, quod Christus sit unum suppositum potest habere duas operationes longe diversissimas, pariter licet filiatio sit suppositi, sic ut per ipsum denominetur filius, non oportet tamen eam subiectari in supposito, sed in natura, ut revera in natura humana subiectatur actio humana Christi, ni velimus ei abiudicare omnem actionem humanam, licet deinde his denominetur suppositum divinum. Unde quemadmodum si Christus genuisset duos filios, duas quoque Paternitates reales ad illos habuisset, ita nunc habet duas reales filiationes, quia duae sunt in ipso passivae generationes.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 10.] respondeo, suppositum denominari filium, non filiatione inhaerente sibi, sed in natura, quae per generationem passivam accepit *esse.* Sicuti ergo in illo supposito sunt duae generationes passivae, ita et duae filiationes, quibus ipse dicitur realiter filius Patris et Matris; quemadmodum idem suppositum denominatur ab actionibus divinis, et humanis, quamvis non in ipso immediate subiectentur.

Ad secundum [*Oxon.* ib. n. 19.] concedo assumptum. — *Et cum probatur,* nego eodem pacto dici, Deum esse Dominum creaturarum et Christum esse filium Mariae; sicut enim ad generationem activam sequitur realis Maternitas in B. Virgine, ita ad generationem passivam sequitur filiatio realis in Christo, cum sit eadem ratio utrobique, nec in Christo ulla occurrat repugnantia, sicuti est in Deo, qui ob immutabilitatem nequit fundare novum respectum realem ad creaturas, et ideo dicitur formaliter Dominus praecise ob terminationem dependentiae creaturae, ob

quam ipsa realiter est subiecta Deo. At Christus ut realiter terminat Maternitatis relationem propter activam generationem, ita realiter refertur ad Matrem filiatione ratione passivae generationis.

AD TERTIUM, [*Oxon.* ib. n. 21.] si Christus non habeat humanitatem excellentiorem illa B. Virginis, concedo ipsum in humanitate esse aequalem Matri, eodem prorsus modo, quo duo alii homines dicuntur inter se aequales in natura humana. — *Et cum arguitur:* aequalitas fundatur super unitatem unionis; *nego* hoc, et probo esse falsum; nam unio est relatio; quae igitur relatio est? aut eadem quae aequalitas, et tunc idem fundabitur in se; si autem alia, aut illa fundabitur super unum; et quaero super quam unitatem? Si super *unitatem*, et non super unitatem unionis, idem potest dici de aequalitate. Si super unitatem unionis esset processus in infinitum. Dico ergo, aequalitatem in creaturis fundari super unitatem non personae vel singularitatis, sed naturae, quae habet aliam unitatem minorem unitate numerali, et in Christo, et in Beata Virgine, quae est fundamentum mutuae aequalitatis utriusque.

AD QUARTUM dico, [*Oxon.* ib. n. 19.] Christum post resurrectionem fuisse filium Mariae eadem filiatione, qua prius. Quia filiatio fundatur super existentiam naturae acceptae per generationem absolute, etsi accidat interruptio nihil officit, dummodo existentia naturae acceptae sit eadem. Et cum revera hic existentia fuerit eadem, atque idem terminus, et filiatio pariter erit eadem, et actione qua fundamentum reddit idem, et relatio exurgit eadem. — *Cum autem arguitur;* quia alia productione accepit *esse* in resurrectione; *dico* id verum esse; sed ex eo non sequi, non esse filiationem novam fundatam super illud *esse* acceptum primo per generationem, sed tantum haberi, fuisse duas numero filiationis relationes, quarum una fuit interrupta, et altera nunc est nova.

RURSUM ARTICULUS V.

UTRUM IN CHRISTO SINT DUAE FILIATIONES.

Doctor et S. Thom. loc. cit. art. praec.

VIDETUR in Christo non esse duas reales filiationes. Etenim [*Oxon.* 3. d. 8. n. 5.] duae dispositiones eiusdem speciei non possunt poni non in eodem; ergo nec duae filiationes. — *Assumptum declaratur,* tum, quia potentia est per se ad formam, non autem per se ad hanc formam; ideo enim est haec, quia recipitur in isto subiecto; ergo si posset esse in actu secundum unam formam, et in potentia secundum aliam, idem secundum idem, nimirum secundum formam, esset primo in potentia et in actu: tum quia omnis distinctio aut est per naturam divisionis, aut est per naturam oppositionis. Per naturam oppositionis non potest esse distinctio in eadem specie. Nec per naturam divisionis, ubi est idem subiectum; quia accidentia non habent distinctionem numeralem nisi a subiectis, sicut nec entitatem. *Confirmatur* nam non possunt esse plures proprietates absolutae eiusdem rationis in Deo, quia illae non distinguuntur nec per oppositionem, nec per divisionem, nisi Essentia Divina in qua sunt dividatur, quod est impossibile; ergo nec duae formae eiusdem rationis

possunt poni in eodem subiecto, quin numero multiplicetur idem subiectum. — *Consequentia declaratur:* quia omnis generans primo actu generandi paternitatem acquirit ad primum filium; secundo actu generandi nulla paternitas sibi innascitur, sed per eamdem illam Paternitatem refertur ad filium secundum. Sicut igitur in Patre non possunt esse plures paternitates, quia sunt eiusdem speciei, ita nec in Christo plures filiationes, cum sint pariter eiusdem speciei. — *Confirmatnr* etiam: [ib. n. 7.] quia si idem subiectum foret capax plurium dispositionum eiusdem rationis simul sibi inhaerentium; igitur eadem quantitas posset alterari ab agente naturali ad plures qualitates simul habendas, quamvis essent eiusdem rationis: id autem est plane impossibile ut perficiatur ab agente naturali; ergo nequit idem subiectum seu fundamentum recipere simul duas formas eiusdem rationis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Deus produxit creaturas inquantum artifex: hoc autem praecise est, quatenus habet relationem rationis, quia scientia sua est ars, inquantum causat in se ideas per actum rationis; ergo ipsum esse artificem et potentem creare, dicit in eo tantum relationem rationis; ergo multo magis Christum esse filium Mariae dicit in ipso tantum respectum rationis, quia videtur magis necessarium, ut ea habitudo, quae praesupponitur alicui rei, sit realis, quam ista quae consequitur rem.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Aristoteles, 5. *Metaph.*, cap. *De ad aliquid*, infert pro inconvenienti, quod idem bis dicatur: sed si est inconveniens, hoc maxime erit de eodem fundamento et suppposito et relatione eadem; ergo Christus eadem relatione non potest dici relative ad Matrem et ad Patrem.

RESPONDEO dicendum, in Christo esse duas filiationes reales. Quia [*Report.* 3. d. 8. q. 1. n. 1.] impossibile est relationem esse unam eamdemque fundamento immediato multiplicato, quando relatio actu inest: sed in Christo proximum fundamentum generationis temporalis et aeternae est aliud, et aliud, secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 7.; ergo in ipso duplex filiatio realis repetitur.

Et quidem, [*Report.* ib.] si hoc esse non posset, maxime ob rationem primo factam: eius autem argumenti et assumptum est falsum, et subsumptum eo utentes negant, opinantes nihil posse esse eiusdem rationis creato et increato commune; igitur filiatio aeterna Christi non est eiusdem rationis cum filiatione eius temporali. Sed esto sint eiusdem rationis, falsum est duas dispositiones eiusdem speciei non posse inesse eidem subiecto. Si enim hoc repugnaret, maxime quia ad multiplicationem earum dispositionum oporteret et multiplicari subiecta: hoc autem est falsum; [*Oxon.* ib. n. 6.] quia in omni ordine essentiali stante unitate prioris potest stare pluralitas posterioris naturaliter, si non sit passio eius, nec adaequate inhaereat illi priori. Patet de causa et effectibus, quos una immultiplicata causa potest producere; et licet causae non inhaereant, non est tamen minor repugnantia in iis, quae inhaerent; quia nec unum est causa alterius, et maxime si non adaequant id, cui inhaerent. Sed subiectum est prius naturaliter illa dispositione sibi inhaerente, quae non est passio eius, sed accidens, nec adaequate inhaeret, quia una earum in sui completa actualitate non explet potentialitatem receptivi; ergo stante una poterit inesse et alia. Et ita de facto contingit in phantasia, in cuius organo sunt plures species phantasticae eiusdem rationis, quia obiecta a

quibus generantur sunt eiusdem speciei, et sunt in eadem parte organi, quia istud non posset in tot partes scindi et dividi, quot sunt phantasmata in eo existentia.

Nihilominus *probatur* idem directe de respectivis; [*Oxon.* 3. d. 8. n. 8.] quia sicut paternitas fundatur super *genuisse,* ita haec paternitas super *hoc genuisse,* et haec filiatio super *hoc genitum esse ;* igitur Pater hac paternitate primo respicit hunc filium habentem hanc filiationem; ergo et alia paternitate ad alium filium refertur. Correlativa enim sunt simul natura, et consequenter destructa filiatione in uno deperit in Patre paternitas. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 9.] distinctio prioris naturaliter concludit distinctionem posterioris : sed non tantum suppositum relatum praecedit relationem, sed etiam fundamentum ; ergo multiplicato fundamento multiplicatur relatio, atque ita, cum in Christo sint duo fundamenta, erunt quoque duae filiationis relationes.

Ad Argumenta. Ad primum patet ex dictis, quia *assumptum* est falsum, et *minorem* illi negant. *Ad probationem assumpi,* dico, accidentia non distingui numero per subiecta, sed per proprias singularitates, neque subiectum esse in potentia et in actu respectu eiusdem, sed esset in potentia respectu formae non habitae, et in actu per inhaerentem sibi. *Ad secundam probationem* dico, ultra illas distinctiones dari aliam per differentias individuales sub eadem specie. — *Ad primam confirmationem* dico, nequire esse in Deo plures perfectiones absolutas eiusdem rationis, quia circumstant illi Essentiae, ut passiones, eique identificantur, ac propterea unaquaeque in suo genere est Divinae Essentiae adaequata, quia infinitae perfectionis. — *Ad secundam confirmationem* [*Oxon.* ib. n. 7.] respondeo : etsi id ex parte subiecti non repugnaret, cuius non terminatur potentia, nisi inducatur aliquis actus continens omnes alios, qui possunt ei perfectibili inesse, tamen de facto id non fit per agens naturale, quia intendit formam praeexistentem imperfectam perficere, et ideo inducit aliquam realitatem, quae non est pars formae praeexistentis, et unit eam illi, et ideo non inducit formam omnino aliam; non implicaret tamen ipsam esse aliam, subiecto non diversificato; quia subiectum habens potentialitatem ad plures formas est ad illas illimitatum ad aliqua non et illimitatum multiplicatur ad multiplicationem eorum.

Ad secundum dico, [*Oxon.* ib. n. 20.] in hoc argumento: Deus ut artifex est productivus: per relationem rationis est artifex; ergo per relationem rationis est productivus, esse *fallaciam accidentis;* quia *maior* est vera, quatenus medium accipitur pro fundamento ipsius relationis rationis, et in *minori* accipitur pro ipsa relatione rationis. At haec non potest esse formalis ratio producendi aliquod ens reale; nam ens rationis non est in aliquo, nisi ut tantum habet esse in intellectu, sicut cognitum in cogitante. Quamvis igitur Deus dicatur formaliter Creator prout terminat relationem creaturae ad ipsum, non est tamen creativus per hoc, sed per virtutem infinitam absolutam praecedentem omnem respectum ad extra; sicut calidum est calefactivum non per aliquam relationem, sed per potentiam calefactivam absolutam; et proinde negatur *consequentia* argumenti, quam patet esse falsam ex rationibus adductis.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM RELATIO FILIATIONIS TEMPORALIS IN CHRISTO SIT EADEM FUNDAMENTO.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 1. *et* 3. — *d.* 8. *q. un.* — *Report. ib.*

VIDETUR relatio filiationis temporalis in Christo esse eadem fundamento. Nam [*Report.* 3. d. 8. q. 1. n. 9.] haec relatio fundatur super substantiam; igitur secundum Simplicium, *super Praedicamenta,* non est relatio accidentalis; erit igitur substantialis, et per consequens eadem substantiae illi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 8. n. 12.] Respectus creaturae ad Deum ut ad causam efficientem est idem fundamento, ex dictis *p. p. q.* 45. *art.* 3. ergo etiam ad proximum efficiens erit idem fundamento. *Consequentia probatur;* etenim omnes causae efficientes ordinatae habent rationem unius causae totalis: sed una et eadem relatio non est eidem consubstantialis, et non consubstantialis; igitur si est eadem fundamento respectu primi efficientis, erit et eadem respectu causae propinquae, quae est mater.

3. PRAETEREA. Etsi potuerit ea natura aliter produci ut non haberet illam relationem, [*Oxon.* ib. n. 13.] ex hoc tamen quod est sic producta, videtur esse contradictio ipsam manere sine illa relatione, quia esse filium habentem hanc naturam, est ipsum esse genitum ab hac matre in hac natura: sed qui genitus est ab hac matre in hac natura, non potest esse non genitus ab hac matre in hac natura, (quodcumque enim praeteritum non fuisse includit contradictionem); ergo habentem hanc naturam a generante acceptam, et non esse hunc filium hac filiatione includit contradictionem; quod non esset sit relatio illa accideret ei naturae.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 8. q. 1. n. 9.] Fundamentum potest manere sine illa relatione; ergo est ei accidentalis, adeoque non est eadem sibi.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 8. n. 12.] hanc realem relationem Christi ad Matrem non esse fundamento identificatam. Nam sicuti est contradictio aliquid manere idem in re, et una non manere quicquid est ei identificatum realiter, ita contradictio est aliquid esse realiter idem alicui, quo non manente potest illud manere idem; ergo sicut relatio alicuius ad illud, sine quo ipsum non potest esse, est eadem fundamento relato per ipsam, ita relatio ad quodcumque, sine qua relatum potest esse, est non eadem relato: sed ista natura potest esse eadem numero sine ista relatione ad Matrem, et sine Matre ut termino, quia potuit eadem natura esse creata immediate a Deo, et potuit etiam fuisse habita per generationem temporalem alterius Matris; ergo non potest esse illa relatio eadem sibi.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Report.* 3. d. 8. q. 1. n. 12.] concedo, eam relationem fundari super substantiam; sed hoc non impedire quin ipsa sit ei accidentalis, perinde ac si fundaretur super qualitatem, vel aliquod aliud accidens. Simplicius vero videtur velle, relationem, quae super substantiam fundatur, non habere accidentalitatem ratione fundamenti, sicut habent quae in accidentibus reperiuntur.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 3. d. 8. n. 12.] relationem ad primum efficiens esse consubstantialem creaturis, quippe quae nequeant omnino esse sine illa relatione; contra vero quandoquidem natura illa potuerit absolute esse sine relatione ad secundum efficiens, proinde non potuit esse sibi identificata.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 13. seqq.] supponendo filiationem esse habitudinem geniti ad generans fundatam super existentiam actualem naturae per generationem acceptae, vel super acceptam sic actualiter existentem, et hoc sive continue habitam sine interruptione, sive cum interruptione, ita ut utrumque accidat sibi; hoc, inquam, supponendo, dico sic: quamquam ista natura accepta per hanc generationem non possit habere idem *esse* numero nòn fundando istam relationem, ex eo tamen quod potuit eadem existentia numero fuisse sine ista relatione, ut si a Deo esset immediate creata, vel producta ab alia matre, nequit omnino illa relatio esse consubstantialis ipsi naturae.

ARTICULUS VI.

UTRUM CHRISTUS FUERIT NATUS SINE DOLORE MATRIS.

Doctor, Oxon. 3. d. 4. — *Report.* ib. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 35. *art.* 6.

VIDETUR Christus haud natus fuisse citra omnem dolorem B. Virginis Matris suae. Nam [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 3.] B. Virgo pertulit poenas communes naturae humanae, ut famem, sitim, et huiusmodi, sed et Martyrum dolores, iuxta prophetiam Simeonis, *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit,* Lucae, 2., non quidem materialis, secundum Ambrosium, sed gladius doloris, quod praesertim verificatum fuit in acerbissima Filii sui passione et morte; ergo si perpessa est communes poenas, quas alii sustinent homines, et animi vehementissimum dolorem, pariter sensisse videtur dolorem in pariendo Filium, ut aliae matres.

2. PRAETEREA. [*Report.* 4. d. 30. q. 2. n. 3.] B. Virgo desponsata est Iosepho, ut ex eo coniugio falleretur diabolus, putans eam de Viro concepisse, et non de Spiritu Sancto Filium suum: sed si citra dolorem omnem enixa esset, facile cognoscere et intelligere potuisset princeps tenebrarum Matris Virginitatem non esse passam detrimentum; ergo congruum fuit Beatam Virginem in partu dolori subiectam extitisse.

3. PRAETEREA. Corpus Christi dum fuit in hac vita gloria non perfundebatur, quia alioquin expers omnis passionis et mortis fuisset; [*Oxon.* 4. d. 49. q. 16. n. 7.] ergo non habuit dotes corporum Beatorum, quas obtinuit in resurrectione, unde ob subtilitatem de sepulcro clauso exivit, et ad Discipulos in Coenaculo ianuis clausis penetravit; igitur cum exivit de utero Matris suae, sine dolore nequiit prodiisse. Si enim sine laesione ulla B. Virginis exiisset, id nonnisi per dotem subtilitatis fieri potuisset: tunc autem eam praerogativam Christus non habebat.

CONTRA. Isaiae, 7. [*Miscell.,* q. 6. n. 7.] *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium:* sed aliae parturientes mulieres dolorem sentiunt, quia virginitate imminutae partes corporis, per quas partus effundunt dehiscunt, et cedunt locum proli exeunti de utero; ergo cum Beata Maria pepererit Filium absque Virginei corporis imminutione, Filii sui corpus penetravit corpus ipsius, et propterea dolorem pati ullum non potuit.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 15. 4. d. 49. q. 16. n. 1.-4.] Christum Dominum esse natum sine dolore Matris suae. Cum enim dolor secundum Augustinum, 14. *De Civit.*, cap. 15., *Sit animae offensio ex carne, et quaedam ab eius passione dissensio*, et B. Virgo sine laesione Virginitatis suae Filium pepererit, consequens est, ut dicamus ipsam ex eo partu nullum dolorem perpessam fuisse, quia nulla inde sequuta est scissura sui claustri virginalis; extitit enim ille partus supernaturalis, et ideo fuerunt duo corpora simul in eodem loco; etsi enim id sit naturae creatae impossibile, ut scilicet virgo pariat, sicuti duo corpora esse in eodem loco, vel unum in diversis, quia tamen hoc non includit contradictionem simpliciter, ideo est possibile virtuti divinae, qua virtute Beata Virgo concepit et peperit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 8.] concedo, B. Virginem perpessam fuisse famem, sitim, et alias poenas communes humanae naturae sustinuisse, ut per illas sibi, et nobis mereri potuisset, et intensissimo dolore quoque eius animam in morte Filii sui repletam esse; nego tamen eadem ratione partus doloribus subiectum esse debuisse; imo id sibi prorsus per novum miraculum accidisset, quia non fuit in ipsius partu causa doloris inductiva, ut est in aliis foeminis parturientibus; nullae enim partes sacri corporis sui fatiscendi necessitatem habuerunt, sed corpus Filii Matris partes unde prodiit sic penetravit, ut post resurrectionem ad Discipulos ianuis clausis intravit.

AD SECUNDUM dico, quemadmodum diabolus deceptus fuit in Virginis conceptione, ita et in partu ipsius. Videns enim B. Virginem habere virum, ut putavit ex illo eam concepisse, ita editam prolem arbitratus est cum Matris dolore in lucem venisse. Fatendum est tamen cognoscere utique potuisse sibi dimissum, corporis ipsius integritatem, nisi prohibitus fuisset; sed ob dignitatem. Eius, quem Maria gestabat, permissus non fuit approximari illi intellectualiter, vel localiter; ideoque nihil omnino scivit de conceptione et partu Domini Salvatoris, sed existimavit eum purum hominem de homine conceptum communi via, et ad instar aliorum natorum.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 4. q. 1. n. 14.] quemadmodum Christi conceptio fuit quoad modum miraculosa, et supra naturae vires, esto quoad substantiam B. Virgo vere fuerit Mater Christi, ita et miraculosum extitisse egressum eius ex utero, ita ut Christus non penetraverit corpus Matris per dotem subtilitatis sibi inhaerentem; quia, ut arguitur, hanc non obtinuit nisi post resurrectionem, sed divina virtute, et Spiritus Sancti cooperatione: per Dei autem potentiam duo corpora esse possunt in eodem loco, ut tactum est in *solutione*. Caeterum nullum est inconveniens si dicamus Christum exiisse de utero Matris suae per dotem subtilitatis, Deo non prohibente actum eius quoad illum effectum.

ARTICULUS VII.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT IN BETHLEEM NASCI.

Doctor, locis infr. cit. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 35. *a.* 7.

VIDETUR Christus nasci in Bethleem non debuisse. Etenim [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10.] Christus venire et nasci dignatus est inter homines, ut

testimonium perhiberet veritati, eligens magis animam ponere, quam veritatem non fateri: sed id abundantius praestare potuisset si in aliqua magna Civitate natus esset; ergo minus convenienter videtur Bethleem pro ortus sui origine praeelegisse.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 1.] Christus natus est, et venit in mundum pro liberandis omnibus, ut ait D. Leo Papa *in sermone de Nativit.;* ergo convenientius natus fuisset in urbe Romae; nam ea tunc erat caput Imperii, et facilius Populi, et Provinciae Imperio subiectae suscepissent eam, quam Roma veritatem didicisset.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 11.] *De Sion exhibit lex, et Verbum Domini de Hierusalem,* secundum prophetiam Isaiae: sed Christus est Verbum Patris, quod factum est caro, ut habetur Ioan, 1. ergo non de Bethleem, sed de Hierusalem videtur nasci debuisse in mundum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 8.] Hieronymus, super primum cap. *Matthaei,* ait: *Ex una Tribu fuisse Ioseph, et Mariam, unde ex lege eam accipere cogebatur, ut propinquam. Et quod simul censetur in Bethleem, ut de una videlicet stirpe generata.* Nascitur autem Salvator, cum censerentur in Bethleem parentes eius.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2.] in Christi potestate fuisse nasci in uno, aut altero loco; verumtamen convenientissime Bethleem pro sua nativitate elegisse. Si enim [*Oxon.* 4. d. 37. q. 1.] a seipso animam suam posuit, licet mandatum acceperit a Patre ponendi eam, multo magis in manu sua erat positum nasci in una, aut altera civitate. Sed [*Oxon.* 2. d. 6. q. 2. n. 4. et 15.] quam convenientissime oriri voluerit in modica urbe Bethleem, ex eo constat, quia advenit deiecturus diabolum de principatu huius mundi, cui tyrannice principabatur. Et porro mundus civitas diaboli erat, ob inordinatum amorem hominum amatorum mundi, qui amor pertingebat usque ad contemptum Dei; regnabat ergo et princeps erat per superbiam, et praesumptionem malorum hominum. Immoderata enim dilectio sui, quae est radix civitatis, diaboli est praesumptio, et sibi immoderate placens est superbus. Cum itaque Salvator voluerit prius repraesentare in se, quae erat alios docturus, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] quia magister moralis eo efficacius movet, quo magis opere implet quae docet, in ortus sui articulo humilitatem amplexus est, Bethleem urbem parvam praeponendo magnis et frequentissimis civitatibus, quae tunc in mundo erant. Quo facto imperium suum in mundo fundavit, aliamque Dei civitatem erexit penitus diaboli civitati contrariam; in hac enim amor sui pervenit usque ad contemptum Dei, in illa vero amor Dei progreditur usque ad contemptum sui, iuxta Augustinum, 14. *De Civit.,* cap. ultimo.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, revera Salvatorem, cum Veritas foret dicenda, non tacuisse, etsi proinde sciret sibi inde invidiam procreandam, odia multorum perferenda, et tandem mortem ipsam subeundam; [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 20.] sed tamen circa suam nativitatem non debebat legem ferre, sed id tempore congruo per ipsum erat faciendum, et per universum mundum propagandum Evangelium per Apostolos, et Discipulos; non oportuit ergo ipsum in urbe aliqua magna nasci, sed potius congruum fuit parvam civitatem (uti erat Bethleem) eligere, ad testandum se humilitatem, et mundi contemptum praesertim venisse do-

cturus, per quam Electi de diabolo triumpharent, et ad sincerum Dei amorem pervenirent.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 19. et 20. — 4. d. 2. q. 1.] Christum venisse omnes salvaturus et redempturus per suam passionem, non per nativitatem. Etsi igitur quantum ad Evangelii praedicationem verum sit subiectos populos facilius suscipere doctrinam quam prius Imperii caput amplexatum fuerit, tamen non tunc, cum scilicet Christus natus est, sed tempore a Divina providentia praefixo erat Roma illuminanda, et per eam lux Evangelii per mundum universum deferenda. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 3.] Totus enim mundus ad Legem Evangelicam vocatus fuit, in quo plurimum praecellit Legi Mosaycae, quae tantum pro Iudaeis data fuit.

AD TERTIUM dico, prophetiam illam Isaiae non esse intelligendam de Christi nativitate, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 11.] sed de promulgatione Legis Evangelicae, quae reipsa primum de Sion exiit, cum scilicet Apostoli in die Pentecostes, misso Spiritu Sancto, ac induti virtute ex alto, solemniter praedicare coeperunt, et appositae sunt illo die circiter tria millia animae, et baptizati sunt, qui crediderunt sermonibus Apostolorum, *Act.* 2. et exinde ad alias civitates Evangelium praedicaturi diverterunt, adeo ut verissime Verbum Domini prodierit de Ierusalem.

ARTICULUS VIII.

UTRUM CHRISTUS FUERIT TEMPORE CONGRUO NATUS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 35. *art.* 8.

RESPONDEO dicendum, Christum Dominum tempore convenientissimo in mundum prodiisse. Cum enim venire statuisset genus humanum redempturus, et illuminaturus homines Evangelicae legis claritate, sane tale tempus erat congruum adventui eius, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 8.] in quo lex omnium perfectissima convenienter posset promulgari; debuerunt ergo iam praecessisse tempora legis naturae, et legis Mosaicae. Nam ordinate agens procedit de imperfecto ad perfectius: [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. seqq.] cum autem lex Evangelica sit omnium excellentissima, quam Deus intulit mundo, non per Angelos, aut Prophetas, sed per Filium suum Unigenitum, et cui altera non est superventura, oportuit in eiusmodi legislatione id tempus adfuisse, in quo vel erant abrogatae, vel statim abrogandae imperfectiores leges. [*Oxon.* Prolog. q. 2. n. 7.] Et quidem per legem datam Moysi cessavit lex naturae in populo Iudaeorum: non quod delecta fuerit, quia *indelibiliter scripta est in cordibus nostris*, secundum Apostolum ad Roman.; 2. sed quia lex divina positiva tradita in sacra Scriptura videtur esse quasi quaedam explicatio legis naturae. Abrogata igitur erat, quia perfectior fuerat tradita, et explicatior, alios ritus docens, et remedia contra originale, et actualia continens efficaciora. Abroganda mox pariter erat lex Mosaica, quae iam suis spatiis decurrerat, et satis senserant illius observatores onera ipsius. [*Oxon.* 3. d. 40. n. 5.] Quoniam ergo grave legis Mosaicae onus amplius illi ferre non poterant, ut testatus est Petrus, *Actorum*, 15., convenientissime mundo apparuit Salvator ad legem suam Evangelicam omnes homines invitando illis verbis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis; jugum*

enim meum suave est, onus meum leve. Matthaei, 11. [*Report.* 4. d. 3. q. 4. n. 8.] Unde ait Augustinus: *Venit Deus temporibus congruis administrare medicamenta.*

QUAESTIO TRIGESIMASEXTA.

DE MANIFESTATIONE CHRISTI NATI, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de manifestatione Christi nati.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta. - 2. Utrum debuerit alicui manifestari. - 3. Quibus manifestari debuerit. - 4. Utrum debuerit ipse se manifestare, vel potius manifestari per alios. - 5. Per quae alia manifestari debuerit. - 6. De ordine manifestationum. - 7. De Stella per quam manifestata fuit eius nativitas. - 8. De veneratione Magorum, qui per Stellam Christi nativitatem cognoverunt.

ARTICULUS I.

UTRUM NATIVITAS CHRISTI DEBUERIT ESSE OMNIBUS MANIFESTA.

Doctor, loc. infra citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 36. *a.* 1.

VIDETUR nativitas Christi esse debuisse omnibus manifesta. Etenim [*Oxon.* 3. d. 23. q. 1. n. 7.] currente tempore legis naturae, et legis scriptae, fides de Christi adventu fuit omnibus necessaria ad salutem; ergo pariter cum venit omnes debebant scire iam venisse, alioquin credidissent esse venturum qui iam venerat.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 1.] Existimandum est eum modum habuisse, vel habere debuisse Christi nativitatem, qui magis congruebat fini ipsius nativitatis, et adventus Christi in carne passibili: sed finis eiusmodi adventus extitit salus generis humani; igitur cum aeternam salutem adipisci nequeant homines nisi cognita Christi nativitate, haec profecto debuit esse omnibus manifesta.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 25. n. 1.] Sacramentum Incarnationis Christi fuit absconditum Principibus, et Potestatibus in caelestibus, et per Ecclesiam eis innotuit, secundum Apostolum *ad Ephes.*, 3. igitur Ecclesiae fuit manifestatum mysterium Incarnationis, et adventus Christi, alioquin non potuisset Angelis per ipsam manifestari; igitur nativitas Christi debuit esse omnibus manifesta, si per Ecclesiam erat manifestanda in caelestibus.

CONTRA. [*Oxon.* 1. d. 15. n. 4.] Ambrosius, lib. 3. *De Spiritu Sancto,* cap. 2. super illud Isaiae, 61.: *Spiritus Domini super me,* haec habet: *Spiritus Sanctus Domini misit me ad praedicandum;* ergo [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. per tot.] per Evangelii praedicationem missio, vel nativitas Christi erat mundo revelanda: id autem factum non fuit cum inter homines nasceretur, sed postea procedente tempore, cum per seipsum, et per Apostolos eiusque successores Evangelium per orbem terrarum divulgatum est.

RESPONDEO dicendum, Christi nativitatem esse non debuisse omnibus statim manifestam; et sic ab *aliquibus probatur:* quia hoc ipso diminutum fuisset meritum fidei, *quae est argumentum,* secundum Apostolum ad Hebraeos, 11. Christus autem venit homines iustificaturus per fidem, ut ait Apostolus, 3. *ad Romanos: Iustitia Dei per fidem Iesu Christi.* — *Contra:* [*Oxon.* 3. d. 24. n. 21.] etiamsi omnibus innotuisset Christi nativitas, adhuc fides habuisset et locum et meritum, quia nonnisi per fidem scire potuissent illum hominem in Bethleem natum esse Deum, ut de Apostolo Thoma dicit Gregorius, Homil., 26. in Evangel. *Aliud enim vidit, et aliud credidit; vidit hominem, et credidit Deum;* ergo esto homines scivissent natum esse Christum revelatione et fide illis opus fuisset ad intelligendam illius Divinitatem, esseque verum Deum, et hominem, qui in diversorio ex Virgine nasci fuerat dignatus; in quo stat totum nostrae fidei meritum quatenus in mysterium tendit Incarnationis. *Est alia ratio:* si Christi nativitas extitisset omnibus manifesta, ex ea impedita fuisset humana redemptio, quae per cruorem et mortem Christi peragenda erat, et reipsa peracta est. Nam [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12. — d. 16. q. 2. n. 5.] ut dicitur 1. *ad Corint.,* cap. 2.: *Si cognovissent numquam Dominum gloriae crucifixissent.* — *Contra:* quamvis Iudaei scivissent illum hominem esse Deum per unionem hypostaticam ad Verbum adhuc poterunt eum occidisse: ex quo enim gloria animae Christi impediebatur, ne redundaret in corpus, corruptibile erat corpus et mortale, et de facto mortuum fuit in cruce pro humana redemptione; non fuisset ergo impedita humana redemptio per hoc, quod Christi nativitas omnibus innotuisset. Loquitur ergo Apostolus non de Iudaeis, sed de daemonibus, qui si scivissent eum esse verum Deum, non instigassent homines ad eius mortem, ex qua sequutura erat humani generis redemptio.

Videtur ergo haec fuisse congruentia, et causa cur Deus noluerit statim Filii sui nativitatem temporalem omnibus manifestari. Cum enim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 20.] statuisset totum genus humanum ad legem Evangelicam evocare, et inire cum illo foedus novum et sempiternum, ut prius inierat cum semine Abrahae, dans Circumcisionem, quia non decebat novae legis legislatorem statim circa suam nativitatem legem ferre, oportuit id fieri tempore congruo, et promulgari eam legem primo Hierosolymis, ubi a Christo in Caelum iam ascensuro iussi fuerant Apostoli permanere usque ad adventum Spiritus Sancti, et exinde ad alias civitates et loca praedicari et evulgari, donec in omnem terram exiret sonus eorum. Ergo non statim a nativitate poterant ea omnia fieri. Quia Christi mors debebat praecedere, in qua causaliter erat cessatura lex Mosaica, et postea lex nova promulganda, in qua ad Baptisma evocatur genus humanum. Quoniam itaque usque ad tempus promulgationis legis Evangelicae lex Moysis et Circumcisio erat Iudaeis ad salutem necessaria, non oportebat omnibus illis Christi ortum innotuisse, neque aliis gentibus, ad quas tempore congruo erat eiusmodi notitia perventura, iuxta morem et energiam Divinae Providentiae, causas secundas suos motus agere sinentis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, [*Oxon.* 3. d. 25. n. 6. et 9.] fidem Mediatoris futuri fuisse omnibus necessariam ad salutem. — *Et cum dicitur* ergo oportuit omnibus innotuisse ipsius nativitatem ne putarent venturum qui iam venerat; *respondeo* iis, quos inculpabiliter latebat Me-

diatoris nativitas non fuisse interdictum credere in venturum, quamvis iam venerit, quia si venisse ipsis innotuisset, perinde in iam natum credidissent. Caeterum fides explicita in Mediatorem non fuit necessaria ad salutem simpliciter, sed satis erat implicita, scilicet Deum ordinasse aliquam viam redemptionis, quaecumque tandem ea fuerit.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. pet tot.] concedendo finem adventus Christi in carne passibili extitisse redemptionem generis humani; et concedo etiam esse et fuisse necessarium ad salutem scire, vel credere Christi nativitatem, non quidem statim ac natus est, sed post promulgatum Evangelium, regulariter loquendo.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 11.] quemadmodum Deus per Angelos illuminat Ecclesiam, ita et vicissim posse Angelos ipsos edocere per Ecclesiam, ut Paulus testatur. Concedo itaque eos, per quos Angeli instructi sunt de Christi Incarnatione, notitiam eius habuisse; sed proinde non sequi omnes tunc eamdem novisse, vel statim ac fuit omnibus innotuisse.

ARTICULUS II.

UTRUM NATIVITAS CHRISTI DEBUERIT ALIQUIBUS MANIFESTARI.

Doctor., loc. infra cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 36. *a.* 2.

VIDETUR non debuisse aliquibus manifestari Christi nativitas. Nam [*Oxon.* 3. d. 23. n. 6.] si opus fuisset aliquibus manifestari, maxime, ut ii quibus manifestabatur forent testes ortus Christi: sed non oportuit eiusmodi testes adhiberi pro astruenda fide nativitatis; ergo non debuit alicui manifestari. *Probatur minor:* quia fides nostra non innititur testimonio alicuius hominis vel creaturae, sed Deo revelanti.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 11. q. 1. n. 5.] Complura gessit Salvator, quae proponuntur ut credenda citra omne testimonium; siquidem ipsum ad inferos descendisse, articulus fidei est nullo testimonio comprobatus; ergo pariter potuit proponi ipsum natum de Maria Virgine nullo adhibito teste.

CONTRA. Christus est verus homo natus de Virgine Maria; ergo congruum fuit testes adhiberi ad eius nativitatem, ut ex hoc veritas ipsius humanitatis comprobaretur.

RESPONDEO dicendum, Christi nativitatem convenientissime fuisse aliquibus manifestatam. Nam [*Oxon.* 3. d. 23. n. 8.] Deus regulariter non revelat, nec revelavit credibilia Ecclesiae suae, nisi ordine quodam; prius scilicet illuminando et instruendo maiores, et postea minores per illos, ut inquit Augustinus super illud Psal. 71.: *Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam.* Isti autem maiores, per quos Deus illuminat et erudit alios de credibilibus, aliquando habent a Deo infusum habitum fidei inclinantem illos ad assentiendum revelatis, perinde [*Oxon.* 3. d. 24. n. 17.] ac si ipsa mysteria credenda forent in seipsis praesentia, et extorquerent intellectus assensum absque ulla dubitatione assentientis, et ita sentiendum est fecisse Deum cum Prophetis, aliisque Sanctis Viris per quos traditae nobis sunt Divinae Scripturae. Et ratio est, quia omnem effectum, quem potest Deus facere media causa secunda effectiva, potest per seipsum

immediate efficere: res autem illa de quibus Scriptura tractat, si clare a Prophetis fuissent intuitae, produxissent notitiam certissimam in intellectu eas clare apprehendente; eamdem ergo Deus produxit in mentibus illorum, per quos voluit Ecclesiam suam instructam esse de altissimis, et ineffabilibus mysteriis Trinitatis, Incarnationis, creationis mundi, et alia id genus, quae necessarium fuit hominem didicisse.

Aliquando vero [*Oxon.* 3. d. 24. n. 15. et 21.] credenda Ecclesiae proposuit per testes, idest, quaedam fieri voluit, sic ut eorum aliqui essent veraces testes, quia coram ipsis gesta fuerunt, atque eorum habuerunt certam et intuitivam notitiam, et ita evenit in Christi nativitate. Nam ad Christum recens natum occurrere Pastores, et Infantem in praesepio reclinatum invenerunt. Ad contestandam etiam ipsius Resurrectionem complura testimonia adhibita fuerunt, et multo plures denique morientem conspexere. Quemadmodum igitur convenientissime Deus ea, quae sunt remotissima ab humana intelligentia, Ecclesiae revelat per habitum fidei, quo Prophetae veritati non assentire nequiverunt; ita eadem convenientia ea, quae magis captui humano appropinquant, per idoneos et veraces testes iis revelavit, a quorum notitia non abfuisse constat. Unde [*Oxon.* 3. d. 24. n. 13.] Augustinus, 11. *De Civitate,* cap. 2. *Profecto,* inquit, *ea, quae remota sunt a sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisque credimus, a quorum sensibus remota esse, vel fuisse non credimus.*

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 3. d. 35. n. 5. et 8. — d. 24. n. 21.] respondeo secundum Apostolum, *ad Roman.,* 10. fides ex auditu, auditus autem est ex praedicante, praedicare autem nullus potest, nisi mittatur, ac proinde non potest homo credere nisi audiat aliquem praedicantem sibi credibilia. Ex his autem qui ad praedicandum mittuntur aliqui sunt, ut Prophetae, qui in lumine supernaturalis revelationis ita assensum praebuerunt credibilibus, ut homo in lumine naturali primis assentitur principiis. Aliqui vero sunt testes praeordinati a Deo ad testificandum de visu ea mysteria, quae magis captui humano appropinquare noscuntur, uti sunt Nativitas, Passio, et Resurrectio Salvatoris, quae propterea quilibet tenetur explicite credere ad iustitiam, et confiteri ad salutem.

Ad secundum, dico, [*Oxon.* 3. d. 25. n. 4.] Christum ad inferos descendisse articulum fidei esse ab Andrea Apostolo conceptum, et in Symbolo expressum, qui proinde certus fuit de illius infallibili veritate, ut caeteri Apostoli, qui eumdem approbavere, et credendum Ecclesiae proposuere. Quemadmodum igitur certi fuerunt de Christi mirabili Resurrectione, videntes ipsum vere a mortuis surrexisse, ita pariter ad infernas partes terrae descendisse sciverunt, vel ab eo id asserente, vel ab aliis, qui cum eodem Salvatore a mortuis surrexerunt.

ARTICULUS III.

UTRUM SINT CONVENIENTER ELECTI ILLI, QUIBUS EST CHRISTI NATIVITAS MANIFESTATA.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS PER SEIPSUM NATIVITATEM SUAM MANIFESTARE DEBUERIT.

Circa hos articulos nihil invenio dicendum ex scriptis Doctoris.

ARTICULUS V.

UTRUM NATIVITAS CHRISTI DEBUERIT PER ANGELOS ET STELLAM MANIFESTARI.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 36. *art.* 5.

VIDETUR Christi nativitas haud manifestari debuisse per Angelos, et stellam. Id enim [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 11.] incongrue manifestatum est hominibus per Angelos, quod ipsi Angeli ab hominibus didicerunt: sed mysterium Incarnationis, et Christi nativitas innotuit Angelis per Ecclesiam, dicente Apostolo [*Oxon.* ib. n. 1.] ad Ephesios, 3. *De Sacramento Incarnationis: Ut innotescat Principibus, et Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam;* ergo minus convenienter per Angelos manifestata est hominibus Christi nativitas.

2. PRAETEREA. Frustra et incongrue illud signum adhibetur, per quod non devenitur in notitiam certam signati: est enim signum [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 5. — d. 1. q. 2. per tot.] secundum Augustinum, *De doctrina christiana, Quod praeter notitiam, quam ingerit sensibus, ducit in cognitionem alterius.* Sed per stellam de novo apparentem nequibant homines in cognitionem Christi nativitatis venire, cum eiusmodi signum sit de se indifferens ad significandum et non significandum nativitatem Christi, aut alterius; igitur incongrue eiusmodi signum adhibitum fuit ad ostendendam nativitatem Filii Dei in carne passibili.

CONTRA. Tam Angeli Pastoribus, quam stella Magis Dei nutu manifestaverunt Christi nativitatem; ergo convenientissime tali ordine ea res gesta fuit.

RESPONDEO dicendum, congruum apprime fuisse, Christi nativitatem hominibus per Angelos manifestari, et Gentibus novae stellae ortu. Nam [*Oxon.* 2. d. 10. n. 2.— d. 11. n. 5.] iuxta doctrinam Dionysii, 4. *De Caelesti Hierarch.*, ordo divinae Providentiae est, ut revelentur mysteria caelestia prius superioribus Angelis ab ipso Deo, et per ipsos innotescant inferioribus, et tandem ipsi mittantur exterius ad instruendum homines de iis, quae Deus vult eos edoceri. Cum igitur esset manifestanda Ecclesiae nativitas Christi haud profutura si omnino lateret, de ipsa prius fuerunt illuminati superiores Angeli ordine congruo, quoadusque tandem per ipsos ad notitiam pervenerit hominum. Gentes vero nova stella radiante de caelo ad Bethleem perduxit, praevia tamen interna illustratione, sine qua illi profecto haud pervenire potuissent, nec moti essent ad quaerendum novum Regem Iudaeorum, in quo salus mundi esset futura. Nam [*Oxon.* 1. d. 3. q. 4. n. 21.] contingentia quaeque haud cognosci possunt per regulas aeternas, sed tantum per sensus attinguntur, vel per Historias creduntur, et tamen specialis illustratio magis requiritur in credendis contingentibus, quam in cognoscendis necessariis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 11. solum eo probari non omnibus prorsus Angelis innotuisse mysterium Incarnationis, atque ipsos edoctos per Ecclesiam, ut ait Apostolus. Caeterum ille, qui nunciavit Mariae, et a quo admonitus est in somnis Ioseph, et qui tandem Pastoribus edixerunt natum esse Regem Christum, debue-

runt profecto Sacramentum scivisse, atque ita convenienter hominibus revelasse.

AD SECUNDUM concedo novam stellam apparentem in caelo ducere non potuisse in notitiam nativitatis Christi absque interna revelatione et illustratione, quia [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] de se tale signum non repraesentabat eam nativitatem; tamen internam Spiritus Sancti revelationem adfuisse credendum est, cum illico Magi moti sunt ad quaerendum novum Regem, ob quam animi promptitudinem, ac devotionis affectum invenire meruisse novum Regem, et mundi Salvatorem, quem quaerebant, existimandum est.

ARTICULUS VI.

UTRUM NATIVITAS CHRISTI ORDINE CONVENIENTI FUERIT MANIFESTATA.

ARTICULUS VII.

UTRUM STELLA QUAE MAGIS APPARUIT, FUERIT UNA DE CAELESTIBUS STELLIS.

ARTICULUS VIII.

UTRUM MAGI CONVENIENTER AD CHRISTUM ADORANDUM VENERINT.

De hoc argumento manifestationis Christi nihil ulterius occurrit adnotandum ex his, quae in Scholastica Theologia Doctor tractavit, sed in Commentariis *quos scripsisse fertur* super Evangelia, *quae hic desiderantur, verisimillimum est supplevisse.*

QUAESTIO TRIGESIMASEPTIMA.

DE LEGALIBUS CIRCA PUERUM IESUM OBSERVATIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Circumcisione Christi. Et quia Circumcisio est quaedam professio legis observandae, secundum illud Galatae, 5. *Testifico omni homini circumcidenti se quoniam debitor est universae legis faciendae,* simul cum hoc quaerendum est de aliis legalibus circa Puerum Iesum observatis.

Unde quaeruntur quatuor.

1. De Circumcisione. - 2. De nominis impositione. - 3. De eius oblatione. - 4. De Matris purgatione.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT CIRCUMCIDI.

Doctor, Oxon. loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 37. *a.* 1.

VIDETUR Christus haud circumcidi debuisse. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 2.] Circumcisio data fuit, ut esset remedium culpae originalis: sed Christus non potuit contraxisse culpam originalem, quia conceptus in utero Virginali Mariae de Spiritu Sancto, et non communi via, per quam ingreditur in filios Adae peccatum originale; ergo sibi opus non fuit remedio Circumcisionis, ac proinde non debuit illud sumpsisse.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 7.] Christus venit in mundum Circumcisionem abrogaturus, et Baptismum in remedium culpae originalis instituturus; ergo ipse non debuit circumcidi. *Probatur consequentia:* nam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] magister moralis, qui non vult opere implere quod docet, minus efficax est: Christus autem extitit magister efficacissimus; ergo debuit opere implevisse quod erat docturus; atque ita non expediebat in se Circumcisionem admittere, qui erat eam in aliis improbaturus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 11.] Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato, eratque proprie Sacramentum veteris Legis: sed Christo nequiit contulisse gratiam; ergo nec debuit eum in se admittere. *Minor patet:* quia Christus erat eousque gratiae plenus, ut de illius plenitudine omnes acceperint, et accipient; ergo nihil gratiae poterat Circumcisio illi addere, atque ita signum vacuum propria significatione extitisset.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Lucae, 2. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur Puer,* etc. Si Circumcisioni se subiecit; ergo convenientissime id gestum fuit.

RESPONDEO dicendum, Christum Dominum convenientissime Circumcisioni se subiecisse, ut narrat Evangelica Historia; Circumcisionem enim [*Oxon.* ib. n. 2.] dederat Deus Abrahamo et descendentibus ab eo in foedus sempiternum, districte praecipiens omnibus masculini sexus, ne

circumcidi contemnerent, uti scribitur Genes., 17.: *Masculus cuius praeputii caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Et rursus idem mandatum per Moysen renovavit. Ut igitur [*Oxon.* 2. d. 18. n. 3.] Christus ostenderet se secundum carnem ex Abrahamo originem trahere, congruum fuit in se opus Circumcisionis admittere et suscipere. — *Ulterius,* [*Oxon.* 4.d. 3. q. 4. per tot.] cum Christus mundo apparuit Circumcisionis obligatio omnes urgebat Israëlitas, erat enim relaxanda post institutum Baptisma, et tempore congruo tandem abroganda post Evangelii promulgationem. Quia igitur non decebat Christum introire in mundum per Legis Mosaycae iniuriam, ne acciperent occasionem Iudaei ipsum calumniandi et persequendi, tamquam legis eorum transgressorem et eversorem, convenientissime se circumcidi passus est. Neque conveniens fuit, ut Christus recens natus Circumcisionem abrogaret; id enim fieri oportuisset per aliam legem: non congruebat autem, [*Oxon.* ib. n. 20.] ut ipse a nativitate sua legem ferret, et in infantili aetate legislatorem se gereret; id enim per ipsum faciendum erat procedente tempore in aetate perfecta, ut revera factum fuisse constat; conveniebat igitur apprime circa initia ortus sui legi Moysis se subiectum ostendere per Circumcisionem, qui per omnem vitam usque ad ultimam coenam eamdem erat observaturus.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 2.] concedo, Circumcisionem datam fuisse in remedium culpae originalis, eamque delevisse ex opere operato; ac etiam constare Christum tali remedio minime indiguisse. Caeterum non eadem de causa circumcidi voluit, sed ut ex Abrahae origine se prodiisse manifestaret, et ne Legis Mosaycae violator diceretur.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 20.] Christum utique venisse Circumcisioni abrogandae, idest causa commutandi foedus illud initum inter Deum et descendentes ab Abrahamo, in aliud signum foederis inter Deum et totum genus humanum: non quidem circa initia ortus sui, sed tempore congruo, et procedente aetate. Cum itaque natus est in mundo, quoniam Moysi lex in suo vigebat robore, ab Abrahae descendentibus observanda erat, et decuit ipsum Salvatorem eidem se subiecisse, donec aliam legem observandam ut caelestis Magister omnibus proponeret, per quam vetus adimpleretur et consummaretur.

Ad tertium concedo, per Circumcisionem collatam fuisse gratiam suscipienti ex opere operato, atque etiam nihil gratiae Christo per ipsam collatum esse, sed magis per ipsius merita praevisa omnes, qui Circumcisionem subibant gratiam accepisse; sed nihilominus [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 4.] non fuisse in Christo signum vacuum sua destitutum significatione, quia significabat gratiam non in *fieri,* sed in *esse,* et facta quidem ex parte Circumcisionis gratia fuisset a Deo, nisi omnium gratiarum et donorum anima Christi plenissima extitisset.

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENIENTER FUERIT CHRISTO NOMEN IMPOSITUM.

Doctor, Oxon. 1. *d.* 22. *q.* 3. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 37. *a.* 2.

VIDETUR minus convenienter Christo fuisse nomen impositum. Nam [*Report.* 1. d. 22. n. 1.] incongrue videtur nomen imponi ei, quod est ineffabile: sed Christus est ineffabilis, cum sit Deus; ergo minus convenienter fuit illi nomen impositum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 22. q. 1. n. 2.] Si convenienter fuisset Christo nomen impositum, id esset vel respectu imponentis nomen, vel respectu nostri, qui eo eramus usuri, Deum per Christi nomen rogantes et implorantes. Sed non respectu imponentis; quia ipse nominis illius non indigebat. Nec respectu nostri, et *probatur:* etenim sicut aliquid intelligitur ita nominatur, sed nos non possumus distincte intelligere qua ratione in unica Persona Verbi subsistat duplex natura, humana scilicet et divina, quod est Christum esse, [*Oxon.* 3. d. 22. n. 19.] secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 3: *Christus autem nomen hypostaseos dicimus, sed duarum naturarum existens significativum.* Ergo nec possumus ipsum nominare, ac proinde minus convenienter fuit illi nomen impositum.

CONTRA. [*Report.* 4. d. 1. q. 5. n. 1.] Lucae, 2.: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, appellatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.*

RESPONDEO dicendum, convenientissime Christo fuisse nomen impositum. Christus enim [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 3.] venit in mundum liberaturus genus humanum a potestate diaboli, sub cuius tyrannide detinebatur ob Adae peccatum; decuit igitur ipsum ab hoc eximiae charitatis munere nomen accepisse, et vocari mundi Salvatorem, seu Iesum: *Verba enim* (secundum Augustinum *super Ezechielem*) *instituta sunt, per quae in alterius notitiam quisque cogitationes suas proferat.* Ut igitur omnes [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 2. seqq.] profitentes legem Christianorum ostendere et manifestare valerent se unius Redemptoris et Mediatoris Christi fidem tenere, oportuit ipsius Salvatoris nomen omnibus innotuisse quidem per Angelum, sed a Deo tamen imponi. Et etiam [*Oxon.* 1. d. 22. q. 2. n. 7. seqq.] ut quisque per invocationem sanctissimi nominis Iesu excitaret in se memoriam eximiae charitatis eius nobis impensae, et beneficiorum magnitudinem recogitaret, quae tam grandia sunt, ut nulla via aut ratione rependi queant. Ab eo enim est redemptio nostra et reconciliatio cum Deo. Proprium itaque [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 2-5.] signum vocale expressivum dispensationis Christi secundum carnem passibilem apprime decuit Deum hominibus manifestasse, ut per illud potissimum omnes Christiani in una religione ostenderentur convenire, et singuli eo nomine mediante, ut per signum sensibile invisibile effectum redemptionis intelligerent, et desiderium in seipsis excitarent, tum potiendi beneficio eiusdem redemptionis, tum rependendi amorem pro viribus Christo, ob excellentissimam erga nos charitatem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, Christum nomen accepisse

ab carnis susceptae dispensatione, per quam mortem subiit, ut Deo reconciliaremur. Iesus itaque vel mundi Salvator appellatus est a Deo, qui tale munus ei demandaverat, et iussit hominibus per Angelum revelari. Quamvis itaque [*Report.* 1. d. 22. n. 12.] homines nequivissent tale nomen recte Christo imponere, possunt tamen recte uti eo iam imposito a sciente comprehensive quidditatem Christi et dispensationem eius, sicut usurpamus et utimur nominibus Dei in Scripturis revelatis significantibus essentiam divinam, licet ea nobis sit penitus incomprehensibilis et ineffabilis.

Ad secundum dico, oportuisse nomen imponi Christo respectu nostri, qui eo usuri eramus, ut dictum est *in solutione — Et cum arguitur;* quia sicut aliquid intelligitur ita nominatur; *nego* istam propositionem, quia distinctius potest aliquid significari, quam intelligi. Nam [*Oxon.* 1. d. 22. q. 1. n. 2. 3.] pro hoc statu non intelligimus distincte substantiam, et tamen imponimus nomina significantia distincte substantiam; illud nimirum quod in ratione entis, vel rei effectae talibus accidentibus intelligimus, et ei ut distincta ab omnibus accidentibus imponimus nomen ut proprium signum ipsius, adeo ut imponens nomen intendat significare illam essentiam de genere substantiae, et quemadmodum significare intendit, ita nomen quod imposuit est signum, et tamen ipse non intelligit illud distincte, quod distincte intendit significare per hoc nomen, vel signum sensibile. Quamvis itaque indistincte nimis intelligamus ineffabilem unionem duarum naturarum in Christo, possumus nihilominus imponere nomen distinctius significans, quam intelligamus, et multo fortius uti imposito a Deo, et hominibus revelato per Angelum priusquam in utero Virginis conciperetur; quo proprie exprimitur munus Redemptoris humani generis, potius quam substantiam duarum naturarum in una Persona.

ARTICULUS III.

UTRUM CONVENIENTER CHRISTUS FUERIT IN TEMPLO OBLATUS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 37. *a.* 3.

Videtur Christus minus convenienter fuisse in templo oblatus. Nam Christi humanitas erat maxime praesens Verbo, uti fuerat hypostatice unita; ergo ipsi magis faciendae erant oblationes, quia [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 14.] erat locus sine ulla comparatione sanctior et sacratior quavis Ecclesia in qua fiunt Deo oblationes.

2. Praeterea. Ex dictis, *q.* 35. *art.* 6. Christus natus est ex Matre Virgine citra omnem dolorem et imminutionem Virginitatis eius; ergo prodiit modo longe dissimili ac nascuntur alii pueri ex eorum matribus; igitur pariter alio modo se gerere debebant circa ipsum Parentes eius; ac per consequens, cum aliae matres sub Lege Moysi tenerentur praesentare in templo natos earum, non debuit Christum in templo praesentari a Parentibus suis.

3. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19. — *Quodlib.* q. 10.] Oblationes, quae fieri iubebantur in Lege veteri, praefigurabant oblationem perfectam Christi faciendam ab eo in ara Crucis; igitur incongrue ipsemet videtur in templo oblatus, sicut minus convenienter idem diceretur figura et figuratum.

CONTRA. Lucae, 2. : *Et postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini,* etc.

RESPONDEO dicendum, Christum convenientissime in templo praesentatum fuisse iuxta legem latam a Moyse de primogenitis. Nam [*Oxon.*4. d. 30. q. 2. n. 2.] quemadmodum Christus voluit nasci de Virgine quidem, sed desponsata Joseph, ne ulla legi iniuria inferretur, quia partus innuptae lege damnabatur, ita voluit circa ipsum legalia quaeque servari donec ea vel solverentur, vel relaxarentur, vel complerentur per Legem Evangelicam. Placuit ergo sibi in templo praesentari, ut per Moysen mandaverat Deus fieri de primogenitis Israëlitarum illam legem profitentium. Ut igitur vere se ex Abrahamo originem ducere ostenderet, Legi quoque subiectum se fecit, ne aliter sese gerendo occasionem sumerent Iudaei traducendi ipsum veluti Legis Mosaicae transgressorem, praesertim cum venisse testatus sit non soluturus, sed impleturus, quae per Moysen Deus tulerat mandata.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, dictum fuisse *in solutione* cur decuerit et voluerit Christus in templo praesentari. Cum enim[*Oxon.*4. d. 3. q. 4. n. 19.] venisset legem completurus, conveniebat maxime, ut ipse exactum illius custodem et servatorem se proderet, quoadusque procedente tempore et perfecta iam aetate legislatorem ageret perfectioremque legem ferret, in qua eminentius et perfectius vetus ipsa servaretur.

AD SECUNDUM dico, Christum Legi Mosaicae servandae obstrictum neutiquam extitisse, atque id inducto argumento recte probari, quod ultro est concedendum; voluisse nihilominus eam servare et custodire ob rationes dictas *in solutione.*

AD TERTIUM concedo *assumptum,* et nego *consequentiam ;* quia cum Christus praesentaretur in templo non venerat tempus in quo debebant eae figurae cessare; ideo convenienter et ipsum figuratum offerebatur; quia [*Oxon.* ib. n. 20.] etsi ea lege obstrictus non tenebatur, non decebat tamen eam contemnere, ne legis violator diceretur, eo tempore quo debebat a filiis Abrahae observari.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONVENIENTER MATER DEI AD TEMPLUM PURGANDA ACCESSERIT.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 37. *art.* 4.

VIDETUR Mater Dei ad templum purganda accedere non debuisse. Nam [*Oxon.* ib. n. 19.] legales purificationes institutae erant, ut qui eas exequi iubebantur a peccatis mundarentur: sed Mater Dei nullum aliquando habuit peccatum a quo debuerit mundari; ergo minus convenienter ad templum purganda accessisse videtur.

2. PRAETEREA. B. Virgo Filium concepit non humano modo, sed de Spiritu Sancto, supplente divinitus quicquid homo facere potuisset; ergo nullam inde B. Virgo immunditiam contraxit, a qua foret detergenda. *Probatur consequentia;* siquidem Lex Moysis de purgatione facienda lata fuit pro mulieribus via naturali concipientibus, propter quod immundae dice-

bantur; ergo quia B. Virgo nullum suscepit virile semen in Filii sui conceptione, purgatione aliqua non indiguit, ac proinde ad templum purganda accedere non decuit.

3. PRAETEREA. Si B. Virgo ad templum purganda accedere debuisset, eo facto decepti essent quotquot ea res innotuisset: sed non decuit B. Virginem aliquem facto suo decipere; ergo neque ad templum purganda accedere debuit. *Probatur minor:* nam [*Oxon.* 1.d. 39. n. 27.] decipi seu falli est rem opinari aliter esse ac sit pro tunc quando creditur esse: sed Sacerdotes aliique praesentes putavissent B. Mariam purgatione indigere, dum purganda ad templum accederet; ergo cum id fuerit falsum, decepti proculdubio essent, cui deceptioni non decuit B. Virginem cooperari.

CONTRA. Lucae, 1.: *Et postquam impleti sunt dies purgationis Mariae secundum Legem Moysi,* etc. ergo conveniens fuit ipsam ad templum purgandam accedere.

RESPONDEO dicendum, Beatissimam Dei Matrem convenientissime ad templum purificandam accessisse secundum Legem Moysi. Nam cum Salvator mundo apparuit, Lex Moysi in suo vigebat robore, omnesque ad sui observantiam adstringebat Israëlitas; quemadmodum ergo [*Oxon.* 4.d.30. q. 2. n. 3.] convenientissime B. Virgo fuit desponsata Iosepho, ne si conciperet et pareret innupta iniuria Legi Moysi etiam quoad externam apparentiam illata videretur, quia partus innuptae damnabatur, ita pariter exactis diebus in lege praeceptis, post partum ad templum convenienter accessit, alioquin Legi iniuria facta fuisse videretur, quamvis illi observandae revera non teneretur, cum minime de viro filium conceperit, sed de Spiritu Sancto, citra omnem humanam cooperationem: [*Oxon.* 3. d. 2. q. 3. n. 3.] *Non enim hominem nudum genuit B. Virgo* (inquit Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 12.) *sed Deum verum, non nudum, sed incarnatum.* Itaque etsi B. Virgo Lege Mosaica non teneretur, convenienter tamen illi se subiecit, quia alioquin notari potuisset et insimulari ac si legi per ipsam contraventum esset,quod non decebat Virginis verecundiam et pudorem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo legales eas purificationes significasse purgationem a peccatis, atque etiam Dei Matrem nullum aliquando peccatum habuisse, a quo foret purganda. Itaque non hac de causa ad templum accessisse, sed ob rationem expositam *in solutione.* Eximie enim [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 2. seqq.] congruebat verecundiae, ac inenarrabili humilitati B. Mariae, ut Legis Mosaicae observantissima et esset et diceretur, ne secus faciendo illibatissima eius fama aliquid passa detrimentum videretur, atque ita Virginibus sinistra opinione viventibus daretur velamen excusationis, quod ipsa quoque Mater Salvatoris sinistra fama laboraverit.

AD SECUNDUM dico, ea ratione probari Christi Matrem Legi Mosaicae servandae obnoxiam non fuisse; quod verum est; sed nihilominus, quemadmodum convenienter matrimonio iuncta fuit viro ne concepisse videtur per legis transgressionem, ita pariter congruebat, ut legem de purgatione latam adimpleret, ne illi iniuriam intulisse videretur.

AD TERTIUM respondeo, eiusmodi Beatissimae Virginis facto neminem deceptum esse, nisi solum diabolum, quem tamen falli conveniebat; potuisset enim vindicasse opprobrium suum aliqualiter, si cognovisset Sacramentum, inquit Ambrosius. Caeterum [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 4.]

Sacerdotes aliique praesentes per talem praesentationem intelligebant purificationem ab immunditia, in quo non decipiebantur, quia si infuisset, B. Virgo iam purificata esset; et quoniam non infuit aliquando a quo purgaretur et mundaretur, ea purificatio extitit signum munditiae, quae inerat, et invenerat in Beatissima Matre Christi Salvatoris.

QUAESTIO TRIGESIMAOCTAVA.

DE BAPTISMO IOANNIS, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Baptismo, quo Christus baptizatus est. Et quia Christus baptizatus est Baptismo Ioannis, *primo,* considerandum est de Baptismo Ioannis in communi: *secundo,* de baptizatione Christi.

Et circa primum quaeruntur sex.

1. Utrum conveniens fuerit quod Ioannes baptizaret. - 2. Utrum ille Baptismus fuerit a Deo. - 3. Utrum contulerit gratiam. - 4. Utrum alii praeter Christum illo Baptismo debuerint baptizari. - 5. Utrum Baptismus ille debuerit cessare Christo baptizato. - 6. Utrum baptizati Baptismo Ioannis essent postea baptizandi Baptismo Christi.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT QUOD IOANNES BAPTIZARET.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 38. *a.* 1.

VIDETUR haud congruum fuisse Ioannem baptizare. Nam si id expediens et conveniens extitisset, profecto eius Baptismus aliquid commodi suscipientibus debuisset conferre; alioquin deridicula videretur talis baptizandi institutio: sed Ioannis Baptismus nihil potuit profuisse suscipientibus; nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 10. seqq.] in Lege veteri originale delebatur per Circumcisionem, et alia peccata expiabantur per caeremonialia Legis Moysi mandata; ergo ad nihil inserviebat Baptismus Ioannis, ac consequenter non conveniebat ipsum baptizare.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 4.] — d. 1. q. 3. n. 4. seqq.] Baptismus fuit proprium et peculiare remedium contra culpam originalem in Lege Evangelica; ergo incongrue eum adhibuit Ioannes, quia non sibi, sed legislatori Christo eius conveniebat institutio.

3. PRAETEREA. Baptisma Ioannis vel significabat efficaciter gratiam, vel non significabat. Si primum; [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 4. seqq.] igitur ipse non baptizabat nisi ut minister Baptismi Christi; tale enim Baptisma dumtaxat est signum efficax gratiae. Si non significabat; ergo non magis conveniebat ipsum aqua perfundere ad se accedentes, quam quidvis aliud

circa illos facere; non fuit ergo speciali aliqua ratione conveniens Ioannem baptizare.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Ioann., 1.: *Ego baptizo in aqua,* dixit Ioannes ad eos, qui missi fuerunt ad ipsum interrogaturi quis esset?

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] conveniens et congruum fuisse Ioannem baptizare. Sicuti enim in naturalibus introductionem formae principalis in subiecto praecedit dispositio ad ipsam, et medicinam praeparativam prius suscipit aegrotus et post curativam, ita baptismum introducturus Christus tamquam medicinam peccati originalis et efficacissime curativam, conveniens apprime fuit hanc praecedere Baptisma Ioannis, quod esset veluti quaedam dispositio et praeparatio in iis qui erant suscepturi Christi Baptismum. Per illam siquidem ablutionem, qua baptizabat, Ioannes facilius inclinabantur homines ad suscipiendam ablutionem salutarem, qua erant baptizandi Baptismate Christi, nec foret id molestum illis qui per Ioannis Baptismum ablutioni erant assueti. Quam rationem innuit ipse Ioannes, Ioann., 1. *Baptizo vos,* inquiens, *aqua* (idest tantum), *medius autem vestrum stetit quem vos nescitis;* qui scilicet baptizaturus est vos non in aqua tantum, externa nempe ablutione, sed in spiritu et veritate, per internam nimirum ablutionem animae a peccatis significatam efficaciter per externam baptizationem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM *concedo* per Ioannis Baptismum deleri non potuisse originale; *nego* tamen nihil profuisse suscipientibus, etenim praeparabat et disponebat eos ad Christi Baptisma, quo perfecte curarentur a morbo culpae originalis, et ab omnibus aliis peccatis, si cum illis ad Baptismum accedere contigisset.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. per tot.] Baptismum quatenus est medicina curativa originalis peccati esse Sacramentum proprium Legis Evangelicae a Christo institutum, cum hoc tamen stare posse, ut externa ablutione uteretur Ioannes, et aqua perfunderet accedentes ad se, tamquam qui praepararet illos ac disponeret ad Christi Baptisma. Quemadmodum [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 2. et 11. — 7. n. 3.] in Lege naturae Abrahamo fuit data Circumcisio, quae nihilominus non videtur tunc fuisse in remedium culpae originalis, sicuti fuit in Lege Mosaica, cum ex opere operato conferretur gratia subiicienti se Circumcisioni. Fuisse itaque videtur Circumcisio in Lege naturae veluti dispositio quaedam et praeparatio ad circumcisionis Sacramentum veteris Legis, sicuti Baptismus Ioannis respectu Baptismatis Christi.

AD TERTIUM dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Ioannis Baptismum non extitisse signum efficax gratiae collatae baptizatis ex opere operato, nisi fortasse ipse, aut Discipuli eius usi sint forma Baptismatis Christi. — *Et cum infertur;* igitur non magis conveniebat ipsum baptizare, quam quidvis aliud facere circa accedentes ad se; *respondeo,* id Ioannes non fecisse propria voluntate aut institutione, sed nutu et instinctu Spiritus Sancti, ut habetur Ioannis, 1. *Qui misit me* (inquit Ioannes) *baptizare in aqua.* Qui mandavit ergo illi baptizare in aqua ad se accedentes, novit cur magis conveniret Ioannem Baptismate uti, quam quodvis aliud signum adhibere circa eos, quos disponebat ad recipiendam Legem Evangelicam et Christi Sacramenta.

ARTICULUS II.

UTRUM BAPTISMUS IOANNIS FUERIT A DEO.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 38. *art.* 2.

VIDETUR Ioannis Baptismus non fuisse a Deo. Nam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] quia Legis Evangelicae Baptisma est a Christo, quicumque minister baptizet dicitur esse Baptisma Christi, ut testatur Apostolus, 1. *Ad Corinth.*, c. 1. Sed Baptismus quem conferebat Ioannes semper dicitur esse eiusdem Ioannis, non Christi, aut Dei; ergo talis Baptismus non fuit a Deo.

2. PRAETEREA. *Ex art. praec.* Ioannis in Baptismate homines dumtaxat externam ablutionem recipiebant, nec mundabantur interius a peccatis, ut in Christi Baptismo causante gratiam in anima suscipientis ex opere operato: sed corporalis illa externa ablutio potuit fuisse a quovis homine citra speciale nutum Dei; ergo Ioannis Baptismus ab ipsomet fuit, et non a Deo.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Ioannis, 1. *Qui misit me baptizare,* (inquit Baptista Ioannes) *in aqua, ille dixit mihi super quem videris spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Testatur ergo missum se ad baptizandum in aqua ante Christum, qui erat baptizaturus in Spiritu Sancto; et nonnisi a Deo poterat mitti ante illum; ergo ipsius Baptismus fuit a Deo.

RESPONDEO dicendum, Ioannis Baptismum fuisse a Deo, idest Ioannem baptizasse in aqua ad se accedentes instinctu speciali Spiritus Sancti, a quo fuit missus viam praeparaturus Christo. Etenim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2.] ipse Salvator voluit a Ioanne baptizari non in forma Baptismatis ipsius Christi, quia tunc non fuisset baptizatus baptismate Ioannis. Baptizabantur ergo a Ioanne in illa forma, qua utebatur cum caeteros suo Baptismo baptizaret; fatendum est ergo et eum Baptismum Ioannis extitisse a Deo, tamquam dispositionem praeparativam ad susceptionem Baptismi per Christum instituendi; alioquin non est verisimile Christum in se illum suscepturum fuisse, nisi Dei nutu Ioannes baptizare instituisset.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] concedo Ioannis Baptismum ab ipsomet denominationem accepisse, non a Deo etsi eius nutu baptizaret, quia tantum disponebat ad medelam, non ipsam afferebat salutem, seu emundationem a peccatis, et iustificationem. Etenim munditiam animae erat allaturus Christi Baptisma, cuius Ioannis exterior ablutio corporis erat dispositiva et praeparativa.

AD SECUNDUM respondeo, utique externam illam corporis ablutionem esse potuisse a quovis alio homine; sed non extitisse nisi a Ioanne et per Ioannem; qui [*Oxon.* ib.] quemadmodum fuerat missus a Deo, ut viam Domino praepararet, ita iussus fuit baptizare in aqua, ut praepararet homines et disponeret ad recipiendum Christi Baptisma, qui exinde erat baptizaturus non in aqua tantum, sed in Spiritu et veritate.

ARTICULUS III.

UTRUM IN BAPTISMO IOANNIS GRATIA DARETUR.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 38. *art.* 3.

VIDETUR Baptismus Ioannis gratiam suscipientibus contulisse. Etenim, (ut dictum est *art. praec.*) eiusmodi Baptismus fuit a Deo, cuius speciali instinctu Ioannes eum conferebat; ergo per ipsum gratia dabatur iis qui illum suscepissent, alioquin extitisset perinde ac si ab homine fuisset institutus.

2. PRAETEREA. Si Ioannis Baptisma fuit a Deo; ergo qui tale Baptisma suscipiebant a Ioanne reipsa obtemperabant Deo, qui iusserat Ioannem baptizare; igitur in susceptione talis Baptismi gratiam recipiebant qui abluebantur; alioquin nihil interfuisset inter eos, qui Baptismo se subiiciebant, et qui baptizari aspernabantur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 2.-11.] sacrificia in Lege Naturae, et Circumcisio in Lege Moysis gratiam conferebant, quia non erat humanum inventum, sed iussa a Deo, et data hominibus veluti remedia necessaria ad salutem: sed neque Ioannis Baptisma fuit ab homine seu humanum inventum, sed a Deo imperante vel praecipiente; ergo pariter per ipsum dabatur gratia sicuti in Sacrificiis Legis naturae et in Circumcisione.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Ioann., 1. *Ego baptizo vos in aqua* (inquit Baptista Ioannes) idest tantum. *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, qui baptizat in Spiritu Sancto;* ergo illius Baptismus externa tantum peragebatur ablutione; Christi autem Baptismo praeterea mundatur anima per gratiam Spiritus Sancti.

RESPONDEO dicendum Ioannes Baptisma non contulisse gratiam suscipientibus, sed ad illam praeparasse. Nam [*Oxon.* ib.] Ioannes iussus fuit baptizare ad hoc, ut disponeret et praepararet homines ad Baptismum Christi, quatenus haud videretur praeceptum de Baptismo suscipiendo, quod erat laturus Christus in Lege Evangelica, qui iam didicissent et vidissent Ioannem baptizare, atque eiusmodi ablutioni ultro se se subiicissent. Cum igitur gratia efficienda et causanda erat ex Christi Baptismate, nequiit conferri per Ioannis ablutionem, virtute nempe ipsius, quae nonnisi quaedam dispositio fuerat ad gratiam sacramentalem; proinde dicebat Ioannes: *Ego baptizo vos in aqua,* ac si diceret: praeparare quidem vos possum per aquae ablutionem et disponere per poenitentiam ad obtinendam remissionem peccatorum; dare autem gratiam non possum; sed qui post me est baptizaturus ille replebit vos gratia caeterisque spiritualibus donis, ideo ait: *Qui misit me baptizare in aqua ille mihi dixit: super quem videris spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ioann., 1.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, per hoc quod Ioannis Baptismus erat a Deo, id habuisse, ut fuerit dispositio mere praeparativa ad Baptismum Christi; quemadmodum [*Report.* 3. d. 18. q. 3. n. 4.] in naturalibus ab eodem agente est dispositio ad formam et eiusdem formae introductio in subiecto disposito, ita ab eodem agente supernaturali est

infusio gratiae et dispositio ad ipsam; si extitisset autem ab homine, non poterat habere hanc praerogativam disponendi ad gratiam infundendam in Baptismate Christi.

AD SECUNDUM concedo eos, qui ut oportebat ad Ioannis Baptismum accedebant, gratiam accepisse, non per Baptismum seu ex opere operato, sed per modum meriti, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 10.] quia scilicet parebant Deo, Baptismum suo iussu a Ioanne institutum suscipientes. Quemadmodum et gratiam recepisse existimandum est eos, qui in charitate exequebantur illas caeremonias, quas in Lege Mosaica fieri mandaverat Deus.

AD TERTIUM respondetur ex statim dictis. Quia [*Oxon.* ib. n. 10. seqq.] Circumcisio in Lege veteri et sacrificia quaedam in lege naturae erant instituta in remedium peccati originalis, ideo causabant gratiam ex opere operato; at reliqua, quae non Sacramenta proprie dicebantur, uti erant purgationes ab immunditiis contractis secundum legem, non proinde gratiam conferebant, sed tantum per modum meriti, si ex obedientia exercebantur in adimplementum mandatorum Dei, modo obicem non habuerint in seipsis, quo gratiam recipere prohibiti fuissent.

ARTICULUS IV.

UTRUM ALII PRAETER CHRISTUM BAPTISMO IOANNIS BAPTIZARI DEBUERINT.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 38. *art.* 4.

VIDETUR nemo alius praeter Christum Baptismo Ioannis debuisse Baptizari. Nam si congruum fuisset quemvis eum Baptismum accipere, maxime ut disponerentur omnes ad recipiendum Baptisma Christi, cuius Baptismatis Ioannis ablutionem dictum est extitisse praeparativam dispositionem: sed [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2. seqq.] eiusmodi congruentia non procedit; ergo solus Christus debuit in se suscepisse Ioannis ablutionem. *Probatio minoris:* Christi Baptisma commune est omni sexui et aetati: sed non legitur Ioannem suo Baptismate praeparasse parvulos, qui nihilominus salubriter admoventur Christi Baptismo; ergo alii a Christo non debuerunt Ioannis Baptismo initiari.

2. PRAETEREA. Ioannis Baptisma non dabatur gratia suscipientibus, ex *art. antec.;* ergo non debebant ad Ioannem baptizandi accedere. *Probatur consequentia;* quia si ipsis baptizari tali Baptismate profuisset, maxime ut disponerentur ad perfectiorem Baptismum: sed [*Oxon.* ib.] parvuli et Gentiles erant satis dispositi ad Christi Baptisma absque Ioannis ablutione; ergo etiam Israëlitae; ac proinde non debuerunt alii praeter Christum eiusmodi Baptismo initiari.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Cum Christus a Ioanne baptizatus est, ex contactu suae mundissimae carnis dedicavit aquam tamquam materiam idoneam suo Baptismo; ergo etsi hac de causa, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] ut scilicet omnem aquam elementarem in usum Baptismi consecraret, debuerit Salvator a Ioanne baptizari, in aliis tamen haec ratio cessabat, ac per consequens non debebant a Ioanne baptizari.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Ioann., 1. *Ego baptizo in aqua,* dixit Ioannes ad eos, qui missi fuerant ad se percontaturi quis esset? Ba-

ptizabat ergo quotquot ipsum ea de causa adhibant; congruum ergo fuit et alios praeter Christum ab eo baptizari.

RESPONDEO dicendum, debuisse et alios a Christo Ioannis Baptismo Baptizari. Cum enim [*Oxon.* ib.] (ut saepe dictum est) Ioannis Baptismus fuerit ablutio quaedam praeparativa et dispositiva ad Christi Baptisma, quo efficacissime interius anima abluitur ab omni sorde peccati; utique oportebat plerosque Ioannis in se suscepisse ablutionem, qua tum ipsi, tum alii ad quos facti notitia pervenerat, dispositi et parati essent ad suscipiendum Baptisma Christi paulo post instituendum; siquidem [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2.] cum adhuc Ioannes baptizare perseveraret, Christi Discipuli pariter baptizabant Baptismo Christi, ut scribitur Ioann., 3. Unde Ioannis Baptistae Discipuli dicunt ad ipsum: *Rabbi cui testimonium perhibuisti, ecce ipse baptizat, et omnes veniunt ad eum. Quamquam Iesus non baptizaret, sed Discipuli eius,* ut scribitur, *cap. seq.* Conveniebat ergo fini intento ab illo qui misit Ioannem baptizare, ut multi in se eiusmodi admitterent Baptismum, alioquin haud disponere potuisset ad ablutionem, qua baptizandi erant per Christum in Spiritu et veritate.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, respondeo Ioannis Baptisma non extitisse praeparativam dispositionem ad Christi Baptisma, sicuti [*Oxon.* 4. d. 6. q. 11. n. 4.] in physicis dispositio subiecti praecedit formam in ipsum introducendam, ita ut idem omnino sit dispositionis et formae subiectum; sed fuisse dispositionem dumtaxat moralem, ac proinde disponere et praeparare potuisse etiam illos, qui solummodo audiebant Ioannem baptizare, et in seipsis illius Baptismum non suscipiebant. Et sane quae gerebat Ioannes oportuit notissima esse universo Israëli, cum ad ipsum ex Ierosolymis solemnis legatio missa fuerit, sciscitatum conditionem suae personae, ut exinde persuaderent an eius Baptisma ab ipsis suscipiendum foret; erat igitur eiusmodi Baptismus satis divulgatus, ex quo sufficienter disponi poterant Israëlitae ad Christi Baptismum suscipiendum, et per ipsos parvuli eorum; debebant ergo etiam alii, et non tantum Christus, eo Baptismo baptizari.

AD SECUNDUM respondeo ex *statim dictis.* Quia enim Ioannis Baptisma non extitit physice dispositio ad Christi Baptismum, non oportuit omnes illud suscepisse, qui baptizandi erant Christi Baptismate; satis ergo fuit ex se notorium fuisse, et apud Israëlitas et habitantes Hierusalem divulgatum, ut dici queat revera ad Christi Baptismum moraliter disposuisse eos, qui credituri erant in Christum. Unde [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 11.] cum in die sancto Pentecostes misso Spiritu Sancto ex solemni Apostolorum praedicatione baptizati sunt ad tria millia hominum, ut scribitur *Actuum,* 2. arbitrandum non est omnes fuisse prius Baptismate Ioannis initiatos, imo verisimile est non omnes extitisse Israëlitas, sed etiam ex Gentibus, quae frequentes tunc Ierosolymis erant.

AD TERTIUM dico, conveniens fuisse Christum baptizare tum ob eam, quae adducitur causam, tum ob alias *q. seq.* dicendas, et alios non ob eam rem ab Ioanne baptizatos putamus, sed potius ut disponerentur ad perfectius Baptisma recipiendum, ut frequenter dictum est.

ARTICULUS V.

UTRUM BAPTISMUS IOANNIS DEBUERIT CESSARE CHRISTO BAPTIZATO.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 38. *a.* 5.

VIDETUR Ioannis Baptismus cessare debuisse Christo baptizato. Nam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Ioannis Baptismus fuit umbra et imago Baptismatis Christi, ut ipsemet Ioannes significavit iis, qui missi fuerant, dicens: *Ego baptizo vos aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis, etc. qui baptizat in Spiritu Sancto,* Ioann., 1. Sed [*Oxon.* 3. d. 3. q. 4. n. 2.] baptizato Domino statim ipse, vel Discipuli eius baptizare coeperunt, ut habetur Ioann., 3. ubi dicitur, Ioannis discipulos aegre tulisse Christum vel Discipulos eius baptizare; ergo debuit cessavisse Ioannes a baptizando, cum iam facta fuerit veritas ab ipso praefigurata.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Ioannis Baptismus erat sicut dispositio mere praeparativa ad Baptismum Christi: sed cum baptizaretur Christus erant satis dispositi homines ad recipiendum Christi Baptismum, quem instituit mox ac fuit baptizatus; ergo debuit Ioannes a baptizando cessare postquam Christum baptizaverat. *Patet minor;* quia quando Christus a Ioanne baptizari voluit percrebuerat illius Baptisma apud Iudaeos.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2.] Christo baptizato omnis aqua elementaris tactu suae mundissimae carnis dedicata est in usum Baptismi evangelicae Legis; ergo tantum Christi Baptismate debebant baptizari homines regenerandi per Christi gratiam, ac proinde oportuit Ioannis Baptisma cessavisse, per quod homines non poterant denuo renasci.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] *Ioann.,* 3. scribitur, priusquam Ioannes mitteretur in carcerem baptizasse iuxta *Salim,* ubi erat copia aquarum, et pariter Christi Discipulos baptizasse, ac Discipulos Ioannis dixisse ad ipsum expostulantes: *Rabbi cui testimonium perhibuisti ecce ipse baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Igitur baptizato Christo non debuit Ioannes a baptizando cessare.

RESPONDEO dicendum, congruum fuisse Ioannem pergere ad baptizandum etiam postquam Christus ab ipso fuit baptizatus. Etenim [*Oxon.* ib.n.2.seqq.] cum Ioannes Christo contulit Baptismum, non fecit id ea forma, qua Christus instituit suum Baptisma conferendum esse, sed in forma propria; alioquin non Ioannis, sed Christi Baptismus fuisset; videtur ergo Christus suum Baptismum instituisse postquam fuit a Ioanne baptizatus; ergo congruum fuit, ut Ioannes baptizandis Israëlitis incumberet etiam Christo baptizato, quo nempe disponerentur ad Christi Baptisma tempore congruo proponendum. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 11.] non statim ac institutus fuit Baptismus a Christo obligabantur sub praecepto homines ad illius susceptionem, imo primum proponebatur sub consilio, in tantum ut potuissent homines aeternam salutem adipisci, citra eius Baptismi susceptionem, et tale tempus incoepit a praedicatione Evangelii et Baptismi per Christum vel per Apostolos, et perseveravit usque ad praedicationem solemnem et authenticam eiusdem post Ascensionem Christi.

Eo igitur tempore, quo Baptismus Christi erat sub consilio, nulla erat causa, cur Ioannes a baptizando desisteret; sed potius curandum erat, ut magis magisque disponerentur homines ipsum audientes ad Christi Baptisma, haud diu post proponendum tamquam medium necessarium ad salutem, et ita reipsa factum fuisse constat ex Evangelio Ioannis, ut argutum est *ad oppositum.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, veritatem de Christi Baptismate tunc factam esse, cum mundo innotuit ipsum Baptisma esse ita necessarium ad salutem, ut sine illo impossibile foret introire in regnum Dei; id vero [*Oxon.* ib.] non evenisse nisi in solemni praedicatione Evangelii, facta per Apostolos post Christi Ascensionem; quamdiu ergo fuit sub consilio non plene innotuerat vis, quam Christus saluberrimo ei Sacramento indiderat, ac proinde quamvis concedatur Ioannis Baptismum fuisse umbram et figuram veracis lavacri per Christum instituendi, non proinde debebat cessare statim ab eiusdem institutione.

AD SECUNDUM concedo *maiorem.* – *Et cum dicitur;* quia Christo baptizato homines erant satis dispositi ad recipiendum Christi Baptismum. *respondeo,* nullum inconveniens fuisse magis etiam disponi ad poenitentiam, et ad susceptionem Baptismi perfectioris per magnificas et efficaces praedicationes Baptistae, ut subinde hac occasione testimonium perhiberet Christo, qui erat baptizaturus in Spiritu Sancto.— *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 2.] quamvis hac de causa Ioannes a baptizando cessare debuisset, nihilominus ob alias rationes congruum fuit ipsum perseverare in sui Baptismi collatione, quarum illa non minima videtur, quia si Ioannis discipuli videntes Christi Apostolos baptizare, quamvis eorum Magister Ioannes aqua intingeret ad se accedentes, indignati sunt, ut scribitur *Ioann.,* 3. multo magis zelo exarsissent si propterea Ioannem a baptizando cessasse vidissent.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 11.] non statim ac fuit institutus Christi Baptismus obligasse sub praecepto, adeo ut eo tempore potuerint homines sine Baptismo salvari aliis remediis ad salutem adhibitis; dum ergo erat sub consilio nullum fuit inconveniens Ioannem baptizare eos, qui ad ipsum veniebant, ut ea occasione instruerentur de Christi adventu, et de Baptismo illius, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] qui non in aqua tantum erat, sed in Spiritu et veritate.

ARTICULUS VI.

UTRUM BAPTIZATI BAPTISMO IOANNIS ESSENT POSTEA BAPTISMO CHRISTI BAPTIZANDI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 2. *q* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 38. *a.* 6.

VIDETUR eos qui erant baptizati Baptismo Ioannis non fuisse iterum baptizandos Baptismo Christi. Nam Ioannes baptizabat in nomine Christi venturi: sed [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 9.] Apostoli pariter baptizabant in nomine Christi, *Actuum.* 2. *et* 10.; ergo quemadmodum quos Apostoli intingebant aquis non erant iterato baptizandi, ita nec illi quibus conferebat Baptismum Ioannes.

2. PRAETEREA. Apostoli, vel saltem quidam eorum erant baptizati

Baptismo Ioannis, cum fuerint discipuli ipsius: sed ii non susceperunt postea Baptismum Christi. Nam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4.] *Christus non baptizabat, sed Discipuli eius,* ut scribitur Ioann., 4.; igitur non fuerunt a Christo baptizati, et consequenter satis illis fuit suscepisse Baptismum Ioannis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 1. — *Report.* ib. n. 1.] In receptione Sacramentorum, quod datur non est iterandum, sed si aliquid omittatur est caute supplendum; *De Cler. per saltum promoto,* cap. unico; et *De Sacrament. non iterand.,* cap. 1. Sed in Baptismo Ioannis dabatur ablutio exterior; ergo si defuit interior illa, erat supplenda, sed non iteranda exterior.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Magister, 4. *sent. d.* 2. *lit. F.* haec habet: *Qui spem non posuerunt in Baptismo Ioannis, et Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum credebant, non post baptizati fuerunt, sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum Sanctum receperunt;* igitur qui a Ioanne baptizati erant non debebant postea recipere Christi Baptisma.

CONTRA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Augustinus, *Homil,* 5. *super Ioann.: Si quos,* inquit, *baptizaverit Ioannes, iterum sunt baptizandi: plane iterum, sed non iterato Baptismate; quos enim Iudas baptizavit et Christus, quos baptizavit Ioannes non.* Et de Baptismo contra Donatistas, *lib.* 5. *cap.* 9. scribit; *Christus tali Baptismo mundat Ecclesiam, quo accepto alterum non erat necessarium: Ioannes autem tali Baptismo pertingebat, quo accepto, esset Baptisma Dominicum necessarium.*

RESPONDEO dicendum, fuisse iterum baptizandos eos, quos suo Baptismate baptizavit Ioannes. Etenim [*Oxon.* ib.] praeceptum generale de suscipiendo Christi Baptismate pro consequenda vita aeterna non adimplebatur per susceptionem Baptismi Ioannis; ergo eiusmodi Baptismo baptizati adhuc abluendi erant Baptismo salutari Christi. *Assumptum declaratur:* quia Ioannes cum ablueret aquis ad se accedentes, vel nulla forma utebatur, vel baptizabat in nomine venturi, (etsi enim iam Christus venerat per Incarnationem, adhuc tamen non venerat in notitiam nec manifestatus erat iis, qui a Ioanne baptizabantur), nimirum in forma propria talis Baptismi; non erat ergo Christi Baptisma. Si enim in forma quam Christus instituerat Baptismum tradidisset, non ipsius, sed Christi Baptisma extitisset; tenebantur ergo qui fuerant Baptismo Ioannis baptizati iterum baptizari Christi Baptismo, quo generali praecepto satisfacerent, atque membra Ecclesiae militantis evaderent, omnia nimirum eodem charactere consignata, per quem initiati Legem Evangelicam se observaturos profiterentur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 9.] Apostolos in primitiva Ecclesia interdum baptizasse in nomine Christi ex Dei dispensatione, quo tunc magis evulgaretur nomen Christi, licet forma communis tradendi Baptismum ea sit, quam praescripsit Salvator Matthaei, ult. *In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ideoque non fuisse iterum baptizandos quos Apostoli nomine Christi baptizaverant. At Ioannes si in nomine Venturi conferebat suum Baptismum, non erat Christi Baptismus; quia Apostoli edocebant baptizatos ab eis Christum iam venisse, crucifixum, mortuum, et tertia die surrexisse. Itaque non bapti-

zabant in nomine Venturi, ut Ioannes; ac proinde diversus erat iste a Ioannis Baptismo.

AD SECUNDUM concedo, quosdam ex Apostolis fuisse Baptismo Ioannis baptizatos, cum extiterint illius discipuli; nego tamen eos postea non suscepisse Christi Baptismum, cum [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] nulla fuerit necessitas aut utilitas dispensandi cum illis super generali praecepto, quo omnes obligavit ad suscipiendum Baptismum, imo cum fecerit eos Sacerdotes in ultima Coena, existimandum est tunc baptizatos fuisse, cum ordo Sacerdotii Baptismum supponat.—*Et cum dicitur,* quia *Christus non baptizabat, sed Discipuli eius;* dico, non omnia quae fecit Salvator scripta esse, ut monet idem Evangelista Ioannes in Evangelio *sub finem;* et etiamsi a Christo non fuerint baptizati, potuerunt tamen necessarium Sacramentum mutuo et contulisse et suscepisse.

AD TERTIUM dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 4. — *Report.* ib. n. 3.] maximam illam habere locum dumtaxat in Sacramento Ordinis, vel etiam Eucharistiae, quae ex diversis integrantur; et quodlibet illorum seorsim poni potest. At minime esse intelligendum de partibus essentialibus eiusdem Sacramenti, quia una ex illis deficiente nihil omnino fit, cum non ponatur fundamentum significationis sacramentalis. Non poterat itaque suppleri Baptismus Ioannis, quia ablutio illa exterior qua perfundebat Ioannes homines, nihil omnino erat Sacramenti Baptismi; ideoque tale Sacramentum de necessitate fuit conferendus illis, qui Ioannis Baptismo sese subiecerant.

AD QUARTUM respondeo, [*Oxon.* ib.— *Report.* ib.] utique Magistrum sensisse iterum esse baptizandos eos, qui ponebant spem in Baptismo Ioannis, nec cognoscebant Spiritum Sanctum; sed qui non ponebant spem in illo, et habuerunt fidem et cognitionem Trinitatis, non fuisse iterato baptizandos Baptismo Christi. Sed hanc Magistri sententiam esse reiiciendam fatentur omnes; quia generale praeceptum Baptismi Christi comprehendit baptizatos a Ioanne, sicut et caeteros. Sed et rationem qua motus est nullam esse ex eo constat, quia quamvis non habentes fidem fuerint baptizandi Baptismo Christi, non sequitur tamen, ergo habentes fidem non erant baptizandi; nam hic modus arguendi non tenet nisi in causis praecisis. Porro infidelitas non erat causa praecisa, ut iterum baptizarentur Baptismo Christi baptizati per Ioannem, imo iterum baptizandi erant, quia per Ioannis ablutionem nec gratiam Baptismi receperant, nec erant adscripti inter membra Ecclesiae militantis. Caeterum [*Oxon.* ib. n. 3.] si Ioannes aquis abluisset aliquos in forma, quam Christus instituerat suum Baptisma, etiamsi illi fidem Trinitatis non tenerent, adhuc veraciter baptizati fuissent, dum tamen intentionem habuissent suscipiendi illud, quod Ecclesia intendebat conferre, et eo Baptismo baptizari quo Ioannes ipsos abluebat. Sicuti ergo suscipientibus Baptismum Ioannis nihil profuisset fides Trinitatis, quia adhuc baptizandi essent; ita infidelitas non obstitisset suscipientibus Baptismum Christi per Ioannem, quominus verum Baptismum suscepissent, ac propterea ab ulteriori Baptismo recipiendo obstricti non essent.

QUAESTIO TRIGESIMANONA.

DE BAPTIZATIONE CHRISTI, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de baptizatione Christi.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum Christus debuerit baptizari. - 2. Utrum debuerit baptizari Baptismo Ioannis. - 3. De tempore Baptismi. - 4. De loco. - 5. De hoc, quod ei sunt caeli aperti. - 6. De Spiritu Sancto apparente in specie columbae. - 7. Utrum illa columba fuerit verum animal. - 8. De voce paterni testimonii.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM BAPTIZARI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 6. — *Report ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 39. *a.* 1.

VIDETUR non fuisse conveniens Christum baptizari. Nam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Baptismus Ioannis erat dispositio quaedam praeparativa ad Baptismum Christi: sed Christus non erat suscepturus Baptismum a se instituendum, imo ipse erat baptizaturus in Spiritu et veritate profitentes Legem Evangelicam; ergo non debebat baptizari Baptismo Ioannis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 3.] Conveniens fuit Christum circumcidi ne videretur Legem Moysi contemnere, unde accipere possent occasionem Iudaei ipsum persequendi, ut legis transgressorem: sed haec ratio non procedit circa Ioannis Baptismum, quia huiusmodi ablutio, seu purificatio iussa non fuerat in Lege Moysi; ergo non conveniebat Christum Ioannis Baptismo baptizari.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. — d. 3. q. 4. per tot.] Non est existimandum Christum actibus suis exercuisse, quae Ecclesiae suae non essent profutura: sed ipsum baptizatum esse per Ioannem nemini aliquid utilitatis potuit afferre; ergo minus convenienter Christum se Ioannis Baptismo subiecisse videtur. *Probatur minor:* nam Ioannis Baptismus non est novae Legis Sacramentum, sed Baptismus Christi, et hunc non illum erant recepturi Evangelii professores; ergo nihil profuit Ecclesiae Baptismum Ioannis Christum suscepisse, quia fideles tale exemplum non erant imitaturi.

CONTRA. Matthaei, 3. *Venit Iesus a Galilea in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo;* igitur fuit conveniens a Ioanne Christum baptizari.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2.] convenientissime Christum Baptismo Ioannis sese subiecisse. *Primo,* quia in usum Baptismi Legis Evangelicae erant aquae naturales dedicandae; id autem convenientissime gestum ac peractum est per tactum mundissimae carnis Salvatoris cum a Ioanne baptizaretur. *Secundo,* [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] quia eo doctor moralis est efficacior ad docendum, secundum Gregorium, quo ipsemet actibus suis repraesentat et adimplet opere quaecumque alios verbis docet. Christus autem erat laturus legem universalem districte obli-

gantem omnes ad Baptismi susceptionem; ergo quo efficacissime legem inculcaret adeo necessariam, atque ad eius observantiam provocaret, congruum fuit prius in se Baptismum suscepisse. Unde Actuum, 1. scribitur: *Coepit Iesus facere, et docere.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, Ioannis Baptisma extitisse solum praeparatorium ad Christi Baptismum in iis, qui in Christo baptizandi erant; at in ipso Salvatore fuisse in exemplum, utque sanctificarentur aquae in Baptismi usum, ut dictum est *in solutione.*

AD SECUNDUM concedo, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2. seqq.] Ioannis Baptismum non fuisse ex lege, atque ex hoc capite Christum illi non se subiecisse, sed baptizari voluisse, quia mox erat laturus Evangelicam legem suam, et mandaturus omnibus hominibus ut ab se institutum Baptismum susciperent; et proinde congruum apprime fuisse, ut et ipse prius baptizaretur, sicque in ipso legislatore consecrarentur aquae in Baptismi usum.

AD TERTIUM dicendum, Christum exemplo suae inenarrabilis humilitatis, qua a Ioanne baptizari voluit, mire Ecclesiae suae profuisse; etsi autem fideles non Ioannis, sed Christi Baptisma erant suscepturi, nihilominus eos docuit debere professores Legis novae se suo Baptismo subiicere, ut ipse illum Baptistae Ioannis in se admisisset.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS BAPTISMO IOANNIS DEBUERIT BAPTIZARI.

Doctor, loc. infra citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 39. *art.* 2.

VIDETUR Christus Baptismo Ioannis baptizari non debuisse. Nam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Christi Baptismus est longe perfectior Baptismate quo Ioannes utebatur, ut fassus est ipsemet Ioannes ad eos qui missi fuerant ad se, *Ioann.*, 1.; ergo si Christus baptizandus erat, magis convenienter adhibitus fuisset perfectior Baptismus; etenim perfectiora quaeque congruunt Christo eique videntur attribuenda.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Ioannes sciebat per revelationem Spiritus Sancti Christum esse Messiam in lege promissum; ergo nec conveniebat Christum eius Baptismo baptizari, nec congruum fuit ipsum Ioannem suum Baptismum ei conferre. *Probatur consequentia:* nam Ioannes baptizabat in nomine Venturi, quae forma licet virtutem haberet quantum ad Christi manifestationem respectu suscipientium Ioannis Baptismum, quatenus eos latebat Christi adventus, tamen id subsistere minime potuit cum Ioannes ipsum baptizabat Christum, respectu cuius non erat venturus, imo adesse monstravit; non debuit ergo Christus Baptismo Ioannis baptizari.

CONTRA. Matthaei, 3. *Venit Iesus a Galilea in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo;* igitur debuit Christus a Ioanne baptizari.

RESPONDEO dicendum, congruum fuisse Christum Ioannis Baptismo baptizari. Cum enim ad efficacius persuadendum et alliciendum omnes ad sui Baptismi susceptionem baptizari voluerit, (*ex art. praec.*) utique non alio, quam Ioannis Baptismate debuit initiari. Etenim [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 4.] si suo se Baptismo subiecisset, ex eo gratia sibi conferri

non potuit, quia omnis gratiae et veritatis, ut Patris unigenitum decebat, plenissimus erat; et tametsi proinde Baptismus signum falsum non extitisset, quia significasset gratiam ei inesse, nihilominus id conveniens non videtur fuisse. Quia [*Oxon.* 4. d. 2 q. 1. n. 6. et 11.] cum Christus sit causa meritoria omnis gratiae datae et conferendae omnibus qui gratiam aliqua ratione habuerunt et habituri sunt, si Sacramentum Baptismi sibi applicatum esset, significari videretur gratiam ei collatam intuitu meritoriae causae, a qua et per quam Sacramenta sunt signa efficacia gratiae. At qui nulla alia praeter Chistum est causa meritoria gratiae de condigno, non quidem respectu sui, sed respectu omnium aliorum, qui gratiam habuerunt vel habebunt imposterum.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2. seqq.] cum Christus baptizaretur a Ioanne non fuisse institutum Baptismum Legis Evangelicae, sed postea procedente tempore, ac proinde non decuisse Christum eo baptizari; et etiamsi institutus esset, non debuit id Sacramentum Christo applicari, quia obtinuit omnem gratiam creabilem a Deo citra omnia merita, ut foret, causa meritoria totius gratiae, quam de illius plenitudine accepturum erat corpus Ecclesiae, ac proinde minus convenienter applicata essent illi Sacramenta, quae habent efficaciam per causam meritoriam de condigno, quae est ipsemet Christus Salvator Mediator Dei et hominum.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] quamvis Ioannes ad se accedentes in nomine Venturi baptizaret, cum tamen Christus illius Baptismo se subiecit nulla forma usus fuisse videtur, vel saltem non illa sub qua suum impartiebatur Baptismum aliis, praesertim cum illa sola externa ablutio sine ullis verbis satis erat fini intento a Christo in susceptione Baptismi Ioannis.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS CONVENIENTI TEMPORE FUERIT BAPTIZATUS.

Doctor, loc. infr. citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 39. *a.* 3.

Videtur Christus fuisse baptizatus tempore minus convenienti. Etenim ex dictis, *art.* 1. Christus baptizari voluit, ut [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 3.] suo exemplo eos, qui Legem Evangelicam professuri erant, ad Baptismi susceptionem provocaret: sed Christi Baptisma salubriter confertur non solum in triginta aetatis anno constitutis, sed etiam ante id temporis, et etiam ipsa in infantili aetate; ergo magis congrue Christus Baptismo se subiecisset ante triginta annorum aetatem.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib. n. 20.] Christus voluit circumcidi cum infans esset octo dierum pro observanda Lege Moysis; ergo pariter ad praebendum exemplum et docendum parvulos esse baptizandos, debuit Baptismum suscepisse in puerili aetate.

Contra. Lucae, 3. scribitur: *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Iesu baptizato, et orante, apertum est Caelum etc. et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta;* igitur convenientissimo tempore fuit baptizatus.

Respondeo dicendum, Christum opportuno convenientique tempore

a Ioanne baptizari voluisse. Cum enim [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] Salvator a Baptismate Ioannis, quod in se suscipere voluit, docere Israëlitas Legem Evangelicam incoepisset, et Baptismum suum per seipsum, eiusque Discipulos praedicare, et conferre suscipere volentibus incoepisset, decuit id fieri et praestari utique aetate, quae et ministerio doctoris, et muneri legislatoris novae Legis esset accommoda, cuiusmodi est aetas triginta annorum, ut revera factum fuisse, Evangelica narrat Historia.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, narratam mox esse congruentiam, ob quam Salvator perfecta in aetate potius baptizari voluit, quam ante illam: etsi enim in primo suae conceptionis instanti tantam habuerit sapientiam, quanta pollet nunc in Caelis, non tamen conveniebat, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 20.] nec pro consuetudine Divinae Providentiae fuisset, legislatorem statim circa nativitatem suam legem ferre, et promulgare nova mandata, uti statuerat Deus per Christum faciendum statim a suscepto Baptismate Ioannis.

Ad secundum dico, [*Oxon.* ib.] pro observantia Legis Mosaicae, ad quam cum Salvator nasceretur in mundum tenebantur Israëlitae, convenienter Christum ad eius legis praeceptum Circumcisioni sese subiecisse; at non perinde lege praecipiebatur Ioannis Baptismus, ad quem proinde Christus in aetate perfecta constitutus accessit ob congruentias iam dictas.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT IN IORDANE BAPTIZARI.

Super hoc articulo nihil occurrit ex Doctore adnotandum.

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTO BAPTIZATO COELI DEBUERINT APERIRI.

Doctor, loc. infr. citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 39. *a.* 5.

Videtur Caelos aperiri non oportuisse Christo baptizato. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 2.] Caeli aperti non sunt in Christi circumcisione; ergo neque debebant aperiri in eius baptizatione. *Probatur consequentia:* etenim si Caeli aperiri debuissent in eius Baptismo, maxime quia Christi Baptisma confert gratiam originalis deletivam, atque per eam baptizati evadunt filii Dei haeredes Regni Caelestis: sed pariter per circumcisionem dabatur gratia culpae originalis deletiva; ergo si in circumcisione Christi aperti non sunt Caeli, neque aperiri debebant cum a Ioanne baptizaretur.

2. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 19. — 4. d. 1. q. 6.] Ianuam Caeli non Baptismus, sed Christi passio aperuit: sed in Christi passione non legitur Caelos apertos fuisse; ergo nec conveniebat aperiri cum baptizaretur. *Probatur assumptum:* nam [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 19.] si ante Christi passionem, non solum quisquis Sanctorum, sed etiam ipsa Beatissima Virgo fuisset mortua, non sibi patuisset ianua Caeli; ergo adaperta fuit praecise per Christi passionem.

CONTRA. Lucae, 3. *Iesu baptizato, et orante, apertum est Caelum;* ergo ita fieri convenientissimum erat.

RESPONDEO dicendum, Caelum debuisse aperiri cum Salvator a Ioanne baptizaretur. Cum enim Salvator baptizari voluerit, ut opere praeiret quod erat Ecclesiae suae mandaturus, *ex art. primo,* consequenter voluit suo in Baptismate repraesentari et manifestari quod erat eventurum per Baptismum a se mox instituendum. Quoniam autem [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 9.] per Christi Baptismum aperta est ianua Caeli clausa per Adae peccatum, congruum fuit, ut Christo suscipiente Baptismum, Caelum aperiretur, ad ostendendum veritatem et efficaciam Baptismi novae Legis ab eodem Christo instituti.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* ib.] in Christi circumcisione Caelum aperiri non debuisse, sed in Baptismo; quia non per Circumcisionem, sed per Baptismum ianua Caeli aperta est, non quasi per Circumcisionem ex vi ipsius non daretur gratia, quia revera dabatur, ut tangitur *in argumento;* sed quia non conferebatur ut efficax ad finem gratiae, scilicet ad beatitudinem, nisi prius passio Christi esset exhibita; ideoque [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6-8.] id fuit proprium Christi Baptismatis, amoto iam obstaculo ianuae caelestis per Christi merita, et applicata fidelibus per sacramenta novae Legis, et potissimum per Baptismum.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* ib. n. 10. seqq.] verum utique esse obstaculum ianuae caelestis amotum fuisse per passsionem Christi, atque neminem potuisse ei ad talem adaperitionem cooperari; semel tamen amoto impedimento atque reclusa ianua, intrant regnum caelorum ii tantum, quibus per Sacramenta applicantur merita Christi, gratiaque infunditur prima; cui gratiae adulti tenentur cooperari, ut potiantur haereditate ipsis per Christi merita acquisita. Quia vero haec prima gratia per Baptismi Sacramentum confertur, recte per Baptismum ianua Caeli dicitur aperiri, licet Christus id meruerit per suam dirissimam passionem, ac propterea ipse primus Victor et triumphator mortis et inferni intravit in regnum caelorum.

ARTICULUS VI.

UTRUM CONVENIENTER SPIRITUS SANCTUS SUPER CHRISTUM BAPTIZATUM DESCENDERIT IN SPECIE COLUMBAE.

Doctor, locis infr. citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 39. *art.* 6.

VIDETUR minus convenienter Spiritus Sanctus descendisse super Christum baptizatum in specie columbae. Nam [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] in tantum Dei Filius descendit, vel missus visibiliter est, in quantum sibi hypostatice univit naturam humanam; sed Spiritus Sanctus sibi non univit in unitate personae, vel hypostasis columbam; siquidem nemo dixerit Spiritum Sanctum esse columbam, aut e contra; ut vicissim dicuntur praedicata de Deo homine; ergo incongrue Spiritus Sanctus videtur descendisse super Christum baptizatum in forma columbae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] Spiritus Sanctus in primo instanti conceptionis Christi inhabitavit et requievit super anima illa

beatissima, affatim repleta omnis gratiae et veritatis. Unde per Isaiam dicitur: *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae, et intellectus etc.* Ergo incongrue super ipsum baptizatum visus est in specie columbae descendisse; ex eo enim datur intelligi, tunc primum in eo Spiritum Santum descendisse, quod est plane falsum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Ioann., 3. *De plenitudine eius* (Christi) *omnes accepimus.* Nihil est ergo gratiae in membris corporis Christi, quae non descendat a capite ipsius, et per quam Spiritus Sanctus animam inhabitat: sed [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 11.] in die Pentecostes Spiritus Sanctus descendit super Apostolos in figura linguarum ignearum, et non columbae; ergo videtur magis, congruum fuisse pariter descendere super Christum in forma ignis et non columbae.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. n. 4.] Ioann., 1. *Et testimonium perhibuit Ioannes dicens: quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum.*

RESPONDEO dicendum, convenientissime Spiritum Sanctum in specie columbae super Christum baptizatum descendisse. Nam quemadmodum, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 3.] Salvator voluit a Ioanne baptizari, ut suo exemplo provocaret eos, qui in ipsum crediturí erant ad suscipiendum Baptismum, ita pariter quae gerenda erant in Ecclesia in membris Christi cum renascerentur per lavacrum Baptismatis, recte eluxerunt in capite Christo, atque significata sunt cum ipse baptizaretur. Quoniam igitur gratia datur suscipientibus Baptismum Christi, convenienter Spiritus Sanctus super Christum baptizatum apparuit, ut ostenderetur verum protulisse Ioannem Baptistam, cum dixit de Christo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 7.] *Ipsum esse baptizaturum in Spiritu Sancto, et igne.* Ioann., 1. *Rursus,* [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 2.] quia non baptizantur in Spiritu Sancto ficte et duplici animo ad Baptismum accedentes, idest suscipere intendentes Baptismum. sed non poenitentes de peccatis commissis, recipiunt quidem baptismalem characterem, ut propterea minime baptizandi iterum sint, sed nequaquam gratiam sacramentalem, per quam Spiritus Sanctus inhabitat baptismate renatos, quia ut scribitur Sapient., 1. *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum,* oportet itaque in Christo renasci cupientes, simplici et sincero corde ad Baptismum accedere, ni velint frustrari gratia baptismali, et principali effectu Sacramenti Christi. Ut igitur id significaretur, et utiliter Ecclesia instrueretur, nec eam tam necessaria lateret veritas, super Christum baptizatum Spiritus Sanctus in columbae specie visus est, eo quod columbarum genus sit simplici corde, omni dolo et astu carens.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, Christum missum in mundum ob mysterium Incarnationis; et rursus, [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] Spiritum Sanctum non sibi univisse personaliter ea signa, in quibus apparere visibiliter dignatus est; nego tamen id minus convenienter factum esse, quia significatum est, ipsum descendere invisibiliter per gratiam sanctificantem, cum suscipitur Baptismus Christi, si puro corde et sine dolo recipiatur, ut dictum est *in solutione.*

AD SECUNDUM dico, semper in Christi anima Spiritum Sanctum requievisse per plenitudinem gratiarum et spiritualium donorum; sed ideo cum baptizatur visus super eum descendere, ut innotesceret [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 2. seqq.] Ecclesiae effectus invisibilis Baptismi Christi, per

quem Spiritus Sanctus animas inhabitat baptizatorum, si gratiam baptismalem recipiant.

AD TERTIUM dicendum, ideo in die Pentecostes Spiritum Sanctum in figura linguarum ignearum descendisse, quia tradebat Apostolis donum omnium linguarum, sine quo dono non potuissent per universum mundum disseminare novam Legem, quam tradiderat legislator Christus, nec eam utiliter et efficaciter tot efferatis nationibus persuadere, nisi ardore et fervore charitatis Spiritus Sancti praeventi essent. Quia igitur in Baptismate Christi descendit instructurus Ecclesiam, qua ratione ac animi dispositione accedendum sit ad Christi Baptismum, convenienter in specie columbae apparuit.

ARTICULUS VII.

UTRUM ILLA COLUMBA IN QUA APPARUIT SPIRITUS SANCTUS FUERIT VERUM ANIMAL.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 39. *art.* 7.

VIDETUR illa columba in qua apparuit Spiritus Sanctus fuisse verum animal. Etenim Verbum cum visibiliter in forma humana mundo apparuit verum corpus verumque hominem assumpsit; ergo pariter Spiritus Sanctus visibiliter in specie columbae apparens, vera et non apparenti columba usus est. *Probatur consequentia:* nam quemadmodum conveniens non fuit, ut Verbum, quod est veritas Patris, aliqua fictione uteretur assumendo corpus phantasticum, ita neque decuit, ut Spiritus veritatis in apparenti et phantastico animali cerneretur; ergo verum animal fuit illa columba in qua Spiritus Sanctus apparuit.

2. PRAETEREA. Augustinus, *De Agone Christiano,* cap. 22. *Neque hoc,* inquit, *ita dicimus, ut Dominum Iesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum vero Sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum, sed ambo illa corpora vera esse credimus;* ergo iuxta Augustini mentem, columba in qua Spiritus Sanctus apparuit verum extitit animal.

CONTRA. Cum in die Pentecostes Spiritus Sanctus apparuit in linguis igneis, non erat verus ignis, sed apparens et phantasticus, non enim urebat, sed significabat fervorem ardentis charitatis Spiritus Sancti, et donum linguarum omnium gentium et nationum apud quas erat Evangelium disseminandum; ergo pariter columba, quae super Christum baptizatum visa est descendisse, non fuit verum animal, sed apparens.

RESPONDEO dicendum, columbam, sub cuius specie Spiritus Sanctus super Christum baptizatum descendit, non extitisse verum animal, sed phantasticum. Nam [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] cum Filius Dei a Patre in mundum mitteretur, ita univit sibi eam, quam assumpsit naturam, et in qua apparere dignatus est, ut omnino una eademque foret persona, etsi naturae illae impermixtae ac in suis proprietatibus perseverarent. At Spiritus Sanctus non ita sibi univit naturam signi sensibilis columbae, cum sub illius specie descendit in Christum baptizatum; non oportuit ergo eam columbam extitisse verum animal, cum ad significanda dona Spiritus Sancti conferenda baptizatis Baptismo Christi satis fuerit ex-

titisse columbam per apparentiam, et columbam visam esse illis, quibus significare volebat Deus mysteria, quae tunc gerebantur, et fieri debebant in collatione Baptismi Christi. Quod vero [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 9.] Spiritus Sanctus non sibi hypostatice univit columbam illam ex eo constat, quia id minime decuisset Dei excelsam maiestatem, etsi a parte rei nulla in hoc videretur repugnantia. Satis autem fuisse praefatam columbam esse animal per apparentiam id suadet, quia perinde per ipsum ac per verum animal significatum foret quicquid Deus volebat eiusmodi symbolis significari et ostendi. Caeterum si veraciter columba extitisset veneratione aliqua dignanda erat, quod nemo dixerit. At si per apparentiam, defuncta munere ad quod assumpta fuit, evanuisset in nihilum.

Ad Argumenta. Ad primum dico, non esse accipiendam paritatem ex missione visibili Filii ad visibilem missionem Spiritus Sancti. Filius enim [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.] per naturam assumptam, sibique personaliter unitam peracturus erat opus redemptionis humanae, atque ita per hominem assumptum opus ei erat subire passionem et mortem, et subinde mereri, ut redimeremur de potestate Satanae; quae omnia longe absunt a Spiritus Sancti visibili missione; ea enim dumtaxat (ut frequenter dictum est) exprimenda fuerant dona supernaturalia, quibus ornandi erant per Christi Baptismum, et significandum qua ratione ac dispositione deberent adulti ad Baptismum accedere; quae omnia perinde praestari ac exhiberi potuerunt per columbam apparentem et phantasticam ac per veram, quia in utraque eadem habita esset significatio; in qua profecto significatione nulla interveniebat fictio aut deceptio, esto per apparentem columbam peracta esset.

Ad secundum ita respondeo: Augustini mens est non fallaciter oculis intuentium columbam apparuisse, sed vere id animal, seu speciem animalis eos intuitos esse: hoc autem ex aequo esse potuit seu apparens columba seu veraciter vivens ales fuisset. *Assumpsit* enim Spiritus Sanctus signum illud sensibile, et in hoc fuit veritas corporis; sed non oportuit illud corpus anima columbae informari et verum existere animal; et hoc dicit expresse Augustinus, *Epist.* 102.: *Si enim,* inquit, *potuit anima non esse media ubi vox non quasi vox dicitur facta; quanto magis potuit ubi dicitur columba hoc verbo significata sola specie corporali oculis reddita non natura viventis animantis expressa?* Haec Augustinus.

ARTICULUS VIII.

UTRUM CONVENIENTER CHRISTO BAPTIZATO FUERIT VOX PATRIS AUDITA FILIUM PROTESTANTIS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 39. *a.* 8.

Videtur minus convenienter vox Patris audita fuisse Filium protestantis. Etenim [*Oxon.* 1. d. 15. per tot.] Filius et Spiritus Sanctus, cum visibiliter apparuerunt, *missi* dicuntur; ergo si per vocem factam de Caelo Pater cognitus fuisset, pariter *missus* dicendus esset: id autem videtur inconveniens, quia Pater non mittitur, cum a nullo sit a quo mitti queat; ergo minus convenienter vox audita est Patris Filium protestantis.

2. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 10. per tot.] Christus non incoepit esse

Filius Dei in Baptismo, sibi a Ioanne collato, sed talis extitit in primo suae conceptionis instanti; ergo convenientius Pater testimonium perhibuisset de Filii *Nativitate* cum nasceretur, quam cum baptizatus est.

CONTRA. Matthaei, 3. *Baptizatus autem Iesus, ecce aperti sunt Caeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se, et vox de Caelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

RESPONDEO dicendum, convenientissime Christo baptizato vocem Patris auditam fuisse Filium protestantis. Etenim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 7. seqq.] in Christi Baptismo sibi a Ioanne collato repraesentatum fuit et mystice significatum quicquid gerendum erat in Baptismo ipsius Christi; qui quoniam conferendus erat in nomine Trinitatis, (ut fieri mandasse Salvatorem, scribitur Matthaei ultimo, *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti*) rectissime cum Christus baptizaretur, ipsa Trinitas adoranda primum expresse manifestata est. Nam Filius per hominem assumptum Baptismum Ioannis suscepit; Spiritus Sanctus sub specie columbae visibiliter apparuit, et Pater tandem caelestis per vocem de Caelo factam innotuit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo sic: non [*Oxon.* 1. d. 15. per tot.] quia Filius et Spiritus Sanctus visibiliter apparuerunt vel cogniti sunt sub signis sensibilibus, ideo missi dicuntur, sed potius missae illae personae dicendae, quia cognitae sunt ab aliis procedere, scilicet Filius a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio. Quoniam igitur Pater a nulla alia Persona procedit, ideo nec missus est nec mitti potest, cum non habeat a quo mittatur; cognosci autem per signa sensibilia potest, sed mitti nequaquam. Atque ita quando vox ipsius in Iordane facta est Filium protestantis, cognitus quidem ab auditoribus fuit, sed non propterea missus dici aut cognosci potuit, ut ait Augustinus, 4. *De Trinitate,* cap. 20.

AD SECUNDUM concedo, Christum extitisse Filium naturalem Patris ab initio suae miraculosae conceptionis, sed tamen congruum fuisse id in ipsius Baptismate manifestari, ob ea quae dicta sunt *in solutione.*

QUAESTIO QUADRAGESIMA.

DE MODO CONVERSATIONIS CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter post ea, quae pertinent ad ingressum Christi in mundum, vel ad eius principium, considerandum restat de his, quae pertinent ad progressum ipsius.

Et *primo,* considerandum est de modo conversationis ipsius: *secundo,* de tentatione eius: *tertio,* de doctrina: *quarto,* de miraculis.

Et circa primum quaeruntur quatuor.

1. Utrum Christus debuerit solitariam vitam ducere, an inter homines conversari. - 2. Utrum debuerit austeram vitam ducere in cibo, et potu, et vestitu, an aliis communem. - 3. Utrum debuerit abiecte vivere in hoc mundo, an in divitiis et honore. - 4. Utrum debuerit secundum legem vivere.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM INTER HOMINES CONVERSARI.

Doctor, loc. infr. citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 40. *art.* 1.

RESPONDEO dicendum, convenientissime mundi Salvatorem inter homines vitam egisse et conversatum esse. Etenim [*Oxon.* 3. d. 19. n. 1.] in mundum venerat, ut esset mundi Salvator, atque omnes a captivitate daemonis liberaret, qua detinebantur ob peccatum primi hominis, et propria ipsorum. Huic igitur fini maxime congruebat, ut ipse inter homines quos liberare volebat conversando, ostenderet exempla vitae suae innocentissimae, et interim etiam erudiret, atque instillaret caelestem doctrinam, legem scilicet Evangelicam, per cuius observantiam salute potirentur aeterna. Nisi autem [*Oxon. Prol.* q. 2. n. 10. seqq.] inter homines conversatus esset, non potuisset eos instruere et docere novam legem, quam venerat promulgaturus, nec homines valuissent inspiscere Christi adeo insolita miracula, per quae ipse suam divinitatem manifestare volebat, et homines satis intelligere poterant eum, qui tanta mirabilia patrabat, non esse solum hominem, sed etiam verum Deum. Unde Salvator ipse id aperte significans, dixit: *Opera quae ego facio, ipsa testimonium perhibent de me, si mihi non vultis credere, operibus saltem credite.* Ioann., 5. Oportebat igitur [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] Christum conversari inter homines, ut hominum esset Salvator clementissimus, Doctor efficacissimus prius exemplo, postea verbis erudiens, et Legislator perfectissimus, cuius legi nulla alia sit successura, sed duratura usque ad saeculi finem.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS AUSTERAM VITAM IN HOC MUNDO DUCERE DEBUERIT.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 40. *art.* 2.

RESPONDEO dicendum, conveniens minime fuisse Christum inter homines austeram vitam ducere, sed potius expediens, ut in civili, et externa conversatione, perinde ac caeteri homines, se gereret. Christus enim venit in mundum sua morte vitam humano generi daturus, ac novum et ultimum testamentum hominibus traditurus; atque huic fini maxime congruum fuit, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] ut quae ipse erat docturus, in seipso opere impleret, et legislator se suae legi conformaret, et lex legislatori congrueret. Lex autem Evangelica [*Oxon.* 3. d. 40. n. 8.] est acvior lege Mosayca, dicente Christo, Matthaei, 11.: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos, iugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Est ergo lex Evangelica lex potius humanitatis et mititatis, quam severitatis. Ut igitur aeternus legislator Christus efficacissime legem hanc doceret, decuit primum in seipso ostendere, et opere implere. Hoc autem nullo modo fieri potuisset, nisi ipse inter homines, et cum hominibus vitam agendo in exteriori conversatione sese illis conformasset, utendo iisdem cibo, et potu, quibus caeteri homines. Qui si vidissent novae legis Magistrum austeram vitam ducere, et dissimilem a communi hominum caeterorum, et legislatorem suae se legi non conformare, homines ab illius sectandis vestigiis sese retraxissent. Christus autem venerat omnibus salvandis, et ideo congruebat, ut illis se conformaret in exteriori conversatione, quo facilius ad se omnes attraheret, et avidius legem eius mitissimam amplecterentur. Et quamvis consequi finem, ob quem venerat quibuscumque viis potuisset, nihilominus media, quibus usus est humanissime et mitissime cum hominibus sese gerendo et conversando ac legis Evangelicae adimpletionem actibus suis ostendendo, convenientissima, opportunissima ac Dei sapientiam decentia fuere.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS IN HOC MUNDO DEBUERIT PAUPEREM VITAM DUCERE.

Doctor, locis infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 40. *art.* 3.

RESPONDEO dicendum, Christum in hoc mundo convenientissime pauperem vitam elegisse; cum enim [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] venerit genus humanum redempturus, et liberaturus a peccatis, quae post hominis lapsum inoleverant, huic fini congruebat informare et instruere Ecclesiam suam exemplis vitae suae; decebat ergo pauperem vitam agere. Nam nihil impedit amorem aeternorum, et Dei, nisi inordinatus affectus terrenarum rerum, et in primis divitiarum [*Oxon.* 3. d. 34. n. 15. — 2.

d. 6. q. 2. n. 4.] quae inquantum sunt bonum delectabile sunt prima concupiscibilia a natura rationali. *Duo enim amores* (secundum Augustinum, 14. *De Civitate Dei,* cap. ultimo) *fecerunt duas Civitates: Civitatem Dei amor Dei usque ad contemptum sui, et civitatem diaboli amor sui usque ad contemptum Dei.* Non poterant ergo homines converti ad Deum per amorem nisi per contemptum proprium. Et quia caetera externa amantur ab homine ob inordinatum amorem erga se ipsum, debebat magister bonus ostendere stupendam animae illius beatissimae humilitatem per contemptum rerum terrenarum, et agere inter homines pauperem vitam, ut ipsa ipsi discerent, et seipsos, et caetera omnia terrena contemnere.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS IN HAC VITA SECUNDUM LEGEM CONVERSATUS FUERIT.

Doctor, locis infr. cit.— S. Thom. 3. *p. q.* 40. *a.* 4.

VIDETUR Christus in hac vita non fuisse conversatus secundum legem. Nam [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10.] lege prohibebantur Israelitae quodvis opus facere in Sabbato, quem diem Deus consecravit; requievit enim ab universo opere, quod patrarat: sed Christus hominem curavit in Sabbato, ac insuper praecepit ei, ut tolleret grabatum suum, et ambularet; ergo non fuit secundum legem in hac vita conversatus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 16.] Est doctrina Salvatoris, Matthaei, 15. *Quod intrat in os non coinquinat hominem:* sed lege interdictum erat Iudaeis edere quaedam animalia, quae si manducassent immundi censebantur, *Levit.,* 11.; ergo Christus non per omnia legem Moysis servavit in hac vita.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 4.] Agnum Paschalem comedere debebant Iudaei luna 14. *mensis primi,* ut habetur, Num. 28. *Quartadecima die mensis primi Pascha erit, et decimaquinta die solemnitas:* sed Christus celebraturus Pascha cum discipulis suis praeveniendo diem quartam decimam, comedit Agnum luna tertiadecima; ergo non servavit tali in facto legem. *Probatur minor:* Ioann., 18. habetur: *Iudaei non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha,* idest Agnum Paschalem. Hic porro Agnus erat ex lege comedendus luna quartadecima; ergo eodem die traditus est Christus Pilato, ac proinde antecedenti die ad vesperam ipse celebravit Pascha cum discipulis suis.

4. PRAETEREA. Moyses, *Levit.,* 20. mandavit occidi foeminam adulteram: sed [*Report.* 4. d. 15. q. 4. n. 45.] Christus mulierem in adulterio deprehensam a morte liberavit, ut narratur, *Ioann.,* 8. igitur revera solvit legem Mosaycam, cum in re tanti momenti noluerit observari.

CONTRA. [*Oxon.* 3 d. 40. n. 1.] Matthaei, 5.: *Non veni solvere legem, sed adimplere,* inquit Salvator; ergo nedum ipse in hac vita legem Moysis diligentissime servavit, sed etiam complevit et perfecit in iis, quae illi deerant.

RESPONDEO dicendum, Christum dum erat in hac vita secundum legem conversatum esse, illique sese conformasse. Cum enim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 41. n. 18.] lex Moysis causaliter in morte Christi dumtaxat desitura ac expiratura erat, interea temporis servari oportebat ab iis, quibus fuerat data, idest Israëlitis: Christus autem quamvis fuerit de semine Abrahae secundum carnem, ac supra legem omnem constitutus; nihilominus [*Oxon.* d. 30. q. 2. n. 3.] conveniebat ipsum eius legis cultorem se ostendere, ut calumniis et obloquutionibus via praecluderetur. Et revera octavo suae nativitatis die voluit ex lege circumcidi, quo facto Legis Mosaycae observantiam professus est; ut legem Evangelicam saltem implicite profitentur qui baptismum suscipiunt. Exinde in templo praesentari, et alia facere, quae Moyses iussu Dei Iudaeis mandaverat; et tandem in ultima coena cum discipulis suis Agnum comedere, ut lege praescriptum erat. Fuit igitur ipse legis Mosaycae observantissimus, exemplum praebens omnibus religionis et humilitatis, vita sua innocentissima docens omnes qua ratione oporteret in hac vita conversari iuxta legem Moysis.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, Salvatorem servasse Sabbata prout custodienda erant; Iudaei enim [*Report.* 3. d. 20. n. 12.] inordinata affectione erga legem Moysis in transversum acti, et male illam intelligentes ac interpretantes, peius custodiebant, et pessime praetendebant ut Salvator pravis eorum affectionibus se conformaret. Si illorum bos, vel asinus in puteum cecidisset illico extrahebant, haud putantes eo facto legem solvi; sed cum Christus curasset infirmum die Sabbati clamabant legem violatam esse; redarguendi ergo erant, quantumvis indignarentur, et reducendi ad saniorem mentem, si tandem intelligere vellent, non ut illi putabant verba legis fore intelligenda, ac in primis proximi habendam esse rationem, quemadmodum pro seipsis haberi optavissent.

AD SECUNDUM concedo, ex lege Moysis vetitum esse vesci quibusdam animalibus, adeo ut transgressores fuerint peccato obnoxii; verum id spectavisse [*Oxon.* 3. d. 40. per tot.] ad onera illius legis, quibus iam exsoluti sumus per legem Evangelicam, quam intulit mundo legislator Christus, estque lex amoris et lenitatis, ut illa Moysis fuit lex timoris et onerum plenissima. Praeterquam quod non in eo sensu prolata fuerunt verba adducta a Salvatore, ut patet legenti Evangelium. Pharisaei igitur indignabantur discipulis Christi, quod non lotis manibus manducassent, et Salvator ad retundendam eorum hypocrisim protulit quae recensentur verba.

AD TERTIUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 11. q. 6. n. 5.] Christum in comestione Agni Paschalis servasse legem Mosaycam, ac revera comedisse luna quartadecima, ut lege cautum erat, ut expresse patet ex diversis locis Evangelii, ut Matthaei, 26.: *Prima die azymorum quaesierunt Discipuli; ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Item *Marci* 14. et *Lucae* 22. Prima autem die azymorum, in quo Salvator comedit Agnum Paschalem, erat luna quartadecima. Ad id itaque, quod adducitur ex Ioannis Evangelio, *cap.* 18. dicendum, ibi non accipi *Pascha* pro Agno Paschali, sed pro panibus azymis, qui comedebantur a Iudaeis septem diebus, eratque solemnitas azymorum, ut habetur *Levit.*, 23. Sed videndus de hac re *art.* 9. *q.* 46.

AD QUARTUM respondeo: punitio sontium, et expiatio facinorum per sanguinem, erant partes legis iudiciariae latae per Moysen. At [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] Salvator noluit legem Evangelicam ea iudicialia complecti, et ita in se eae leges iudiciales non manent, sed sunt et perdurant in aequipollenti, quantum ad finem, ideoque perfectius vigent, quam si ad litteram observarentur. Mores enim observantium Evangelium magis conducunt ad pacificam cohabitationem (qui erat finis iudicialium), quam lex talionis, aut quaevis alia eiusmodi; etsi in iniusta hominis occisione noluerit necem rependi, quo magis ira in proximum defervesceret, et odium suplicii timore coerceretur et retunderetur. Unde dixit ad Petrum: *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Matthaei, 26.

QUAESTIO QUADRAGESIMAPRIMA.

DE TENTATIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de tentatione Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum fuerit conveniens Christum tentari. - 2. De loco tentationis. - 3. De tempore. - 4. De modo et ordine tentationis.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM TENTARI.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUM IN DESERTO TENTARI DEBUERIT.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTI TENTATIO DEBUERIT ESSE POST IEIUNIUM.

ARTICULUS IV.

UTRUM FUERIT CONVENIENS ORDO ET MODUS TENTATIONIS CHRISTI.

DE *his in Scholastica Theologia Magister Scotus non tractavit, sed* in Commentariis super Matthaeum *de singulis credendum est disseruisse.*

QUAESTIO QUADRAGESIMASECUNDA.

DE DOCTRINA CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de doctrina Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Christus debuerit praedicare solum Iudaeis, an etiam Gentilibus. - 2. Utrum in sua praedicatione debuerit turbationem Iudaeorum evitare. - 3. Utrum debuerit praedicare publice, vel occulte. - 4. Utrum debuerit docere solum verbo, vel etiam scripto.

De tempore autem quo docere incoepit supra dictum est cum de Baptismo eius ageretur.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM IUDAEIS, ET NON GENTIBUS PRAEDICARE.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 42. *a.* 1.

RESPONDEO dicendum convenientissime Christum inter Iudaeos suam doctrinam praedicare coepisse, Apostolis et Discipulis, eorumque successoribus demandata provincia Gentibus Evangelicam veritatem annunciandi, disseminandi et promulgandi. — *Primum,* quia Iudaeis promissiones factae fuerunt de adventu Christi. Nam Abrahamo et Davidi revelatum fuerat a Deo missurum se Salvatorem mundi, et nasciturum ex semine eorum, ac idipsum frequenter testatum voluit per alios Prophetas Israëlitici generis; imo Salvator carnem sumere dignatus est de foemina stirpis Davidicae, et nasci parvula in civitate, unde originem traxerat Rex David. Fuit igitur conveniens, ut Iudaei adimpleta cernerent oracula Prophetarum, et quem tantopere expetebant viderent, audirent, et filii Dei fierent, si recipere eius doctrinam et monita potius, quam illum ex invidia, et odio persequi, insectari, et calumniari, ac tandem crudelissime et indignissime caesum agere in Crucem, elegissent. — *Secundo,* quia cum Salvator nasci inter homines dignatus est, Iudaei erant [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. per tot.] populus electus, et Ecclesia iustorum, qui observabant legem a Deo datam per Moysen; ii ergo magis dispositi videbantur ad recipiendam doctrinam Evangelicam, quippe qui iam edocti debuerant esse adventurum Messiam in lege eorum promissum, et praedicaturum legem novam, qua declararentur et perficerentur Moysis instituta; ad illos ergo in primis praedicatio Christi debebat converti, tamquam magis dispositos ad recipienda ipsius mandata. — *Denique, de Sion exibit lex et Verbum Domini de Ierusalem,* vaticinatus fuerat Isaias Propheta, quae prophetia adimpleta est, cum in die Pentecostes induti Apostoli virtute ex alto solemniter praedicare coeperunt Evangelium Christi, et inde exeuntes successive disseminaverunt novam Legem et caelestem doctrinam inter Gentes, donec in omnem terram exiret

sonus eorum; ergo prius fuit praedicatum Evangelium ab ipso legislatore Christo Iudaeis, quibus conveniebat et postea id factum fuit per Sanctos Apostolos, Christique Discipulos, per quos Lex Evangelica perlata est in universum mundum.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT IUDAEIS SINE EORUM OFFENSIONE PRAEDICARE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 42. *art.* 2.

VIDETUR Salvator haud praedicare debuisse cum offensione Iudaeorum. Nam per hoc quod illi coarguebantur, et in multis a Domino sugillabantur, scandali occasionem accipiebant, atque inde ipsum persequendi, et calumniandi praetextum accipiebant: non videtur autem conveniens Pharisaeos ex Christi praedicatione scandali occasionem accipere potuisse; ergo Salvator praedicare non debebat cum eorum offensione.

2. PRAETEREA. [*Oxon* 3. d. 40. n. 3.] Lex Evangelica, quam mundo intulit Christus, est lex mititatis et humanitatis, nulla habens iudicialia, sed magis suadens patientiam ad perferendas iniurias, iuxta illud 1. *Corinth.*, 6.: *Quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini?* Quod et docuit Salvator, Matthaei, 5.: *Si quis percusserit te in una maxilla, praebe ei et alteram;* ergo Christus dum esset in hac vita debebat se huic legi conformare, ita ut nemini daret offensionis et quaerelae occasionem; igitur non debuit Iudaeis cum ipsorum offensione praedicare.

CONTRA. *Matthaei,* 12. narratur, qualiter Salvator praedicaverit cum tanta Iudaeorum et Pharisaeorum offensione, ut consilium inierint eum perdendi.

RESPONDEO dicendum, Christum vel cum offensione Iudaeorum et Pharisaeorum debuisse praedicare. Etenim quando veritas periclitatur et opprimitur cum Reipublicae damno, est a doctore veritatis defendenda et docenda. Iudaei autem [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10. — *Report.* ib. n. 12.] ex inordinata quadam affectione erga Legem Moysi, veritatem opprimebant cum damno Reipublicae; ergo stante qualibet eorum offensione, erat eis veritas aperienda, et tuenda. Illi siquidem, ut patet in *Evangelio,* nolebant permittere homines curari in Sabbato, praetendentes id ex Moysi praecepto illicitum esse, et nihilominus sibi licere putabant extrahere ovem vel bovem de puteo in Sabbato, et multi eiusmodi fecisse est animadvertere in historia evangelica; debebat igitur Christus eos a tali errore revocare, et reipsa maluit mori, quam tacere, quia tunc veritas erat dicenda Iudaeis, et ideo pro iustitia mortuus est.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico [*Oxon.* 2. d. 38. n. 11.] nullam penitus Dominum Salvatorem dedisse Pharisaeis occasionem scandali, sed illos ex propria malitia et caecitate eiusmodi occasionem ultro accepisse sine ulla causa. Unde discipulis dicentibus, *Scis quia Pharisaei audito hoc verbo scandalizati sunt?* Respondit Christus: *Sinite illos, caeci sunt, et duces caecorum.* Matthaei, 5. Quamvis igitur ex doctrina evangelica nemini sit danda occasio scandali, tamen [*Oxon.* 4.

d. 3. q. 4. n. 16.] cum gratis scandalizatur aliquis sine certa occasione, non est curandum, imo utilius tale scandalum permittitur, quam veritas relinquatur, cap. *Qui scandalizaverit. De Reg. iuris in* 6.

AD SECUNDUM *concedo,* Legem Evangelicam eo quod lex sit mititatis, nullis indigere iudicialibus; at *nego* Salvatorem in hoc legi suae se exactissime non conformasse; imo [*Oxon.* 1. d. 48. n. 1.] in perferenda passione et morte invictissimae patientiae exempla praebuisse, ac insuper excellentissimae erga proximum et inimicos charitatis evidentia signa ipsa in morte ostendisse rogans pro illis Patrem, et dicens, *Dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt.* Lucae, 23. Nullam ergo Salvator dedit occasionem Iudaeis iustarum quaerelarum et offensionum; sed [ib. 3. d. 20. n. 11.] quia illi cum Divinae Maiestatis offensa veritatem opprimebant cum damno Reipublicae, erant ab tam enormi errore revocandi, quamtumvis exinde indignarentur, et moleste ferrent veritatem audire, et sponte vellent esse inimici, et temere acciperent occasionem expostulandi adversus caelestem medicum animarum.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS OMNIA PUBLICE DOCERE DEBUERIT.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT DOCTRINAM SUAM SCRIPTO TRADERE.

Super his duobus articulis non invenitur aliquid tractatum apud Doctorem. Sed videndus Augustinus, lib. 1. De Consensu Evangelistarum.

QUAESTIO QUADRAGESIMATERTIA.

DE MIRACULIS A CHRISTO FACTIS IN GENERALI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de miraculis a Christo factis. Et *primo,* in generali: *secundo,* in speciali de singulis miraculorum generibus: *tertio,* in particulari de transfiguratione ipsius.

Circa primum quaeruntur quatuor.

1. Utrum Christus debuerit miracula facere. - 2. Utrum Christus fecerit ea virtute divina. - 3. In quo tempore incoeperit miracula facere. - 4. Utrum per miracula fuerit sufficienter ostensa eius Divinitas.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT FACERE MIRACULA.

Doctor, Oxon. Prologi q. 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 43. *a.* 1.

VIDETUR Christus miracula facere non debuisse. Nam si miracula patrare debebat, maxime ut testificaret et persuaderet hominibus ve-

racem esse doctrinam, quam annunciabat: sed id persuadere nequiit per miracula; ergo non erant facienda. *Probatio minoris:* [*Oxon.* Prol. q. 2. n. 10.] Antichristus est facturus miracula ad comprobandam doctrinam suam, ut praedicitur in Evangelio Matthaei, cap. 24.: sed certum est Antichristi doctrinam fore contrariam omni veritati; ergo pro comprobanda doctrina et veritate non erant a Christo adhibenda miracula.

2. PRAETEREA. Si oportuisset quaedam Christi opera esse miraculosa, maxime ut per ea testificaret et demonstraret se esse Deum et Filium Dei: sed eius rei nequeunt esse argumenta certa quaevis miracula; ergo non opportebat ea fieri per Christi potentiam ad ostendendam suam Deitatem. *Probatur minor:* [*Oxon.* ib. n. 11.] etenim quamplures Sanctorum fecerunt multa miracula, nec minoris admirationis, quam ea quae patrasse Christum scribitur, et nihilominus illi Sancti erant puri homines.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 12.] In Evangelica Historia leguntur innumera fuisse a Salvatore patrata miracula: infirmi curati, caeci illuminati, mortui ad vitam revocati, et (quod solius Dei est) peccatores iustificati.

RESPONDEO dicendum, convenientissime Christum miracula fecisse ac facere debuisse, ut ostenderet veritatem Legis Evangelicae per Dei testimonium, cuius solius est per miracula ostendere se assistere ac testimonium perhibere veritati. Nam [*Oxon.* Prolog. q. 1. n. 21. seqq. — 3. d. 23. n. 9. seqq.] quae continentur in Lege Evangelica non sunt nata de se causare assensum in intellectu humano; illa enim excedunt omnis creati intellectus facultatem; ergo ipsis mens humana ex natura obiectorum non assentitur; ad summum enim illae propositiones erunt sibi neutrae, ut quod *Deus sit unus in essentia, et trinus in personis;* quod *filius naturam humanam assumpserit;* quod *is sit mundum iudicaturus;* et alia id genus. Ad hoc igitur ut homo illis complexionibus assensum praebeat firmissimum, ut fides nostra exigit, oportet testimonium haberi aliunde, cui testimonio nefas sit non assentiri. Unde dicit Augustinus, 11. *De Civitate,* cap. 30. *Quae remota sunt a sensibus nostris, quoniam testimonio nostro scire non possumus, de his alios testes requirimus.* Testimonia igitur miraculorum adhibita a Christo assensum extorquent, ut indubie et firmissime teneamus ea quae dixit et docuit esse vera, et nobis credenda proponuntur ab eo cuius interest talia proponere, et edicere ea spectare ad fidem Christianorum. Nam [*Oxon.* Prolog. q. 2. n. 10. seqq.] Deus non potest esse testis falsus, cum sit prima et summa veritas: sed Deus invocatus a Christo veritates Evangelicas praedicante, ut ostenderet eius doctrinam esse veram, fecit multa prodigia et miracula, quae nequit facere nisi Deus; igitur ad convincendum mundum, doctrinam illam esse veram, oportuit ad eius confirmationem miracula intervenisse. Quod sciens Salvator, Ioann., 3. et 10. dixit: *Opera, quae ego facio, ipsa testimonium perhibent de me; si mihi non vultis credere, operibus saltem credite.* Idest, quandoquidem ad confirmationem eorum, quae dicebat, miracula multa ederentur, fiebat ut ea verissima esse ostenderetur, quia Deus testimonio suo illa confirmabat, et quia ipsemet Salvator illa ipsa prodigia faciebat, fieri iubendo, ostendebat simul se esse Deum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo *negando consequentiam.* Quia

[*Oxon.* ib. n. 11.] miracula, quae facturus est Antichristus, non erunt nisi apparentia, deceptoria, et vana, et ideo minime apta testificandae veritati, ut praedixit et monuit Christus, Matthaei, 24; et Apostolus, 2. *ad Thessalonic.*, cap. 2. Et porro id expediebat. Cum enim Deus sit veracissimus, non potuit permittere, ut consueta signa testificandae veritatis adducerentur in testimonium falsitatis, absque contradictione; sed contradixit, et denunciavit miracula facienda ab Antichristo opera daemonum non esse vera, sed deceptoria, phantastica et vana, etsi interim ex suae Providentiae legibus ea fieri permittet. Christi vero miracula verissima fuerunt, quippe quae a Veritate patrabantur in testimonium eiusdem veritatis revelatae, quae ut excedens facultatem humani intellectus, sine signis et miraculis aegre et difficulter credi potuissent.

AD SECUNDUM dico, Veritatem ipsam Christum affirmasse se esse Filium Dei, atque unam cum Patre habere naturam, *Ego,* inquiens, *et Pater unum sumus.* Cum itaque in confirmationem suae doctrinae tot miracula patrata sint, ut clarissime Deus testificatus sit se illi adesse, et tamquam verissima confirmare quae dicebat, quis ambigere ulterius poterit aliquid falsi illum protulisse, aut fari potuisse? Sed de hoc amplius dicetur infra, art. 4.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS FECERIT MIRACULA VIRTUTE DIVINA.

Doctor Oxon., Prolog. q. 2. — *S. Thom.,* 3. *p. q.* 43. *a.* 2.

VIDETUR Christus miracula non edidisse divina virtute, sed potentia potius collata humanitati ipsius. Nam [*Report.* 4. d. 3. q. 4. n. 6.] si Christus divina virtute miracula fecit, eodem modo ea patravit quo Apostoli, quorum evangelicam praedicationem sequebantur signa evidentia ad testificandum veritatem doctrinae, quam annunciabant: videtur autem Christus eminentiori iure imperavisse mundi elementis et creaturis, circa quas edidit tot mirabilia, quam Apostoli caeterique Servi Christi, ad quorum preces Deus facere miracula interdum dignatus est.

2. PRAETEREA. Christus non obstantibus adeo diris tormentis quae in passione subivit, potuisset non mori, et impedire quominus anima separaretur a corpore: sed [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 1.] eam potentiam habuit ut homo; ergo potuit fecisse miracula humana et non divina virtute. *Patet minor* ex illo Ioann., 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam.* Et rursus: *Ego pono animam meam a me ipso.* A Verbo autem numquam fuit anima illa seperata; ergo loquitur ut homo, atque ita tamquam homo valebat miracula repraesentare.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 1. n. 1.] Intellectus animae Christi novit omnia scibilia; ergo et eius voluntas poterat in omnia factibilia: miracula autem non sunt impossibilia; ergo cadebant sub potestatem animae Christi, ac proinde non faciebat miracula virtute divina. *Probatur prima consequentia:* si non repugnat intellectui scire omnia; ergo nec voluntati facere omnia factibilia.

CONTRA. [*Oxon.* ib. q. 2. n. 12.] Anima separata a solo Deo potest uniri corpori; ergo Christus mortuos suscitavit divina virtute; ergo pa-

riter et alia miracula praestitit divina virtute, et non potestate humanitati eius communicata.

RESPONDEO dicendum, Christum miracula edidisse divina virtute, idest potentia Verbi, cui erat humana natura hypostatice unita. Nam [*Oxon.* Prolog. q. 2. n. 11.] miraculum ex Augustino, *De utilitate credendi,* prope finem, *Est quicquid arduum, aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet.* Cum igitur nulla creatura valeat mutare naturae leges, aut revocare a cursu, quo ipsa pergit iussu divinae Providentiae, nihil insolitum aut suam facultatem et spem excedens facere potest; adeoque quandoquidem Christi creata voluntas non est nec esse potest omnipotens, quamvis omnium creaturarum donis refertissima, quaecumque miracula fecit, ut si mortuos suscitavit, si caecos illuminavit, si varios languores subito expulit, si panes multiplicavit, si denique [ib. 3. d. 16. q. 2. n. 16.] iam moriturus clamore valido clamavit, omnia divina virtute, et potentia Verbi, cui uniebatur, operata est.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, quemadmodum nequiit Deus dedisse humanae Christi voluntati omnipotentiam, ita ea non poterat facere, quae erant supra vires ipsius finitas, et contra naturae ordinem; quae nihilominus si facta sunt ad iussum eius, non virtute voluntatis humanae iubentis ea fieri potuisse, sed magis divinae illi obsecundantis facta fuisse existimandum est. — *Et cum dicitur:* quid ergo magis habebat Christus, quam Apostoli, caeterique Sancti, quibus facere miracula concessum est? *Respondeo,* sicut dictum fuit q. 10. art. 2. Christum cognoscere omnia in Verbo habitualiter, quatenus Verbum naturae humanae unitum est ostensivum omnium quae relucent in ipso intellectui creato; sed aliis Beatis est ostensivum non omnium, sed determinatorum. Ita videtur dicendum de voluntate Christi creata, ipsam scilicet potuisse omnia miracula facere ex unione illa cum voluntate infinita, non propria quidem virtute, sed divina; caeteros autem Sanctos non posse omnia, sed ea dumtaxat, quae Spiritus Sancti instinctu cognoverint et senserint facienda. Quamquam nec Christus voluit facere omnia, sed tantum illa, quae fini a Deo intento sibi convenire et Ecclesiae profutura esse sciebat.

AD SECUNDUM est responsio: Christi animam non potuisset impedire separationem a corpore, inductis dispositionibus repugnantibus animationi eius: posito enim miraculo [*Oxon.* ib. n. 5. 15.] de non redundantia gloriae in corpus, ipsum erat passibile et mortale, ut reipsa mortuum fuit; non potuit ergo praefatis in circumstantiis impediri mors, nisi per Dei potentiam et virtutem. — *Et cum dicitur,* ex Ioanne, *potestatem habeo,* etc. *Respondeo* id referendum esse ad Personam Verbi, sed secundum naturam humanam, ut separatio illa effective sit Verbi, sed determinative naturae attribuatur humanae.

AD TERTIUM, [*Oxon.* ib. n. 9.] neganda est *consequentia;* ad cuius probationem dico, non posse alicui conferri potentiam circa omnia possibilia, nisi eidem detur forma, in qua radicetur potentia omnium possibilium fiendorum, ac proinde ea forma deberet esse substantialis, et consequenter infinita, quia contineret infinita possibilia. At posse cognoscere omnia non importat causare ea, sed tantum tendere in illa relucentia in speciebus. Ideo non requiritur tanta perfectio in fundamento potentiae cognitivae, sicut requiritur in fundamento omnipotentiae.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS INCOEPERIT FACERE MIRACULA IN NUPTIIS.

Doctor, locis infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 43. *art.* 3.

RESPONDEO dicendum, Salvatorem mundi revera in nuptiis, quibus ipse interesse dignatus est cum discipulis suis et beatissima Matre eius in Cana Galileae, miracula edere incoepisse, ut diserte testatur Ioannes in Evangelio, c. 2. dicens: *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileae*, nempe eo quod aquam in vinum converterit divina virtute. Porro [*Oxon.* Prolog. q. 2. n. 10 seqq.] duplicem ob causam Christus miracula edere voluit, nimirum, et ad revelandam ipsius Divinitatem, et ad suadendum hominibus veritatem doctrinae, quam praedicabat; quia alioquin tot signis non fuisset confirmata a Deo, qui cum sit veritas aeterna, mendaciis confirmandis non assistit, imo pro naturae suae conditione, quae lux est, ab omni mendaciorum caligine seiunctissima, ea odit et detestatur. Annunciaturus ergo Salvator mundo caelestem doctrinam, non hactenus inter homines auditam, et docturus qualiter status virginalis continentiae est praeferendus statui coniugali, cui tantum antecellit quantum numerus centenarius superat trigenarium, secundum Hieronymum, *adversus Iovinianum,* hoc, inquam, [*Oxon.* 4. d. 31. n. 7-9.] in nuptiis facto significaturus, quae verbis expressit cum dixit: *sunt eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum Caelorum,* Matthaei, 19., qui nempe privant se actu coniugali cum proposito continendi perpetuo, a nuptiis ipsis ad Apostolatum vocavit Ioannem Apostolum et Evangelistam. *Ioann.*, 2. In confirmationem igitur caelestis ac perdifficilis doctrinae miraculum edidit, quo ostenderet, posse se pariter vires addere imbecillitati humanae, ut non impossibilia, sed perfecta viderentur, quae mandavit, et quae sub consilio proposuit, posse servari ex virtute et assistensia illius, qui aquam in vinum convertit.

ARTICULUS IV.

UTRUM MIRACULA PER CHRISTUM FACTA SUFFICIENTER EIUS DIVINITATEM OSTENDERINT.

Doctor, Oxon. Prol. q. 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 43. *a.* 4.

VIDETUR Christi Divinitas sufficienter innotescere non potuisse per miracula, quae ab illo facta sunt. Etenim multi Sanctorum, qui miracula fecerunt, idest meruerunt ut Deus ea repraesentaret ipsorum intercessionibus, similia illorum, vel etiam maiora iis, quae Christus gessit, effecerunt: nec tamen exinde concludi potest, eos puros homines non extitisse; ergo Christi Divinitas non sufficienter ostenditur argumento miraculorum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 18. n. 11.] Miracula fieri quoque possunt opera daemonum, quibus cum pravi aliqui et perditi homines foedus inierunt, ut Magos Pharaonis fecisse in Aegypto, Scriptura commemorat, *Exodi,* 7.; ergo ex prodigiosis signis, quae miracula dicuntur, non potest sufficienter probari fuisse vel esse Divinitatem in Christo.

3. PRAETEREA. Quamvis in Evangelii praedicatione et promulgatione aliquot miracula intervenisse dicantur et facta credantur, nihilominus plane incredibile videtur eius doctrinae auctorem simul esse hominem et Deum; id enim super omnem fidem esse apparet, et praesertim cum perinde eadem miracula praestare valuisset, si prorsus homo extitisse dicatur, ut fuerunt Apostoli, caeterique, qui miracula operati sunt.

CONTRA. Ioann., 5. *Opera* (inquit Salvator) *quae dedit mihi Pater ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me.* Testatur ergo Veritas, ex operibus illis mirabilibus, omnemque excedentibus humanam facultatem, et modum operandi creaturarum, depraehendi potuisse Christum non esse tantum hominem, sed etiam Deum.

RESPONDEO dicendum, miracula per Christum facta sufficienter ostendisse, et persuadere ipsius Divinitatem; talia quippe miracula per Christum patrata fuerunt, ut ex eis Iudaei nosse potuerint ipsum esse Deum. Et quidem [*Oxon.* Prol. q. 2. n. 12.] Salvator cum illi indignarentur et audire non sustinerent dicentem se esse Deum, et Patrem habere Deum, esseque unum cum illo, ad ipsa miraculosa gesta provocavit dicens: *opera quae ego facio ipsa testimonium perhibent de me, si mihi non vultis credere, operibus saltem credite:* quasi diceret, non oportet vos irasci mihi dicenti Patrem me habere Deum, quia operibus, quae repraesentavi comprobata est veritas dictorum meorum; opera ergo quae Christus faciebat clare ostendebant se purum hominem non esse, sed in ipso ultra hominem extrinsecum qui apparebat, latere Divinitatem, quam oculis intueri non poterant.

Sed et miraculis editis [*Oxon.* ib. n. 10. seqq.] per Apostolos Christique Discipulos egregie ipsius Divinitas pariter comprobata est. Illi enim per universum mundum Evangelicam Legem praedicantes, inter alia potissimum docebant eius legis auctorem esse Deum et Filium Dei aeternum, qui ob hominum salutem esse in tempore homo, et mori dignatus est; ad cuius doctrinae veritatem testificandam signa et miracula edebant; igitur cum Deus nequeat esse testis falsitatis, veram eos praedicasse doctrinam necesse est. Principale autem caput Evangelii (ut dictum est) continet eius Auctorem Christum esse verum Deum et hominem. Nedum ergo ex operibus Salvatoris innotuit ipsius Divinitas, sed etiam ex gestis Discipulorum eius idipsum mundo testatum fuit. Quod si quis ulla miracula in Evangelii praedicatione facta fuisse neget, *Hoc nobis,* (inquit Augustinus *De Civit.,* lib. 22. c. 5.) *unum grande miraculum sufficit, quod iam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* Et credidit sane doctrinam Evangelicam necessariam esse ad salutem, ideoque amplexus est et illius conditorem et Auctorem fuisse Christum verum Deum ab omni aeternitate, verumque hominem in tempore, ut homines sua morte sempiterna beatitudine donaret.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, Sanctos utique frequenter miracula fecisse, sed in Christi nomine, ideoque Christo gloriam dedisse, et nihilominus quaedam Salvatorem gessisse, quae neminem Sanctorum facere oportebat. Nasci nempe de Virgine, a mortuis resurgere tertia die, in Caelum primus omnium ascendere, solus Christus verus Deus et homo efficere debuit. Inspicere etiam ad internas hominum cogitationes, et futura praedicere perinde ac si praesentia essent, et non sub figuris et ambagibus, ut cum loqueretur de sua passione, et morte, et resurrectione futura,

puri hominis non erat, sed Dei; etsi ergo in aliis Sanctis miracula quae faciebant ostenderint quidem illos esse Dei amicos ac fideles servos in Christo, tamen evincebant ipsius Divinitatem.

AD SECUNDUM respondet Augustinus, *Epist.*, 3., quae est ad Volusianum, *Magos Aegyptiorum a Moyse famulo Dei fuisse superatos, cum illi quaedam mira nefandis artibus agerent, ille Deo suppliciter invocato, machinamenta eorum cuncta subverteret.* Tantum ergo abest, ut per huiusmodi gesta magorum coniici potuerit eos aliquid supra hominem habuisse, cum ne praevalere quidem valuerint adversus famulos Dei. Caeterum absolute negandum est, praefatos magicae artis professores vera miracula fecisse, aut facere potuisse et posse; et etiamsi hominibus videantur mira et stupenda interdum perpetrare, ea tamen non excedunt facultatem naturae, [*Oxon.* 2. d. 18. n. 11.] a qua natura gigni potuissent ranae, et quaecumque alia daemones aliquando fecerunt, aut facturi sunt. Illi enim noverunt applicare activa passivis, et sciunt proportionem, et temperamenta corporum, et elementorum, ut perinde haud difficile ipsis sit edere et producere aliquid, a natura quidem producibile, sed diuturniori tempore, et propterea citra miraculum, esto miraculum videatur hominibus, quorum virtutem et capacitatem superat.

AD TERTIUM: [*Oxon.* Prol. q. 2. n. 10.] respondet idem Augustinus, lib. 22. *De Civit.*, c. 5.: *Non minus esse incredibile homines ignobiles, infirmos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, et in illo etiam doctis, persuadere potuisse, ut mundus illud credat, sicut iam credidisse videtur, nisi per illos aliqua miracula fierent, per quae mundus ad credendum induceretur.* Unde subdit: *Qui propterea exiguo numero ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius divinitas seipsa persuasit.* Haec Augustinus. Quod attinet vero ad Incarnationis possibilitatem, quatenus tangitur in argumento, ipsam videri quid impossibile, late disputatum fuit *in quaestione prooemiali.*

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUARTA.

DE SINGULIS MIRACULORUM SPECIEBUS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de singulis miraculorum speciebus. — Et *primo,* de miraculis, quae fecit circa spirituales substantias: *secundo,* de miraculis, quae fecit circa caelestia corpora: *tertio,* de miraculis, quae fecit circa homines: *quarto,* de miraculis, quae fecit circa creaturas irrationales.

Super his quatuor quaesitis, non invenio aliquid fuisse a Doctore specialiter annotatum.

QUAESTIO QUADRAGESIMAQUINTA.

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Transfiguratione Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum conveniens fuerit Christum transfigurari. - 2. Utrum claritas transfigurationis fuerit claritas gloriosa. - 3. De testibus transfigurationis. - 4. De testimonio paternae vocis.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM TRANSFIGURARI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 47. *q.* 1. — *d.* 49. q. 15.
S. Thom. 3. *p. q.* 45. *art.* 1.

RESPONDEO dicendum, convenienter Christum transfiguratum esse, idest [*Oxon.* 4. d. 47. q. 1. n. 7. — d. 49. q. 15. n. 4.] ostendisse claritatem et gloriam corporis sui Discipulis eius; non quidem omnibus, sed paucis, idest tribus electis. Cum enim frequenter cum ipsis sermonem habuisset ac commemorasset ignominiam Crucis, et imminentis mortis eius acerbitatem, denunciassetque oportere eos, et quoscumque cordi fuisset pervenire ad regnum a Patre praeparatum, eadem calcare vestigia, et fortiter post ipsum praeeuntem ferre propriam Crucem, conveniens, inquam, fuit et apprime opportunum et ipsis Discipulis et caeteris credituris per ipsos, semel saltem tantisper ostendere claritatem et gloriam illam, cuius erant futuri participes si eius mandatis obtemperare, ac quaecumque fieri praecepisset exequi voluissent. Ex denique facto id opus erat, ut alacrius ferrent mundi adversa, nec pro tanto praemio breves subire praesentis vitae labores formidarent. Conveniens igitur fuit ea in transfiguratione ostendere Discipulis signum gloriae futurae.

ARTICULUS II.

UTRUM CLARITAS CHRISTI IN TRANSFIGURATIONE FUIT CLARITAS GLORIOSA.

Doctor, loc. cit. art. antec. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 45. *art.* 2.

RESPONDEO dicendum, corporis Christi claritatem in transfiguratione fuisse claritatem gloriae, et eamdem quam habet nunc in Caelo, etsi diversimode. Quod enim [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] corpus illud non fuerit semper gloriosum, uti est nunc in Caelo, evenit ex speciali Dei dispensatione, qua statuerat ipsi mortem esse subeundam, et proinde impediit ne gloria animae in corpus redundaret, qua ipsum extitisset immortale et impassibile. Cum autem [ib. 4. d. 47. q. 1. n. 7. — d. 49. q. 15. n. 4. seqq.] transfiguratus est coram Apostolis, permissum fuit, gloriam animae per-

vadere corpus, sicut perfunditur nunc in Caelo, et replebuntur corpora Beatorum in resurrectione. Igitur claritas illa corporis erat claritas gloriae, fuitque revera tantisper corpus illud gloriosum. Verum cum resurgent corpora Beatorum erunt gloriosa et clara cum caeteris dotibus, quibus potientur inamissibiliter. At quoniam Christi corpus, quia erat mortem subiturum, non fuit gloriosum inamissibiliter, quia tunc, ut dictum est, minime pati potuisset; fuit tamen per id temporis corpus illud beatum, [ib. 4. d. 49. q. 12. n. 8.] non quidem *simpliciter,* sicuti est anima intelligens et volens, sed nonnisi *secundum quid,* quatenus scilicet perficiebatur ab anima beata tunc habente maiorem perfectionem in operando, ob dotes corporis eius, et quia maiorem perfectionem ipsum corpus excipiebat ab anima; materia enim est propter formam, non autem e converso.

ARTICULUS III.

UTRUM TESTES TRANSFIGURATIONIS SUFFICIENTER FUERINT INDUCTI.

Doctor, loc. cit. art. praec. — S. Thom. 3. *p. q.* 45. *art.* 3.

RESPONDEO: Christus in gloria corporis sui, hactenus ne in illud redundaret impedita, ostendere volens signum quoddam gloriae futurae, opus fuit suae transfigurationis adhibere testes, quo per ipsos Ecclesia de eo eventu certior facta spe praemii redderet fideles subeundis laboribus ac perferendis tribulationibus promptiores. Et quamvis sola fide id teneamus, tamen magis movemur ad credendum, et magis inflammamur ad assequendum quod certo scimus alios vidisse et expertos esse, quam si proponeretur ut quoddam mere creditum, uti est *articulos de Trinitate.* Ex eo propterea didicimus tantam esse claritatem et gloriam corporis gloriosi, ut oculus mortalis non possit eam acie permanente ferre, cum ob eam Apostolorum tres, Petrus scilicet, Ioannes et Iacobus, Christo longe acceptissimi, ceciderint tamquam mortui. Ex quo recte possumus inferre multo maiorem et excellentiorem debere esse gloriam animarum, de quarum plenitudine descendit in corpora, quae nequeunt esse beata, nisi *secundum quid.* Vide infra *q.* 55. *art.* 2. de testibus resurrectionis.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONVENIENTER AUDITUM FUERIT TESTIMONIUM PATERNAE VOCIS IN CHRISTI TRANSFIGURATIONE.

De hoc articulo nihil occurrit annotandum ex Doctore, sed tamen hac ex parte spectant dicta supra, q. 39. art. 8.

QUAESTIO QUADRAGESIMASEXTA.

DE PASSIONE CHRISTI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de his, quae pertinent ad exitum Christi de mundo: et *primo,* de passione eius: *secundo,* de morte: *tertio,* de sepultura: *quarto,* de descensu ad inferos.

Circa Passionem occurrit triplex consideratio: *prima,* de ipsa Passione; *secunda,* de causa efficiente passionis: *tertia,* de fructu passionis.

Et circa primum quaeruntur duodecim.

1. Utrum fuerit necesse Christum pati pro liberatione hominum. - 2. Utrum fuerit alius modus possibilis liberationis humanae. - 3. Utrum ille modus fuerit convenientior. - 4. Utrum fuerit conveniens, quod in Cruce pateretur. - 5. De generalitate passionis. - 6. Utrum dolor quem in Cruce sustinuit fuerit maximus. - 7. Utrum tota anima eius pateretur. - 8. Utrum passio eius impediverit gaudium fruitionis. - 9. De tempore passionis. - 10. De loco. - 11. Utrum conveniens fuerit ipsum cum latronibus crucifigi. - 12. Utrum passio ipsius Christi sit Divinitati attribuenda.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT NECESSARIUM CHRISTUM PATI PRO LIBERATIONE HUMANI GENERIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 46. *a.* 1.

VIDETUR fuisse necessarium Christum pati pro liberatione generis humani. Nam [*Oxon.* 3. d. 20. n. 3.] frustra fuisset condita rationalis creatura, nisi posset per cognitionem et amorem inhaerere summo bono, diligendo ipsum propter se. Aut ergo Deus deducit hominem ad hunc finem, aut non. Si non; igitur frustra factum fuisset humanum genus. Si deduxit; igitur cum homo lapsus fuerit, ac ab eo fine exciderit; necesse est ipsum reparari per passionem Christi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Purus homo non potuit satisfacere Deo pro peccato Adae; ergo oportuit Christum pati. *Probatur assumptum:* non satisfacit aliquis pro peccato hominis, nisi reddat aliquid maius, quam sit illud pro quo peccatum facere non debuerat; sed pro omni eo quod est vel esse potest citra Deum non debuit peccare; ergo non potest satisfacere, nisi reddat aliquid maius omni creatura, facta, vel possibili fieri: sed maius omni creatura non potest reddere aliquis homo, qui non sit simul Deus; ergo oportuit Christum verum Deum et hominem satisfecisse per suam passionem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Nullus satisfacit pro peccato, nisi reddat Deo totum, quod abstulit ab eo: sed Adam peccando abstulit a Deo quicquid de humana natura facere proposuerat Deus: proposuerat autem de hominibus iustis supplere numerum Electorum: homo autem peccator hoc reddere non potest, quia peccator peccatorem iustificare nequiit, et omnis homo in Adam corruptus fuit; igitur oportuit hoc praestitum esse per Christum, qui innocens fuit, et solus potuit reddidisse Deo, quod per

peccatum ei detractum fuerat. — Nec enim decuit, ut aliquis innocens non descendens de Adamo per mortem redimeret nos; quia tunc homo non fuisset restitutus ad pristinam dignitatem, in qua conditus fuerat, ut nimirum soli Deo serviret; fuisset enim obligatus illi homini, qui eum redimisset, quasi tantum, quantum Deo pro creatione, ac per consequens necesse fuit, ut hominis redemptor esset Christus verus Deus et homo.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 7.] Augustinus, 13. *De Trinit.*, c. 10. *Alius modus redimendi hominem Deo non defuit; eius enim potestati cuncta subiacent.* Si igitur in reparatione hominis lapsi Deus alium modum adhibere potuisset, profecto non necessario mortem pertulit Christus pro hominis redemptione.

RESPONDEO: [*Exposit. lit.* in *Metaph.* l. 5. n. 35·37.] aliquid necessario fieri posse multipliciter intelligi, ex 5. *Metaph.*, text. 6. *Primo*, simpliciter, quando scilicet impossibile est aliter fieri: *secundo*, potest dici necessarium ad melius esse, ut medicina laxativa uti ad commodius vivendum: *tertio*, etiam aliquid dicitur necessario fieri, quando est coactio ad id faciendum contra appetitum rationalem, vel naturalem. Quod autem non fuerit necessaria Christi mors pro hominis redemptione in *prima* acceptione, patet ex *Augustino cit.*; quia tunc Deus alium modum in hoc negotio adhibere non potuisset. *Nec etiam tertio modo:* non solum quia Deus a nemine cogitur, sed omnia sua libera voluntate operatur et perficit, sed etiam quia tametsi passio fuerit contra naturalem appetitum Christi, tamen quoad rationalem voluntatem ipse fuit semper concors cum divina libere et volens acceptando quaecumque Deo sibi praecipere libitum fuit, ut dictum est *q.* 18. *art.* 5. Si oportuit ergo [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10.] nos redimi per passionem Christi, non potuit hic fuisse aliam necessitatem, quam ad melius esse, et ex suppositione ordinationis Dei, cui placuit ita statuisse. Caeterum ut libere Deus decrevit hominis reparationem, ita libere et contingenter sumus per Christi passionem redempti. Sicut enim, [5. *Metaph.* q. 3. n. 2.] quod est necessarium ex suppositione necessaria est absolute necessarium, ita necessarium ex suppositione contingenti et libera est contingens et liberum. Ordinatio autem divina de nostra reparatione est libere et contingenter posita; potuit enim non ita vel aliter decretum esse, sicut potuit Deus praedestinasse, et non praedestinasse; ergo pariter redemptio exhibita et peracta per passionem Christi est simpliciter contingens, et non necessaria.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, nullum esse inconveniens naturam humanam in se consideratam frustrari, et non assequi beatitudinem, cum beatitudo supra eius debitum et exigentiam sit; licet inconveniens esset ipsa beatitudine non potiri supposita praedestinatione divina; [*Oxon.* ib. n. 7.]sed quia haec praeordinatio contingenter et libere fuit facta, ita contingenter et libere fuit per Christi passionem reparatio, et propterea potuit etiam post factam praeordinationem ad gloriam aliter redimi et reparari, ut testatur Augustinus.

AD SECUNDUM nego *assumptum*. — *Et cum probatur* dico, illam propositionem, satisfacientem debuisse offerre Deo maius omni illo pro quo peccare non debuerat, esse falsam. Quia [*Oxon.* ib. n. 8.] sicuti Adam pro amore creaturae, ut obiecti diligibilis, non debuit peccasse, ita si Deus voluisset per Adamum satisfieri sibi satisfecisset ut offerret Deo aliquid maius obiective, quam sit creatura, scilicet amorem attingentem Deum

propter se, et iste amor obiective ut terminaretur in Deum propter se, excederet amorem creaturae, sicut Deus excellit creaturam. Unde sicut peccavit per amorem ignobilioris obiecti in infinitum, ita debuisset satisfacere per amorem nobilioris in infinitum, qui amor excederet amorem cuiuscumque creaturae, et oporteret, quia in tali hypothesi diligendum esset magis obiectum nobilius in satisfaciendo, quam dilexerit ignobilius peccando, tamen ille actus formaliter non esset maior omni creatura, et infinitus, imo nec ille quidem Christi, quo satisfecit, et dilexit Deum fuit infinitus. Purus ergo homo de possibili potuisset satisfacere, et consequenter non necessario Christus satisfecit.

Ad tertium dico: [*Oxon.* ib. n. 9.] etsi peccator peccatorem iustificare nequeat, de possibili tamen unus purus homo sine originali culpa conceptus, sicut Christus fuit, si habuisset summam gratiam, quam Deus posset illi dare ex sui liberalitate, ut dedit Christo, satisfacere valuisset pro Adae peccato, offerendo aliquid placitum Deo pro homine lapso, quod Deus ipse acceptasset pro omnibus peccatis. Tantum enim valet omne creatum Deo oblatum, quantum Deus illud acceptat. — *Et cum additur:* quia tunc obligaremur huic redemptori sicut tenemur Deo ob creationem; *falsum est;* quia ille purus homo quicquid haberet esset a Deo, et ei potissimum ob redemptionem obligaremur: plurimum nihilominus teneremur et redemptori, sicuti obligamur B. Virgini, et aliis Sanctis, qui pro nobis etiam meruerunt; summe tamen et finaliter Deo, a quo omnia aliorum bona proveniunt.

ARTICULUS II.

UTRUM FUERIT POSSIBILIS ALIUS MODUS LIBERATIONIS HUMANAE QUAM PER PASSIONEM CHRISTI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — 4. *d.* 15. *q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 46. *art.* 2.

Videtur non fuisse possibilis alius modus liberationis humanae, quam per Christi passionem. Etenim si esset alius modus, maxime quia alius homo, qui non est Deus posset satisfacere Deo, sicque hominem a peccato liberare: hoc autem est impossibile. Et probatur; quia [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 4.] si homo peccator reddat Deo id tantum, quod debebat illi, si innocens esset non est satisfactio pro peccato: sed omnia quae homo potest facere, scilicet Deum honorare, cor humiliter Deo offerre, et alia id genus, debet homo etiamsi non peccasset ratione creationis, et gubernationis; igitur talia exhibendo non satisfaceret pro peccato, adeoque necessario debet satisfieri ab homine Deo.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Peccatum mortale est infinitum malum; tanta enim est malitia peccati, quanta est perfectio et bonitas illius, in quem peccatur: sed creatura non potest reddere Deo nisi bonum finitum; ergo oportuit satisfacientem pro peccato fuisse infinitum, et per consequens non potuit Deo satisfieri, nisi per Christum.

3. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Per peccatum aufertur Deo honor debitus: sed nihil aequivalens honori eius potest a creatura sibi reddi; ergo satisfaciens non potuit esse creatura, sed debuit esse Deus unitus humanitati. Neque impotentia reddendi ipsum excusat, quia quod non

possit ipse in causa est; nam ipse sibi eam impotentiam fecit voluntarie peccando.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Augustinus, 13. *De Trinit.*, c. 10. *Fuit quidem alius modus nostrae redemptionis possibilis, scilicet quam per incarnationem et passionem: sed nullus nostrae miseriae sanandae convenientior;* igitur potuit reparari homo lapsus alia via, quam per incarnationem et passionem Christi.

Iuxta quod RESPONDEO et dico, absolute et simpliciter potuisse hominem alia via reparari ab illa, qua de facto redemptus fuit. Nam [*Oxon.* ib. n. 4-7.] possibile est Filium Dei non fuisse incarnatum, et consequenter passum, et cum hoc possibile quoque est Deum perduxisse praedestinatum ad beatitudinem, et iuste et misericorditer; ergo possibile fuit in tali hypothesi poenitentem sibi satisfecisse, sic ut post attritionem tamquam post dispositionem congruam, et meritum de congruo, potuit accepisse a Deo gratiam, per quam motus ille atterentis fieret contritio, et ita per satisfactionem delevisse peccatum; quia per actum illum reddentem Deo aequivalens bono, quod abstulit Adam per peccatum. Verum solummodo de potentia absoluta, et de possibili: de potentia enim ordinata, et de facto, Deus non disposuit alicui peccatori dare primam gratiam nisi in virtute Christi, qui fuit sine peccato, et causa meritoria de condigno omnis gratiae datae et dandae omnibus membris corporis Christi mystici.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: [*Oxon.* ib. n. 8.] licet Deus potuisset velle obligare nos sibi, ut teneremur ad totum penitus quod possumus, tamen ex maxima sua misericordia considerans nostram fragilitatem et difficultatem ad bonum, noluit nos teneri et obstringi, nisi ad servanda mandata Decalogi. Pariter igitur ex suppositione quod Christus non venisset, et alii homines conditi essent, potuit fieri, ut praecise teneremur ad Decalogum. In eo igitur casu et hypothesi posset homo aliqua opera supererogationis exercere, quae alias sibi essent indebita, atque iis satisfacere pro peccatis.

AD SECUNDUM dico, quodcumque malum peccatum fuerit posse pro illo Deo satisfieri de possibili absque Verbi Incarnatione. Quantum enim [*Oxon.* ib. n. 6.] malum fuit peccatum avertens a Deo, tantum bonum est conversio ad Deum per charitatem; et quia satisfactio est redditio aequivalentis pro aequivalente, utique posset esse satisfactio pro peccato; quia quantum bonum natum fuit inesse actui meo, tantum bonum, et non plus abstulit peccatum meum, et tantum bonum potest inesse actui meo per conversionem ad Deum ex charitate; igitur per illum redditur aequivalens. *Si dicas:* actus meus non fuit aequivalens in bono illi malo in displicentia, nisi actus iste eliciatur ex gratia: sed prima gratia non datur peccatori nisi ex passione Christi; *respondeo,* de potentia absoluta Deum dare posse primam gratiam sine merito passionis Christi. Quod patet, quia sine ullis meritis praevisis aut exhibitis data fuit summa gratia animae Christi; ita potuit eamdem dare etiam alteri sine ullis meritis Mediatoris.

AD TERTIUM nego *minorem* et *consequentiam.* Quia, ut patet *ex solutione,* nullum est inconveniens de potentia Dei absoluta aliquem satisfacere pro seipso, et per consequens reddere id, quod peccando abstulit Deo. Id enim non repugnat sibi ex capite, quo tenetur Deo etiam

exhibere illa quibus vellet satisfacere; quia etiam nunc Deus non ita nos obstrinxit, siquidem ad consilia non tenemur, sed si illa quis amplectatur id profecto facit ex abundantia. Neque repugnat reddere Deo, quod abstulit peccando ex capite quia creatura finita est; nam ultra dicta *ad secundum*, quandoquidem Christi passio est bonum finitum etiam accepta secundum rationem meriti in eo repertam, (non fuit etiam bonum increatum, et infinite acceptabilis ex parte obiecti) nec per ipsam quidem fuisset satisfactum peccato, si infinitas eius esset causa cur creatura finita, ut purus homo, non posset satisfacere de possibili pro se divinae iustitiae, nec reddere aequivalens ei quod peccando abstulit.

ARTICULUS III.

UTRUM FUERIT ALIQUIS MODUS CONVENIENTIOR AD LIBERATIONEM HUMANI GENERIS, QUAM PER MORTEM CHRISTI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — *Report. ib* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 46. *art.* 3.

VIDETUR alios modos convenientiores non defuisse liberandi genus humanum, quam per passionem Christi. Nam illum modum esse convenientiorem fini praedicto existimandum est, quod et finis intentus perinde consequi, et excludi maiora mala potuissent: sed si Christus passus et mortuus non esset, locum non habuissent tot peccata, quae patrata fuerunt in occisione Christi; ergo alius modus convenientior non defuisset pro liberandis hominibus, quam sit per passionem Christi. *Probatur minor:* [*Oxon.*3.d.20.n.6.] ex Anselmo, 2. *Cur Deus homo,* c. 14. ubi ait longe maius malum putandum esse mortem Christi, quam reliqua omnia peccata simul; ergo multo melius, et convenientius fuisset uti alio modo quam permittere adeo ingentia et atrocia peccata fieri.

2. PRAETEREA. Ille modus videtur convenientior liberandis hominibus, in quo magis elucet iustitia: sed apparet potiori iure locum habituram fuisse iustitiam si quisque satisfecisset Deo per seipsum, quam per alium (quemadmodum esse possibilem constat ex *art. anteced)*; ergo non fuit omnibus convenientior modus redimendi hominem per passionem Christi. *Minor probatur:* [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 9.] quia sicut peccator peccat sua voluntate, et non aliena, ita iustitia exigere videtur ut pariter per voluntatem qua peccavit satisfaciat pro peccatis, et non per aliam voluntatem, cui, cum sit expers culpae, non debetur poena.

2. PRAETEREA. Pluralitas numquam ponenda est citra necessitatem: sed nulla fuit necessitas genus humanum reparari per passionem et mortem Christi, ex dictis *art.* 1., cum potuerint electi assequi aeternam beatitudinem sine ulla causa meritoria; ergo modus quo de facto redempti sumus non fuit omnibus convenientior.

CONTRA. Augustinus, 13. *De Trinit.,* cap. 10. ut infra.

RESPONDEO dicendum, divinae Sapientiae decernenti reparationem humani generis occurrere non potuisse modum convenientiorem eo quo de facto redempti sumus, nimirum per passionem et mortem Christi, quod et dixit in sententia Augustinus, 13. *De Trinit.,* cap. 10. *Ut ostendamus,* inquiens, *non alium modum possibilem Deo defuisse, cui potestati cuncta aequaliter subiacent, sed sanandae nostrae miseriae convenientiorem mo-*

dum alium non fuisse, nec esse potuisse. — *Et declaratur:* nam [*Oxon.*4. d. 15. q. 1. n. 5.] licet Deus potuisset sine ulla causa meritoria media remittere et condonare culpam Adae et omnibus ab eo descendentibus, (quicquid enim potest media causa meritoria potest se solo) quia illa in genere causae efficientis meretur, magis nihilominus decuit id praestitisse per causam meritoriam. *Primo,* quia per obsequium Mediatoris magis honoratur divina Maiestas, quam si id non intervenisset. *Secundo* [*Oxon.*4. d. 2. q. 1. n. 7.] quoniam per Mediatoris passionem et mortem Deo oblatam plenissime satisfactum fuit iustitiae divinae; magis enim accepta fuit illa oblatio, quam fuerint odio prosequenda omnia hominum peccata. *Tertio* denique [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 7.] quia congruum apprime est et opportunum, ut homines post lapsum dirigantur ad caelestia per sensibilia; opus enim habent dirigi et manuduci ad intelligibilia et supernaturalia per ea quae sensibus percipiuntur; igitur non potuit Deo convenientior modus occurrere, quam mittere Filium suum humanatum in mundum, a quo filii Adae addiscerent viam et veritatem. — Et quamquam purus homo vel Angelus potuisset Deo satisfecisse pro nobis, convenientiori tamen ordine id gestum fuit per Verbum humanatum. Nam [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10.] praeterquam quod hoc pacto magis nos pellexit ad amorem suum; magis enim Deo obligamur, et ad illius dilectionem excitamur et movemur, quia idem creavit et redemit nos, sicuti magis adstringeretur aliquis alteri, si ab eo genitus esset et praeterea instructus in disciplina et sanctitate fuisset, quam si dumtaxat genuisset, et alteri instruendum tradidisset. — *Ulterius* [*Oxon.*3. d. 19. n. 7.] pura aliqua creatura non habuisset ex circumstantia personae, ut meritum eius acceptaretur pro infinitis, sicuti habuit Christus, ratione Personae Verbi; et esto hoc non fuerit necessarium, quia futurum non est, ut homines vel peccata sint infinita, id nihilominus plurimum iuvat, atque inde eriguntur peccatores ad sperandum de misericordia Dei et meritis Christi, scientes ea tanta esse, ut etiamsi ipsorum peccata forent infinita, adhuc posse et debere eos sentire a Deo in gratiam pristinam receptum iri, si serio peccasse poeniteant. Fuit igitur modus iste redimendi genus humanum omnium longe convenientissimus.

Ad Argumenta. Ad primum dico ad *minorem,* [*Oxon.* 4. d. 4. q.6.] Deum non voluisse directe peccata occidentium Christum, sed ea permisisse, ut inde longe maius bonum eliceret, sicuti est redemptio generis humani; ac proinde, nego convenientiorem modum futurum fuisse illum, quo redempti essemus citra Christi mortem, quia stante pronitate et infirmitate nostrae naturae ad peccandum nulla alia medicina potuit esse efficacior et salubrior illa, quae praeparata nobis est ex Incarnatione, humilitate, passione, et morte Filii Dei incarnati.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 8. seqq.] nullo alio modo et medio adhibito potuisset sic elucere iustitia sicuti in Christi passione Deo oblata pro hominum salute; ea siquidem oblatione Personae longe dilectissimae satisfactum fuit iustitiae divinae, ita ut eo modo convenientiori satisfieri minime potuisset, quia nulla alia persona gratior Deo fuit possibilis, quae tantopere Deum et homines diligeret. — *Et cum dicitur:* quia convenientior modus videtur ut quisque pro seipso satisfaciat; *hoc verum est* de voluntate peccante; sed Christus potissimum nobis promeruit primam gratiam, qua deleretur peccatum originale pro-

pagatum ob peccatum Adae, ad quam gratiam promerendam de condigno, convenientissime, ut declaratum est, Filius Dei in carne passibili natus, passus et mortuus est.

AD TERTIUM concedo, non intervenisse in negotio redemptionis humanae aliquam necessitatem nisi consequentiae, et ex praesuppositione divinae ordinationis; sed tamen convenientissime adhibitum fuisse Mediatorem declaratum est *in solutione.*

ARTICULUS IV.

UTRUM CONVENIENS FUERIT, QUOD CHRISTUS IN CRUCE PATERETUR.

Doctor, loc. inf. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 46. *art.* 4.

VIDETUR Christus pati non debuisse in Cruce. Etenim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 4.] mortis Christi expressa figura fuit Agnus, qui in Paschatis solemnitate immolabatur a filiis Israël, eumque iussu Dei comedebant assum igni, ut diserte scribitur *Exodi* 12. *Levit.* 23. *et Num.* 28. Igitur ad hoc ut figurae corresponderet figuratum, oportebat potius Christum mortem subire ferro, aut igni consumptum; ac per consequens minus convenienter passus videtur in Cruce.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 20. n. 10. — 4. d. 2. q. 1. n. 1.] Christus pati et mori voluit ad expianda mundi peccata, et redimendum genus humanum: sed id efficere potuisset alia via, citra mortem Crucis, ad quam sequebatur ignominia et infamia; eo enim mortis genere necabantur homines nefarii, ut liquet de illis, qui una cum ipso Cruci affixi sunt; ergo convenientius mortem Crucis Christus non admisisset.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10. — 4. d. 2. q. 1. n. 1.] Si Christus mortem Crucis pertulit ut ostenderet suam erga nos dilectionem, utque copiosa foret apud eum redemptio; igitur si diriora sustinuisset tormenta et intensiorem amorem suum erga homines declarasset, et copiosius nos redemisset: sed latrones, qui cum ipso crucifixi fuere diriorem mortem subiisse videntur, his enim fracta sunt crura, atque eo in tormento vivere desierunt: Christum autem mortuum invenerunt, ideoque a crurifragio milites abstinuerunt *Ioann.*, 19.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] Fides catholica docet, Christum pertulisse mortem crucis sub Pontio Pilato: Christus autem est Sapientia Patris; ergo convenientissime id fieri ordinatum esse sentiendum est.

RESPONDEO dicendum, conveniens apprime fuisse Christum mortem Crucis subire, cum ad exemplum eorum, qui in illum crediturí erant, tum ad plene et exacte ac ordine congruo satisfaciendum iustitiae divinae. *Primum declaratur:* [*Oxon.* 3. d. 28 29-30. per tot.] cum enim Legis Evangelicae summa in duobus consistat mandatis, nempe in dilectione Dei et proximi, et dilectio proximi tantopere commendetur, ut iubeamur ipsos etiam diligere inimicos, et benefacere iis qui nos persequuntur, manifestum est ad id praestandum magna animi fortitudine nos indigere, qua sustineamus ab aliis illata mala et pro illis bona rependamus. Oportebat ergo [*Oxon.* 3. d. 34. q. 1. n. 8. seqq.] eiusmodi doctrinae caelestis Magistrum, quo efficacius eam persuaderet, in se primum invictissimae pa-

tientiae exempla praebere, et dilectionem inimicorum tamquam quid arduum et inauditum ipso facto comprobatam suadere. Sustinendo itaque [*Report.* 3. d. 15. n. 10.] mortem Crucis ea patientiae sublimissimae signa praebuit, ut nil supra nedum fieri, sed ne excogitari quidem possit. Nam tamquam fatua illusa est aeterna Sapientia, damnata ut rea criminum ipsa innocentia, et Rex mundi demum actus in Crucem, inspectante hominum multitudine irridentium, et traducentium tamquam hominem nefarium eum, qui tollendis mundi peccatis advenerat. Quid iniustius et scelestius aliquando factum fuit fierique potest? Patientissime tamen haec omnia, aliaque innumera tolerando, patientia vicit, ad eamdemque victoriam per patientiam suos sequaces efficacissime provocavit. Porro [*Oxon.* 1. d.48. n. 1.] nedum non repulit ea, quae sibi ab aliis, qui gratis eum odio habebant, inferebantur, cum nullo negotio posset, verum etiam tanto eos interim dilectionis affectu prosequebatur, ut ultro Patrem rogare dignatus sit, ut illis ignosceret, addita excusationis causa, dicens: *quia nesciunt quid faciunt.* Lucae, 23. Conveniens ergo fuit ad nostram instructionem Christum perferre mortem Crucis.

Quantum vero ad *secundum* caput attinet, quo nimirum ordine digno Sapientiae infinitae satisfieret iustitiae Divinae, et ita per mortem Crucis, ex eo constat, quia Salvator in carne passibili inter homines apparere dignatus est potissimum ut destrueret originale peccatum, iuxta dicta *art.*4. *quaest.* 1. cui peccato homines obnoxii nascuntur ob culpam Adae, in quo omnes peccaverunt. Adam vero [*Oxon.* 2. d. 19. n. 1. — d. 21. q. 2. n. 3. — 3. d. 15. n. 37. — d. 20. n. 12.] inde eam noxam in posteros transmisit, quia extitit transgressor caelestis mandati, quo fuerat iussus ne comederet de fructu ligni cuiusdam Paradisi, Gen. 3. Quemadmodum ergo mors in mundum intravit per lignum, quatenus interdictum fuit primo homini vesci fructibus eius, et per legis transgressionem iniuria divinae Maiestati illata, ita ordine congruo per lignum erat mors depellenda, et divinae iustitiae satisfaciendum; apprime ergo conveniens fuit ut Salvator morte Crucis satisfaceret Trinitati pro peccato Adae, et ita redimeretur genus humanum.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, concedendo Agnum Paschalem extitisse insignem figuram immolationis Christi. — *Et cum arguitur;* quia oportuisset proinde Christum ferro, aut igne perire, ut figurae quadraret figuratum; *respondeo;* [*Oxon.* 4. d. 12. q. 1. n. 16.] *quod in omnibus est simile, idem utique erit, et non exemplum,* iuxta Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 27. Ut ergo [*Oxon.* 3. d. 20. — 4. d. 2. q. 1. per tot.] Agni immolatione repraesentaretur Christi mors, satis fuit Christum revera occisum fuisse, sed hoc aut illo genere mortis, id ad veritatem figurae et figurati non pertinuisse. Caeterum si dixerimus ignem, quo assabantur carnes Agni significasse incendium charitatis et dilectionis, qua Christus dilexit nos, a veritate non aberrabimus, quia ex dilectione Dei et nostri voluit adeo extrema perpeti, ut nihil supra addi possit.

Ad secundum patet ex dictis *in solutione,* cur potius mortem Crucis subire voluerit, quam alia via salvare genus humanum. Adde etiam, [*Oxon.* ib. n. 10.] id potissimum ipsum maluisse ad alliciendum nos ad amorem suum; ex eo enim quod aliter redimi potuissemus, et tamen ex sua libera voluntate Christum nos per mortem dirissimam Crucis redimere voluisse, acerrimis stimulis homines ad amorem suum excitavit, et ad rependendam dilectionem priori dilectione provocavit.

AD TERTIUM respondeo, Christum dilectionem, qua prosequebatur humanum genus plusquam dici, et excogitari possit, evidentissime declarasse in morte Crucis; in qua adeo intenso dolore affectum fuisse, cui par in alio homine non fuerit, nec esse possit, declarabitur infra, *art.* 6. Cur autem alias in specie passiones non sustinuerit, dicetur *articulo statim sequenti.*

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTUS OMNES PASSIONES SUSTINUERIT.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 46 *art.* 5.

VIDETUR Christus omnes omnino passiones sustinuisse. Etenim per suam passionem Christus satisfecit pro peccatis omnium hominum: sed omnibus peccatis hominum debentur omnes poenae; ergo omnes illas sustinuit Christus in sua passione. Unde [*Oxon.* 3. d. 15. n 21.] Ambrosius super Lucam: *Doles, Domine,* inquit, *non tua vulnera, sed mea:* idest tristaris de meis peccatis naturam meam vulnerantibus, non de tuis; sustinuit ergo et patiebatur dolorem et tristitiam pro omnibus his peccatis quibus est humana natura obnoxia, atque ita omnes pertulit passiones.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2 et 30.] Augustinus, super illud Psal. 87.: *Repleta est malis anima mea,* dicit in persona Christi: *Non vitiis, sed tristitiis, seu poenis:* sed nisi perpessus esset omnes penitus passiones ex quibus anima tristabatur, et corpus dolores sustinebat, non videretur repleta fuisse anima Christi malis, quia quaedam mala illi defuissent; ergo sustinuit omnes passiones.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10. seqq.] Quod Christus voluerit pati adeo diram passionem et mortem processit ex ingenti amore, quo diligebat Deum, et homines propter Deum; alioquin ex circumstantia Personae quaelibet minima laesio eius, imo quivis actus dilectionis potuisset acceptari pro redemptione humani generis; unde voluit pati, ut copiosa apud eum fieret redemptio, ut scribitur in Psalm. 129. Sed si omnes penitus passiones sustinuisset magis eluxisset vis immensi amoris animae Christi, et copiosa quantum fieri potuit extitisset redemptio; ergo existimandum est ita factum fuisse.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 1.] Sicuti divina virtute conservatum fuit corpus Christi ne putrefieret in sepulchro, ita pariter nonnullae causae, quae naturaliter illum dolore afficere potuissent, prohibitae sunt ipsum lacessere; ergo non sustinuit omnes omnino passiones, quia non ignem, non fractionem crurium, non artuum disectionem, et alia id genus: nam causae quae illi has passiones et dolores intulissent, minime illi fuerunt approximatae.

RESPONDEO dicendum, Christum sustinuisse omnes passiones non in specie, sed in genere, quae ipsum non dedecebant, quibus et veritatem sui corporis ostendit, et pro nobis divinae iustitiae satisfecit. Nam morbi et infirmitates, quibus plerumque obnoxii sumus, dedecuissent, ut dictum fuit *q.* 14. *art.* 4. Hi enim sequuntur in nobis malam dispositionem complexionis, vel ex intemperantia, victus impuritate, vel naturae ipsius imbecillitate (ob quam tandem deficere oportet) regulariter oriuntur; Christi

autem corpus fuit optime complexionatum, et ipse scivit quae pro sanitatis conservatione sibi forent sumenda, et quae respuenda; passiones igitur huiusmodi in Christo locum non habuerunt. — Assumpsit ergo, [*Oxon.* 3. d. 21. n. 1.] et sustinuit omnes illas, quas enumerat Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 20. *Totum*, inquiens, *hominem, et omnia quae sunt hominis assumpsit, praeter peccatum, scilicet esuriem, sitim, laborem, dolorem, lacrymas, corruptionem mortis, agoniam, timorem, et alia, quae universaliter insunt homini, omnia enim assumpsit, ut omnia sanctificaret.* Haec Damascenus.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo: [*Oxon.* 3. d. 15. n. 37.] quando persona dignior satisfacit pro indigniori, non oportet profecto, ut in illo sit poena et satisfactio secundum totum id, per quod indignior deliquit, nam tunc defectus satisfactionis superbundanter compensatur ex dignitate satisfacientis. Cum itaque Christus sit longe acceptissimus et gratissimus Deo, et magis a voluntate divina diligitur, quam odio habeantur omnia mundi peccata, affatim satisfacere potuit pro omnibus illis, etiamsi in specie non sustinuerit omnes passiones et poenas, quibus expiari in ipsis peccatoribus debuissent omnia ipsorum peccata.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 30.] verissime animam Christi repletam fuisse tristitiis et poenis, quia tota anima secundum voluntatem quoad utramque portionem tristabatur, et ut natura, et ut libera, ex nolitione conditionata, quantum scilicet in ipsa fuit, et quantum ad intellectum secundum utramque portionem apprehendebat disconveniens voluntati naturaliter, et conditionate. Ut autem ita tristaretur illa anima, et tot poenis afficeretur, satis fuit Christum sustinuisse omnes passiones in genere, et non in specie, ut dictum est. (Cf. q. 50. a. 10.)

Ad tertium respondeo, Christum immensitatem sui amoris, quo Deum, et homines dilexit, eximie ostendisse in sua passione et morte, quam ea de causa sustinere voluit. Quod et ipsemet testatum reliquit dicens: *maiorem hac dilectione nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioann. 15. Satis ergo fuit perpessum esse omnes passiones in genere, ex quibus mors cum extrema ignominia sequebatur; cum alioquin omnes in specie passiones ipsum dedecuissent, nec congruebant excelsae maiestati Filii Dei, in humilitate carnis nostrae apparentis propter hominum salutem.

ARTICULUS VI.

UTRUM DOLOR PASSIONIS CHRISTI FUERIT MAIOR OMNIBUS DOLORIBUS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 15. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 46. *art.* 6.

Videtur dolor passionis Christi non extitisse maior omnibus doloribus. Nam [*Oxon.* 3. d. 15. n. 18.] dolor excellens in parte sensitiva natus est impedire usum rationis; et magis quidem quam vehemens delectatio, secundum Augustinum, 83. *qq. q.* 36. a qua nihilominus delectatione obruitur usus rationis, et idem testatur, 14. *De Civitate, cap.* 16. Igitur si Christi dolor extitisset maior omnibus doloribus, profecto ipse tunc excidisset rationis et mentis potestate, quod videtur haud affirmari posse de

Christo, qui in primo suae conceptionis instanti usum obtinuit rationis in excellentissimo gradu.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 32. n. 7.] Plerique martyrum se exponentium nimiis tormentis, videtur dolor passionis maior extitisse illo quem sustinuit Christus; igitur iste non fuit omnium maximus. *Probatur assumptum:* quia productior fuit poena in quibusdam Martyribus, et diutius torti sunt a Tyrannis; igitur dolor fuit maior illo, qui sequebatur ad Christi passionem, quae minori temporis intervallo absolvebatur.

3. PRAETEREA. In voluntate animae Christi fuit maximum gaudium, quia ipsa fruebatur divina essentia, eratque beatissima; igitur ad Christi passionem non sequebatur dolor omnium maximus, quia etsi fuerit ingens, tamen contemperabatur ab illo ineffabili gaudio, quo voluntas ipsius perfundebatur.

4. PRAETEREA. Christi passio et dolor inde sequens erat volita a Christo ob bonum inde sequuturum, qualis est redemptio generis humani, quemadmodum fortis politicus exponit voluntarie se morti ob bonum reipublicae; ergo Christus ex tali actu heroicae virtutis maximam habebat consolationem, doloris ingentis mitigativam; igitur eius dolor ex passione non fuit maximus omnium dolorum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 15. n. 2.] Isaiae, 53. *Vere dolores nostros ipse portavit.* Igitur dolor, quem in passione Christus sustinuit, aequivalens erat doloribus nostris; ergo extitit maior omnibus doloribus.

RESPONDEO dicendum, Christi dolorem ex passione acerbissima sibi inflictum fuisse maximum, et intensiorem omnibus aliis doloribus, quae infuerunt aut inesse possunt caeteris viatoribus in hac vita; dolor enim carnis (ut patuit *q.* 15. *art.* 5.) secundum Agustinum, 14. *De Civit.*, cap. 13. *Est offensio animae ex carne, et quaedam ex eius passione dissensio.* Tantumdem ergo anima offenditur ex carne, atque ab eius passione dissentitur, quantum sensitivus appetitus est perceptivus offensionis carnis, et carnis sensus alteratur ab extrinseco disconvenienti: sensus autem corporis [*Oxon.* 3. d. 15. n. 18.] tantum alteratur ab extrinseco disconvenienti quantum ipse perfectus est; eius vero perfectio est dimetienda ex perfecta corporis complexione, organizatione, et harmonia. Nam, ut inquit Philosophus, 2. *De Anima*, text. com. 94. *Secundum proportionem bonae dispositionis corporis, dispositio existentiae tactus.* Cum igitur Christi corpus fuerit formatum ex purissimis sanguinibus B. Virginis virtute Spiritus Sancti supplentis concursum alterius causae naturalis, oportet fuisse longe perfectissimum, et per omnia correspondens, adaequatum, et proportionatum animae perfectissimae Christi; talis igitur [*Oxon.* 3. d. 15. n. 37.] erat pariter eius tactus, et appetitus sensitivus; minima igitur laesio illi corpori inflicta erat magis disconveniens ipsi magisque dolorifica, quam maxima laesio corpori ignobiliori illata; magis enim Christi corpus erat per sensum tactus perceptivum, et subinde per sensitivum appetitum maiorem habebat inclinationem ad oppositum, quam quivis alius non adeo perfectus. Cum itaque Christus per ludibria, flagella, spinas, clavos, et Crucem fuerit maxime discruciatus, et diu sustinuerit acerbissimam passionem, consequens est, ut eius dolor fuerit maximus, et cui nullus alius possit in hac vita comparari. — *Ulterius*, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 21.] Christi animae occurrebat alia ratio dolendi seu tristitiam habendi, erantque peccata totius mundi, quorum causa

mortem erat paulo post subiturus, quae omnia praesentia habebat, et infinitae bonitati Dei disconvenientissima percipiebat; praesertim vero augebatur, et dolebat peccata infidelitatis discipulorum dubitantium, dolebat Iudaeos incredulos et ingratos, quos semper singulari beneficentia esset prosequutus, et pro benevolentia futurum mox erat ut ex odio implacabili passionem et mortem sibi rependerent; maximam ergo ea de causa oportuit fuisse tristitiam in anima Christi: nam pro magnitudine charitatis, qua diligebat Deum, erat in ipso detestatio et nolitio peccatorum; merito igitur [*Oxon.* 3. d. 15. n. 2.] Ieremias in persona Christi exclamans Thren. 1. ait: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicuti dolor meus.*

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 18.] revera dolorem vehementem obruere usum rationis, adeo ut si in Martyribus expositis maximis tormentis intellectus habuit usum suum, id esse debuit ex speciali gratia Creatoris; sed Christi vehementissimus dolor non abstulit ab eo usum rationis, quia stante tali dolore anima illa erat beatissima, et percipiebat omnia, quorum fuerat sibi scientia infusa, et etiam quae propria experientia didicerat; eo igitur tempore quo tam dira patiebatur perinde habebat usum rationis ut in primo suae conceptionis instanti, usque ad ipsam passionem. Ex quo fiebat, ut sensitivo appetitu patiente, et intellectu illum dolorem apprehendente et voluntati ostendente, ipsa voluntas cooperaretur potentiae inferiori, idest appetitui sensitivo dolenti, sicque vehementissime de suo dolore tristaretur. Voluntas enim ut supremus hominis appetitus naturaliter summe appetit bonum personae cuius est, tamquam eius quod diligitur amore amicitiae, in quo radicatur omnis amor concupiscentiae. Cum igitur perspectum haberet eam passionem tendere in destructionem personae eam patientis, naturaliter condolebat ei, summeque tristabatur de acerbissima passione sensitivi appetitus, cui naturaliter et necessario colligabatur perfectissima colligatione.

Ad secundum dico: etsi in quibusdam Martyribus fuerit poena passionis productior, in Christo tamen eo acrior extitit sensus eius passionis, quo ipsius corpus erat magis contemperatum et dispositum ad percipiendum dolorem prae illis. Et ulterius fuit in Christo alia causa maioris tristitiae, scilicet apprehensio distincta et odium intensissimum omnium peccatorum, ob quae talia atrocia patiebatur, quam distinctam apprehensionem et intensum odium nulla creatura potuit habuisse.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 35. seqq.] utique gaudium animae beatae redundare debuisse in portionem inferiorem, et impedire omnem passionem corporis; sed id non evenisse in Christo ex speciali miraculo, imo nec redundasset in eamdem potentiam, ut ad aliud obiectum comparatam, ut verissime fuerit in voluntate eadem animae Christi et gaudium ingens de gloria et maxima tristitia tum de passione imminente, tum de hominum peccatis.

Ad quartum, [*Oxon.* ib. n. 37.] concedo, Christum, licet maximo dolore afficeretur in passione, non doluisse tamen inconsolabiliter, ut dolent et tristantur damnati, quia ipse sustinebat passionem propter eximiam charitatem, qua diligebat Deum, et homines propter Deum; sed nihilominus non efficiebat, quin quantus erat sentiretur dolor ille maximus, et anima tristaretur de obiectis nolitis, vel absolute, ut de peccatis, vel conditioate, ut de passione. Propter virtutem igitur [ib. 3. d. 15 n. 26.] sustinuit

fortissime, sed interim nihilominus non temperabat eius passionem, imo tristabatur vehementius. Unde Philosophus, 3. *Ethic.*, cap. 7. *Mors*, inquit, *et vulnera, tristia forti et volenti erunt; sustinet haec autem, quoniam bonum, vel quoniam turpe non, et quanto utique magis habeat virtutem omnem et felicior sit magis in morte tristior erit.* Haec ille.

ARTICULUS VII.

UTRUM CHRISTUS PASSUS FUERIT SECUNDUM TOTAM ANIMAM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 15. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 46. *a.* 7.

VIDETUR Christum minime passum fuisse secundum totam animam. Etenim [*Oxon.* 3. d. 15. n. 1.] anima Christi potiori sui parte, quae superior portio appellatur, respiciebat et attingebat obiectum aeternum ex quo erat beatissima; ergo secundum eam rationem qua erat beata non potuit pati aliquam passionem, quia alioquin minime fuisset beata.

2. PRAETEREA. Dolor animi, seu tristitia, ex Augustino, 14. *De Civitate*, cap. 15. *Est ex iis quae nobis nolentibus accidunt:* [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 1.] sed Christus nequiit non acceptasse passionem; eam igitur et voluit et acceptavit, ac subinde ex illa nullum perpeti potuit animi dolorem. *Probatur minor:* nam ipse mandatum accepit a Patre subeundi mortem propter nos homines; igitur oportuit eum divino mandato obedire, ac velle quae Pater volenda praeceperat, atque ita anima ipsius ex passione non tristabatur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 15. n. 24.] Bonum quod erat sequuturum ex Christi passione maius fuit quam conservatio vitae Christi ad tempus; ergo secundum rectam rationem erat ab anima praeeligendum et volendum: sed quando animae eveniunt illa, quae praeelegit ac voluit, magis laetatur quam tristetur; ergo quamvis in Christi passione fuerit dolor in appetitu eius sensitivo, secundum tamen appetitum intellectivum vel non tristabatur; vel non admodum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 15. n. 2.] *Repleta est malis anima mea.* Psal. 83. Ubi Augustinus, *non vitiis*, inquit, *sed poenis:* ergo secundum totam animam Christus in passione passus est et tristabatur.

RESPONDEO dicendum, Christum passum esse secundum totam animam, idest secundum portionem inferiorem et superiorem (ut declaratum fuit *q.* 15. *art.* 6.). Nam tristitia, ex Augustino, 14. *De Civitate*, cap. 15. *est animi quidam dolor de his rebus, quae nobis nolentibus accidunt.* Et quidem potest intelligi, Christum passum, vel tristatum esse ob incommoda mala et disconvenientia, quae sibi imminere sciebat et ex parte afficiebatur, vel ob aliena peccata. Et quoad peccata quidem absolute dicendum est secundum totam animam et utramque portionem tristatum esse, quia absolute illa nolebat, atque tanto odio ea prosequebatur, quanta ferebatur dilectione in Deum, in cuius contumeliam redundabant peccata. Unde dicebat Ambrosius: *Doles, Domine, non vulnera tua, sed mea.* Ob ea vero, quae erant sibi disconvenientia, scilicet mors et passio secundum portionem superiorem, non doluit, nec tristabatur, ita ut ea absolute noluerit; quia Christi voluntas quoad superiorem portionem semper in volito divinae erat conformis voluntati; sed tamen conditionate passionem no-

luisset, eaque nolitio fuit sufficiens causa tristandi sibi. Quoad portionem pariter inferiorem ipsa voluntas absolute passionem voluit, quia non poterat concludi esse nolendam; et nihilominus secundum hanc portionem tristabatur, quia noluisset si cum Dei beneplacito aliter fieri potuisset. Aliis etiam modis potest intelligi Christi animam passam esse. De qua re actum est *q.* 15. *art.* 6. *cit. cum sequentibus.* Vere igitur Christus secundum totam animam passus fuit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 15. n. 35] secundum portionem superiorem, qua anima respicit leges aeternas, Christus, erat beatus atque gaudio replebatur inenarrabili; quatenus ergo anima Christi intuebatur objectum beatificum, non patiebatur. Tamen id gaudium non excludebat dolorem in appetitu sensitivo, nec etiam tristitiam in portione inferiori animae, quia in talem portionem non redundabat delectatio de obiecto beatifico, neque impediebat, quia sequeretur tristitia ex nolitione peccatorum, et etiam ob conditionatam nolitionem suae passionis.

AD SECUNDUM respondeo: [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 5-7.] quamquam Christus mandatum acceperat a Patre ponendi animam suam, ac proinde absolute voluerit passionem, tamen voluntate conditionata nolebat eam, ut ipsemet significavit illis verbis: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Nolitio autem conditionata satis est ad inducendam tristitiam in voluntatem taliter nolentem. Et ulterius aliae causae doloris et tristitiae occurrebant Christo, ut expositum fuit *in antec.*

AD TERTIUM respondeo ex statim dictis; quia quamvis libentissime Christus mortem subierit, nihilominus declinare illam maluisset, si cum Dei beneplacito licuisset. Unde [*Oxon.* 3. d. 15. n. 24.] argumentum procedit et verum concludit secundum affectionem justitiae, non secundum affectionem commodi, qua affectione anima naturaliter a passione abhorrebat.

ARTICULUS VIII.

UTRUM TOTA ANIMA CHRISTI IN PASSIONE FRUERETUR VISIONE BEATA.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 46. *art.* 8.

VIDETUR tota anima Christi in passione fuisse potita visione beata. Nam secundum portionem superiorem anima Christi, non obstante quod gloriosa esset et beata, tristabatur, et quoniam absolute nolebat hominum peccata, et etiam quia passionem noluisset si fieri potuisset cum divino beneplacito, ut extitit in *antec. art.* declaratum, et fusius *q.* 15. *art.* 6. *et sequentibus;* ergo pariter potuit in passione tristari secundum portionem inferiorem, et interim esse beata secundum eamdem portionem; atque ita tota anima Christi videtur in passione fuisse perfruita visione beata.

2. PRAETEREA. Si secundum aliquam portionem anima Christi in passione fuisset expers visionis beatae, maxime ea esset portio inferior, nam de superiori portione non potest dubitari quin fuerit beata: sed pariter secundum hanc inferiorem portionem fruebatur Deo in passione; ergo secundum omnem sui partem vel quasi partem fruebatur. *Probatur minor:* [*Oxon.* 3. d. 18. n. 8.] nam anima Christi per inferiorem portionem

erat in termino, etenim peccare nequierat; ergo pariter erat beata, ut sunt omnes qui dicuntur impeccabiles, per hoc quod ultimo fini conjunguntur per visionem beatam.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 24. n. 2.] Portio superior et inferior non sunt duae potentiae animae inter se distinctae, sed una eademque potentia intellectiva et appetitiva, quae quatenus intendit regulis aeternis et superioribus contemplandis, superior merito nuncupatur; ut vero intendit temporalibus agendis secundum regulas aeternas, inferior dicitur; non ergo distinguuntur nisi penes officia, iuxta doctrinam Augustini, 2. *De Trinit.*, cap. 4. Igitur non videtur fieri posse, ut eadem anima fruatur Deo per superiorem portionem, et per inferiorem interim non sit beata; quia actus fruendi Deo receptus in anima afficit eius indivisibiles potentias, in quibus fundantur praedictae portiones distinctae penes alium et alium respectum ad obiecta.

CONTRA. Christus secundum inferiorem portionem maxime tristabatur de imminente passione et morte, ut ipsemet cum oraret ad Patrem significavit dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem,* Matthaei, 26.; ergo anima eius in passione nequiit secundum eam portionem frui visione beata, alioquin haud fuisset tristata. Unde [*Report.* 3. d. 15. n. 9.] Augustinus, 13. *De Trinit.,* cap. 5. *Beatus est,* inquit, *qui habet quicquid vult,* et subdit, *non beati qui passi sunt mala:* quia mallent non pati, si aequaliter possent finem attingere.

RESPONDEO dicendum, Christum secundum totam animam in passione minime potitum fuisse fruitione beata. Nam secundum doctrinam Augustini, in anima distinguenda est duplex portio, superior nimirum et inferior. ex diversis muneribus vocabula et distinctionem accipientes. Et [*Oxon.* 3. d. 18. n. 5. — 3. d. 15. n. 33. seqq.] quantum ad superiorem portionem, ambigi non potest non fuisse in passione plenissime beatam. Etenim fruitionem, qua potita est in instanti quo creata et infusa corpori fuit, numquam amisit, alioquin deterioris fuisset conditionis ipsius beatitudo, ac sit in caeteris beatis, in quibus sine ulla interruptione est perpetua. Verum quia interim oportebat animam illam esse hominis viatoris qui pati et mori posset, pro adimplenda dispensatione redemptionis humanae, non debuit gloriam et fruitionem redundasse in inferiores eius vires et in corpus, quia exinde homo ille extitisset impassibilis et immortalis et expers omnis conditionis hominis viatoris, atque ita non valuisset exequi munus sibi iniunctum a Patre; tota igitur anima Christi in passione non fruebatur visione beata. Tamen id evenit per speciale miraculum, nam ex ordine earum portionum, et colligantia animae cum viribus sensitivis, gloria illa in totam animam, et in corpus redundare omnino debuisset.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo *negando consequentiam:* nam in tantum tristitia redundabat in portionem superiorem animae Christi, licet esset beata, in quantum portio eius inferior non perfundabatur gloria, eratque passibilis; beati enim in Patria, quoniam secundum omnem conditionem sunt in termino, et obiecto beatifico sunt coniuncti, esto nolint hominum peccata, non tamen exinde ullam patiuntur tristitiam. Si autem gloria superioris portionis non fuisset miraculose praepedita, sed in inferiorem redundasset, et ipse Christus non extitisset viator, et nequaquam pati et mori potuisset.

AD SECUNDUM *negatur minor.* — *Et cum probatur,* dico, [*Oxon.* 3. d. 18. n. 8.] utique portionem inferiorem in Christo extitisse in termino, quatenus coniungebatur Deo perfecte quoad affectionem iustitiae, sic ut non potuerit peccare, sed non tamen ita ut habuerit impassibilitatem; etenim tunc pati minime potuisset. Non igitur dicenda est habuisse quicquid sibi inesse potuit secundum affectionem commodi; quia ex miraculo summum bonum non fuit sibi coniunctum quantum potuit sibi coniungi, sicuti est in beatis et fuit in Christo postquam defunctus est acerbissima sua passione.

AD TERTIUM dico, [*Report.* 3. d. 15. n. 11.] concludere secundum ordinem naturae, secundum quem non poterat Christus esse beatus, et passibilis, quia gloria et fruitio de obiecto beatifico debebat afficere totam animam et corpus. Quod ergo vehemens fruitio potuerit compati cum maxima tristitia in eadem potentia indistincta, esto respectu diversorum obiectorum, magno factum est miraculo.

ARTICULUS IX.

UTRUM CHRISTUS FUERIT CONVENIENTI TEMPORE PASSUS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 6. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 46. *a.* 9.

VIDETUR Christum passum esse tempore minus convenienti. Etenim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 4.] Agnus Paschalis, qui erat expressa figura occisionis Christi, immolabatur luna quartadecima, iuxta legem latam Num. 28. *Quartadecima die mensis primi Pascha erit, et decimaquinta die solemnitas.* Igitur tunc Christus passus fuisset tempore convenienti, quando eadem luna quartadecima mortem Crucis subiisset, quia figura tunc optime congruisset figurato: sed ipse passus est luna quintadecima eiusdem mensis; nam celebravit Pascha cum discipulis suis ad praescriptum Legis, et in sequenti die traditus est Pilato; qui licet cognovisset Christi innocentiam, et sciret Iudaeos oestro invidiae percitos eum sibi tradidisse, perculsus tamen minis eorum, iniustissimam in illum sententiam protulit, ac impiissime interfecit.

CONTRA. [*Quodlib.* q. 20. n. 22.] Paulus ad Hebraeos, 9. *Semel oblatus est,* scilicet a seipso offerente; ergo volens oblatus est: sed quaecumque Christus voluit, tempore convenientissimo voluisse existimandum est; igitur et pariter passus fuit tempore convenienti.

RESPONDEO dicendum, Christum convenientissimo tempore passum fuisse, scilicet in Paschatis solemnitate, quae concludebatur septem dierum spatio, atque in ea immolabatur Agnus, qui erat figura immolationis ipsius Christi, tametsi ipse non eadem hora, qua secundum Legem Agnus immolabatur, passus sit, sed die sequenti. Nam [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 5.] ex Evangelio habetur Christum passum luna quintadecima, et consequenter fecit coenam luna quartadecima, quando immolato Agno legali, et in azymis peracta ultima Coena, Discipuli comederunt verum Agnum auferentem peccata mundi Christum Sacramentatum. Siquidem Matthaei, 26. scribitur: *Prima die azymorum quaesierunt Discipuli, ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et Marci, 14. *Prima autem die azymorum quando Pascha immolabant: Quo vis*

eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha? Et Lucae, 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat Pascha occidi, et misit Dominus Petrum, et Ioannem, dicens: euntes parate nobis ut manducemus Pascha.* Ex quibus patet, qualiter die azymorum prima, scilicet quartadecima luna comedit Agnum Paschalem, iuxta illud Num. 28. *Quartadecima die mensis primi Pascha erit et decimaquinta die solemnitas,* principalis nimirum, seu primus dies integer solemnis Paschae solemnitatis, et illa die in ara Crucis oblatus est Christus a seipso offerente Patri suam passionem et mortem, qui sacrificium illud acceptum habuit in redemptionem generis humani.

Ad Argumentum [*Oxon.* ib. n. 4.] *est responsio quorumdam* putantium, revera Christum passum esse luna quartadecima, ut figura suo congrueret figurato, ac propterea ab ipso Pascha celebratum fuisse luna tertiadecima, uno nempe die priusquam per legem liceret; nec alia de causa Paschae celebrationem anticipasse, nisi ut pateretur sequenti die, qui erat luna quartadecima, in quo Agnus iuxta Legem immolabatur. Quam responsionem confirmant *primo* ex Ioanne, 18. ubi legitur: *Iudaei non introierunt in Praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Pascha autem, seu Agnus Paschalis immolabatur luna quartadecima; ergo tali die Christus immolari voluit. *Secundo,* Ioan., 13. *Ante diem festum Paschae,* etc. et sequitur Evangelista narrationem novissimae coenae Christi cum Discipulis suis, et institutionis Eucharistiae. Ante illum itaque diem, quo Iudaei ad Legis praescriptum Agnum immolabant, videtur Christus Agnum comedisse, et praevenire voluisse, ut et ipse in sequenti die, quo scilicet Agnus occidebatur, (eratque luna quartadecima) posset immolari. *Denique,* Matthaei, 26. habetur. Cum Iudaei cogitarent occidere Christum, et de modo disceptarent, quosdam in Concilio dixisse: *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Dies autem ille festus erat luna quintadecima, iuxta Legem, *Num.* 28. supra relatam; adeoque Christus ante illum diem crucifixus est, atque ita luna quartadecima.

Verum haec opinio non est tenenda, [*Oxon.* ib. n. 5.] quia expresse colligitur ex Evangelio, Christum passum luna quintadecima, ac Pascha celebrasse cum discipulis suis luna quartadecima, ut mandatum erat in Lege, *Exodi,* 12. *Levit.* 23. *Num.* 28. Ideo Lucae, 22. scribitur: *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha:* necesse, inquit, quia erat praeceptum obligans filios Israël, cui Salvator volens satisfacere celebravit Pascha prima die azymorum sicuti caeteri Israëlitae, institutoque Eucharistiae Sacramento, secessit in hortum cum Discipulis suis trans torrentem Cedron oraturus, in quo per Iudae proditionem captus, atque in urbem reductus, modis indignis tota nocte vexatur, in sequenti die Praesidi Pilato sistitur, a quo demum mortis reus pronunciatur, licet eius innocentia cognita dimittendum iudicasset. Patitur itaque luna quintadecima, cum priori die ad vesperam Pascha celebrasset, ut expresse colligitur ex adductis testimoniis Evangelistarum.

At pro intelligentia dictorum [*Oxon.* ib.] quae adducuntur pro relata *opinione,* putantium Salvatorem celebrationem Paschae uno die praevenisse, notandum est ex Innocentio, *De off. missae,* p. 3. cap. 4. Pascha quintupliciter posse intelligi: *primo* quidem pro solemnitate diei azymorum, quae erat luna quintadecima: *secundo,* pro die in cuius vespere

comedebatur Agnus, eratque luna quartadecima: *tertio,* pro hora immolationis Agni; immolandus enim erat ad vesperam *diei* 14: *quarto,* pro ipso Agno, qui comedebatur vel immolabatur: et *quinto* denique, pro Panibus azymis, quibus vesci tenebantur Iudaei per omnem azymorum solemnitatem, quae septem diebus concludebatur, ut dictum est. — *Ad auctoritatem* igitur allatam ex Ioann., cap. 18. dicendum, Iudaeos revera non introisse in Praetorium ne contaminarentur, quia erat dies solemnis azymorum, scilicet luna quintadecima, in quo die ipsis erat commedendum Pascha, nempe azymos panes, non vero Agnum anniculum, quem manducaverant vespere diei praecedentis; at eo die erant dumtaxat celebraturi diem solemnem azymorum, ante quem diem solemnem (ut testatur Ioann., cap. 13.) Christus in novissima coena immolato Agno Paschali iuxta legem, instituit Eucharistiam, et postera die passus est. Tantum ergo abest ut praevenerit diem a Lege praescriptum, imo ut Lex praeceperat Agnum immolavit die quartadecima, seu prima die azymorum. Ex allatis itaque auctoritatibus potius concluditur quod dictum est in *solutione,* quam contraria opinio, praemissa Innocentii necessaria distinctione. — Ad id vero *quod additur* ex capite 26. Matthaei, *Non in die festo,* etc., equidem aliqui in Concilio fuerunt eius sententiae, scilicet non esse occidendum Christum in die illo solemni azymorum, ne forte aliqua seditio oriretur in civitate; sed tamen contrariam sententiam praevaluisse, quam et sequuti sunt; tanto enim odio prosequebantur illi Salvatorem mundi, ut ne gravi quidem periculo perturbandi rempublicam deterreri potuerint. — *Cum itaque* in argumento dicitur: si Christus passus est luna quintadecima, non congruebat figura figurato; umbra enim Christi immolationis erat Agnus Paschalis, quia immolabatur luna quartadecima; *negandum est assumptum,* quia satis est Christum immolatum fuisse in ara Crucis, ut umbrae succederet veritas, et figurae suum corresponderet figuratum, quocumque tandem die uno aut altero immolatus sit; id enim haud spectare videtur ad substantiam rei; et nihilominus illo eodem die, in quo ex Lege Agnus Paschalis immolabatur, Christus verus Agnus sacramentaliter ab Apostolis comestus est, qui paulo ante comederant Agnum Paschalem; et eodem vespere incoepit passio Salvatoris; cum enim divertisset ad hortum extra civitatem Patrem oraturus, ex consideratione imminentis passionis et mortis, quam in sequenti die erat perlaturus, sanguine toto corpore manavit, ut verissime coeperit sanguinem suum pretiosum perfundere in salutem et redemptionem humani generis illo ipso die *Lunae quartaedecimae,* in quo iussi erant Iudaei immolare Agnum Paschalem.

ARTICULUS X.

UTRUM CHRISTUS FUERIT CONVENIENTI LOCO PASSUS.

ARTICULUS XI.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM CUM LATRONIBUS CRUCIFIGI.

Circa hos articulos, nil occurrit ex scriptis Doctoris dicendum.

ARTICULUS XII.

UTRUM PASSIO CHRISTI SIT EIUS DIVINITATI TRIBUENDA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 15. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 46. *a.* 12.

VIDETUR Christi passio ipsius Divinitati attribuenda. Nam [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 2.] Augustinus, 1. *De Trinit.*, cap. 13. loquens de Incarnationis mysterio, *Talis fuit,* inquit, *illa unio, quae Deum faceret hominem, et hominem Deum;* igitur quicquid attribuitur Deo idipsum competit et homini assumpto, et vicissim; atque ita quemadmodum homo natus est de Virgine, ita vere natus sit Deus; ergo pariter quia homo passus est et mortuus, ita et Deus, ac proinde Divinitati quoque est Christi passio attribuenda.

2. PRAETEREA. In eadem Christi Persona subsistunt duae naturae increata scilicet et humana genita ex Virgine; igitur uni alterius proprietates conveniebant per unionem illam, quae hypostatica dicitur; ergo quemadmodum licet Christus secundum humanam naturam sit passibilis, recte tamen vocatur impassibilis; ita quamvis sit per Deitatem impassibilis, cum veritate potest appellari passibilis; et consequenter passio ipsius etiam divinitati attribuitur. Unde [*Oxon.* 3. d. 11. q. 1. n. 6.] Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 4.: *Etenim Christus,* inquit, *et Deus et homo dicitur, et creatus et increatus, et passibilis et impassibilis.*

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 2.] Anselmus, 2. *Cur Deus homo,* cap. 14. dicit in sententia approbando responsionem Discipuli, qualiter minima laesio Personae Christi fuit peior, quam mala sint peccata omnium hominum: sed nisi passio illa vel laesio Christo illata Divinitati eius attribueretur nequaquam id verum videretur, imo maius foret malum peccata omnium hominum simul; ergo Christi passio est eius Divinitati tribuenda.

CONTRA. Christus secundum humanitatem non potuit esse omnipotens, quia nec intensive infinitus; ergo neque secundum Divinitatem passibilis, quia extitisset intrinsece finitus.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 9.] Christi passionem nequaquam Divinitati, sed eius humanitati praecise esse attribuendam. Siquidem (ut dictum est, *q.* 2. *art.* 4. *et alibi* frequenter) Christus est hypostasis subsistens in duabus naturis impermixtis, et salvis utriusque proprietatibus; quod si Divina et humana natura in eadem Persona subsistentes impermixtae sunt, quandoquidem Deus impassibilis suapte natura est, quando humana natura patitur, etsi ob communicationem idiomatum recipiat hominis praedicata, reipsa tamen nihil pati potuit; igitur passio Christi non Divinitati, sed humanitati eius est attribuenda. Et hoc est quod dicit expresse Damascenus, lib. 3. cap. 23. *Nequaquam,* inquiens, *Deitas passiones assumit citra patiens corpus, neque turbationem et tristitiam demonstrat, citra animam turbatam et tristatam, neque moestus est, et erat, citra intelligentiam moestam, et orantem.* Ubi humanas passiones praecise humanitati tribuit, innuens interim ipsis Personam Verbi denominari. Et rursus, lib. 3. cap. 26. *Ipsum,* inquit, *Dei verbum omnia carne sustinuit, Divina interim ac sola impassibili natura ipsius ab omni doloris sensu incolumi manente.* Haec Damascenus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, concedo vi unionis hypostaticae, quae dicuntur de homine dici et de Deo in Christo, ut proinde vere dicatur Deus natus, et B. Virgo Mater Dei; et insuper recte appellatur Deus passus, et mortuus; at id non esse nisi denominative, quia solum natura humana in Christo passa revera est et mortua fuit. Unde Damascenus, lib. 3. cap. 26. *Illud porro sciendum est, quod Deum quidem passum dicimus, Divinitatem autem carne passam, aut Deum per carnem passum, non item.* Haec ille.

AD SECUNDUM respondeo: proprietates naturae Divinae non competebant humanae in Christo nisi denominative; et ita pariter ea quae intrinsece inerant humanae dicebantur de Deo; hinc fit, quod licet ille homo dicatur a Sanctis omnipotens et Creator, intrinsece tamen id repugnat, nec est nisi per communicationem idiomatum et proprietatum intrinsece inhaerentium Deitati; et ita pariter, cum nuncupatur Deus passus et mortuus, id non est nisi accepta denominatione a passione et morte, quam sustinuit Christi humana natura.

AD TERTIUM dico, recte approbatam ab Anselmo Discipuli responsionem; quia quemadmodum merita Christi, esto intrinsece finita, ratione circumstantiae Personae infinitae poterant acceptari pro infinitis hominibus, si essent futuri, ita minima laesio eius naturae ob Personam in qua subsistebat maius malum reputanda erat, quam caetera omnium hominum peccata, quae non poterant esse offensa physica et moralis Personae Divinae: non physica quidem, quasi ipsa pateretur cum impassibilis sit, quia infinita, sed quia physice inferebatur naturae humanae illi unitae per veram et substantialem unionem.

QUAESTIO QUADRAGESIMASEPTIMA.

DE CAUSA EFFICIENTE PASSIONIS CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causa efficiente passionis Christi.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum Christus fuerit ab aliis occisus, vel a seipso. - 2. Ex quo motivo seipsum passioni tradiderit. - 3. Utrum Pater tradiderit eum ad patiendum. - 4. Utrum fuerit conveniens, ut per manus Gentium pateretur, vel potius a Judaeis. - 5. Utrum occisores eius eum cognoverint. - 6. De peccato eorum qui Christum occiderunt.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS FUERIT AB ALIO OCCISUS, AN A SEIPSO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 16. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 47. *a.* 1.

VIDETUR Christus a seipso occisus fuisse. Nam [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 1.] Christus potestatem habuit praeservandi se ab illata passione; siquidem anima ipsius per voluntatem perfecte dominabatur appetitui sen-

sitivo, et omnibus viribus inferioribus, quia in ipso non fuit aliqua rebellio virium inferiorum ad superiores; igitur plenum habebat dominium super corpus, ut valeret proinde impedire omnem violentiam sibi inflictam. *Et hoc probatur;* quia dominabatur corpori principatu despotico, sicut dominus servo: appetitui autem sensitivo et aliis viribus inferioribus principatu politico, sicut Rex, seu Princeps dominatur civibus; ergo perfectius dominabatur corpori, quam aliis viribus, servus enim nihil potest contra dominum; civis autem aliquid potest contra Principem, et contradicit sibi aliquando.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 1.] Ioann., 10. dicit Christus: *Potestatem habeo ponendi animam meam.* Et rursus: *Ego pono animam meam a me ipso, et nemo tollet eam a me.* Quaero quomodo intelligit cum dicit, *a me ipso?* non enim a se Dei Verbo, quia nunquam fuit deposita vel separata a Verbo anima illa; igitur hoc dicit ut homo quod posuit animam a se, separando ipsam a corpore; igitur in potestate animae fuit separari, vel non separari, adeoque cum revera separata sit, a seipso occisus videtur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 12.] Nisi Christus ut homo plenam habuisset potestatem ponendi animam suam, etiam post illatam sibi passionem, sane ea quam pertulit passio extitisset illi omnino violenta: sed semel posito, Christum ex violentia et non per suam voluntatem passum esse, haud mereri potuisset: passio autem Christi est maxime meritoria, quia meruit Deo reconciliare genus humanum; ergo fuit voluntaria, atque ita in potestate eius fuit ponere, vel non ponere animam suam.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] In Evangelio habetur ipsum cum clamore valido emisisse spiritum: non videtur autem ipsum ita valide potuisse clamare, nisi gratis praevenisset horam mortis, quae accidebat ex violentia passionis; igitur ante horam illam sive instans posuit ex potestate sua animam; potuit itaque pro tunc non posuisse, nec postea, et per consequens in potestate sua fuit mori, vel non mori ex violentia passionis, et si mortuus est, a seipso interfectus fuit.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Christus secundum corpus fuit viator, et in eodem statu in quo sumus nos; igitur secundum corpus potuit sibi ea violentia inferri ex qua necessario dissolveretur corporis harmonia, unde corpus privaretur vita, ut accidit in nobis.

RESPONDEO dicendum, supposita violentia passionis extrinsecus illatae, Christum non habuisse potestatem ponendi, vel non ponendi animam suam, sed mori debuisse, ac proinde nec directe, nec indirecte a seipso occisum fuisse, sed ab inferentibus passionem. *Et declaratur;* [*Oxon.* ib. n. 11.] siquidem supposito miraculo de non redundantia gloriae in corpus, corpus ipsum in sequenti instanti quo non erat gloriosum necessario fuit corruptibile, nec illata semel extrinseca violentia, in potestate animae erat ipsum a morte praeservare. Nam ex prima institutione naturae, aliqua activa nata sunt dominari aliquibus passivis; cum igitur omne corpus alterabile et corruptibile per approximationem activi dominantis possit corrumpi, per activum autem approximatum corpori Christi potuit in ipsum induci dispositio incompossibilis animationi passivae illius corporis, et ita per mortem privari vita, quia anima non perficit nisi corpus dispositum et proportionatum sibi. — *Rursum,* [*Oxon.* ib. n. 2.] si vel indirecte Christus seipsum interfecisset, potens nimirum se a violentia pas-

sionis ab aliis illatae praeservare, videtur peccavisse, quod nemo dixerit, *et probatur sequela:* etenim post dilectionem Dei et animae propriae, et animarum proximorum, quisque proprium corpus diligere tenetur lege charitatis; ergo si Christus vel indirecte posuisset animam seipsum interficiendo, profecto tali in facto violata esset lex charitatis, dictans esse diligendam, et tuendam vitam corporis ordine praedicto; ergo cum non peccaverit, nec peccare potuerit, concludendum est in potestate animae Christi non fuisse ponere, vel non ponere seipsum, sed approximata extrinseca violentia, et corruptis dispositionibus requisitis ad animationem, illud informare necessario desiisse.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 15.] animam non plus dominari corpori quantum ad omnem potentiam, quae se tenet ex parte corporis, quam dominetur appetitui sensitivo; imo minus, quia quantum ad potentias animae vegetativae, non dominatur super corpus, licet quoad potentiam motivam dominetur, ut ipsa valeat movere corpus pro libito localiter; sed vegetativae sunt omnino irrationales non obedientes animae in actibus suis; semel enim ipsis materia exhibita, non est in potestate animae eas impedire in propriis operationibus. Pariter anima Christi non dominabatur sic appetitui sensitivo, ut ipse fuerit impassibilis, sed vere doluit, et patiebatur; igitur nec dominabatur corpori, ut pati non posset ex dominio animae, semel sibi violentia extrinseca appropinquata, ut dictum est.

Ad secundum respondeo sic: [*Oxon.* ib.] pronomen, *ego,* in supposito et apposito stat pro eadem persona, sed non secundum eamdem naturam, quia *ego,* scilicet suppositum Verbi secundum naturam divinam, *pono animam meam a meipso* secundum naturam humanam, quia animam separavit a corpore, non a Verbo. Ponere igitur vel separare effective attribuitur Verbo, sed terminative, ut a quo separatur anima, scilicet a corpore, convenit sibi ratione humanae naturae, quae quoad passibilitatem perinde se habebat, ac si Verbo non fuisset unita, quia corpus sibi dimissum per privationem redundantiae gloriae fuit animale, et ideo non sub pleno dominio animae ad prohibendam passionem in corpore.

Ad tertium dico: [*Oxon.* ib. n. 14.] *violentum* uno modo opponitur naturali, sicut violentum est lapidi sursum esse, quia naturale est sibi esse deorsum: et hac ratione passio Christi fuit violenta animae ipsius, nam naturaliter inclinabatur ad perficiendum corpus. Secundo potest intelligi *violentum* opponi voluntario, quo pacto Christi passio quatenus fuit nolita ab anima erat ei violenta, et secundum hanc prout noluit non merebatur: verumtamen Christus secundum utramque portionem simpliciter voluit suam passionem et mortem, quamvis volitione conditionata noluisset, et ita maxime per suam passionem et mortem merebatur. De qua volitione videnda *q.* 15. *et art.* 6. *et* 7. *praec.*

Ad quartum dico, [*Oxon.* ib. n. 16] Christum imminente morte adeo valide clamasse non humana virtute, sed potentia Verbi; at ab eius corpore animam separatam fuisse, id necessario et secundum naturam evenisse. Posito enim primo miraculo, quo prohibita est gloria redundare in corpus, et illata violentissima passione, oportebat sequi mortem: tametsi quodammodo quaecumque gesta sunt circa Christum appellari queant miraculosa, relata scilicet ad primum miraculum per quod corpus suum extitit mortale, et tamen secundum naturam eveniebant, quia corpus pas-

sibile naturaliter patitur, sicut caecus natus videt suapte natura, reddita sibi per miraculum proxima potentia ad videndum.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS FUERIT EX OBEDIENTIA MORTUUS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 2. *q.* 1. — *d.* 15. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 47. *art.* 2.

VIDETUR Christus haud mortem opetiisse ex obedientia. Nam ex *art. anteced.*, Christus absolute voluit suam passionem et mortem secundum utramque animae portionem; ergo non pertulit mortem ex obedientia. *Probatio consequentiae:* quando aliquid ex obedientia fit, proculdubio oportet ibi intervenire praeceptum superioris, cui obtemperandum est: sed ubi intervenit praeceptum superioris, cuius voluntatem obediens exequitur, ibi non est obtemperantis voluntas, sed praecipientis; ergo si Christus volens mortem sustinuit, ex obedientia passus non est.

2. PRAETEREA. Christus mortuus est pro redemptione generis humani, *Venit enim salvandis omnibus,* ut ait S. Leo Papa in serm. *De Nativit.* ergo [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] passus et mortuus est potius ex charitate, quam ex obedientia; ideo enim voluit liberare omnes a reatu cui subdebantur, quia summe diligebat Deum, et homines propter Deum, ac proinde eius mors a charitate nimia processit.

3. PRAETEREA. Nulla est obedientia ubi non intervenit superioris praeceptum; nam [*Oxon.* 3. d. 34.] obedientia est quaedam iusta subiectio, et a *subiici* accipit denominationem: sed numquam legitur mandatum fuisse Christo, ut mortem subiret; ergo mori non potuit ex obedientia.

CONTRA. [*Report.* 3. d. 17. q. 2. n. 7.] Matthaei, 25. Salvator imminente iam passione ad Patrem ait: *Si possibile est transeat a me Calix iste, sed non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quamvis igitur Christus voluntate humana noluisset passionem si fieri potuisset cum impletione divini beneplaciti, tamen protestatur se esse conformem voluntati divinae, volenti ipsum perferre passionem; iussus ergo fuit subire crucem pro liberatione generis humani, ac per consequens ex obedientia passus est.

RESPONDEO dicendum, Christum passum et mortuum esse ex obedientia Patris. Etenim [*Oxon.* 3. d. 19. n. 10.] iustissime decreverat Deus non remissurum se culpam hominibus, quam in Adamo contraxerant, nisi per obsequium personae sibi longe gratissimae, magis nimirum dilectae, quam displicuisset transgressio Adae, et omnium peccata hominum, ac proinde persona adeo grata et dilecta non foret obnoxia culpae, ut caeteri omnes ab Adamo descendentes: haec autem persona alia esse non poterat [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] quam Christus, cui Deus non ad mensuram contulit gratiam, sed tantam largitus est, quantam potuit et decebat Unigenitum a Patre; huic ergo in primo suae conceptionis instanti in lumine aeternae claritatis innotuit beneplacitum divinum, et fixum propositum tum demum esse homines in pristinam dignitatem filiorum Dei recipiendos, cum ipse sanguinem et vitam pro illis impendere voluisset; fore enim ut virtute eiusmodi obsequii Deus gratiam largiretur, et noxam remitteret. Is cum ex plenitudine gratiae summe dili-

geret Trinitatem, tactus miseratione humani generis perditi, libentissime acceptavit, ac repromissit se divinae iustitiae propria morte satisfacturum, et damna quae mundo intulerat inobedientia Adae, per Crucis humilitatem abundantius sarciturum; quod pactum initum [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 1.] cum Deo ipsemet Salvator aperte significavit cum dixit, Joann, 10. *Hoc mandatum accepi a Patre,* scilicet ponendi animam in Cruce pro generis humani redemptione. Vere igitur [*Oxon.* 3. d. 20. n. 11.] ex obedientia mortuus est, ut nimirum pareret mandato Patris, licet ex charitate nimia, qua Deum, et homines diligebat, impulsus sit ad acceptandum libenti animo illius mandatum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo [*Oxon.* 3. d. 15. n. 29. seqq.] tantum ex eo sequi, Christi voluntatem non elegisse mortem et passionem, non vero libere et sponte eam non sustinuisse: quemadmodum volens mortem subivit, ita ex obedientia Patris mortuus est.

AD SECUNDUM respondetur ex nuper dictis *in solutione;* quia Christi voluntas, mota quidem a charitate fuit ad prompte amplectendum mandatum Patris, sed tamen passus est, ut obtemperaret illius mandato, et ut beneplacitum divinum adimpleretur.

AD TERTIUM dicendum, Salvatorem significasse mandatum sibi factum a Patre, loco citato *in solutione,* et etiam *in argumento ad oppositum.*

ARTICULUS III.

UTRUM DEUS PATER TRADIDERIT CHRISTUM PASSIONI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 16. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 47. *a.* 3.

VIDETUR Pater non tradidisse Filium passioni. Quod enim Deus vult et iubet fieri ab hominibus, si executioni demandetur, eo in facto nullum est peccatum: sed si Pater tradidisset Filium passioni, voluisset ipsum pati passionem, et infligi ab hominibus; igitur homines illi crucifigentes Christum non peccavissent: hoc autem esse falsum [*Oxon.* 1. d. 48. n. 1.] patet ex oratione Christi ad Patrem: *Dimitte eis, quod enim faciunt nesciunt:* si autem in nece Christi non peccavissent, nihil in eis fuisset per hoc a Deo dimittendum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] Christus erat longe acceptissimus, et gratissimus Deo Patri, utpote plenius gratiae et veritatis, et nulla ex parte mortem subire dignus, quae est poena peccati; ergo non apparet verisimile, Deum Patrem in mortem Filium suum dilectum tradere voluisse; id enim minime stare videtur cum maxima dilectione, qua Filium prosequebatur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1.] Si Deus Pater tradidisset Christum passioni, maxime ut pateretur et moreretur pro iniquitatibus omnium nostrum: sed iniustum omnino est alterum pro iniquitate alterius punire, quando is qui punitur nullo modo communicavit iniquitati illius; ergo cum Christus non communicaverit peccato Adae, iniustum plane fuisset eum exponere passioni pro peccatis, quae non fecit.

CONTRA. Ioann., 3.: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et 8. ad Roman. *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

RESPONDEO dicendum, Patrem revera tradidisse Filium suum hominem factum in mortem pro generis humani redemptione; Deus enim, cum ob peccatum primi hominis vidisset praeclusam viam electis perveniendi ad Regnum illis praeparatum; iustitia enim iuxta leges a Divina Sapientia praefixas vetabat absque ulla poena concedi illis impunitatem, providere dignatus est de Mediatore inter se et genus humanum; et quoniam unigenitus Patris iam venturus erat in mundum quamvis nullum extitisset peccatum, placuit sibi eidem iniungere munus redimendi et reconciliandi sibi homines, quibus erat iratus. Is itaque [*Oxon.* 3. d. 19. — d. 7. q. 3.] videns Deum pronum ad sublevendam miseriam nostram, et propositi sui ac voluntatis esse, ut ipsemet pro illis satisfaceret, libens amplexus est divinum mandatum (ut dictum fuit *art. praec.*) ac seipsum obtulit Deo sacrificium pro peccatis nostris; quo obsequio [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 7.] Deus placatus est generi humano, ac per illum praevisum contulit gratiam in omni statu, naturae scilicet, et legis Mosaycae; tametsi [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 8. seqq.] post obsequium exhibitum uberior gratia data sit, et detur rite suscipientibus Sacramenta a Christo instituta. Quo in facto mirabiliter eluxit divina misericordia, et pariter iustitia, *ut alibi* quoque extitit declaratum. Tradidit igitur Pater Christum passioni, iniuncto illi mandato de subeunda tali passione et morte; et Salvator vicissim tradidit semetipsum hostiam, quatenus Patris praeceptum volens acceptavit, et sibi in illo complacuit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 3. — d. 19. n. 6.] Deum decrevisse futuritionem Christi independenter a passione, quia ante praevisionem peccati Adae erat futurus in Dei praeordinatione; cum enim maius bonum sit gloria animae Christi, quam beatitudo omnium aliorum, non est verisimile gloriam electorum fuisse a Deo volitam per se, illam vero Christi occasione illorum, adeo ut tantum bonum solum occasionaliter fuerit volitum ex Adae peccato; praeviso autem primi hominis peccato, et in eo lapsum omnium electorum, decrevit Deus se ei non reconciliatum iri nisi per obsequium et oblationem et mortem Filii sui, qua conditione ab eo libentissime acceptata, praevisaque malitia Iudaeorum, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10.] qui gratis, et ex invidia Christum erant persequuturi, eorumque prava perversaque voluntate uti statuit pro consummatione omnium, quae de Filio decreverat; itaque permisit eos facere in illum quaecumque voluissent, Cruci affigentes non prohibuit; sed ea interim oblatione per Christum facta generi humano reconciliatus est. — *Cum igitur in argumento dicitur:* quaecumque Deus iubet ut faciunt homines, si exequantur non peccant; *concedo,* [*Oxon.* 1. d. 47. n. 2. seqq.] si iussio sit positiva, cuiusmodi sunt praecepta; tunc enim non solum ea adimplentes non peccant, sed etiam merentur. At si mere permissive se habeat, uti se gerit erga peccantes; nam peccatorum esse nequit auctor, qui ea facere vetat et interdicit; negandum est *assumptum.* — *Et cum subditur:* si Pater tradidisset Filium passioni voluisset eam infligi ab hominibus; *dico* voluisse permissive, non positive; etsi enim voluerit acceptare passionem Filii sui ab eo oblatam, noluit tamen malitiam infligentium passionem, sed voluit nihilominus permittere, et uti ea in tam magnum bonum, sicuti est hominum redemptio: permissio autem non est actus divinae voluntatis positivus rectus, sed reflexus, quatenus videns peccaturum vult sinere, nec impedire, ut posset, eum peccare; igitur Christum

crucifigentes peccaverunt peccato magno. — *Et cum dicitur:* illi fecerunt quod Deus fieri volebat; *respondeo:* [*Oxon.* 1. d. 48. n. 2.] ad bonitatem actus moralis non sufficit ipsum esse conformem divinae voluntati quoad substantiam, sed oportet praeterea habere omnes circumstantias, et praesertim circumstantiam finis. Nam iuxta Dionysium, 4. *De Divinis Nominib., Bonum est ex causa integra:* ideo malum ex quocumque defectu; deficiente ergo aliqua circumstantia, et praesertim finis, actus nequit esse moraliter bonus; et ideo quia respectu Christi crucifixionis plurimae aberant circumstantiae, et finis alienissimus ab eo, quem Deus intendebat, oportuit actum illum fuisse maxime malum.

Ad secundum respondeo: quoniam Christus novit se esse Patri longe acceptissimum et gratissimum ob dona supernaturalia sibi elargita, consequenter novit esse illi amorem pro viribus rependendum, et quidvis faciendum, unde Dei beneplacitum adimpleretur, et exaltaretur Divina Maiestas; adeoque summe Trinitatem dilexit. Et quoniam [*Oxon.* 3. d. 19. et 4. d. 2. q. 1. et 3. d. 9. n. 13.] ad honorem ipsius eximie pertinebat, ut pro homine lapso satisfieret iustitiae laesae, lubenti animo in se recepit satisfactionem repraesentandam, Deoque exhibendam; igitur immerenti quidem irrogata fuit mors, sed tamen oppetere mortem volenti pro hominum salute, quampluris fecit, ac suam vitam ad modicum tempus. Itaque quia Christus erat Patri maxime dilectus, et expers omnis culpae, potuit pro reatu Adae satisfecisse, atque Deo magis esse acceptam eius mortem, quam culpa displicuisset; et quoniam ipse solus id praestare poterat in praesenti dispositione Divinae providentiae, ideo ipsi soli propositum fuit divinum beneplacitum et mandatum, quod libenter acceptando, et sibi de illo complacendo, seipsum obtulit, et tradidit persecutoribus.

Ad tertium dico ad *minorem,* iniustum sane esse innocentem punire pro peccatis alterius, quibus non communicavit, nisi ipse forte se pro illis satisfacturum non polliceatur: Christus non meruit passionem et mortem, sed tamen voluit eam sustinere pro nobis; nam si meruisset et pro culpa illata mors esset, non extitisset grata Deo illius oblatio, ut fuit, nec satisfactum fuisset per iustam et condignam satisfactionem Iustitiae divinae, etsi de potentia absoluta Dei haec omnia potuerint aliter ordinari, ut dictum est *art.* 1. *quaest. praecedentis.*

ARTICULUS IV.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM PATI A GENTIBUS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 47. *a.* 4.

Videtur haud decuisse Christum pati passionem a Gentibus. Nam ex dictis *q.* 42. *art.* 1. conveniebat, ut Christus suam doctrinam Evangelicam Iudaeis docere inciperet, ac demandari Apostolis et Discipulis munus instruendi et erudiendi Gentes; ergo pariter magis conveniens fuisset pati a solis Iudaeis nolentibus ipsum recipere, et non a Gentibus, quae Evangelium erant suscepturae.

2. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10. — 4. d. 11. q. 6. n. 4.] Soli Iudaei ex falsa iustitia et inordinato zelo odio exarserunt in Christum,

putantes, ipsum esse Legis Mosaycae transgressorem, et revera tamquam legis praevaricatorem tradiderunt eum Pilato, qui Iudaeis nomine Romanorum praesidebat; isque cognita Iudaeorum nequitia et invidia volebat dimittere eum; igitur magis conveniebat, ut soli Iudaei necem Christo inferrent, et non Gentes, quae eius innocentiam cognoverunt, Iudaeis in affectata ipsorum caecitate persistentibus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 2.] Peccatum occidentium Christum sine dubio extitit gravissimum; ergo magis congruum fuisset non permitti Gentes communicare adeo atroci facinori. *Probatur consequentia:* nam Iudaei, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 9. n. 3.] quia Salvatorem mundi non receperunt imo occiderunt, erant disperdendi super faciem terrae, regnum ipsorum exscindendum [*Prologi* q. 2. n. 8.] et multandi Sacerdotio, et Sacrificio usque ad saeculi consumationem; e contra vero Gentes evocandae ad Legem Evangelicam, Ieremiae, 31.; ergo praestitisset has esse immunes a peccato occidentium Christum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 18.] Lucae, 18. *Ecce,* inquit Salvator ad Apostolos, *ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophaetas de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, et illudetur et flagellabitur et conspuetur, et postquam flagellaverint occident eum, et tertia die resurget;* ergo fuit conveniens ipsum a Gentibus pati.

RESPONDEO dicendum, convenienter mundi Salvatorem passum esse a Gentibus per fraudem et malitiam Iudaeorum circumventis; revera enim Judaei tradiderunt Salvatorem mundi Pilato Praesidi Iudaeorum Hierosolymis agentis, qui, cum nullam mortis causam in eo invenisset, dimittendum iudicavit, et reipsa liberare Christum de manibus Iudaeorum conatus est; verum eorum minis perterritus, ac turpiter cupiditatibus ipsorum cedens, Salvatorem crudeliter caesum, discruciatum et derisum morti tradidit. Passionem ergo Christi, quae a Iudaeis initium habuit, Gentes morte illata consummaverunt. Quod ordine convenienti gestum esse ex eo constat, quia quemadmodum congruum fuit, ut Christus inter Israelitas suam praedicationem inciperet, et doctrinam evulgaret, exinde perferendam et dilatandam per mundum universum ministerio Discipulorum eius, ut declaratum fuit *q.* 42. *art* 1. ita pari ordine oportuit coeptam esse, et consummatam ipsius passionem. Cum enim [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10.] pro iustitia Iudaeorum odia sustineret, ac pro tuenda et praedicanda veritate mori voluerit, ab iis utique primum pati debuit ad quos eius praedicatio in primis dirigebatur, et primi omnium quoque, qui passionem inferre coeperunt fructum eiusdem passionis percepisse, notum est [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 11.] ex *Act.,* 2. ubi narratur qualiter in die Pentecostes Apostolis Evangelium ad habitatores Hierusalem praedicantibus ad tria milia eorum Baptismum receperunt; successive ex visione mirabili Petri, de qua est sermo *Act.,* 10. vocari Gentes ad gratiam Legis Evangelicae Apostoli cum didicissent, ad eos praedicatione conversa, ac per orbem universum luce Christianae veritatis perlata uberrimos fructus retulerunt, Gentibus suavi Christi iugo per Baptismum alacriter sese submittentibus. Quoniam ergo [*Oxon.* ib. n. 12.] Gentibus erat affatim conferenda gratia Sacramentorum Christi per passionem ab eo promerita, et innumerabilis eorum multitudo erat in fidei veritate congreganda, ut, prae istis, Iudaei vix veniant in numerum, ordine congruo passio

Christi a Iudaeis initium habuit; a Gentibus vero consummationem accepit.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, plures ex Iudaeis, et quidem non parvo numero, fidem Christi, et Baptisma suscepisse, ut patet *ex solutione;* licet comparandi non sint cum multitudine Gentium ad fidem conversarum. Et ideo significatio huius rei praecessit in Christi passione quae a Iudaeis coepta est, sed a Gentilibus consummata.

Ad secundum concedo, Iudaeos ex eorum caecitate et invidia putavisse Salvatorem esse Legis Mosaycae transgressorem, cum reipsa legi complendae advenerit, et ea de causa illum fuisse odio prosequutos; at nego proinde ab iisdem solummodo passionem Christi compleri debuisse; nam quoniam Ecclesia complenda erat ex Iudaeis et Gentibus per Christi mortem, recte uterque populus permissus est ad eam cooperari.

Ad tertium, cum dicitur: melius fuisset Gentes non communicare peccato Iudaeorum volentium occidere Christum; *respondeo:* Deus non vult malitiam ullius, sed tamen mala fieri permittit, ut inde eliciat maius bonum; permisit itaque Gentes inferre necem Salvatori, ut exinde redimeretur genus humanum; eam vero non intulissent, nisi Iudaei conceptum odium expleturi id machinati essent; illi ergo ex odio et invidia, isti per ignorantiam peccaverunt, et nihilominus sub hac permissione divina latebat mysterium significativum ordinis, quo erat perventurus fructus Christi passionis ad utrumque populum, ut supra expositum est.

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTI PERSECUTORES EUM COGNOVERINT.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 25. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 47. *a.* 5.

Videtur Christi persecutores minime eum cognovisse. Nam [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] id testatur aperte Apostolus, 1. ad Corinth., cap. 2. *Si cognovissent,* inquiens, *numquam dominum gloriae crucifixissent:* sed persecutores Domini gloriae eum crucifixerunt, tradentes potestati Gentium; ergo illum non cognoverunt.

2. Praeterea. Si oportuisset Christi persecutores eum cognoscere, maxime quia debebant habere fidem de Mediatore venturo, ex qua poterant cognovisse praesentem: sed hoc est falsum, quia [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 6. seqq.] satis illis erat ad salutem habere actum implicitum circa Mediatorem, et non explicitum, secundum quem cognoscere valerent eum advenisse; ergo non cognoverunt, nec ad eius cognitionem adstringebantur.

3. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] Anselmus, 2. *Cur Deus homo,* cap. 15. expresse vult, Christum non fuisse agnitum a suis crucifixoribus; quia alias minime ab illis Cruci affigi potuisset: *Deum enim,* inquiens, *occidere nullus homo unquam scienter saltem velle posset, et ideo qui illum occiderunt ignoranter, non in illud infinitum peccatum, cui nulla alia comparari possunt peccata proruerunt.* Et dicit in sententia, peccatum occidentium Christum deleri potuisse, quia per ignorantiam commissum est; igitur Christi persecutores eum non cognoverunt.

Contra. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 4.] Ioann., 15. *Si non venissem,* inquit

Salvator, *et loquutus fuissem eis, peccatum non habuissent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Igitur Veritas imputat Iudaeis, quod ipsum tamquam Messiam in lege promissum non receperint et agnoverint; igitur cognoscere potuerunt, et debuerunt.

RESPONDEO dicendum, Christi persecutores cognoscere ipsum potuisse et debuisse, nec a peccato excusari posse si forte non cognoverint; etenim quemadmodum [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 9.] Maiores et Praelati in Ecclesia tenentur ad credendum magis explicite, et ad veritatem Scripturae magis intelligendam quam simplices et illiterati; hoc ipso enim quod curam animarum suscipiunt obligant se ad illuminandos illos, quorum curam gerunt, ac praeterea tenentur ad magis intelligendam veritatem Scripturae, ut alios erudire queant; ita in Lege Mosayca maiores et Doctores, quorum intererat alios illuminare, tenebantur magis explicite credere in Mediatorem venturum, et intelligere Scripturas, quas de illius adventu, vita, et conversatione ediderant Prophetae. Conferendo igitur gesta ipsius Messiae cum praedictionibus Prophetarum, certo cognoverunt, vel cognoscere debuerunt ipsum esse Mediatorem et Messiam in Lege Moysi, Psalmis, et Prophetis promissum. Ex miraculis pariter quae patravit, atque aliis, quae gessit, potuerunt intelligere eumdem non esse purum hominem, sed Deum, ut dictum fuit *q.* 43. *art.* 4. Sed illi, qui debebant hoc nosse, et alios instruere, odio et livore obcaecati, maluerunt dissimulare quae sentiebant, vel sentire poterant et debebant; imo tamquam legis praevaricatorem insimulatum tradiderunt in manibus Gentium, nec destiterunt donec morti traderent. Etsi igitur non cognoverint, quoniam huiusmodi ignorantiam affectaverunt, nec instruere rudes et minores, ut ex officio tenebantur, curaverunt, sed potius falsis doctrinis a veritate abduxerunt, docentes, Christum esse Legis Mosaycae transgressorem et peccatorem, ideoque nequire esse Prophetam missum a Deo, nec Messiam quem expectabant, gravissime ex hac affectatione ignorantiae eos peccasse, nec ullam excusationem de peccato praetendere posse, sentiendum est.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] eo loci Apostolo sermonem non esse de Iudaeis, sed de Principibus mundi tenebrarum harum. Daemones quippe si scivissent Christum esse verum Deum, minime instigassent homines ad mortem illi inferendam, ne ea via redimeretur genus humanum, et eriperetur de eorum potestate. Quare postquam intellexerunt rei veritatem, conati sunt suadere ne progrederetur in Christi iniusta condemnatione. Unde uxor Pilati misit ad eum dicens: *Nihil tibi et iusto illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Matthaei, 27. Qui autem observabantur mulieri in visione nocturna sine dubio mali daemones fuerunt; nam Angelis sanctis perspecta erat divina voluntas circa mortem Christi, vel saltem citra Dei iussionem id numquam foeminae illi suggerere studuissent.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 3. d. 25. n. 6-9.] non omnes utique in veteri Lege habere oportuisse fidem explicitam de Mediatore, uti habere debuerunt Maiores et Doctores, qui alios pro officio et status ratione instruere tenebantur, licet aliquo modo credere debebant in Mediatorem, alioquin salvari non potuissent; necesse igitur erat credere, saltem confuse, Deum ordinasse aliquam viam redemptionis, seu id esset facturus per Filium suum incarnatum, sive per Angelum, sive per hominem; sed

Doctores et Maiores in Lege Mosayca tenebantur magis explicite credere in Mediatorem, eo quod ipsorum esset tenere magis explicite doctrinam traditam a Prophetis de illo, et secundum ea quae ex Scripturis didicerant, poterant Salvatorem praesentem agnoscere; adeoque sunt inexcusabiles si non cognoverunt, quia ignorantia fuit illis voluntaria, et affectata.

AD TERTIUM respondeo, dictum Anselmi haud videri probandum; [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] quia si Christi persecutores scivissent ipsum esse Deum per unionem, adhuc potuissent eum occidisse, quia corpus illud humanum erat passibile et mortale, et si cum ea cognitione interfecissent, adhuc tamen tale peccatum fuisset expiabile per eamdem Christi passionem, quia magis acceptum fuit Deo Christi sacrificium, quod obtulit in ara Crucis, quam fuisset odio prosequenda malitia occidentium Christum et cognoscentium esse Deum.

ARTICULUS VI.

UTRUM PECCATUM OCCIDENTIUM CHRISTUM FUERIT GRAVISSIMUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 47. *art.* 6.

VIDETUR peccatum occidentium Christum non fuisse omnium gravissimum. Etenim [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] *ex art.* 2. *huius quaestionis* Christus ex obedientia et charitate erga Deum, et homines mori voluit; igitur mortem sustinuit libens et volens; non fuit ergo illata illi mors contra suam voluntatem, dum voluntarie mortem sustinere voluit: sed gravius Christi interfectores peccavissent si nolentem occidissent; ergo de facto non fuit illorum peccatum gravissimum.

2. PRAETEREA. [*Report.* 3. d. 20. n. 13. — *Oxon.* 2. d. 4. q. 1. n. 3. seqq.] Peccatum occidentium Christum fuit expiabile et remissibile per eamdem Christi passionem; ergo non extitit gravissimum, imo graviora videntur esse illa peccata, quae neque in praesenti, neque in futuro saeculo veniam consequuntur, uti sunt quae in Spiritum Sanctum committuntur.

3. PRAETEREA. Qui Salvatorem Cruci affixerunt gravius certe peccassent, si ipsum esse Deum cognovissent; ergo occidentes Christum non peccaverunt gravissime: nam etsi Principes Iudaeorum Christum esse Messiam, ac etiam Deum cognoscere potuerint, tamen Gentiles ipsum crucifigentes eam notitiam habere nequivisse certum est, quia ipsi scientia carebant Scripturarum, ac proinde scire nihil poterant de adventu Messiae.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 6.] Anselmus, 2. *Cur Deus homo,* c. 14. *Videmus ergo,* inquit, *quod violationi vitae corporalis huius hominis nulla immensitas vel multitudo peccatorum extra Personam Dei comparari valeat.* Peccatum igitur occidentium Christum gravius fuit, quam omnia alia peccata simul; extitit proinde omnium gravissimum.

RESPONDEO dicendum, peccatum occidentium Christum revera fuisse longe gravissimum et atrocissimum. Nam [*Oxon.* 2. d. 21. q. 2. n. 3.] peccati gravitas vel concluditur ex eo quod opponatur magis intensae bonitati, vel quia bonitas opposita est magis necessaria, videlicet quia tale peccatum est magis contra plura praecepta. Sed quia interdum pec-

catores ex ignorantia peccant, adeo ut si scirent non peccarent, et tunc ignorantia est quasi dispositio ad peccatum ; et aliquando ignorantia concomitatur ; sic enim dicitur peccare ignorans, vel aliquis peccando ignorare ; his suppositis, est hic distinguendum de ipsis Gentilibus Christum immediate crucifigentibus, de plebe Iudaeorum quae ad eius mortem ut poterat cooperata est, et de ipsis Iudaeorum Principibus et legis Doctoribus ; horum enim peccatum fuit longe gravissimum, quia Christum esse Messiam ex lege cognoscebant, vel cognoscere debebant, ut declaratum fuit *art. anteced.* Et si eius divinitatem ignorabant ipsorum culpa fuit, cum ex Christi miraculis potuerint cognovisse. Populorum autem et plebis fuit minus grave, quia eorum cooperationem ignorantia concomitabatur, quatenus erant decepti ab eorum Principibus et magistris, quibus ut morem gererent talia faciebant : sed quia Christi signa et miracula viderant erantque experti, atque eius conversationem et sanctitatem noverant, nullam iustam causam petendi eius mortem habebant, et ideo gravius peccaverunt. At Gentibus ignorantia videtur causa fuisse, cur ipsum morti adiudicarent ac reipsa necem inferrent, qui si de Christo eam, quam Iudaei tenebant, notitiam habuissent nequaquam crucifixissent. Peccaverunt tamen peccato grandi, quia nec illorum minis perterrefieri, nec precibus flecti ad inferendam necem homini innocentissimo debuissent.

Declaratur nunc, peccatum occidentium Christum, et praesertim Principum Iudaeorum fuisse gravissimum [*Oxon.* 3. d. 20. n. 2.], ex Anselmo, 2. *Cur Deus, homo* c. 17. Nam minima laesio illius Personae fuit peior, quam malum sit peccatum omnium hominum ; igitur peccatum occidentium Christum in gravitate excedit omnia alia peccata simul sumpta. *Assumptum probatur:* quia illa Persona erat Deus ; caetera igitur peccata, quae non immediate committuntur contra Deum, pertingere non possunt ad gravitatem peccati occidentium Christum ; siquidem tantum malum erat actio illorum, privans vita Christum, quantum bonum erat vita Christi ; et consequenter cum opponatur magis intensae bonitati, quam sit bonitas omnis creati, et creabilis, ipsum fuit gravissimum prae omnibus aliis intensive. — Bonitas enim opposita illi actui occisionis Christi est magis necessaria, quam sit bonitas aliorum praeceptorum ; nam illa non solum est de non interficiendo proximum, seu de diligendo proximo, sed etiam de colendo, honorando, et diligendo Deum ex tota anima, corde, et viribus. Cum igitur [*Oxon.* 3. d. 19. n. 13.] per crucifixionem Christi dici cum veritate possit, *Deus est crucifixus,* et *Deus est occisus,* quia homo subsistens in Persona divina, sequitur intensive fuisse illud peccatum gravissimum, et magis quam caetera peccata simul, quae non committuntur immediate in Deum.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, utique Christum oblatum fuisse quia voluit. At idipsum velle non debuisse qui eum occiderunt, quia [*Report.* 2. d. 40. n. 3.] actus ille erat ex genere malus, et augebatur eius malitia ex fine ; sicuti enim prima bonitas actus moralis est ex fine, ita et malitia ortum trahit ex pravo fine. Porro occidentes Christum non intendebant humanam redemptionem aut quid simile, sed potius tollere eum de medio volebant, ut odio quo eum prosequebantur, et invidiae, qua obcaecabantur, satisfacerent. — *Et cum dicitur :* gravius peccassent si nolentem occidissent ; *respondeo,* actum illum parem malitiam habuisse, quia latebat interfectores Christi consilium, sua passione

volentis redimere genus humanum, et ideo actum in malitia perinde se habuisse.

AD SECUNDUM concedo *assumptum,* ut patuit *art. antec. in respons. ad tertium;* imo [*Oxon.* 2. d. 43. q. 1. n. 7.] omne aliud peccatum est expiabile et remissibile per Christi passionem: sed in tantum peccata contra Spiritum Sanctum dicuntur irremissibilia, quia eiusmodi auferunt a Deo misericordiam, quae est principium remittendi peccata, quatenus scilicet peccans diffidit, et desperat de misericordia Dei; vel habens propositum de non poenitendo corrumpit in se omne principium dispositivum ad remissionem peccati, nempe displicentiam de peccatis cum conversione ad Deum. Non sunt itaque irremissibilia simpliciter ea, quae dicuntur committi in Spiritum Sanctum, nec graviora peccato occidentium Christum, sed non remittuntur ob pravitatem eorum, qui peccatis talibus subduntur.

AD TERTIUM patet responsio ex dictis *in solutione.* Quamvis enim Gentiles crucifigentes Christum nesciverint ipsum esse Messiam, nihilominus fassi sunt Christum hominem esse iustum et innocentem, profitentes se causam non agnoscere cur mori deberet; cavendum igitur ipsis erat inferre necem homini innocentissimo. Grande propterea fuit peccatum iudicis sententiam iniustissimam ferentis; sed multo gravius imo gravissimum extitit facinus Iudaeorum, a quibus tota rei series processit, et praesertim Maiorum, nempe Sacerdotum, et legis Doctorum, qui cognoscere poterant, et debebant quem tanto odio prosequebantur esse Mediatorem et Messiam, et mundi Salvatorem.

QUAESTIO QUADRAGESIMAOCTAVA.

DE MODO PASSIONIS CHRISTI QUANTUM AD EFFECTUM, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu passionis Christi; et *primo* de modo efficiendi; *secundo* de ipso effectu.

Circa primum quaeruntur sex.

1. Utrum passio Christi causa fuerit nostrae salutis per modum meriti. - 2. Utrum per modum satisfactionis. - 3. Utrum per modum sacrificii. - 4. Utrum per modum redemptionis. - 5. Utrum esse Redemptorem sit proprium Christi. - 6. Utrum causaverit effectum nostrae salutis per modum efficientiae.

ARTICULUS I.

UTRUM PASSIO CHRISTI CAUSAVERIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM MERITI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 18. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 48. *a.* 1.

VIDETUR Christus non meruisse nostram salutem per suam passionem. Nam [*Oxon.* 3. d. 20 n. 3.] 2. *Ethicor.* cap. 5. *Passionibus nec laudamur, nec vituperamur;* igitur Christus per suam passionem non

potuit nobis meruisse vitam aeternam, sed potius id fecisse videtur per actionem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 18. n. 5.] Prima radix omnis meriti est in voluntate secundum affectionem iustitiae, quatenus vult Deo bonum, ut esse, et bene esse: sed passio respicit affectionem commodi, quatenus est aliquid sibi disconveniens; igitur potius Christus meruit nobis salutem per dilectionem Dei, et proximi propter Deum, quam per passionem aliquam.

3. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 18. n. 13.] Peccatum, secundum Anselmum, *est carentia iustitiae debitae:* sed in actu interiori et exteriori non est nisi una carentia iustitiae debitae; iustitia enim et iniustitia non est nata esse nisi in voluntate; igitur si non est nata iustitia esse in actu exteriori, nec Christus meruit nobis per passionem, sed dumtaxat per voluntatis actum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 2.] Anselmus, 2. *Cur Deus homo,* cap. 15. *Ecce vides quomodo ex hominibus perficienda sit Civitas superna, nec hoc fieri posse nisi per remissionem peccatorum, quam nullus homo habere potest nisi per Christum, qui morte sua Deo homines peccatores reconciliet.*

RESPONDEO dicendum, Christum meruisse nobis salutem per passionem suam; meritum enim [*Oxon.* 3. d. 18. n. 4.] non semper dicit actum, qui sit in potestate eius, cui fit retributio, sed id praecise est quando aliquis sibi ipsi meretur; quando autem quis retributionis non indigens pro altero meretur, tunc meritum formaliter dicit *ordinem alicuius actus laudabilis in merente ad acceptantem, quod acceptans acceptat, ut retribuat ei, pro quo acceptatur.* Christus autem [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] obtulit passionem suam pro omnibus electis, qui a gloria et gratia exciderant ob peccatum Adae, in quo et ipsi peccaverant, fuitque Deo pro iisdem acceptata; igitur [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. seqq.] Christus fuit perfectissima causa meritoria totius gratiae, quam Trinitas disposuit dare generi humano. Et licet ipse Christus solummodo in primo instanti conceptionis suae potuerit habere eum actum offerendi suam passionem Deo, in quo actu interiori consistit principaliter ratio meriti; tamen quia divinus intellectus praevidebat eum actum et passionem futuram, intuitu eiusdem ab aeterno praevisae, et meritorum illius, quicquid gratiae et gloriae electos accepisse credimus et ante et post passionem exhibitam, ob merita Mediatoris ipsis collatum fuisse sentiendum est; etsi non fuerint electi praedestinati primario propter merita passionis Christi, sed potius gratia meritorum ab omni passione abstrahentium, ut dictum fuit *q.* 24. *art.* 4. Quod vero Mediator talis causa meritoria esse potuerit, ex eo probatur quia ipsi data fuit plenitudo gratiae, de qua acciperent omnes, qui eam erant accepturi; ergo ad hanc plenitudinem correspondentia erant merita eius; tantum enim valent omnia opera citra Deum, quantum ab ipso acceptantur; cum igitur Christus fuerit plenus gratiae et veritatis et Deo longe acceptissimus, est causa meritoria de condigno gratiae collatae et conferendae omnibus membris, quorum ipse est caput.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 3. d. 20. n. 11.] dico, Philosophum loqui de passionibus, quae non accidunt, sive non sustinentur ex virtute, quo sensu actio est laudabilior passione; passiones enim

poenales et maxime mors, quando est per actum virtutis accepta (ut fuit in Christo, qui ex intenso amore finis, et nostri, quo dilexit nos propter Deum, ipsam sustinuit) est laudabilior, quam actus virtutis circa delectabile separatim. Unde actus virtutis circa tristabile est magis meritorius, quam actus virtutis circa delectabile, et consequenter passio Christi fuit maxime meritoria.

AD SECUNDUM respondeo ex *proxime dictis:* quamquam enim radix omnis meriti consistat in affectione iustitiae, et non in affectione commodi, nisi quatenus regulatur ab affectione iustitiae, passiones nihilominus [*Oxon.* ib.] voluntariae concomitantes actum virtutis simul acceptae sunt magis meritoriae, quam actus tantum virtutis, quia contra affectionem commodi accidunt, quas natura vellet a se arcere, et fortiter sustinentur ex affectione iustitiae; nam [*Quodlib.* q. 18. n. 12] sicuti actibus externis non elicitis secundum regulam rationis rectae inest propria obliquitas et malitia, ita et elicitis conformiter ad rectam rationem inest propria bonitas et rectitudo, et ius ad praemium. Christi itaque meritum ex voluntaria passione extitit maximum, quemadmodum intentissimus fuit actus virtutis, per quem ipsam perferebat passionem.

AD TERTIUM dico [*Quodl.* ib. n. 16.], Anselmum loqui de iustitia habituali, quae non est nisi in voluntate, vel de iustitia primaria actuali, quam voluntas propter se servat, hoc est, tenet in actu suo, qui ex iustitia rectus elicitur; sed iustitia actualis secundaria non est in voluntate subiective, sed causative. Unde neganda est *minor:* [*Quodl.* ib. n. 14.] quia tot sunt iustitiae actuales, quot sunt actus eliciti, et exterioribus correspondet propria rectitudo et bonitas, sicuti actibus malis propria obliquitas et malitia, quae potest esse in actibus illis seu rectis seu obliquis intensior et remissior, iuxta conatuum rationem, secundum quos eliciuntur.

ARTICULUS II.

UTRUM PASSIO CHRISTI CAUSAVERIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM SATISFACTIONIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — 4. *d.* 15. — *Report ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 48. *a.* 2.

VIDETUR Christi passio non fuisse causata nostram salutem per modum satisfactionis. Etenim [*Oxon.* 3. d. 20. n. 2.] passio Christi non potuit satisfecisse pro peccatis occidentium ipsum Christum; igitur non satisfecit per passionem pro peccatis generis humani. *Probatur assumptum:* quia tantum malum fuit actio illorum occidentium Christum, quantum bonum erat vita Christi, ac proinde tanta erat aversio occidentium, quanta erat amicitia Christi reconciliantis; igitur vita quam posuit moriendo satis non est ad redimentum peccatum eorum qui ipsum interfecerunt; nam meritum debet excedere culpam et reatum, si oporteat per eiusmodi meritum satisfieri ei, cui offensa fuit illata.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. per tot.] Confessio et contritio sunt actus eius qui peccavit, et postea poenitere vult de peccatis; ergo

pariter satisfactio debet esse actus eius, qui pro peccatis satisfacere desiderat: Christus autem nec peccavit, nec peccare potuit; igitur nec pro se, nec pro aliis satisfecit.

3. PRAETEREA. Peccatum crucifigentium Christum esse longe gravissimum dictum est *art.* 6. *quaest. praec.*, in tantum ut maior extiterit Dei offensa ex illo atrocissimo facinore, quam fuerit eidem illata ex omnibus mundi peccatis; ergo non est verisimile Deo satisfactum esse per Christi passionem et mortem, cum per eamdem mortem Dei iustitia fuerit magis exacerbata et provocata ad ultionem, quam per peccata, pro quibus satisfaciendum fuit.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 2.] Anselmus, *Cur Deus homo*, ex professo ractat et concludit Christum satisfecisse Deo pro humano genere, nec aliter Deo satisfieri potuisse.

RESPONDEO dicendum, Christum sua passione satisfecisse pro nobis Deo, sic ut exinde salutem aeternam adipiscamur; satisfactio enim [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 3.] *est redditio aequivalentis pro aequivalente alias indebiti;* adeo ut id quod pro satisfactione alteri, cui ea est facienda, offertur, oportet non esse debitum illi, utque aeque vel magis diligatur, quam odio habeatur offensa pro qua est satisfaciendum: Christus autem, quandoquidem non habuit peccatum, sibi non debebatur mors vel passio, et Deus ipsum magis diligebat, quam odiret omnium hominum peccata; igitur [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] ex charitate et obedientia offerendo se morti Crucis, satisfecit pro omnibus peccatis, ac promeruit nobis conferri gratiam de condigno.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] Christum sua morte satisfecisse pro peccatis ipsum occidentium, quia plus dilexit Deus illam passionem acceptando, quam odisset peccata Christum occidentium. Illi enim non potuerunt habere actum adeo difformem in malitia, sicuti fuit bonus bonitate morali actus voluntatis Christi, quo voluit pati; quia is actus habuit bonitatem non solum ex potentia volitiva, sed etiam ex summa charitate, qua voluit mori, et aliquo modo ex illa Persona infinita; actus vero malus ipsum occidentium non habuit tantam malitiam ex habitu praecedente deordinato; nec denique ex circumstantia personarum, qui omnes erant homines, utique perpetrantes facinus longe atrocissimum, sed non tale, ut non redimeretur per Christi passionem.

AD SECUNDUM dico, interesse plurimum inter satisfactionem quae est pars integralis Sacramenti Poenitentiae, et satisfactionem pro peccato Adae; et illam quidem esse pariter actum poenitentis fatendum est; is enim [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 14.] debet vel reipsa, vel in voto satisfacere Deo offenso vindicando commissum per potentiam, et persolvere commutationem poenae aeternae in temporalem vel in hoc saeculo, vel in futuro; potest enim id facere: sed [*Oxon.* 3. d. 20. n. 9.] pro peccato Adae non erat aliquis homo, qui satisfacere valeret, cum omnes in illum peccavissent, et statuisset Deus non sibi satisfactum iri, nisi per personam innocentem sibi gratissimam et acceptissimam, esto potuisset aliter statuere et velle acceptare satisfactionem alio modo sibi exhibendam. Caeterum [*Oxon.* 3. d. 19. n. 10.] de ratione satisfactionis non est ut procedat ab eo per quem satisfit, sed tantum ut reddatur aequivalens pro aequivalente alias indebitum. Unus ergo, qui non debet id

pro quo est satisfaciendum, potest satisfacere pro altero, sicuti et pro altero orare, praesertim si ille qui meretur alteri sit in termino gratiae, cuiusmodi fuit Christus, qui proinde non sibi sed nobis satisfecit.

AD TERTIUM, concedo magis ad iracundiam provocatum esse Deum per peccatum occidentium Filium suum, quam per omnia alia simul, sicuti illud excedit in gravitate omnia alia peccata: sed quia is, qui mortuus est Christus Patri eam obtulit in satisfactionem omnium peccatorum mundi pro omnibus plenissime satisfactum fuit, ex *dictis in responsione ad primum.*

ARTICULUS III.

UTRUM PASSIO CHRISTI OPERATA SIT PER MODUM SACRIFICII.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 2. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 48. *a.* 3.

VIDETUR passio Christi nihil operari potuisse per modum sacrificii, Nam [*Quodlib.* q. 20. n. 21.] illud sacrificium obtulerunt Iudaei, ipsum in ara Crucis suffigentes, atque ut in ara offerentes: non solum autem illi non meruerunt per tale sacrificium, sed etiam peccatum grande peccaverunt; igitur passio illa quatenus sacrificium fuit nihil ad nostram salutem operata est.

2. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 20. — *Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 4.] Sacrificia in lege naturae aut in Lege Moysi quae offerebantur Deo, ideo impetrabant id pro quo offerebantur, quia sacrificantes erant Deo accepti; unde *Gen.*, 4. habetur, gratum fuisse Deo sacrificium Abelis, quia gratior erat ipse, unde scribitur: *Respexit Deus ad Abel et ad munera eius:* prius ad offerentem, et postea ad oblatum munus: sed Iudaei immolantes Christum erant Deo execrabiles et maxime odibiles; ergo Christi passio nequivit habere rationem sacrificii impetrativi a Deo aliquid pro nobis.

3. PRAETEREA. Si passio Christi per modum sacrificii operata esset nostram salutem, profecto id aliquo ex tot sacrificiis veteris Legis fuisset praefiguratum: sed hoc Christi sacrificium non praefigurabatur in Lege veteri; ergo non videtur passio Christi appellanda sacrificium. *Probatur minor:* quia cuncta sacrificia veteris Legis peragebantur immolatione et oblatione animalium, quae non videntur umbrae et figurae passionis Christi.

CONTRA. [*Quodlib.* q. 20. n. 22.] Hebraeor. 9. *Christus semel oblatus est,* nimirum a seipso offerente, ratione cuius sacrificii quod Christus obtulit in Cruce idem ipse offerens et oblatus, habet efficaciam et valorem Missae sacrificium, iuxta illud Lucae, 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

RESPONDEO dicendum, Christi passionem operatam esse humani generis salutem per modum sacrificii. Etsi enim [*Oxon.* 3. d. 9. n. 2. seqq.] per sacrificia protestemur summam reverentiam summo Deo exhibendam, et summam esse in eo dominationem cui talia exhibentur, et subiectionem in exhibente, specialiter tamen ratio sacrificiorum est Deum placare, et bonum impetrare. Christus autem [*Quodlib.* q. 20. n. 34.] per passionem suam Patri oblatam placavit ipsum generi humano plusquam dici possit infensum, atque gratiam promeruit ac impetravit, qua ad glo-

riam homines perducerentur; igitur quatenus passio Christi exhibita atque oblata Deo ex charitate summa a Persona dilectissima, veri sacrificii obtinuit rationem, et operata est nostram salutem. *Declaratur minor:* [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] etenim homini facto Deo inimico per culpam disposuit Deus se non remissurum illam culpam, nec ullum adiutorium ei collaturum, nisi per aliquod sibi oblatum, quod acceptabilius et gratius esset, quam ea offensa sibi displicuisset; et quoniam in totius generis humani massa damnata inveniri non potuit aliqua persona, cuius oblatio foret illi sic accepta, misit Deus Filium suum humanatum; ex cuius obedientia et charitate, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 12.] propter quam voluntarie se obtulit passioni, remitteretur generi humano offensa, eius enim solius oblatio potuit esse gratior Trinitati, quam fuerit sibi displicens Adae peccatum; quandoquidem [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] igitur ea passio Filii Dei oblata est pro hominum salute Trinitati et ab ea acceptata, verissime sacrificium fuit, per quod et sumus reconciliati Deo, et gratiam et gloriam impetravimus, unde irreparabiliter excideramus, nisi Filius Dei seipsum in sacrificium Patri in Cruce pro nobis obtulisset.

Ad Argumenta. Ad primum dico: [*Quodlib.* q. 20. n. 21. et 24.] quamvis Christus sponte et voluntarie se obtulerit passioni pro genere humano, ex parte tamen Iudaeorum crucifigentium non fuit sacrificium meritorium, sed magis maleficium, iuxta illud Ecclesiast.: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Oblatio enim non est accepta nisi sit offerentis accepti, scribitur enim Gen., 4. *Respexit Deus ad Abel et munera eius,* prius videlicet ad Abel, et postea ad munera ipsius. Quia igitur Iudaei ex odio et invidia necem Christo intulerunt, erant Deo execrabiles et non accepti. At [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] Christus obtulit seipsum Patri in sacrificium pro nobis ex summa charitate erga Deum et homines, quos diligebat in ordine ad Deum. Hinc quia erat ipse longe Patri acceptissimus et gratissimus, tale subinde fuit sacrificium ab eo illi oblatum, ut esset sufficientissimum ad reintegrandam amicitiam cum Deo, et ad impetrandum quicquid per Adae praevaricationem amiseramus.

Ad secundum patet *ex statim dictis:* quia passio Christi non fuit sacrificium placativum, et bonorum impetrativum, ut erat a Iudaeis aut Gentibus inflicta, sed quatenus Christus Patri acceptissimus illam Passionem obtulit pro nostris culpis, ut propterea reconciliaverit nos Deo, et quae amiseramus rursum impetraverit. Illud tamen addendum [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 3.] si aliquod sacrificium in lege naturae fuit Sacramentum, tunc ratione ipsius Sacramenti et ex opere, ut dicitur, operato habuisse virtutem impetrandi a Deo id pro quo offerebatur, et non intuitu personae offerentis seu bona seu mala moraliter fuerit.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] utique antiquorum oblationes et sacrificia significasse et praefigurasse oblationem perfectam Christi, et quia hostia illa iam oblata est, et per tale sacrificium peccata expiata, vere umbrae successit veritas; negandum est ergo sacrificia illa, quae immolatione peregebantur animalium, non extitisse figuram immolationis Christi; illa enim significabant ex institutione divina, quemadmodum in Lege Evangelica quaedam alia signa sensibilia gratiam Dei efficaciter significant.

ARTICULUS IV.

UTRUM PASSIO CHRISTI OPERATA SIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM REDEMPTIONIS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 48. *a.* 4.

VIDETUR passio Christi haud operata esse nostram salutem per modum redemptionis. Etenim quod redimitur debet fuisse sub iusta potestate illius, cui pretium redemptionis solvitur: sed [*Oxon.* 4. d. 47. q. 1. n. 8.] diabolus, a cuius potestate dicitur ereptum genus humanum per Christi passionem, erat iniustus possessor hominum, quia tyrannicum exercebat dominium in eis; igitur homo non potuit redimi de potestate illius, ac subinde Christi passio non est operata nostram salutem per modum redemptionis.

2. PRAETEREA. Quando aliquid redimitur, pretium redemptionis ei offertur et exhibetur, qui manumittit redemptum: sed Christi passio, [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] quae pretium redemptionis dicitur, est oblata a Christo in ara Crucis superexaltatae Trinitati, et non illi de cuius potestate dicitur ereptus et redemptus homo; igitur non fuit hic redemptio aliqua repraesentata per Christi passionem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 30. q. 1. — 4. d. 46. q. 1. n. 5.] Si per Christi passionem erat redimenda natura rationalis id fuisset vel quia subdebatur diabolo per peccatum, vel quia ordinabatur ad poenam cuius erat debitrix ob legis transgressionem: non quia subdebatur diabolo, quia tunc illi debuisset exhiberi pretium, ut argutum est prius. Sed neque quia ordinabatur ad poenam, *et probatur:* nam Deus perinde est Dominus omnium creaturarum, et perinde possidet eas, sive sint iustae sive iniustae et sub peccato; ergo nulla potuit esse redemptio hominis, quatenus ipse per peccatum ordinabatur ad poenam.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 19. n. 1.] Christus, secundum Leonem Papam, Sermone *De Nativit.: Sicut a reatu nullum liberum reperit, sic liberandis omnibus venit:* liberavit autem per passionem suam; ergo ipsa passio fuit pretium redemptionis.

RESPONDEO dicendum, revera Christi passionem operatam esse nostram salutem per modum redemptionis. Etenim [*Oxon.* 2. d. 32. n. 7.] primus homo transgrediendo Dei mandatum amisit iustitiam in qua conditus erat; et quia eam pro se, et omnibus descensuris ab ipso acceperat, pro omnibus quoque perdidit, quo facto statim ad poenam ordinatus est, et diaboli subditus evasit. Porro unde Dei iustam iram a se averteret et pristinae libertati restitueretur, hominum communitas non habebat, quia omnes in primo homine peccaverant, ideoque nulla eorum oblatio Deo accepta esse potuisset; hinc [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] Dei Filius homo factus, ut Deo genus humanum reconciliaret, obtulit se acceptando mortem subire in satisfactionem iustitiae divinae, quae oblatio cum fuerit Trinitati longe gratissima, intuitu ipsius largitus est gratiam, originalis peccati deletivam, et quamcumque aliam, qua actualia per poenitentiam abolentur. Passio igitur Christi [*Oxon.* 3. d. 9. n. 7.] extitit verissime pretium nostrae redemptionis, quia gratia per illum promerita efficit, ut aufera-

tur obligatio ad poenam propter peccatum, et simul eripit nos de diaboli potestate, cui subdebamur per culpam, et vindicat in libertatem filiorum Dei; operata est itaque nostram salutem per modum redemptionis. Unde Apostol., 1. *ad Corinth.*, cap. 6. ait: *Empti enim estis pretio magno.*

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, *assumptum* non esse semper verum, quia [*Oxon.* 4. d. 36. q. 1. n. 7.] aliquis potest iniuste esse addictus servituti, et tamen pro redemptione illius oportet pretium solvere. — *Et ad minorem respondetur:* sicuti aliquis sua sponte potest a se propriam libertatem abdicare, et alteri se subiicere, ita peccans sponte, quia libere se subiicit diabolo, de cuius potestate non potest eripi nisi per gratiam Christi promeritam in passione, et quidem [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. n. 9.] gratia medicinali solvitur vinculum servitutis, et redditur homo liber, ut conditus fuerat in Adamo, non quia iterum accipit originalem iustitiam, sed quoniam per gratiam sanctificantem non imputatur illi ad culpam iustitiae originalis carentia.

Ad secundum dico, cum per Christi gratiam remittitur peccatum, invite diabolus dimittit hominem liberum; violenter itaque [*Oxon.* 4. d. 47. q. 1. n. 8.] de suo principatu deiicitur per merita passionis Christi, ideoque non huic erat pretium redemptionis exhibendum et offerendum, sed Deo, a quo causatur gratia in anima rite suscipientis Sacramenta a Christo instituta.

Ad tertium dico: [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 7.-9.] Deus est revera Dominus iustorum et iniustorum, sed priores possidet ut filios et haeredes regni caelestis, posteriores vero ut inimicos carceri mancipandos aeterno. Cum igitur liberati simus per Christi passionem a cruciatibus sempiternis, quatenus per gratiam collatam in susceptione veracium Sacramentorum, non sumus amplius ordinati ad aeternam poenam, verissime [*Oxon.* 1. d. 5. q. 2. n. 1.] Christi passione redempti sumus, erepti insuper de diaboli potestate, et translati in regnum Filii dilectionis suae.

ARTICULUS V.

UTRUM ESSE REDEMPTOREM SIT PROPRIUM CHRISTI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 48. *a.* 5.

Videtur non convenire tantum Christo esse redemptorem. Nam quae sunt alicui propria ita insunt ei, ut nequeant alteri competere: sed [*Oxon.* 3. d. 20. n. 7.] Dei sapientiae occurrebant aliae viae redimendi hominem, praeter Christi passionem; ergo aliis convenire potuisset redimere genus humanum, ac proinde non est Christi proprium esse Redemptorem.

2. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] Etsi Christus de facto habuerit summam gratiam, quantam scilicet Deus creare, et animae illi tribuere potuit, quia tamen non est summa positive, sed dumtaxat privative, parem gratiam conferre potuit alteri naturae assumptae, vel etiam non assumptae; igitur ille alius homo exinde potuisset Deo exhibere obsequium perinde gratum ac fuerit oblatio facta a Christo in Cruce; igitur esset tunc alius redemptor, ac subinde nequit id esse proprium Christo.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] B. Virgo habuit plenitudinem gratiae vel quando anima ipsius corpori unita est, vel certe in conceptione Filii sui; ergo pariter B. Virgini convenit praerogativa Redemptoris. *Probatio consequentiae:* nam ideo Christi passio operata est nostram salutem per modum redemptionis, quia eius oblatio erat longe acceptissima Trinitati, quia Personae gratissimae ob plenitudinem gratiarum; ergo pariter B. Virginis oblatio pro generis humani salute debuit esse Deo acceptissima, et consequenter et ipsa est generis humani reparatrix, vel saltem ad redemptionem videtur cooperata.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] Secundum leges iam positas a sapientia divina non erit nisi unum caput in Ecclesia, a quo sit influentia gratiarum in membra; ergo in praesenti ordine rerum legibus divinae Providentiae statutarum proprium est Christo esse redemptorem; nam per gratiam, quae descendit a capite eruta sunt membra a potestate tenebrarum, et reddita libertati filiorum Dei.

RESPONDEO dicendum, potuisse, ex dictis *q.* 46. *art.* 1. et 2. munus redemptoris non esse ita proprium Christi, ut impossibile fuerit alicui alteri convenire; nam cum innumeris aliis modis potuissemus redimi, certum est aliquem alium a Christo dispensationem redemptionis nostrae obire et perficere potuisse. *Sic etiam declaratum fuit q.* 25. *art.* 1. Redemptionem efficere principaliter esse totius Trinitatis, Christi vero nonnisi instrumentaliter et meritorie, quatenus per humanam naturam meruit, passus, et mortuus est. *Verum quia,* (ut dictum fuit *art.* 3. *citat. quaestionis* 46.) modus convenientior pro sananda nostra miseria Sapientiae divinae occurrere non potuit, quam per Christi passionem et mortem, ex suppositione [*Oxon.* 3. d. 20. n. 6. seq.] quod Deus decreverit in negotio humanae reparationis uti modo omnibus convenientiori, sic nos redimere, et esse redemptorem fuit proprium Christo, ut alteri ab ipso non potuerit attribui, quia ipse solus fuit a Deo constitutus Ecclesiae et omnium electorum caput per gratiarum plenitudinem et donorum, et ita pro ratione perfectionis gratiae non ad mensuram collatae, et charitatis, qua diligebat Deum, et homines propter Deum, meruit pro membris eius bona gratiae et gloriae, quibus iuste privabamur per Adae peccatum. Solummodo ergo ex suppositione divinae praeordinationis et praesentis providentiae esse redemptorem est proprium Christo, non principaliter, sed meritorie, et instrumentaliter, ut dictum est.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 5-7.] concedendum est aliis modis potuisse genus humanum redimi ab illo, quo de facto liberatum fuit, ut diserte testatur Augustinus, 13. *De Trinit.*, cap. 10. et consequenter, spectata Dei absoluta potentia; committi potuisse alicui alteri a Christo munus redimendi homines; at loquendo de facto, iuxta praefixas leges a divina sapientia, soli Christo competere, quia ipse solus est causa meritoria et Mediator, et Ecclesiae caput, ut dictum est *in solutione.*

AD SECUNDUM patet responsio ex dictis, quia procedit de potentia absoluta Dei, et conclusio loquitur de facto, et de potentia, qua agit ad extra, iuxta leges a se praefixas.

AD TERTIUM dico: B. Virgo quia erat gratia plena fuit Trinitati magis grata, quam quaevis alia creatura, imo gratior creaturis omnibus simul acceptis; sed tamen [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. per tot.] ipsa gratia plenitudinem

accepit intuitu meritorum Christi Filii sui, per quae fuit ob omni labe originalis culpae praeservata; igitur Maria indiguit Mediatore et Redemptore ut alii descendentes de Adamo, et propterea non gessit munus redemptoris, imo efficacia eiusdem Mediatoris magis pertinuit ad Matrem suam, quam ad alios; ipsa enim praeservata est ne incideret in culpam et foedaretur; alii liberati sunt per gratiam Mediatoris postquam caecidissent et inter filios irae computati essent.

ARTICULUS VI.

UTRUM PASSIO CHRISTI OPERATA SIT NOSTRAM SALUTEM PER MODUM EFFICIENTIAE.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. — 4. *d.* 15. *q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 48. *art.* 6.

VIDETUR passio Christi minime operata esse nostram salutem per modum efficientiae. Nam Christi passio extitit quoddam obsequium exhibitum Deo pro hominibus, ex quo factum est, ut offerens meruerit exaudiri, et ita passio Christi operata est nostram salutem per modum meriti, ut dictum fuit *art.* 1. *praesent. quaest.;* ergo non per modum efficientiae; imo si Christus sua passione meruit, profecto ipse non effecit nostram salutem, sed potius ille, qui passionem tamquam meritum acceptavit.

2. PRAETEREA. Christus operatus est nostram salutem sustinendo passionem et mortem; ergo ipsa passio et mors non se habuerunt active; nam passio in eo qui sustinet minime reduci potest ad efficientem causam, cum causa eius effectiva sit is qui infert passionem. — *Et si dicatur,* [*Oxon.* 3. d. 20. n. 11.] quia argumentum procedit quando passio est omnino illata violenter, et nulla ratione volita; nam si est volita, sicut Christus pati voluit, tunc ad effectivam causam est reducibilis, quia unita cum actu virtutis; *contra* actus ille virtutis reducitur ad meritum Christi, quia illo potissimum meruit; igitur neque habet rationem effectivi, ut procedit *primum argumentum.*

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5. n. 19.] Passio est quoddam instrumentum et pretium redemptionis humanae, sicut dicuntur pecuniae numeratae instrumenta redemptionis vel emptionis: sed nemo dixerit pecunias numeratas in pacto redemptionis se habere effective cum mera instrumenta sint mota, et non moventia; ergo pariter Christi passio non est operata nostram salutem per modum efficientiae.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 9. n. 7.] Apostolus, 1. *ad Corinth.,* cap. 6. *Empti enim estis pretio magno,* pretium magnum appellans passionem Christi et fusum sanguinem: sed ipse id fecit propria voluntate, qua mortem acceptavit et obtulit Deo pro humana redemptione; igitur eius passio operata est nostram salutem per modum efficientiae.

RESPONDEO dicendum, Christi passionem operatam esse nostram salutem efficienter quidem, sed minus principaliter; nam [*Oxon.* ib. n. 8.] causa principalis eius fuit tota Trinitas; siquidem Christi passio delevit culpam nostram ut causa meritoria, ex dictis *art.* 1. *praesent. quaest.* Causa autem meritoria est de necessitate causa secunda; etenim tunc oportet dare causam primam cui sint accepta illa merita, seu in ordine ad me-

rentem, seu in ordine ad alios, quibus facienda est pro illis meritis retributio. Igitur passio Christi respectu humanae salutis est causa secunda, seu minus principalis. — Quod autem [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 6.] ut talis causa ipsam redemptionem et salutem effecerit ex eo constat, quia causa meritoria reducitur ad genus causae efficientis, meritum enim consistit in actione virtuosa, vel in passione ut coniungitur virtuti animae fortiter ferentis et acceptantis passionem illatam. — *Ulterius*, [*Oxon.* 3. d. 9. n. 9. — d. 13. q. 4. n. 8.] Christus inquantum homo est caput Ecclesiae, secundum Augustinum, super illud Ioann., 15. *Ego sum vitis:* sub ista igitur ratione qua est caput habet influere gratiam in totam Ecclesiam: sed influit gratiam in Electos quatenus sua passione meruit, ut Deus gratiam omnem quam habent membra corporis Christi mystici, quod est Ecclesia, illis elargiretur intuitu meritorum eiusdem passionis, in tantum ut verissime de Christi plenitudine omnes acciperent gratiam, atque per eam salute potirentur; igitur [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 5. — 3. d. 19. n. 6.] Christus per suam passionem effecit, ut compotes essemus salutis aeternae; habet ergo respectu eius secundariam efficientiam, non physicam, sed moralem: nam attribuere humanitati Christi aliam causalitatem, scilicet instrumentalem, ultra praedictam in genere morali fundatam in pacto et acceptatione divina, putamus nec esse verum nec necessarium pro intellectu Scripturarum et Patrum. Sed de hoc rursus infra, *q.* 56 *et* 62. ubi de causalitate Sacramentorum.

Ad argumenta. Ad primum dico, aliud non probari nisi quod dictum fuit *in solutione,* scilicet [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. per tot.] Deum principaliter effecisse nostram redemptionem, sed Christi passionem nonnisi meritorie, quatenus meruit ut nobis Deus gratiam conferret ab se promeritam de condigno per mortem et passionem.

Ad secundum respondeo, esse approbandam responsionem praemissam; quia esto passiones, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 11.] quae non accidunt ex virtute distinguantur contra omnem efficientiam; quando tamen passiones poenales, et maxime mors, ex virtute acceptatur, optime habere possunt rationem causae efficientis, non primariae, sed meritoriae, ut declaratum fuit. Nec aliud probatur per instantiam contra hanc responsionem, scilicet Christi passionem esse causam effectivam meritoriam, non principalem.

Ad tertium dico, esse manifestum, qualiter Christi passio, qua tamquam pretio magno fuit redemptus homo, non est ut pretium nummorum, qui adhibentur in contractibus humanis; nummi enim [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5. n. 19.] vel numerata pecunia nullam habent efficientiam meritoriam, ut acceptentur pro illis contractibus, sed solummodo habet rationem pretii per relationem rationis actus intellectus comparantis; at Christi passio et mors et fuit ab ipsius humana voluntate acceptata, (Deum ipsum ad id inclinante,) et ab eadem Trinitate oblata pro hominum salute. Ratio igitur meriti passionis Christi [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 6.] potissimum est in actu voluntatis elicito; ideoque recte attribuitur huic causae meritoriae ratio efficientis secundarii, ut iam dictum fuit.

QUAESTIO QUADRAGESIMANONA.

DE EFFECTIBUS PASSIONIS CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ipsis effectibus passionis Christi.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum per passionem Christi simus liberati a peccato. - 2. Utrum per eam simus liberati a potestate diaboli. - 3. Utrum per eam simus liberati a reatu poenae. - 4. Utrum per eam simus Deo reconciliati. - 5. Utrum per eam sit nobis aperta ianua caeli. - 6. Utrum per eam sit Christus adeptus exaltationem.

ARTICULUS I.

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS LIBERATI A PECCATO.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 49. *art.* 1.

VIDETUR non esse liberati a peccatis per passionem Christi. Nam ipsa peracta et exhibita passione, non desistunt homines, nec cessant in dies sese peccatis submittere et sordescere, non secus ac fecerint priusquam Christus pateretur; ergo non videtur Christum nos per suam passionem a peccatis liberavisse.

2. PRAETEREA. Passio Christi minime attribuenda est ipsius Divinitati; passus est enim tantum secundum humanitatem, ex dictis *q.* 46. *art.* 12. sed [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. — d. 17.] ipse non dimittit peccata nisi quatenus Deus; ergo quoniam Deus passus non est, sed homo, per huiusmodi passionem non sumus liberati a peccatis.

3. PRAETEREA. Si per Christi passionem fuissemus liberati a peccato, profecto ea exhibita oporteret peccata a Deo dimitti, sicuti ad positionem causae adaequatae sequitur effectus: sed [*Oxon.* 4. d. 1. q. 2. seqq.] non obstante Christi passione quis non liberatur a peccatis, nisi per Sacramentorum susceptionem, et praesertim Baptismi et Poenitentiae; ergo per Christi passionem non sumus liberati a peccatis.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 28. n. 8.] Quamplurimi non incidunt in peccata, vel quia occasiones peccandi diligenter evitant, vel quia peccatis sese inficere nolunt: sed isti non liberantur per Christi passionem; ergo eiusmodi passio non est causa cur ab omnibus peccatis liberemur. *Minor probatur:* tum quia in praedictis casibus fieri potest, ut non recogitent de Christi passione, nec Sacramenta tunc suscipiant: tum quia videntur peccata declinare per propriae libertatis usum; si enim declinare et evitare quisque peccata non posset, profecto tunc non peccaret, secundum doctrinam Augustini, 3. *De libero arbitrio.*

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 7.] Deus disposuit sibi non reconciliare inimicum per gratiam suam, nisi exhiberetur sibi obsequium magis gratum, quam offensa inimici displicuisset: tale obsequium est Christi passio, vel meritum eius; ergo omnis gratia data et danda omnibus hominibus descendit ex meritis passionis Christi, et propterea eadem passione salutifera sumus liberati a peccatis.

RESPONDEO dicendum, per Christi passionem esse nos liberatos a peccatis, non solum quae fecimus per nostram aut alienam voluntatem, in cuius potestate erat sumere pro se et pro aliis iustitiam originalem, verum etiam ab aliis peccatis quae patravissemus, nisi gratia Christi Mediatoris fuisset auxiliata. Declaratur *prima solutionis pars:* siquidem [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 2. seqq.] intuitu meritorum Christi aliquando exhibendorum Deus post lapsum providit de remedio, quo originalis morbus in hominibus curaretur, et salute potirentur aeterna; eiusmodi remedium fuit gratia, quam largiebatur in statu Legis naturae credentibus in Mediatorem venturum, vel applicantibus cultum externum sacrificiorum, aut quid simile; et adhibentibus Circumcisionem pro lege Mosayca, qui actum fidei in Mediatorem habere non valebant. Et post adventum ipsius passionemque exhibitam largiorem dat gratiam rite suscipientibus Sacramenta, quae ab eius passione ut a causa meritoria efficaciam mutuaverunt, in tantum ut infallibiliter detur gratia a Deo iis, qui, ut par est, illis utuntur signis ad salutem, nempe baptismalis, seu prima ad delendum originale, et poenitentialis, sive secunda ad detergenda caetera peccata, quae post Baptismum committuntur. Verissime ergo [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 6 9.] per Christi passionem liberati sumus ab omnibus peccatis, scilicet originali et actualibus, quatenus nobis promeruit gratiam per Sacramenta derivatam, sicuti Deus ex huiusmodi praevisione passionis dedit gratiam antiquis Patribus; quia [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 7.] pro quocumque statu Deus non dereliquit genus humanum malo culpae originalis subiectum sine medicina necessaria ad salutem.

Quod etiam pariter intuitu meritorum passionis Christi simus liberati et liberemur a peccatis, in quae laberemur et non incidimus, *declaratur:* nam [*Oxon.* 4. d. 22. n. 17.] absolute loquendo nullum est peccatum ab aliquo commissum, quod ab alio pariter homine non possit patrari, vel reipsa, vel in corde; quod ergo ea non cummittantur peccata ab hominibus, ex supernaturali auxilio divinae gratiae est: sed omne Dei donum in ordine ad finem supernaturalem collatum, intuitu meritorum Christi confertur vel praevisorum, vel exhibitorum; igitur ab omnibus peccatis, in quae incidere poteramus, et non lapsi sumus, a gratia elargita ob merita Christi est. *Probatio minoris:* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. n. 2.] *Primo,* quia *de plenitudine eius nos omnes accepimus:* quicquid ergo datur nobis supernaturalium donorum, cuiusmodi est praeservatio a peccatis, a Christo, et per Christum nobis confertur. *Secundo,* [ib. d. 9. n. 7.] sicuti per creationem datum est nobis bonum naturae, ita per redemptionem conferuntur bona gratiae et gloriae: sed [ib. d. 3. q. 1. n. 7.] praeservare a peccatis est maior dignatio divina et gratia, quam remittere et condonare commissa peccata, quia illud fecit, ut non simus Dei inimici, istud vero ut ex inimicis cum eo rursus in gratiam revertamur; ergo si minus donum datur ex meritis passionis Christi multo magis et illud quod est praestantius.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, haud congruum esse ob Christi passionem Deum fecisse homines impeccabiles, sed [*Oxon.* 4. d. 46. q. 4. n. 10.] magis expedire iudicavisse iustos inter reprobos vivere et conversari ad meritum et patientiam ipsorum. Unde Augustinus *in Enchir.*, cap. 11. *Omnipotens,* inquit, *melius iudicavit sinere mala fieri, qui potens est de illis maiora bona elicere.* Permittendo praeterea

culpas et puniendo eas elucet iustitia divina, quod non esset, malis omnibus eliminatis. In hoc ergo sensu non dicimur liberati a peccatis ex meritis passionis Christi, sed revera ab his liberati sumus causaliter et meritorie, quatenus scilicet Christus promeruit, ut Deus per Sacramenta ab se instituta largiretur gratiam, qua liberemur a peccatis omnibus, si, ut oportet, ea Sacramenta a nobis suscepta fuissent.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. per tot.] ea ratione tantum probari Christi passionem non esse causam principalem remissionis peccatorum, quod utique verum et exploratum est, nam solummodo est causa secundaria meritoria; prima vero est Trinitas superexaltata, quae causat et infundit gratiam in animas; eam nihilominus gratiam Christus nobis promeruit de condigno.

Ad tertium dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. — 3. d. 19.] Christi passionem extitisse causam adaequatissimam gratiae promerendae et conferendae membris corporis sui mystici, sed [ib. 4. d. 1. q. 3. n. 2.] consulto et utillime quaedam sensibilia signa instituisse, quae efficaciter significarent gratiam virtute suae passionis donandam iis qui ea signa rite adhibuissent, seu suscepissent: Inde enim primo fit, ut distinguantur et cognoscantur ac mutuo se adiuvent quotquot sunt religionis Christianae, utpote in usu eorum sensibilium signorum convenientes. *Deinde,* [*Oxon.* ib. q. 2. n. 4. seqq.] spe bona repleantur consequendae salutis aeternae, cum certo sciant Deum assistere illis signis ad causandam gratiam, si ex parte ipsorum nihil eorum quae necessaria sunt omissum fuerit.

Ad quartum dico, declaratum esse *in secunda parte solutionis* neminem sine dono et gratia Dei posse se praeservare ne labatur in peccata eadem quae alius commisit; dona autem omnia in membra corporis mystici descendere a capite Christo: — *Et cum dicitur:* is, qui non vult peccare, vel occasiones peccandi evitat, non recogitat de Christi passione, nec suscipit Sacramenta; *concedo,* [*Oxon.* 4. d. 1. n. 2.-4.] sed tamen gratiam illam qua praevenitur, ut sentiat ac incumbat iis, quae suam aeternam concernunt salutem, vel ordinantur ad illam, intuitu meritorum Christi se esse consequutum; neque posse nostrum arbitrium (quod ad *aliam partem probationis* spectat) [*Oxon.* ib. d. 46. q. 3.] viribus propriis praeservare se a peccatis, quia vires sibi a principio inditae sunt valde attenuatae et labefactatae ob Adae peccatum; neque per hoc necessario peccat, quia procul dubio non peccaret, sed potius in culpas incidit volens, quia non tenetur supra id quod potest; igitur valeret non peccare; et quia propriis viribus nequit resistere naturae ad malum inclinatae et diabolo provocanti, eam potentiam resistendi et non peccandi a gratia est praeveniente, adiuvante, et cooperante libero arbitrio.

ARTICULUS II.

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS LIBERATI A POTESTATE DIABOLI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 47. *q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 49. *a.* 2.

Videtur genus humanum non esse liberatum a potestate diaboli per passionem Christi. Nam diabolus dominatur hominibus, quatenus

per culpam ultro illi se subiiciunt: sed post passionem Christi peccare homines non cessant; igitur nec desierunt esse sub diaboli potestate, et consequenter diabolus non amisit dominium super homines per Christi passionem et mortem.

2. PRAETEREA. Si diabolus desiisset dominari hominibus per Christi passionem, id profecto alia ratione non esset, nisi quia ob Christi mortem datur gratia hominibus, qua possunt vel mundari a peccatis, vel eadem praecavere peccata: sed etiam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 2.] ante Christi passionem dabatur gratia a Deo antiquis Patribus per Christi passionem praevisam, sicuti confertur per Sacramenta post eius exhibitionem; ergo vel numquam diabolus dominabatur hominibus, vel etiam post Christi passionem suum principatum non amisit.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 34. n. 4] Exhibita iam Christi passione daemones non desistunt vexare homines corporaliter, ut manifestum est in obsessis et maleficiatis, et etiam tentare spiritualiter, ut inducant ipsos ad peccandum; ergo nihil potestatis fuit eis ademptum super homines per Christi passionem, sed eamdem quam habebant olim exercent post Christi passionem et mortem.

CONTRA. *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Ioann., 1. sed [*Oxon.* 2. d. 27. n. 3] gratia formaliter dividit in filios regni et perditionis, ex August., 15. *De Civit.*, cap. 18.; igitur per gratiam quae confertur nobis ex meritis Christi erepti sumus de diaboli potestate, et restituti pristinae libertati filiorum Dei.

RESPONDEO dicendum, revera per Christi passionem et mortem esse nos erutos de potestate diaboli; nam quoniam primus homo sua sponte peccavit, pariter omnes eius posteri peccaverunt in illo transgrediente Dei mandatum; sicut ergo [*Oxon.* 3. d. 20. n. 6.] Adam peccando voluntarie se diabolo subiecit, ita pariter illius subiecti facti sunt omnes ab illo descendentes: sed ab hac subiectione ac turpi servitute nos liberavit Christi passio, qua devictus ipse diabolus fuit et deiectus ab iniusto hominum principatu; siquidem intuitu meritorum Christi passionis Deus largitur gratiam, qua, deleto originali peccato, in pristinam libertatem unde exciderамus restituimur. — *Rursus* ex illa prima transgressione voluntatis humanae vires vehementer attenuatae erant, ut proinde liberum arbitrium non sit sufficiens de se ad praecavenda peccata, ex quo fit ut passim offendamus, et transgrediamur Dei mandata, etiam post Baptismum sub diaboli potestatem ruentes; sed praesto est, et ad manus, ut ita dicam, remedium vindicandi se ab illius servitute, nempe Sacramentum Poenitentiae a Christo institutum, et ab illius passione efficaciam habens: liberati itaque sumus a potestate diaboli, cui subdebamur, tum per peccatum originale, tum per actualia. — *Ulterius,* [*Oxon.* 3. d. 47. q. 1. n. 8.] a Christi morte fuit ipsius malitia coercita, nec permissus, ut antea, mundi principatum gerere, quod significavit Salvator illis verbis, Ioann., 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Per principem mundi diabolum intelligens, [*Oxon.* d. 34.] qui ante adventum Christi tyrannice mundo principabatur, quocumque illi libuisset homines abducens, ac in omnem malitiam impellens, sed nunc, inquit Salvator, *iudicium est mundi,* idest iudicium liberans mundum de manu diaboli per Christi mortem, et quia usque ad Christi passionem iniuste detinebat homines sub imperio, ideo iuste amisit eam quam super homines exercebat potestatem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, declaratum fuisse *art. praec.* qualiter Christus non destruxit culpam nisi causaliter et meritorie; sed nec oportuisse proinde omnem malitiam tolli de medio, et ad ostensionem iustitiae divinae, et ad augenda merita bonorum: tamen omnes habent parata remedia ex Christi passione liberandi seipsos a diaboli potestate.

AD SECUNDUM respondeo, ante Christi passionem datam fuisse gratiam credentibus in Mediatorem futurum, sed non tantam, quantam per Sacramenta rite suscepta recipimus: sicuti [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] enim Lex Evangelica est perfectior Lege Mosayca, (Deus enim ordinate agens procedit de imperfecto ad perfectum) sic requirebat perfectiora adiutoria ad sui observantiam; et ita Lex Evangelica debebat habere Sacramenta, quibus largior gratia nobis donaretur. *Rursus,* [*Oxon.* ib. n. 9. seqq.] licet Sacramenta fuerint instituta a Christo vivente, minorem nihilominus habuerunt efficaciam ante Christi passionem, nec iis pro tunc utentibus perinde conferebant gratiam, sicuti post exhibitam passionem, quia erant instituta ut habitura principalem efficaciam post mortem Christi; et iuste Deus maius bonum retribuit pro obsequio iam exhibito, quam pro eodem tantum praeviso. Ex quibus manifeste patet qualiter per passionem Christi exhibitam depulsus sit per iustam sententiam a principatu tyrannico diabolus, per obsequium et pretium iam exhibitum, non vero per ipsum tantum praevisum; etsi enim ante eius mortem gratiam Dei adepti per fidem Mediatoris revera essent filii Dei, nihilominus longe lateque per mundum idololatria grassante, diabolus mundo principabatur, nec erat eius malitia coercita sicuti est nunc per merita passionis Christi iam repraesentatae.

AD TERTIUM concedo [*Oxon.* 4. d. 34. n. 4.] Deum interdum permittere diabolum corporaliter vexare homines, vel eos ab aliquibus officiis impedire in quae alias possent, idque evenire vel propter peccata eorum, vel propter aliam causam occultam; id tamen nihil detrahere efficaciae passionis Christi, ob cuius merita deiectus est diabolus de mundi principatu: Parata enim [*Oxon.* 4. d. 24. n. 7.] in Ecclesia Christi sunt omnia, quibus diaboli rabies et vis retunditur. Siquidem est spiritualis potestas eos expellendi ab iis, qui corporaliter vexantur opera daemonum pessimorum iusta Dei permissione, et confertur suscipientibus ordinem exorcistatus: pro tentationibus vero est gratia Christi, quae confertur per sacramenta, et oratio et potissimum Dei benignitas et fidelitas, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus.

ARTICULUS III.

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI HOMINES SINT LIBERATI A POENA PECCATI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 14. *q.* 1. *et* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 49. *a.* 3.

VIDETUR homines non esse liberatos a poena peccati per passionem Christi. Nam [*Oxon.* 2. d. 19. n. 1.] peccati poena est mors, iuxta illud *ad Roman.*, 5. *Mors per unum hominem intravit in omnes:* et cap. 8. *Corpus propter peccatum mortuum est:* sed mors grassatur super homines

post passionem Christi ut ante passionem; ergo per ipsam non sumus liberati a poena peccati.

2. PRAETEREA. Si per mortem Christi fuissemus liberati a poena peccati, hoc non alia ratione esset, nisi quia mediante passione satisfecisset pro iis poenis, quae peccato debitae fuerunt: sed hoc est falsum. *Et probatur;* quia [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 8. seqq.] etiam ipsos peccantes oportet conteri et poenitere de commissis peccatis, ad hoc ut a Deo veniam impetrent; igitur non per Christum, sed per proprios actus poenitentiales liberamur a poena peccati.

CONTRA. Ioann., 1. *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Quod si per factam gratiam liberati sumus a peccatis, quibus mediantibus sub potestate diaboli eramus, et peccatis debebatur aeternum supplicium, profecto liberati etiam sumus a poena peccati. Et hoc est, [*Oxon.* 3. d. 19. n. 1.] quod dicit Leo Papa in Sermone *De Nativit.: Ut a reatu nullum liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.*

RESPONDEO dicendum, per Christi passionem nos liberatos esse a poena peccati. *Et declaratur:* cum enim fecisset Deus hominem liberum, adeo ut posset peccare et non peccare, dedit ei legem pro quocumque statu, qua servata gratiam suam consequeretur ad salutem: sed [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 7.] quoniam plerumque accidit ut homines Legem Dei transgredientes peccent, transeunte illo actu, superest in anima peccantis ordinatio ad poenam (quae pro multiplicitate peccatorum augetur, ut gloria crescit ad augmentum meritorum); ut est ipsi animae disconveniens, eius macula dicitur; ut vero est formaliter obligatio ad illam poenam, dicitur reatus; quatenus denique respicit voluntatem divinam, per cuius actum peccans ordinatur ad talem poenam, dicitur Dei offensa, vel irasci in Deo; igitur nihil aliud est Deum esse iratum vel offensum, quam ipsum velle vindicare peccatum commissum contra Legem suam. Posito itaque quocumque peccato, Deus vult vindicare in peccante et iuste punire, adeoque post peccatum commissum ad ipsius deletionem requiritur aliqua punitio in acceptatione divina; poena enim [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 9.] est ordinativa culpae, ut inquit Boëtius, 4. *De Consolat., Prosa* 4.: taliter ut non possit relinqui in universo aliqua culpa, cui non correspondeat poena ordinativa regulariter loquendo; nam Deo non est impossibile remittere culpam sine poena. — Ad propositum, peccato cuilibet mortali iuste correspondet poena aeterna; peccans enim [*Oxon.* 4. d. 46. q. 4. n. 20.] mortaliter exponit se periculo persistendi semper in eo peccato; nam propriis viribus de eo statu non potest surgere, sed per auxilium tantum gratiae Dei. Quandoquidem igitur merita passionis Christi talia et tanta sint, ut per ipsa Deus instituerit Sacramenta, et praesertim [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 9.] Baptismum, in quo principaliter deletur peccatum originale, et omnia alia si contingeret baptizatum illis obnoxium reperiri, quoad culpam et poenam; et Sacramentum Poenitentiae in quo per Iudicis sententiam commutatur poena aeterna debita peccato mortali in poenam temporalem, idque, ut dictum est, per merita passionis Christi, quae longe maiora fuere, quam sint demeritoria omnia mundi peccata, manifestum est nos per Christi passionem causaliter et meritorie fuisse liberatos, non solum a peccatis, verum etiam a poenis peccatorum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 2. d. 21. q. 2. n. 3.] mortem non eo sensu esse poenam peccati, quasi homines ante peccatum

vel si non peccassent fuerint ab intrinseco immortales; quia si ipse Adam in innocentiae statu perseverasset, adhuc habuisset intrinsecam potentiam et causam moriendi; in tantum enim mors est poena peccati, quia ob peccatum fuit illa potentia reducta ad actum; sed ab ea poena Christus nos non liberavit, quia post lapsum opus erat viatoribus per poenas et passiones tendere ad Patriam caelestem. Cum igitur [*Oxon.* ib. d. 21. q. 1. n. 13.] mors voluntarie accepta possit esse multum meritoria et satisfactoria pro peccatis, hinc nos non oportuit ab illa poena liberari per Christi passionem, ut quemadmodum caput ipsum Christus mortuus fuit pro membris sui corporis mystici, ita et ipsa membra eamdem mortis conditionem subirent pro seipsis.

Ad secundum, declaratum fuit *in solutione* qua ratione per merita Christi et mortem liberati sumus a poena peccati. — *Et cum dicitur:* peccantes debent de peccatis poenitere et solvere poenas ut dimittantur; igitur non fecit nos immunes a poenis peccatorum; *nego consequentiam:* quia [*Oxon.* ib. d. 14. q. 1. n. 9.-18.] quamquam Deus sine ulla propria poena posset remittere peccata hominibus, vel intuitu meritorum Christi, vel ex sua iustissima voluntate, regulariter tamen, [*Oxon.* ib. d. 15. q. 1. n. 6. seq.] iuxta nimirum leges ordinatas a sapientia divina, non remittit peccatum mortale sine displicentia peccatoris de ipso; et iustissime quidem, quia sicut peccatum avertit a fine et convertit ad creaturam, ita iustum est ipsum non deleri nisi per motum oppositum avertentem a peccato sive a creatura, circa quam fuit peccatum, et convertentem ad Deum, cui fuit iniuria illata. Tamen et hoc est ex gratia Dei collata nobis per passionem Christi. Ab eo igitur est omnis nostra liberatio a peccato, a diabolo, et a poena debita peccatis.

ARTICULUS IV.

UTRUM PER PASSIONEM CHRISTI SIMUS DEO RECONCILIATI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 29. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 49. *a.* 4.

Videtur non esse nos Deo reconciliatos per Christi passionem. Nam [*Quodlib.* q. 20. n. 21.] passio Christi peracta fuit per Iudaeos necem illi inferentes, quatenus per calumnias et imposturas ita fieri oportere Pilato persuaserunt: sed ita facientes gravissime Deum offenderunt; ergo per Christi passionem non fuit reconciliatum Deo genus humanum, cum exinde potiorem habuerit Deus occasionem ulciscendi, et puniendi homines.

2. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 7.] Trinitas disposuit dare generi humano Christum, qui foret ei acceptissimus et dilectissimus, non id exigentibus hominum meritis, sed de infinita sui misericordia; ergo non oportuit intervenire Christi passionem ad effectum reconciliandi humanum genus Deo. *Probatio consequentiae:* nam si Trinitas dedit hominibus Christum, qui est homo et Deus, profecto nihil excellentius dare potuit; igitur independenter ab eius passione erat genus humanum Deo reconciliatum, quippe cui adeo sublimia dona largiri ex sui immensa charitate voluit.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 20. n. 2.] Anselmus, 2. *Cur Deus homo,* c. 15.: *Ecce vides quomodo non potest homo salute aeterna potiri, nisi per hominem, qui idem sit et Deus, atque morte sua Deo homines peccatores reconciliet.* Igitur sumus reconciliati Deo per mortem Christi.

RESPONDEO dicendum, per Christi mortem esse nos Deo reconciliatos; Deus enim [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 7.] disposuit non sibi reconciliare hominum genus factum propria voluntate sibi inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quam hominis offensa sibi fuisset displicens: [*Oxon.* ib. d. 19. n. 6.] tale autem obsequium et sacrificium non potuit ab alio quopiam praestari et offerri nisi a Christo offerente seipsum ex charitate in mortem. Cum igitur taliter de facto ipse se gesserit, fueritque eius oblatio et obsequium acceptatum, vere per eius passionem sumus Deo reconciliati, ut intuitu meritorum eius detur nobis omnis gratia, quam habemus, et gloria.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, revera Iudaeos crucifigentes Christum gravissime Deum offendisse; sed quia [*Report.* 3. d. 20. n. 12.] Christi oblatio Patri in Cruce facta gratior et acceptior Deo fuit, quam Iudaeorum offensa ei displicuisset, pro ipsis quoque satisfecit et pro omnibus aliis peccatis mundi, adeo ut nullum sit peccatum factum aut faciendum, quod Deus remittere non sit paratus, aut dare gratiam et salvare peccatores recuset, ob passionem Filii sui, de quo scriptum est in Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio.*

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 8.] Trinitatem dedisse Christum generi humano ex infinita charitate, non quia iam fuerit ei reconciliata, sed ut reconciliaretur per obsequium sibi exhibendum a Christo pro ipsis hominibus. Nam nisi id intervenisset, haud divinae iustitiae satisfactum esset. Porro adeo sublime opus cuiusmodi est reparatio hominis peragendum erat ex misericordia et iustitia, adeoque quod non potuit humanum genus ex se dare, de misericordia infinita descendit, scilicet Incarnatio Filii sui; et quod valuit Christus rependere et sustinere, totum iustitia exegit ab ipso, quo facto sequuta est per Mediatorem reconciliatio generis humani cum Deo, ut expositum est.

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTUS SUA PASSIONE APERUIT NOBIS IANUAM CAELI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 49. *art.* 5.

VIDETUR passio Christi exhibita non aperuisse nobis ianuam Caeli. Nam [*Oxon.* 3. d. 19. n. 8.] quod fuerit clausa, vel erat ex peccato originali, vel propter uniuscuiusque propria peccata. Si ob originale claudebatur; igitur B. Virgini, quae fuit immunis a peccato originali, patuisset ianua Caeli, si ante Filii passionem ex vita excessisset. Si vero ut fuerit clausa alia peccata in causa fuerunt; igitur quoniam ante Christi Passionem extiterunt plures insigniter Sancti, ut Abraham, Hieremias, Ioannes Baptista, aliique plures, istis sanctificatis ob merita Christi praevisa, non debuit fuisse clausa ianua Caeli.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 2.] In Circumcisione conferebatur gratia deletiva culpae originalis subiicienti se illi ex opere operato,

non secus ac per Baptismum, quia alioquin fuisset Lex Moysis data sine remedio necessario ad salutem, et quidem dabatur intuitu meritorum futuri Mediatoris; ergo iis, qui iam sanctificati ex Circumcisione mox decedebant, oportuit ianuam Caeli patuisse, quia alias indebite detenti fuissent extra Paradisum, qui non habebant demeritum ut interim inde arcerentur.

3. PRAETEREA. Ex dictis, *q.* 39. *art.* 5. cum Salvator a Ioanne baptizaretur convenienter Caelum apertum fuit: sed ipse non parum antequam pateretur a Ioanne baptizari voluit; ergo non Christi passio, sed potius eius Baptisma ianuam Caeli aperuit.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 19. n. 10.] Anselmus, 2. *Cur Deus homo*, cap. 16. *Nulla anima ante mortem Christi Paradisum caelestem ingredi potuit;* ergo Caeli ianua adaperta est per Christi passionem.

RESPONDEO dicendum, Christum per mortem suam exhibitam, et non per praevisam, aperuisse nobis ianuam Caeli ad eam horam omnibus clausam. Universi enim [*Oxon.* ib. n. 11.] maximum bonum, ad quod ordinatur meritum ut ad praemium, non debet conferri ante meritum exhibitum et repraesentatum: summum autem bonum, ad quod ordinatur meritum Christi respectu eorum pro quibus meruit, est ingressus in Paradisum, cuius habitatores perfruuntur gloria caelesti Deum intuentes sicuti est; igitur non debebat dari alicui ante passionem exhibitam, licet alioquin pro eadem praevisa dabatur gratia et remittebatur offensa iis, qui in Mediatorem credidissent. Gratia igitur [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 9.] quae conferebatur virtute passionis Christi praevisae non dabatur ut efficax ad finem gratiae, scilicet ad beatitudinem mox consequendam, quamtumvis magna esset, et ideo nunc decedenti in minima gratia, ut evenit parvulis nuper baptizatis, est ianua Caeli aperta, quia iam est meritum penitus repraesentatum et exhibitum, et ideo absque mora redditur praemium optatum pretio iam persoluto, quod antiquis Patribus, quamtumvis meritis, et gratia praeditis, datum non fuit; quia tunc gratia non conferebatur illis ut efficax ad eum finem consequendum; et ideo Circumcisio non aperuit ianuam, sed Baptismus, idest Christi passio, a qua eius Sacramenta efficaciam acceperunt. Fuit itaque [*Oxon.* 3. d. 19. n. 8.-11.] Christus omnimoda causa aperitionis ianuae Caeli, adeo ut nemo ad id sibi cooperatus sit, quia solus pretium nostrae redemptionis persolvit; sed tamen exceptis parvulis in Christo renatis, nemo ingreditur in Caelum nisi cooperetur et recte utatur ea gratia, quam sibi meruit Christus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 8. — 4. d. 2. q. 1. n. 9.] nec B. Virginem, nec aliquem alium antiquorum Patrum potuisse amovere obstaculum, et recludere ianuam Caeli, sed praecise id fuisse possibile Christo per suam passionem, seu illud obstaculum fuerit peccatum originale, sive aliquid aliud. Quia, ut dictum est, quamvis illis daretur magna gratia, nihilominus gratia illa ante Christi passionem non habebat eam efficaciam in ordine ad finem consequendum, quam habet post, Christo iam sua passione defuncto, qui finis est gloria caelestis. Quemadmodum igitur antiqui Patres expectabant in limbo adventum Redemptoris et Mediatoris, quo una secum in Paradisum deducerentur, ita evenisset B. Virgini si ante Filium suum e vivis abire contigisset.

AD SECUNDUM concedo, [*Report.* 4. d. 2. q. 1. n. 9.] per Circumcisionem datam fuisse gratiam ex opere operato ut in Baptismo confertur,

sed tamen illam non habuisse eam quam habet efficaciam gratia baptismalis, ut declaratum fuit.

AD TERTIUM dico, aperitionem Caeli cum Christus Baptisma Ioannis susciperet, quid symbolicum fuisse; nam quae repraesentabantur in eo significabant gerenda in suscipientibus Christi Baptismum. Quoniam igitur [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 9] ex efficacia Christi passionis Caeli ianua patet iis, qui in Christo per lavacrum baptismale renascuntur, ideo recte cum Salvator baptizaretur Caelum apertum est. Sed videnda *q.* 39. *citata.*

ARTICULUS VI.

UTRUM CHRISTUS PER SUAM PASSIONEM MERUERIT EXALTARI.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 49. *a.* 6.

VIDETUR Christus per suam passionem haud meruisse exaltari. Nam ex dictis *q.* 34. *art.* 3. Christus in primo suae conceptionis instanti meritum habere coepit, quandoquidem ipse tunc habuerit quicquid ad merendum est necessario requisitum, et potissimum summam charitatem, quae est ratio ut sint coram Deo accepta et meritoria opera nostra; ergo in passione nequiit habuisse maiorem charitatem, quia [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2. per tot.] summa gratia fuit ab initio repletus, ac subinde vel exaltari meruit ab initio suae conceptionis per charitatem, vel ipsius exaltatio non cadit sub merito, sed gratis est illi attributa sublimitas ut caetera dona; ergo haud meruisse potuit exaltari per suam passionem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 13. n. 5.] Gloria in corporibus Beatorum ab anima est: sed animae gloriam Christus gratis accepit; eam enim sibi mereri nequaquam potuit, ut declaratum fuit *q.* 19. *art.* 3. *iterum repetito;* ergo neque per passionem meruit gloriam corporis, qua exaltaretur vel glorificaretur.

CONTRA. Ex 3. *art. quaest.* 19. *cit.* Christus sua passione meruit ut amoveretur obstaculum, quo gloria animae impediebatur ne redundaret in corpus; ergo meruit exaltari et glorificari secundum corpus per eam quam pertulit passionem.

RESPONDEO dicendum, sua passione Christum meruisse exaltari; nam quamvis unio hypostatica et fruitio dimanans a summa charitate sub Christi meritis cadere non potuerint, nihilominus corporis gloriam et impassibilitatem et exaltationem promeruit summa humilitate, abiectione, et dirissima passione et morte, indirecte tamen, ut declaratum est *citat. q.* 19. Etenim [*Report.* 3. d. 18. q. 1. n. 16.] propterea quod talia gesserit et perpessus sit, ut adimpleretur beneplacitum divinum, non amplius moriturus a mortuis resurrexit. Devicta igitur morte, non impediebatur amplius gloria animae, ne pariter gloriosum redderet et corpus. Defunctus itaque passione adeptus est Christus gloriam corporis et impassibilitatem, successive ascendit ad Caelum, sedet ad dexteram Dei, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Eximia itaque [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 1.] et inenarrabilis fuit Christi exaltatio propter passionem et mortem. Unde Iob., 36. scribitur: *Causa tua quasi impii iudicata est* (a Pilato scilicet secundum Glossam), *ideo causam, iudiciumque recipies.* Et [ib. n. 2.]

Apostolus ad Roman., 14. *Ideo,* inquit, *Christus mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur.* Adscribit itaque resurrectionem et exaltationem Christi eius morti et passioni. In eadem sententia pariter loquitur ad Philippenses, 2. *Humiliavit semetipsum,* etc. Et Lucae, 24. *Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.*

Ad Argumenta. Ad primum respondeo sic: [*Oxon.* 3. d. 18. n. 16.] potissima ratio meriti est revera in actu voluntatis a virtute et charitate elicitus secundum affectionem iustitiae; et quia voluntas Christi in primo suae conceptionis instanti ex obedientia et charitate acceptavit se passionem et mortem subiturum, etsi ea apprime affectioni commodi disconvenirent, habuit quoque meritum suae passionis postea sequuturae; nihilominus [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 9.] sicuti maiorem efficaciam habuerunt ea merita respectu corporis mystici post ipsius passionis exhibitionem, quam antea (nam exhibita ianuam Caeli aperuit, et uberiorem gratiam contulerunt Sacramenta), ita pariter in ordine ad corpus ipsius fieri oportebat; nam quoniam ei moriendum erat, gloria animae non processit ad glorificandum corpus; et quia passus et mortuus est, dignum et iustum fuit, ut exinde gloriosum corpus esset per ablationem impedimenti et immortale; et hoc sub meritis passionis cadebat, quia ea glorificatio et impassibilitas sequi non poterat nisi post passionem. Sed [*Report.* 3. d. 18. q. 1. n. 16.] quia gloria de se a principio in corpus redundasset, directe eam nequivit promereri, sed indirecte tamen meruit, quatenus per passionem desiit miraculum, quo gloria corporis impediebatur, ad quam deinde corporis glorificationem sequuta est omnis Christi exaltatio.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 3. d. 18. n. 15.] tali ratione probari, quod statim dictum est, scilicet voluntatem animae Christi directe promereri non potuisse gloriam sui corporis et impassibilitatem, sicuti nec gloriam et fruitionem animae, sed solummodo indirecte, quatenus meruit ut suspenderetur miraculum, per quod corpus animae gloriosae erat passibile et mortale. Glorificato autem Christi corpore, sequuta est omnis eiusdem exaltatio tamquam iuxta retributio humiliationis et passionis ipsius, ut dictum est.

QUAESTIO QUINQUAGESIMA.

DE MORTE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de morte Christi.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum conveniens fuerit Christum mori. - 2. Utrum per mortem Christi fuerit separata Divinitas a carne. - 3. Utrum separata fuerit Divinitas ab anima. 4. Utrum Christus in triduo mortis fuerit homo. - 5. Utrum corpus eius fuerit idem numero vivum et mortuum. - 6. Utrum mors eius sit aliquid operata ad nostram salutem.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM MORI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 20. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 50. *a.* 1.

VIDETUR haud conveniens fuisse Christum mori. Nam, iuxta dicta *q.* 14. *art.* 4. conveniens minime fuit Christum in se admisisse corporales infirmitates et morbos, quibus passim afficiuntur et demum ad mortem perducuntur homines; ergo multo minus congruum fuit ipsum mortem subire, quae ad ipsos morbos regulariter sequitur.

2. PRAETEREA. Minus convenienter id quod est poena infligitur ei, qui caret ea culpa cui correspondet talis poena: sed [*Oxon.* 2. d. 19. n. 7.] mors est poena peccati, ut diserte scribit Apostolus ad Romanos, 5. et 8.; ergo incongrue eam subivit Christus, qui nullum potuit habere peccatum.

3. PRAETEREA. Non potest convenienter tribui non *esse* ei, a quo est omne id quod habet *esse:* sed [*Oxon.* 3. d. 11. q. 2. n. 2.] a Christo habet esse quicquid est, secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 4. dicentem: *iste puer creavit stellas;* ergo non possumus recte Christo tribuere mortem, quia [*Oxon.* ib. q. 1. n. 3.] *mors dicit non esse post esse, et vivere viventibus est esse,* secundum Philosophum, 2. *De anima,* cap. 3. ac proinde si Christus mortuus fuit, id minus convenienter gestum esse videtur.

CONTRA. [*Miscell.* qq. q. 6. n. 7.] Ioann., 11.: *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat:* sed hoc dixit in concilio Caiphas spiritu prophetico afflatus, etsi interim ipse nesciret, quid Deus per os eius significare vellet; ergo conveniens fuit Christum mori.

RESPONDEO dicendum, Christum subire mortem conveniens fuisse, et potissimum propter duo: *primo* quidem [*Oxon.* 3. d. 20. n. 10.] ad ostendendam vim summae dilectionis, qua diligebat Deum et homines propter Deum, eaque satisfieret laesae Maiestati divinae, et genus redimeretur humanum. Morte itaque sua Christus patefecit quanta, qualique charitatis flamma cor suum erga Deum exardesceret, ut libentissime subinde acceptaverit dirissimam mortem perpeti. Ex summa itaque charitate erga Deum eximie quoque Christus dilexit nos; et tanta porro

Christi dilectio et amor erat, ut ipse amans, in attingendo vel acceptando, vel appreciando, et quiescendo in amato, verius esset ipsum amatum, quam amans; id enim efficere solet ardentissimus amor, ut compellat exire, vique rapiat amantem, ut in re amata quiescat, et suum esse parvipendat in comparatione ad amatum. Et sane tantopere ex Dei amore et hominum Christus sese parvipependit, ut humiliaverit se usque ad perferendam ignominiam Crucis. Summam ergo et extremam oportuit eius dilectionem extitisse, ut summa fuit eius humiliatio et exinanitio propter homines. Quod et ipse Salvator egregie declaravit dicens, Ioann., 5.: *Maiorem hac dilectione nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quia igitur non fuit aliud aliquod opus citra mortem, quo melius et significantius declararetur dilectio et immensa charitas Christi, qua diligebat Deum et homines, convenientissimum fuit ipsum animam ponere pro iis quos diligebat, ut saltem hoc excellentissimo argumento charitatis, provocarentur homines ad rependendum amorem pro viribus tam impense eos amanti, praesertim cum aliis viis et modis homines redimere valeret citra mortem, et nihilominus omnibus praeferre voluit illum quo animam poneret pro nobis, ut omnia quae possibiliter poterant fieri, et profutura videbantur ad salutem, largissime praestaret. — *Secundo,* [*Report.* 3. d. 31. n. 1. seqq.] conveniens fuit Christum mortem perpeti ad declarandam veritatem sui corporis; ei enim morte semel inflicta nulla superesse potuit, ne ad apparentiam quidem, ratio aut occasio dubitandi vera non esse quae pertulisse sacrae Literae testabantur, sicuti nemo ambigit vere esse homines qui interficiuntur, aut alia ratione moriuntur. Assumpsit ergo ipse, et pertulit exuriem, sitim, laborem, dolorem, lacrymas, agoniam, timorem et alia huiusmodi, quibus inter alia veritatem sui corporis declararet, se fuisse verum hominem similem per omnia nobis, excepto peccato, illasque passiones extitisse veras, vereque ipsius naturam humanam consequentes, morte, idest separatione animae a corpore, tamquam ineluctabili argumento comprobatum est; conveniens igitur fuit Christum mori.

Ad Argumenta. Ad primum dicendum, utique Christum non assumpsisse eos defectus, qui eum dedecebant, uti sunt morbi, infirmitates et alia id genus, in quae incidunt homines vel ex naturae imbecillitate, vel ex intemperantia, et inordinato regimine vitae, quae causae locum habere non poterant in Christo. At voluntariam mortem subiisse conveniens et necessarium fuit hominum redemptioni; supposita praesertim divinae Providentiae dispositione, ad quam proinde non pervenit morborum asperitate, ne videretur necessario succubuisse morti, sed opera pravorum hominum extrinsecus mortem inferentium.

Ad secundum respondeo, mortem non potuisse esse Christo in poenam, aut peccati sequelam, declaratum esse *q.* 31. *art.* 7. Fuit igitur ab ipso voluntarie acceptata ut per eam satisfieret Deo pro nobis, qui eam satisfactionem exhibere non possumus; redderetque ipsum placatum generi humano, ut frequenter dictum est.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 3. d. 11. n. 1. seqq.] eodem modo quo Damascenus attribuit virtutem creativam Christo secundum humanitatem, ita pariter concedit ipsum mortuum secundum Deitatem; sed tamen sicut intrinsece repugnat Christi humanitati infinitas, quae est principium creandi, ita est incompossibilis Deitati finitas, per quam corpus Christi erat passi-

bile et mortale. Dumtaxat igitur Christus per humanitatem est Creator, quatenus illa mirabili unione vicissim communicantur praedicata extremorum sic unitorum, et ita pariter Christus secundum quod Deus est mortuus, et esse desiit; sed veraciter mortuus est secundum naturam humanam, et quidem convenientissime, ut declaratum fuit.

ARTICULUS II.

UTRUM PER MORTEM FUERIT SEPARATA DIVINITAS A CARNE.

Doct., Oxon. 3. *d.* 21. *et* 22. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 50. *a.* 2.

VIDETUR caro Christi fuisse a Divinitate separata in morte eius. Nam [*Oxon.* 3. d. 22. n. 1.-21.] omne suppositum subsistens in natura creata potest ab illa denominationem accipere; igitur si in morte Christi caro adhuc uniebatur Verbo, potuisset ab ea denominari: sed non fuit tunc a carne denominatum, quia non potuit dici Verbi corpus, nec corporeum, nec caro, vel carneum; *caro* enim denominat individuum, cuius *caro* est universale abstractum; *carneum* autem non denominat nisi concurrente toto, cuius caro nata est esse pars, scilicet natura humana; oportet igitur in Christi morte fuisse Divinitatem separatam a carne.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2. n. 1.] Si in morte non fuisset separata Divinitas a carne, videretur Divinitas de novo carnem assumpsisse: non est autem verisimile tunc in morte factam fuisse novam carnis assumptionem; ergo ipsa caro fuit dimissa. *Probatur sequela:* nam in morte non erat natura illa totius, quae immediate assumebatur, ex *q.* 6. *art.* 13. alias Christus non fuisset mortuus; igitur quoniam partes in vita non uniebantur immediate Verbo, sed mediante natura totius, si in morte non fuissent separatae, oportuisset eas novo miraculo novaque assumptione esse Verbo unitas: ponere autem in hoc mysterio novam partium assumptionem videtur absurdum.

3. PRAETEREA. Dei Verbum carnem assumpsit mediante anima, ex dictis *q.* 6. *art.* 1. Sed in morte Christi separata fuit anima a corpore; id enim est corpus mortuum esse; ergo pariter separata fuit Divinitas a carne, cum sublatum fuerit medium per quod ipsa caro Divinitati uniebatur.

CONTRA. Damascenus, lib. 2. c. 27. *Et quamquam mortuus est, ut homo, et sancta eius anima ab incontaminato separata corpore: non tamen Divinitas ab utroque separata remansit ab anima, inquam, et corpore.*

RESPONDEO dicendum, in morte Christi non fuisse separatam Divinitatem ab incontaminata carne eius. Etenim [*Oxon.* 3. d. 2. q. 1. n. 11.] secundum Augustinum, 13. *De Trinit.*, c. 19. excellentissima Dei gratia fuit, quod homo in unitate personae sit Deo unitus; ergo licet ille homo revera sit mortuus, et a corpore subinde anima separata, non tamen a Divinitate pariter separatam fuisse sentiendum est. *Primo,* [*Oxon.* 4. d. 46. q. 4. n. 1.] *quia Deo auctore, non fit homo deterior,* ut ait Augustinus, 83. *qq. q.* 3. Deo autem auctore ille homo mortuus est, quia ex obedientia Patris tradidit se morti ob mundi salutem. Si autem ex morte contigisset carnem a Divinitate separari, longe deterior conditio exinde ei obvenisset, quia prius fuisset caro Christi, scilicet Dei et hominis, postea

non extitisset nisi caro hominis; ergo semper mansit Verbo unita caro, non solum nempe in vita, verum etiam in triduo mortis. — *Secundo,* [*Oxon.* 2. d. 27. per tot.] quia longe minores gratias hominibus donatus Deus non revocat nisi ex ingratitudine et demerito provocetur. Et de facto gratiam infusam in Baptismate non annihilat, nisi post commissum peccatum, et recuperatam per Poenitentiam perpetuo conservaret, nisi [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 3.] aliis peccatis homo eo munere indignus redderetur. *Sine Poenitentia enim sunt dona Dei,* ut ait Apostolus ad Roman., 11. Cum igitur Christus nullum demeritum habuerit, nec habere potuerit, consequens est, ut numquam fuerit separata caro a Divinitate, licet ab ipsa carne separaretur anima per mortem.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, potuisse utique suppositum subsistens in corpore inanimato ab eo denominari, si fuissent nomina ad id significandum imposita, sed talia nomina in casu non inveniuntur. Et rationabiliter, [*Oxon.* 3. d. 22. n. 21. seqq.] quia partes quae natae sunt esse partes totius non subsistunt naturaliter sine suo toto cuius sunt partes, cuiusmodi est corpus humanum. Et quidem corpus tale vel caro potest accipi in ultimata abstractione, ut *carneitas,* quo pacto non denominat suppositum proprium nec alienum, quia abstrahit ab omni contractione. Et potest considerari ut abstracta a proprio supposito, ut *caro* ab hac carne individua, et tunc minus est abstrahens, et praedicatur de propriis individuis, quae concernit. *Tertio* tandem accipitur *caro* magis concretive, quatenus scilicet concernit suppositum, cuius pars est, nempe suppositum hominis quod est nata denominare, ut dicatur *carneum.* Et quia caro separata ab anima non est nata denominare proprium suppositum ita nec alienum si alteri supposito uniatur. Verbum igitur in triduo mortis Christi non potuit dici *caro,* quia non erat individuum carnis; nec *carnale;* nam secundum usum loquentium hoc sonat in vitium; nec *carnosum,* quia hoc sonat in superfluum; nec *carneum,* vel *corporeum,* quia non habuit totam naturam sibi unitam. Quomodo ergo potuit tunc Verbum a carne denominari? Dico, sicuti denominaretur subiectum ab accidente, si tantum sustentaret ipsum et ab eo non informaretur, tunc enim non posset dici coloratum vel album, nec habens colorem vel albedinem; ita Verbum, dum a corpore fuit separata anima, non erat corpus vel corporeum, sed tantum habens corpus.

Ad secundum respondeo [*Oxon.* 3. d. 2. q. 2.] ex suppositione quod totum physicum sit quid absolutum a partibus realiter distinctum, ipsum debuit fuisse immediate Verbo unitum et mediante eo partes; separato igitur toto a Divinitate per mortem, partes quae immediate prius Verbo uniebantur remanserunt illi immediate unitae. Si vero totum non sit nisi partes unitae, per separationem eorum non oportuisset eas habere aliam et aliam unionem ad Verbum, ut manifestum est.

Ad tertium dicendum, [*Oxon.* ib. n. 5.] animam respectu talis assumptionis non extitisse nisi medium *quo,* ratio nimirum per quam natura illa fuit assumptibilis speciali illa unione, et personabilis in aliena personalitate; non propterea tamen fuisse medium *quod,* quasi mediante ipsa unita sit ea caro; sed [ib. n. 15.] utramque partem ita immediate esse Verbo unitam, ut essentialiter constituebat hominem. Quod si homo dicat aliquam absolutam entitatem ultra partes unitas, tunc oportuit eas partes Verbo uniri mediante illa entitate totius, ut dictum est. Denique

ea entitate in morte destructa, remansisse ipsi Verbo unitas immediate, seu ea dicatur nova, seu antiqua assumptio; dum enim [*Oxon.* 3. d. 6. q. 1. n. 7.] constat de re, parum curandum de vocibus, iuxta doctrinam *Augustini,* 1. *Retract.*

ARTICULUS III.

UTRUM IN MORTE CHRISTI FUERIT FACTA SEPARATIO DIVINITATIS AB ANIMA.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 16. *q.* 2. *d.* 21. *et* 22. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 50. *art.* 3.

VIDETUR in morte Christi fuisse separata anima a divinitate. Etenim Christus ut homo, secundum dicta *q.* 47. *art.* 1., non habuit potestatem ponendi animam suam a seipso, quia ut homo tenebatur ex charitate diligere et conservare seipsum, adeo ut occisio illius hominis non fuit directe nec indirecte a seipso; igitur [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 1.] Christus ut Deus habebat potestatem ponendi animam suam: sed nisi separasset eam a Divinitate, non intelligeretur habuisse illam potestatem, vel non usus ea fuisset ut Deus: ergo quandoquidem eam habuerit, et de facto in morte animam posuerit, videtur anima a Divinitate fuisse separata.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 22. n. 1 21.] Si in morte anima Christi extitisset unita Verbo; igitur Verbum ab ea denominationem aliquam habere potuisset; suppositum enim subsistens in aliqua natura denominatur ab ipsa: sed nullam potuit Verbum habuisse ab anima Christi a corpore separata denominationem, quia tunc ipsum vel fuisset dictum anima, vel animatum; haec autem non est concedenda, *Verbum est anima,* nec, *Verbum est animatum;* igitur in morte anima Christi fuit a Divinitate separata.

3. PRAETEREA. Si in morte Christi Verbo unitae remanserunt partes essentiales hominis mortui, scilicet anima et corpus, vel illae partes erant praecise existentes, vel subsistentes. Non praecise existentes, quia tunc nihil amplius habuissent quam accidentia, quae existunt. Si subsistentes erant, ergo tunc in Verbo extitissent duae hypostases. Non sunt autem asserendae in Christo duae hypostases, sed una; igitur in triduo mortis erant separatae a Verbo partes hominis.

CONTRA. Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 27.: *Et quamquam anima in morte separata sit ab incontaminato eius corpore, non tamen a Divinitate separata remansit.*

RESPONDEO dicendum animam in morte Christi separatam quidem fuisse a corpore, at a Divinitate nequaquam. Anima enim Christi ab instanti suae creationis habuit summam fruitionem possibilem creari, correspondentem nimirum summae gratiae: summa autem gratia data est animae illi, quia erat hypostatice unita Filio Dei, iuxta illud Ioannis, 1. *Vidimus gloriam eius quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* Si vero in morte fuisset a Divinitate separata, licet potuisset habere de possibili eamdem fruitionem et plenitudinem gratiarum, minime tamen congruum id fuisset. Hinc [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] de

facto parem illi gratiam Deus nulli contulit creaturarum. Vel igitur [*Oxon.* 3. d. 4. q. 5. n. 3.] oportuisset Deum diminuere de donis collatis illi animae, quod sine praecedenti demerito non evenit; *sine poenitentia enim sunt dona Dei*, ut ait Apostolus ad Romanos, 11. Anima autem Christi nequiit ulli demerito fuisse subiecta, praesertim cum separatio illius animae a corpore tanti meriti extiterit, ut Deo offenso potuerit reconciliare genus humanum. Vel si dona collata illi animae dicantur permansisse integra, etiam cum a Divinitate separaretur; igitur non fuit aliqua specialis ratio conferendi summam gratiam et fruitionem ei, propterea quod esset Filio Dei realiter unita. — *Ulterius,* vel illa separatio a Divinitate fuisset nota animae Christi vel ignota. Si secundum; ergo habuit ignorantiam de re futura, et quidem maximam, uti fuisset illa separatio, sicut maxima omnium rerum fuit eius unio. Si autem sciebat a principio; igitur [*Oxon.* 4. d. 49. q. 6. n. 5.] non fuisset perfecte beata et felicissima; nam si beati nossent, vel tantillum de bonis quorum potiuntur se esse amissuros, non forent perfecte beati.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 3. d. 16. n. 15.] suppositum Verbi posuisse animam suam in morte, effective eam separando a corpore. — *Et cum dicitur:* nisi separasset animam a Divinitate, non videretur habuisse eam potestatem, ut Deus; *nego hoc*, quia separando animam a corpore, ille homo vere fuit mortuus; et Deus quoque per communicationem idiomatum dicebatur mortuus; cum veritate nihilominus [*Oxon.* 3. d. 22.] istius denominationis stat animam illam fuisse interim Divinitati unita, quia per hoc non erat unita corpori, sed requirebatur ad ipsum alia unio, qualis nimirum habet forma ad materiam.

Ad secundum, dictum est *art. antec.*, qualiter per illam unionem animae vel corporis ad Verbum in triduo mortis Christi, non potuit habuisse aliam denominationem nisi *habentis eas partes;* nam quoniam eae sunt natae esse partes alicuius totius, non subsistunt naturaliter nisi in suo toto cuius sunt partes; non possunt igitur denominare alienum suppositum nisi in eo statu quo possunt denominare proprium: suppositum autem proprium non dicitur animatum vel habens animam, ut partem essentialem eius, nisi [*Oxon.* 3. d. 22. n. 1.] inquantum informat corpus, et proinde cum in triduo non informaverit Corpus Christi, nec Verbum habere potuit ab anima aliam denominationem ultra praedictam, scilicet habentis animam sibi unitam. Exemplum: [*Oxon.* ib. n. 21.] si Verbum assumpsisset quantitatem sine subiecto, non potuisset appellari quantum, quia nihil dicitur quantum, nisi concurrente proprio subiecto quantitatis, substantia nimirum materiali; sed bene dici potuisset habens quantitatem.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 3. d. 1. q. 1. n. 10.] non sufficere ad rationem hypostasis esse substantiam existentem, sed oportere ulterius, ut ea existentia sit incommunicabilis ut *quo* et ut *quod,* ut longo sermone extitit declaratum in *quaestione prooemiali.* Quoniam igitur anima et corpus Christi in triduo mortis eius, sicuti Verbo uniebantur, ita inter se erant divisae, habentes nihilominus mutuam inclinationem, ut revera forent communicabiles sicuti communicatur forma materiae, ideo neutra potuit habuisse rationem hypostasis; semper ergo fuit in Christo una hypostasis, non duae, ut mentiti sunt haeretici Nestoriani.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS IN TRIDUO MORTIS FUERIT HOMO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 22. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 50. *art.* 4.

VIDETUR Christus in triduo mortis fuisse homo. Etenim [*Oxon.* 3. d. 22. n. 1.] Christus eo in triduo habebat humanitatem; ergo fuit homo. *Probatur antecedens:* Christus eo in triduo habebat animam, seu formam hominis: sed forma est tota quidditas rei, secundum Philosophum et Comment., 7. *Metaph.,* text. com. 34. et 35. ergo habebat quidditatem hominis, seu humanitatem; atque ita extitit vere homo.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Christus in triduo mortis habuit totam entitatem humanitatis; ergo pariter et ipsam humanitatem; igitur erat homo. *Probatur assumptum:* nam tota entitas humanitatis non est nisi corpus, et anima: sed Christus in triduo habebat utrumque; neutra enim pars est corrupta per mortem, sed dumtaxat ad invicem sunt discretae et separatae, et ideo mortuus est homo, iuxta Dionysium, cap. 5. *De Ecclesiast. Hierarch.* et Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 26; ergo Christus in triduo extitit homo.

3. PRAETEREA. Ex dictis supra *art.* 2. *et* 3. quamvis in triduo mortis Christi fuerit separata anima a corpore, nihilominus partes illae uniebantur Verbo, perinde ac priusquam moreretur: [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 2.] *sed talis fuit illa unio, quae Deum faceret hominem, et hominem Deum;* secundum Augustinum, 1. *De Trinit.,* cap. 13.; ergo si in morte perstitit unio animae et corporis ad Verbum, efficere profecto debebat hominem Deum, et Deum hominem; igitur in triduo Christus erat homo.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 22. n. 1.] Quamvis in triduo mortis Christi anima eius et corpus fuerint Verbo unitae, nihilominus anima minime corpori uniebatur, tamquam forma perfectiva suae materiae perfectibili: sed homo non est, nisi anima rationalis unita sit corpori, tamquam perfectio ipsius essentialis; ergo in triduo Christus non fuit homo.

RESPONDEO dicendum, Christum in triduo mortis suae haud extitisse hominem. Sed [*Oxon.* ib. n. 2.] primo videndum est de hoc *quaesito* iuxta Theologos, et rei veritatem, et deinde secundum Metaphysicos et Logicos. Fuit igitur opinio Hugonis, *De Sacram.,* lib. 2. p. 1. Christum in triduo fuisse hominem; et ratio qua movebatur erat, quia homo dicit tantum animam utentem corpore: sed quod utatur corpore vel non utatur accidit homini, nec id est de eius ratione. Cum igitur in triduo Christus habuerit animam sibi unitam, licet tunc non uteretur corpore profecto, in mortis triduo fuit homo. — Magister quoque Sententiarum, 3. *d.* 22. *cap.* 1. idem sensisse videtur, sed aliunde movebatur; posuit enim ad rationem hominis pertinere quidem animam et corpus, adeo ut nihil possit esse et dici homo vere nisi habeat animam et corpus; sed opinatus est non requiri necessario ad hoc ut habens eas partes sit homo, ut eae uniantur mutuo, sed sufficere ambas uniri supposito; ac proinde quandoquidem in triduo anima et corpus Christi uniebantur Verbo, licet essent ad invicem separatae, ipse Christus fuit homo.

Sed contra istos taliter opinantes [*Oxon.* ib. n. 4.] est expressa mens

Augustini, 13. *De Civit.*, cap. ult., *Hoc,* inquientis, *verum est: quod non totus homo, sed pars melior anima est, nec totus homo corpus, sed inferior pars hominis,* et paucis interiectis: *Sed cum est utrumque coniunctum simul, habet hominis nomen.* Igitur nec anima tantum est homo, ut opinabatur Hugo, nec habens animam et corpus potest appellari homo, nisi sint illae partes unitae eo modo quo sunt unibiles; cuius oppositum sentiebat Magister. Et rursus anima nequit esse tota quidditas hominis si homo includit essentialiter corpus; homo enim dicit totum id quod quidditas eius, et proinde si homo dicit et includit essentialiter corpus, et quidditas eius idem involvat oportet. — *Praeterea,* Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 3., *Plures,* inquit, *hypostases hominum sunt: omnes autem eamdem rationem recipiunt naturae: omnes enim ex anima compositi sunt et corpore.* Vult igitur omnes hypostases hominum participare eamdem naturae rationem per hoc, quia quaelibet hypostasis componitur ex corpore et anima; ergo sic componi convenit naturae humanae quam participant; igitur nec anima tantum est homo, neque dicitur homo habens animam et corpus nisi sint composita, idest unita quo pacto sunt ad invicem unibilia. — *Praeterea,* idem *ibidem,* cap. 12. contra haereticos asserentes Christum habuisse corpus de caelo assumptum et per Virginem transiens, arguit habuisse veram carnem de Virgine substantialiter assumptam; et probat per hoc, quia aliter non esset homo univoce nobiscum. Si autem caro non esset de ratione hominis, illud argumentum nihil valeret: nam si haberet animam, eiusdem rationis esset homo eiusdem rationis, quamvis corpus esset caeleste, ut blasphemant haeretici; id enim satis esset si caro vel corpus non pertinerent ad hominis substantiam et quidditatem.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo [*Oxon.* ib. n. 20.] negando *assumptum;* ad cuius probationem *nego minorem,* quam esse falsam patet ex dictis, et plenius dicetur *art. seq.*

Ad secundum, cum dicitur: corpus et anima sunt tota entitas humanitatis; neganda est ista propositio; imo tota entitas humanitatis est aliud quid a partibus unitis; humanitas enim [*Oxon.* ib. n. 18-20.] non dicit solum respectum unionis partium ultra partes; non enim illud quo formaliter homo est homo est relatio, est autem formaliter homo humanitate; si enim homo nihil esset, nisi partes unitae sibi, homo non esset unum nisi aggregatione; sicut ne quinarius est unitates, sed illud totum quod resultat ex quinque unitatibus; alioquin si esset ille quinque unitates, videretur esse unus, sicut acervus. Homo igitur habet aliam entitatem et unitatem ab entitate et unitate partium etiam unitarum, et illa est entitas, sive forma totius, quod totum quia non erat unitum Verbo in triduo, ideo tunc Verbum non fuit homo. Mors ergo non est praecise dissolutio partium unitarum, sed est destructio illius totius quod resultat ex partibus unitis, adeo ut ipsum totum non possit esse sine unione partium, licet illa relatio unionis non sit ratio formalis vel essentialis ipsius totius; eius enim essentia constituitur ex partibus illis absolutis.

Ad tertium respondeo, vere illam unionem effecisse hominem Deum et Deum hominem per idiomatum communicationem, sed per eam haud fuisse assumptas partes seorsim, sed unitas. Etenim homo non est persona, nec terminus generationis, nisi quatenus anima rationalis informat corpus organicum humanum; eodem igitur pacto ille homo personabatur in

Verbo, ut personatus fuisset in se, quatenus nimirum erat anima informans corpus; semel igitur separata a corpore, non est amplius homo, nec Verbum poterat appellari homo, sed tantum habens animam et corpus sibi unitas.

RURSUM ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS IN TRIDUO FUERIT HOMO.

Doctor, et S. Thom., loc. citatis. art. antec.
Expenditur quaesitum metaphysice.

VIDETUR Christus fuisse homo in triduo. Nam [*Oxon.* 3. d. 22. n. 3.] nihil est de ratione quidditatis rei nisi forma; habens itaque formam est ipsa res quidditative: sed in triduo Verbum habuit unitam sibi animam rationalem Christi; igitur extitit homo. *Assumptum probatur primo:* quia secundum Philosophum, 7. *Metaph.*, text. com. 22. materia est qua res potest esse et non esse; hinc infert *ibi* omnia generata sive a natura sive a casu, habere materiam, cum omnia sint possibilia non esse; igitur si materia esset pars quidditatis, quidditas posset generari, et corrumpi, quod est contra Philosophum in eodem 7. cap. *De part. dis.*, ubi determinat tantum ea, quae concipiuntur sine materia, sicut sunt rationes specierum, non corrumpi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] *Secundo probatur* idem ex parte cognoscibilitatis rei: — quia *quodquid est* est per se principium cognoscendi illud cuius est; igitur quod secundum se est ignotum non includitur in ratione ipsius *quodquid est:* huiusmodi est materia, secundum Philosophum, 7. *Metaph.*, text. com. 35.; ergo non ingreditur rationem quidditatis rei.

3. PRAETEREA tertio sic: [*Oxon.* ib.] in per se habentibus quidditatem, quidditas est idem cum eo cuius est, ut expresse dicit Philosophus 7. *Metaph.*, com. 4. Quod igitur prohibet quidditatem esse idem cum eo cuius est, non est de per se ratione ipsius quidditatis; sed talis est materia, secundum eumdem ibidem *com.* 4. dicentem: in quibuscumque conceptis cum materia non est idem *quodquid est cum eo cuius est.*

DENIQUE [*Oxon.* ib.] ad hoc sunt auctoritates Philos. Nam 7. cap. *De part. dis.*, vult animam esse substantiam animati, et speciem, et quodquid erat esse; igitur quidditas animalis est tantum anima. Idem *ibid.* com. 2. iubet materiam, et compositum ex materia et forma dimittendum esse, quia huius substantia posterior est quidditate rei; aperte igitur excludit materiam a quidditate rei.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Si sola forma esset quidditas rei; igitur ea posita et omni alio circumscripto, haberetur ipsa res, atque ita non daretur, nec esset necessario ponenda materia prima, contra omnes; nec ipsae res materiales essent causatae a causis intrinsecis; si enim sola forma ignis esset tota quidditas ignis, ipse non esset causatus a causis intrinsecis, nec ut prius daretur materia prima.

RESPONDEO ergo dicendum, materiam esse partem quidditatis substantiae materialis causatae per causas intrinsecas inexistentes sibi, materiam scilicet et formam. *Quod probatur primo:* [*Oxon.* ib. n. 6.] quia alioquin sequeretur formam non facere unum per se cum materia, sed

tantum unum per accidens vel aggregatione; nam illa quae faciunt unum per se non sunt, nec possunt esse entia per se completa in genere, sed tantum principia rei in genere: sed si forma ignis esset tota quidditas eius, esset ens completum in genere, sicuti sunt quidditates quae non possunt contrahi ulterius ut perfectiores fiant per aliquid aliud extra ipsas; igitur forma non posset facere per se unum cum materia, sed foret tantum unum per accidens vel aggregatione, ut acervus, quod est contra Philosophum, 7. *Metaph.*, cap. 5. dicentem, compositum per se generatum esse per se unum, alias esset minus unum quam terminus augmentationis, vel alterationis. — *Secundo*, nisi materia sit pars quidditatis rei materialis, ipsa non poterit spectare ad aliquod praedicamentorum nec per se, nec per reductionem: hoc autem est absurdum, quia omne creatum est in aliquo genere uno, aut altero modo ex dictis; ergo oportet materiam ingredi quidditatem rei. *Sed probatur sequela:* nam in Praedicamento per se sunt praecise illa, quae includunt quidditatem: ut individua, vel sunt ipsa quidditas, ut homo vel humanitas: per reductionem vero sunt in Praedicamento ea quae includuntur in aliquo per se spectante ad Praedicamentum: materia autem non spectat ad quidditatem secundum opinantes; igitur nec per se, nec per accidens esset in genere. — *Tertio*, [*Oxon.* ib. n. 8.] secundum Philosophum, 7. *Metaph.*, text. com. 39. sicut ex materia hac, contracta cum hac forma, fit hoc individuum ultimate, ita ex materia communi (non repugnat enim eius rationi esse communis diversis materiis, sicut non repugnat rationi formae esse communis diversis formis) et forma communi resultat quidditas communis; igitur ad quidditatem illius constituti ut sic pertinet utrumque constituens ut sic. *Antecedens probatur:* etenim [*Metaph.* 7. q. 16. n. 3.] ratio potentiae et actus, propter quam ex materia et forma fit unum, manet in materia et forma in communi consideratis; nam in qualibet materia et forma particulari est ratio potentiae et actus; ergo per materiam communem cui primo inest. Igitur illud compositum ut sic, sicuti est per se unum, ita habet quidditatem per se unam. Sed sua entitas vel unitas includit per se materiam et formam; ergo et sua quidditas per se includit utrumque, veluti constitutivum eius, et consequenter quodlibet etiam compositum in particulari est per se unum per formam et materiam particularem, cuius unitatis et entitatis, ut sunt partes constitutivae haec materia et forma, ita pariter et quidditatis.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 3. d. 22. n. 9.] eo debere concludi oppositum; quia si materia est qua res potest esse et non esse, hoc est generari et corrumpi, sequitur ipsam esse de quidditate rei materialis; nam de quidditate corporis naturalis ut sic, potest et debet Physicus demonstrare passionem corruptibilitatis; ergo si posse ipsa non esse et corrumpi inest sibi ratione materiae, oportet hanc ad eius essentiam spectare: passiones siquidem insunt rei per essentiam, idest ab essentia dimanant; alias cur potius haec passio inesset huic, quam alteri?

Et tamen ad *argumentum respondeo in forma.* — Pro quo sciendum, [*Oxon.* ib. n.14.] qualiter Philosophus, 7. *Metaph.*, cap. *De part. diff.*, diversimode loquitur et accipit haec tria, *species, simul totum, et materia:* quae varia acceptio multos fefellit. Aliquando igitur accipit *speciem* pro forma quae est altera pars compositi, et aliquando pro universali abstracto ab individuis, cuius est *quodquid est* primo sim-

pliciter, et aliquando capit pro composito ex ultima materia et forma ultima, quod scilicet est per se in genere substantiae compositum. Similiter *simul totum* quandoque usurpat pro composito ultimate contracto, aliquando pro composito universali; sed stricte per *simul totum* intelligit hunc hominem qui generatur et corrumpitur, et de eo non est proprie definitio nec scientia, sed est de ipso ut abstrahit ab existentia, et quatenus de hoc homine praedicatur *quodquid est* hominis. Sicut enim substantia composita abstrahit ab existentia et a tempore, ita hic homo et tota coordinatio illius generis, licet ut intelligitur ipse homo generari concomitetur existentia illum, in quo esse pariter et corrumpitur. *Denique* [*Oxon.* ib. n. 15.] *materiam* etiam aliquando capit ibidem ut solum est principium potentiale eius cuius est, et non contracta per aliquid adveniens sibi, quo sensu ipsa est pars quidditatis in compositis materialibus. Interdum etiam capit *materiam* contractam per individualitatem, et sic est de esse simul totius, ut distinguitur contra formam, inquantum *forma* accipitur pro universali abstracto. Aliquando etiam capit *materiam* magis contracte, ut nempe contrahitur per accidens, quatenus pars integralis dicitur pars materialis integrati per ipsam. Et tandem accipitur magis accidentaliter, sicuti partes aereae vel ligneae dicuntur esse materia circuli, qui circulus non determinat sibi magis esse in una, quam in altera materia.

Per haec ad argumentum. Cum dicitur: materia est qua res potest esse et non esse; distinguo: potentia remota *concedo,* proxima *nego.* Et similiter dico, [*Oxon.* ib.] essentiam posse corrumpi potentia remota per materiam inclusam in ea essentialiter, non autem potentia proxima; est autem in potentia proxima, quatenus homo existens et materia est contracta per existentiam, et tunc *quodquid est* non habet in sua ratione essentiali materiam ut est proxima ratio corruptionis; sed non sequitur ipsam non includi in illo esse quidditativo, ut abstrahit ab existentia, quo pacto corruptibilitas praedicatur de homine per se secundo modo.

Ex SECUNDA RATIONE etiam concluditur oppositum; [*Oxon.* ib.n.10.] quia res non potest cognosci nisi cognitis causis, *ex* 2. *Metaph.* 10. *com.*11. tunc enim cognoscimus rem, cum causam eius cognoscimus; si autem essent causae infinitae, non possent cognosci, quia nec pertransiri; si ergo non est necessarium ad rei cognitionem nisi ut *quodquid est* rei cognoscatur; et materia est necessaria secundum Philosophum *ibidem,* sequitur ipsam debere spectare ad *quodquid est* rei materialis, alioquin enim nihil impediret cognosci hominem perfecte, etiamsi causae materiales eius forent infinitae.

Dico ergo ad argumentum, [*Oxon.* ib. n. 16.] ad cognitionem rerum materialium esse necessario cognoscendam materiam, aliter omnis cognitio scientifica foret simplicium et immaterialium; licet quia forma est magis ens quam materia, ipsa sit ratio magis cognoscendi rem, quam materia. Dicitur quoque materia ignota, quatenus ut contracta ad esse existentiae non est principium cognoscendi rem scientifice, et ita est ignota scientifice, sed non utcumque ignota; nec aliud probat argumentum.

Tertium quoque argumentum non concludit; nam [*Oxon.* ib.n.11-16.] in habentibus quidditatem idem est *quodquid est* cum eo cuius est; et quidditas quidem per se et primo convenit naturae specificae, per se non

primo individuo sub specie contento, et denique per accidens individuo existenti; eodem itaque pacto quo convenit quidditas rei; quidditas est idem rei, nec materia impedit eam identitatem. Cum igitur Philosophus dicit materiam impedire quominus *quodquid est* sit idem cum eo cuius est, intelligit de materia ut per existentiam contracta; quo sensu concedo argumentum; sed non concludit contra resolutionem, quia sic considerata materia non est de ratione quidditatis rei materialis, sed est proxima causa corruptionis, nec de composito existente est scientia naturalis, sed de ipso quatenus est remote corruptibile, ut supra dictum est.

AD PRIMAM auctoritatem dico, [*Oxon.* ib. n. 17.] Philosophum intelligere animam esse substantiam animalium, et *quodquid est* quatenus anima vel forma est notior pars definitionis; sed interim non est tota definitio, quia habet praeterea partem materialem. Ad *aliam* vero respondeo, ipsum loqui de materia contracta ad esse existentiae.

TERTIO ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS IN TRIDUO MORTIS FUERIT HOMO.

Doctor, et S. Thom. loc. supra cit.

De quaesiti veritate disseritur logice, et declaratur, nullam subesse propositioni veritatem.

VIDETUR in triduo mortis fuisse homo. Nam [*Oxon.* ib. n. 1.] Christus in eo triduo fuit Christus; igitur Christus fuit tunc homo. *Antecedens patet:* quia idem praedicatur de se. *Consequentia probatur:* nam ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis. *Probatur etiam aliter:* ab inferiori ad superius tenet consequentia: antecedens est inferius ad consequens; igitur si Christus tunc fuit Christus, ipse extitit homo.

2. PRAETEREA. Si illa non esset vera, maxime quia in triduo Christi humanitas non extabat, quoniam mortua erat: sed hoc non facit illam propositionem esse falsam; ergo Christus in triduo erat homo. *Probatur minor:* [*Oxon* ib. n. 19.] nullo homine existente, haec est vera. *Caesar est homo:* ergo licet in triduo Christus fuerit mortuus, tamen verum fuit, *Christum esse hominem.*

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Haec, *Christus est homo,* est per se vera; igitur necessaria; ergo semper fuit vere praedicatum *homo* de Christo; ergo haec propositio, *Christus est homo,* in triduo mortis fuit vera.

CONTRA. [*Oxon.* ib. 1. d. 2. q. 2. n. 5.] Philosophus, 5. *Metaph.* cap. *De falso: Ratio quae in se est falsa et impossibilis de nullo potest esse vera, nec aliquid de ipsa:* sed Christus in triduo fuit homo mortuus, ut patet *ex antecedentibus;* ergo quaelibet praedicatio exprimens aliud quid ab ea ratione est falsa; ideoque ex vi sermonis nequit dici *Homo* de Christo in mortis triduo.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 22. n. 19. — *Report.* ib. n. 21.] ex vi sermonis, hanc, *Christus in triduo fuit homo,* esse falsam. Nam Christus secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 3. est nomen hypostasis subsistentis in duabus naturis; dicit itaque τὸ *Christus* duos conceptus, scilicet Deum, et hominem; ad hoc ut igitur de eo subiecto aliquid vere praedicetur, oportet ipsum dicere rationem in se veram, ut nempe re ipsa

sit illud suppositum subsistens in duabus naturis: in triduo autem Verbi suppositum non subsistebat in natura humana, imo tunc natura humana eius non existebat, sed corrupta erat per mortem, licet Verbum ipsum esset unitum animae et corpori disiunctis; igitur haec, *Christus erat homo in triduo*, fuit falsa, quia et falsa erat pro tunc ratio subiecti, et consequenter falso quoque enunciabatur pro tunc de ipso subiecto quod fuerit homo.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 20.] *consequentiam* esse falsam, sicuti nec sequitur: nullo homine existente *homo albus est albus: igitur homo albus est homo.* Sequeretur enim per conversionem simplicem aliquem hominem esse album, nullo homine existente, quod est impossibile. Nec ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, (scilicet Christus non esset Christus) nisi ratione alterius partis, scilicet hominis, quod concedo; alioquin suppositum illud fuisset subsistens in triduo in duabus naturis, quod nihil est dictu. — Per quod patet ad *aliam probationem*, quia non potest inferri ex illo antecedenti consequens, scilicet quod sit homo nisi realiter suppositum divinum subsistat in duabus naturis, divina scilicet et humana, quod non evenisse in triduo manifestum est.

AD SECUNDUM patet, nullam esse paritatem de Caesare et Christo, quia [*Oxon.* ib. n. 19.] Caesar dicit unum conceptum per se, quod non est in Christo; et ideo nullo homine existente recte superius praedicatur de suo inferiori, scilicet homo ut sic de hoc individuo, sive existat, sive non.

AD TERTIUM respondeo, *negando assumptum:* [*Oxon.* ib.] quia ad perfectitatem propositionis non sufficit subiectum includere causam inhaerentiae praedicati ad ipsum, sed praeterea requiritur ut idem subiectum dicat unum conceptum, vel saltem si includat plures conceptus, ut ratio eius sit vera pro quando de ipso praedicatum enunciatur: hoc autem non fuit in casu; quia Christus in triduo non subsistebat in natura humana, et ideo de subiecto pro illo tunc non potuit recte enunciari praedicatum *homo.*

ARTICULUS V.

UTRUM FUERIT IDEM NUMERO CORPUS CHRISTI VIVENTIS ET MORTUI.

Doctor, loc. infr. citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 50. *a.* 5.

VIDETUR non fuisse idem corpus Christi viventis et mortui. Nam [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 55.] corpus est quod componitur ex materia et forma substantiali mixtionis: sed haec forma substantialis quae erat in corpore viventis corrupta est quando Christus moriebatur; ergo Christi corpus non fuit idem numero viventis et mortui. *Probatur minor:* etenim dispositio necessitans non manet absque illo ad quod disponit necessario: sed forma mixtionis est dispositio necessaria ad animam; ergo anima a corpore abeunte, corrumpitur forma mixtionis, et corpus mortui evadit alterius speciei, ac fuerit dum erat vivens.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Anima intellectiva cum sit immortalis non

necessario separatur a materia, nisi quia aliqua forma substantialis, quam requirit veluti necessariam dispositionem, separatur et corrumpitur; nam ipsa ex se non habet in materia aliquid sibi repugnans: sed forma necessaria requisita ad animam non est nisi forma mixtionis; ergo ad separationem animae ipsa corrumpitur, et corpus substantialiter mutatur.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 32.] Damascenus, *lib.* 4. *cap.* 1., *Caeterum,* inquit, *nullam naturae partem abiecit, non corpus, non animam:* ergo si corpus Verbum non abiecit, oportet idem numero fuisse viventis et mortui.

RESPONDEO dicendum, idem omnino numero fuisse corpus Christi viventis et mortui. Nam, ut dictum fuit supra, *art.* 2. corpus Christi formatum ex purissimis sanguinibus Beatae Virginis, semel a Verbo divino assumptum, numquam, ne in morte quidem, dimissum fuit, etsi ab eo corpore extitit interim anima intellectiva seiuncta; igitur oportuit penitus fuisse idem vivens et mortuum: si enim aliud fuisset, certe prius assumptum oportuisset esse dimissum, et illud aliud de novo Verbo unitum. — *Ulterius,* [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 30 32.] veritas Eucharistiae post institutionem eius a Christo Domino semper fuit eadem; ergo et corpus Christi viventis et mortui fuit penitus idem; etenim si in eo triduo mortis Salvatoris aliquis Apostolorum, pro potestate a Christo accepta, protulisset verba consecrationis super materia apta, sine dubio consecrasset; ergo tunc sub panis speciebus positum fuisset veraciter illud ipsum Christi corpus, quod positum fuit sub panis vinique speciebus, dum ipse vivens in ultima Coena consecravit; ergo idem oportuit fuisse corpus illud dum ab anima informabatur et dum erat mortuum; alias non fuisset corpus Christi idem cum illo in quo Christus consecravit, nec cum veritate dictum fuisset in triduo: *Hoc est corpus meum.*

Et hoc est [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 31.] quod expresse dicit Ambrosius, et ponitur *De consecrat., d.* 2. omnia quaecumque, *Idem,* inquiens, *sane corpus quod ex Virgine sumptum est, quod passum est et sepultum, quod resurrexit et in Caelum ascendit.* Et S. Leo Papa in Sermon. *De Ascens. Domini: Non dubia fide,* inquit, *sed certissima scientia tenemus eam naturam in Patris consessuram throno quae iacuerat in Sepulchro.* Sed et Fulgentius, *De fide ad Petrum: Idem homo,* ait, *in utero Matris, et pependit in Cruce, et iacuit in Sepulchro et resurrexit.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico sic: [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 55. — 3. d. 21. n. 6.] forma illa mixtionis corporis Christi post animae discessum statim incoepisse tendere in corruptionem et resolutionem sui in ea, ex quibus componebatur, ob corruptionem earum qualitatum in quibus habebat ea forma esse perfectum et quietum; sed tamen ne id eveniret corpori Christi ex miraculo fuit.

AD SECUNDUM est eadem responsio; [*Oxon.* 3. d. 21. n. 6.] quia utique corpus Christi in triduo, non obstantibus illis aromatibus et unguentis quibus fuit perunctum coepisset resolvi, nisi miraculum intervenisset; ac proinde extitit omnino idem numero corpus Christi viventis et mortui. Sed de forma mixtionis videnda *quaestio* 76. *Primae partis; huc quoque spectant dicenda infra, quaest.* 54. *art.* 1. *et* 2.

ARTICULUS VI.

UTRUM MORS CHRISTI ALIQUID OPERATA SIT AD NOSTRAM SALUTEM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 19. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 50. *a.* 6.

VIDETUR Christi mors nihil fuisse operata ad nostram salutem. Nam [*Oxon.* 3. d. 15. n. 3.] si aliquid boni nobis ex ea obvenisset, maxime per modum meriti: sed per modum meriti id fieri non potuit; ergo nihil operata fuit ad nostram salutem. *Probatio minoris:* etenim per mortem formaliter separata fuit anima Christi a corpore eius: sed [*Oxon.* 3. d. 18. n. 15.] anima illa in separatione a carne facta est impassibilis et plenissime beata; igitur in eo instanti non erat amplius causa quicquam merendi; siquidem in tantum poterat mereri quamquam beata, in quantum erat viatrix et passibilis; igitur separata a corpore per mortem non erat amplius capax alicuius meriti, et proinde Christi mors nihil operata est ad nostram salutem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 11.] Quamvis ex vulnere lateris Christi post mortem exiverit sanguis et aqua, non fluxerunt tamen Sacramenta veluti a causa meritoria, sed tantum fluxerunt ex illo vulnere Baptismus et Eucharistia propter quamdam similitudinem expressiorem ad illa Sacramenta: sed eatenus non fuit causa meritoria eorum per illud vulnus, quatenus infligebatur corpori mortuo; igitur nec ipsa mors formaliter Christi potuit nobis aliquid mereri, nec subinde quicquam prodesse.

CONTRA. [*Quodlib.* q. 20. n. 22.] Ad Hebraeos, 9. *Christus semel oblatus est,* scilicet a seipso offerente in ara Crucis: obtulit autem se ipsum in mortem, quae fuit consummatio totius passionis suae; igitur si per passionem meruit nobis gratiam et gloriam, reconciliavitque nos Deo offenso, multo magis, vel pariter per mortem.

RESPONDEO dicendum, Christi mortem operatam esse nostram salutem; mors enim [*Oxon.* 3. d. 15. n. 25. — d. 19. n. 6.] Christi tamquam personae Deo acceptissimae fuit a Trinitate volita, qua et iustitiae divinae condigna exhiberetur satisfactio, et gratia promereretur, unde homines salutem consequerentur aeternam; Christus igitur illam libenter acceptando et fortiter sustinendo ac Trinitati pro nobis offerendo, meruit ut liberaremur a peccatis et a poena eorum, et etiam a diaboli potestate, sicuti de passione dictum est. A morte ergo Christi veluti a termino et complemento eorum, quae pro nobis et suscepit et pertulit, est generis humani salus, ut verissime ipsa Mediatoris mors effecerit in gradu causae meritoriae nostram aeternam vitam.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, animam impassibilem, et prorsus in termino beatitudinis, non esse meriti ullius capacem ex divina ordinatione; sed tamen nego, mortem ipsam formaliter Christi non fuisse operatam nostram salutem; quanto enim homo ille erat perfectior, tantumdem tristitiae in eo mors imminens causabat, et tantum patiendo et acceptando eam merebatur. Unde [*Oxon.* 3. d. 15. n. 26.] et 3. *Ethic.*, cap. 5. dicit Philosophus: *Et quanto utique magis habeat vir fortis virtutem omnem, et felicior sit, magis in morte tristitior erit,* nempe

quia suppositum tunc magis ad conservandam vitam inclinatur, et voluntas oppositum mortis vellet, si recte id fieri posset. Pro magnitudine ergo tristitiae mortis imminentis fuit augmentum meritorum in Christo. – *Et cum dicitur:* in separatione a corpore anima illa erat impassibilis et incapax meriti; *respondeo,* id verum esse; sed tamen [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 10.] inde non sequi mortem non fuisse ei admodum meritoriam; principalior enim ratio meriri consistit in actu interiori. Eo igitur actu Christus ab instanti suae conceptionis acceptando mortem et offerendo eam Patri, habuit meritum passionis et mortis exhibitae, non quidem actu exteriori, sed interiori. Quia ergo in primo instanti ex summa charitate, et libentissime, quae erant ipsi obventura, acceptavit, habuit tunc meritum ipsius passionis et mortis exhibitae; antequam vero esset reipsa oblata et a Trinitate acceptata, (id enim nequiit fuisse nisi in primo suae conceptionis instanti) erat quidem praevisa ut acceptanda, et ideo minorem habebat efficaciam, ac proinde novae legis Sacramenta uberiorem conferunt gratiam.

AD SECUNDUM concedo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 10. seqq.] ex corpore Christi mortui non effluxisse Sacramenta tamquam a causa meritoria, quia nulla talis causa poterat fuisse corpus illud mortuum quamquam Verbo unitum; sed tamen eo mediante Christus meruit, quia per illud sustinuit passionem et mortem; quae licet non potuerit esse meritoria Christo, ut consideratur praeteriisse, nec pro instanti quo separabatur anima a corpore, ob rationem dictam; nihilominus fuit causa meritoria nostrae salutis, quia actu interiori priusquam esset, fuit oblata Deo pro humani generis redemptione, et ab illo acceptata.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAPRIMA.

DE SEPULTURA CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de sepultura Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum conveniens fuerit Christum sepeliri. - 2. De modo sepulturae eius. - 3. Utrum corpus eius fuerit in sepulchro resolutum. - 4. De tempore, quo iacuit in sepulchro.

ARTICULUS I.

UTRUM CONVENIENS FUERIT CHRISTUM SEPELIRI.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 21. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 51. *art.* 1.

RESPONDEO dicendum, conveniens fuisse Christum sepeliri seu condi sepulchro; sicut enim et ad merendum pro nobis et ad ostendendam veritatem sui corporis, quod scilicet esset simile, et eiusdem naturae cum corporibus nostris, [*Oxon.* 3. d. 21. n. 6. — d. 25. q. 1. n. 4.]

voluit perferre et sustinere eas passiones, quae homines solent comitari, ut esuriem, sitim, laborem, dolorem, lacrymas et ipsam denique mortem; ita ad ostendendam veritatem mortis suae, conveniens fuit corpus illud exanime e Cruce depositum sepulchro inferri, atque ibi triduo iacere, quo scilicet omnis omnino occasio dubitandi tolleretur de vera et reali morte ipsius. — *Deinde,* [*Oxon.* 4. d. 43. q. 2. n. 27. seqq.] resurrectio mortuorum est futura, *Sicut et Christus resurrexit,* ut ait Apostolus, 1. *ad Corinth.,* cap. 15. Congruum autem fuit, ut Christus primitiae dormientium et caput eorum qui dormierunt in ipso ostenderet exemplum resurrectionis eorum; resurrectio autem aliorum ita erit, ut ex monumentis resurgant, ut scribitur Ioann., 5.: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei:* igitur congruum quoque fuit ut ipse Filius Dei ex monumento resurgeret, et per consequens conveniebat ipsum sepeliri.

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENIENTI MODO CHRISTUS FUERIT SEPULTUS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 22. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 51. *a.* 2.

RESPONDEO dicendum, Christi corpus convenienti modo fuisse sepulchro illatum; per hoc enim quod Nicodemus, (*ut narratur Ioann.,* 19.) secum ferens mixturam myrrae, et aloes quasi libras centum, una cum Iosepho ab Arimathaea, linteaminibus involutum, atque aromatibus conditum corpus Iesu in monumento reposuerint, comprobatum est vere ipsum vivere desiisse; eam enim corporis procurationem nequaquam corpori non vere mortuo illi impendissent. Ac proinde, quemadmodum Christus vere fuit mortuus, ita vere post triduum, quo in sepulchro mansit, resurrexit. Per illum igitur modum quo Christus fuit sepultus, et certior fides mortis eius facta est, subinde et resurrectionis, ac per consequens fuit ille modus per omnia conveniens. — Verisimile est [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 8.] etiam inter ea aromata, quibus Christi corpus condiderunt eius Discipuli (ut Evangelium narrat), fuisse et balsama quae in Iudaea nascuntur; iisque solent corpora mortuorum condiri ne putrefiant; et una odorifero eiusmodi liquore significaretur corporis Christi incorruptio; nam Deus ipsum praeservare statuerat ab omni corruptione, ut patebit *in sequentibus.*

ARTICULUS III.

UTRUM CORPUS CHRISTI IN SEPULCHRO INCINERATUM FUIT.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 21. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 51. *art.* 3.

VIDETUR corpus Christi in sepulchro fuisse incineratum vel incinerari aut putrefieri debuisse, nisi resurrectio fuisset accelerata. Etenim [*Oxon.* 3. d. 21. n. 1.] natura non incipit motum quem terminare non potest, 2. *Met.,* text. com. 8.: sed terminus corruptionis mixti viventis est putrefactio, secundum Philosophum, 4. *Meteor.,* cap. 2.: natura autem

incipit illam in separatione animae a corpore, quae separatio est inchoatio ad putrefactionem et resolutionem in elementa, ut patet in aliis hominibus; igitur corpus illud fuisset putrefactum et incineratum nisi resurrectio fuisset accelerata.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Christus assumpsit passiones naturae humanae viventis, secundum Damascenum, lib. 2. cap. 20.: *Totum hominem,* inquit, *et omnia quae sunt hominis assumpsit, praeter peccatum, scilicet esuriem, sitim, laborem, etc. omnia enim assumpsit, ut omnia sanctificaret:* igitur per eamdem rationem assumpsit passiones naturae mortuae quae naturaliter scilicet omnibus insunt: sed putrefactio et resolutio sunt passiones hominis mortui; igitur has Christus assumpsit.

3. PRAETEREA. Secundum Augustinum, lib. 2. *De Baptismo parvulorum,* [*Report.* 3. d. 16. q. 1. n. 1.] *si Christus non fuisset occisus in iuventute fuisset mortuus senio;* ergo pariter eius corpus putrefieri debuisset in sepulchro, nisi resurgere accelerasset; nam in tantum senio succubuisset morti, in quantum corpus assumpserat mortale: sed etiam illud corpus erat corruptibile; ergo corruptionem subiisset si resurrectio fuisset dilata.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 21. n. 1.] Psal. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem:* quod S. Petrus exponens de Christo: *Quia neque,* inquit, *derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* Actuum 2.

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 3. d. 21. n. 2. seqq.] corpus Christi dum fuit in sepulchro mortuum habuisse quidem causas tam intrinsecas, quam extrinsecas inductivas corruptionis, quas habent caetera corpora quae dissolvuntur, et corrumpuntur; minime tamen fuisse putrefactum, etiam resurrectione dilata, aut dissolutum ex virtute divina impediente causas illas ne haberent proprium effectum, quae natae fuissent causare in illud corpus; cur autem eae impeditae sint patebit *in solutione argumentorum.* Sed hoc supposito, corpus illud mortuum fuit simpliciter incorruptibile, licet diutissime iacuisset in sepulchro; nam illud est [*Oxon.* 3. d. 21. n. 2.] dicendum, simpliciter futurum, quod possunt producere, et producturae sunt causae superiores valentes impedire inferiores, a quibus esset naturaliter profecturus contrarius effectus. *Exemplum* de Ezechia Rege, cui Isaias praedixerat mortem, quam erant allaturae causae naturales; sed quia sanctus Rex lacrymis et obsecrationibus flexit Deum ut impediret eas, mortem causae superiores ab eo arcuerunt, et accedere non permiserunt, nisi post quindecim alios annos, ut scribitur *Isaiae,* 38. Mors igitur spectatis causis naturalibus erat futura *secundum quid,* sed attenta Dei potentia, *simpliciter* non erat tunc futura. Ita de corruptione corporis Christi iacentis in sepulchro, incorruptibilitatem fuerat adeptum, non quasi immune fuerit a causis corruptionis inductivis, uti sunt corpora Beatorum, sed quia causae, quae naturaliter corruptionem induxissent, impediebantur ne agerent. Aderant igitur illi corpori humores ab intrinseco, ut calor, frigus, et caeterae causae extrinsecae, quae solent et possunt corruptionem causare; sed quoniam virtute divina prohibitae et impeditae fuerunt, ne id facerent, quantumvis corpus illud non surrexisset a mortuis usque ad generalem resurrectionem, numquam nihilominus fuisset putrefactum et corruptum, quia illud simpliciter est futurum ad quod agunt superiores

causae; et illud in quod inferiores causae influunt, non est futurum nisi secundum quid, attenta nimirum eorum virtute naturali, sed simpliciter non est futurum.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 3. d. 21. n. 6.] naturam utique non incipere motum quem terminare non possit attenta eius virtute et causalitate; at si impediatur ab agente fortiori, etiamsi incoeperit motum, non poterit eum terminare, ut patet in exemplo allato de Rege Ezechia. Deus igitur voluit inchoari motum illum per separationem animae, id enim oportebat, quandoquidem decretum fuerat per huiusmodi separationem seu mortem esse perficiendum opus nostrae redemptionis, sed tamen non voluit illum motum terminari per corporis putrefactionem, quia talis putrefactio vel resolutio nihil nobis profuisset tamquam non meritoria.

Ad secundum respondeo, per idem; [*Oxon.* ib.] nam Christus assumpsit passiones hominis viventis, quia in illis, et per illas nobis meruit, operatusque est nostram salutem et redemptionem; non vero assumpsit passiones corporis mortui, quia nec per illas nobis quicquam mereri potuisset, nec id Christum decuisset; nec nobis ea putrefactione aliqua occasio proficiendi praebita fuisset, imo potius esset occasio errandi et ambigendi de eius resurrectione. Ob haec igitur, aliaque etiam quae adduci possent, decens fuit Deum impedire causas naturales, quae de facto induxissent corruptionem in Christi corpus, perinde ut in caetera corpora humana.

Ad tertium est responsio ex dictis *in solutione:* etenim [*Report.* 3. d. 21. n. 2. seqq.] quantum spectasset ad causas naturales, si corpus Christi diu iacuisset in sepulchro, corruptionem et putrefactionem subire debuisset: sed nihilominus quia id tale corpus dedecebat, impeditae eae causae divinitus fuerunt, et ideo futurum non erat, ut aliquando illud corpus corrumperetur, etsi per longissimum tempus separatum ab anima in sepulchro iacuisset.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM PUTREFACTIO CORPORIS CHRISTI IMPEDITA FUERIT ANTIQUO, VEL NOVO MIRACULO.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 21. — *Report. ib.* — *Henric. Quodl.* 12. *q.* 12.

Videtur impedita fuisse putrefactio corporis Christi antiquo miraculo, quo fuit Verbo unitum. Nam [*Oxon.* 3. d. 21. n. 2.] secundum Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 3. Verbum assumpsit naturam humanam, et univit sibi corpus illud indissolubiliter et eadem unione; igitur eodem miraculo quo homo factus est conservavit corpus a corruptione et putrefactione, alioquin non assumpsisset illud indissolubiliter.

2. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 16. n. 7.] Si unio illa ad Verbum non impedisset corporis Christi resolutionem sine novo miraculo, videretur corpus illud a principio assumptum iam depositum esse, cuius oppositum vult Damascenus, dicens nihil eorum quae assumpsit Verbum aliquando deposuisse; ergo non est hic excogitandum novum miraculum. *Probatio sequelae:* nam si unione hypostatica non impediebatur corruptio et resolutio corporis, potuisset per sudorem et laborem eousque dissolvi et corrumpi, ut noviter renovatum per alimenta non foret amplius corpus olim

assumptum ; igitur tunc fuisset a Verbo dimissum ; ergo cum hoc non sit asserendum, fatendum est nullum intervenisse miraculum novum pro incorruptibilitate corporis Christi.

CONTRA. [*Oxon.* 3.d.16.q 2.n.2.] Christus secundum corpus fuit viator in eodem statu, quo sumus nos passibiles et corruptibiles; igitur quemadmodum si prohibuisset violentiam sibi inferri, id fecisset novo miraculo, et alio quidem ab illo, quo sibi corpus passibile univit, ita si post mortem corpori inflictam, prohibuisset ipsum putrefieri et dissolvi, id debuit fecisse non illo antiquo, sed novo miraculo.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 21. n. 5.] novo omnino miraculo corpus Christi fuisse praeservatum a putrefactione , adeo ut alia volitione secundum rationem voluerit Deus corpus illud uniri Verbo. et alia corpus praeservari a putrefactione impediendo actiones causarum naturalium, quae corruptionem causassent; etsi enim cuncta voluerit et statuerit eodem actu infinito, ut intelligitur tamen transire super diversa obiecta est alia et alia volitio secundum rationem. [*Oxon.* 3. d. 21. n. 3.] Hoc autem probatur multipliciter: *primo,* quia approximatis et non impeditis activo et passivo unum naturaliter agit in alterum, et passivum naturaliter patitur ab activo; igitur si impediatur activum non agere in passivum, id fieri oportet per novum miraculum, ut divinitus factum esse cum tribus Pueris Babylone constat ex *Danielis*, 3.: sed Christi corpus in morte fuit naturaliter passibile et resolubile, quia non erat gloriosum; igitur si non fuisset aliquando resolutum, id plane per novum miraculum evenire oportuisset. — *Deinde,* Verbum antiquo miraculo quo univit sibi corpus non impedivit passionem et mortem Christi ; quam si prohibere et impedire voluisset, utique novo id miraculo fecisset; etenim per antiquum non evaserat impassibilis ; ergo pariter si prohibuisset, ut de facto arcuit corruptionem a corpore illo, cum fuerit corruptibile, novo miraculo hoc debuit ei praestitisse. — *Rursus ,* [*Oxon.* ib. n. 4.] duplex est naturae processus, et altero quidem ab imperfecto tendit in perfectum, ut in generatione, altero vero a perfecto deficit, et tendit in imperfectum, ut in corruptione : at si Verbum univisset sibi naturam habituram prorsus cursum suum, ut si univisset sibi sanguinem, qui per naturae vires tenderet in hominis generationem, si hanc successionem impedire voluisset, id praestitisset non per miraculum, quo univit primo sibi sanguinem, sed per alium longe diversum ab illo; igitur impediendo cursum naturae defectivum, quo tendit in corruptionem, non fecit antiquo miraculo quo factus est homo, sed novo, quo voluit corpus adeo sanctum et divinum praeservare ab omni corruptione. — *Denique ,* [*Oxon.* ib.] antiquo illo miraculo, quo uniebatur corpus Verbo, non impediebatur, quin partes eius corporis fluerent et diffluerunt per sudorem, laborem et huiusmodi ; ergo neque unio illa impedivisset ultimam resolutionem eius. Quod si id factum non fuit, novo miraculo oportuit factum esse , sicuti novum miraculum fuisset, si actio causarum naturalium in ipso impedita fuisset dum in vita mortali vivebat.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* ib.] Damascenum eo loci velle indissolubiliter unitam fuisse Verbo naturam humanam, quia tunc numquam fuisset mortuus homo ille, sic ut diceretur mortuus et Deus; vult igitur, (ut patet per translationem Linconiensis) duas naturas esse in supposito Verbi impermixtas. *Invertibiliter,* inquit, *et inalterabiliter unitae sibi invicem naturae, neque divina exeunt a propria simplicitate,*

neque utique humana vertente in divinitatis naturam; illa igitur adverbia, *inalterabiliter, et invertibiliter,* non referuntur ad corpus et suppositum, sed ad istas duas naturas, quarum neutra versa est in alteram, sed manserunt indistinctae in supposito. Quod si intelligerentur de indissolubilitate naturae a supposito, ita ut numquam dimiserit quod assumpsit per antiquum miraculum, pariter eodem miraculo conservasset unionem animae ad corpus, et tunc vel numquam, vel novo miraculo mortuus esset, quia alias semper fuissent partes inter se unitae, sicut fuerunt in Verbo. Cum itaque mortuus non sit per novum miraculum, sed tantum quia non impediebantur causae naturales, a quibus mors infligebatur, eaedem corruptionem illi corpori sine dubio attulissent, nisi novo miraculo prohibitae essent, quamtumvis unguentis, myrrha et aloe more patrio corpus illud conditum et procuratum fuerit.

Ad secundum dico: [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 8.] sicut viribus naturae renascuntur in homine partes quae defluunt per actionem activorum ad passiva, et aliae per nutritivam aggenerantur corpori; nutritiva enim generat idem et unitum, sicut generativa gignit diversum secundum *esse* et secundum *locum:* ita partes illae restauratae erant naturaliter eaedem corpori Christi, et antiquo miraculo Verbo uniebantur. Ut ergo antiquo miraculo non impediebatur causarum naturalium activitas, per quas partes corporis ex labore et sudore fluebant ut in caeteris hominibus, ita eo miraculo, quae de novo aggenerabantur unitae Verbo remanebant; et proinde novo miraculo opus fuisset, ne partes ullae corporis Christi viventis diffluerent, per quod impedita foret naturalium causarum activitas; ita pariter si in morte non agebant causae naturales ad illius corruptionem, profecto novo miraculo factum est; sed non propterea quod permissae sunt causae naturaliter agere, dimissum fuisse corpus illud censendum est; quia numquam dimisit partes principales heterogeneas, quae concurrunt ad perfectionem hominis, uti sunt, caput, manus et huiusmodi; et sane de his loquitur Damascenus.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS FUERIT IN SEPULCHRO SOLUM UNA DIE ET DUABUS NOCTIBUS.

Doctor circa hoc quaesitum nihil expresse tangit, sed 3. d. 22. *utriusque scripti, Oxoniensis scilicet et Parisiensis, frequenter usurpat, et supponit cum Ecclesia catholica triduo permansisse Christi corpus in sepulchro. Quod triduum intelligendum est ipsum accepisse in sensu Catholicorum. Constat enim Christum non integro triduo in sepulchro iacuisse. Nam, ut ait Augustinus,* 4. De Trinitate, *c.* 6. a vespere sepulturae usque ad diluculum resurrectionis triginta sex horae sunt, idest nox tota cum die toto, et nocte tota.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASECUNDA.

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de descensu Christi ad inferos.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum fuerit conveniens Christum ad inferos descendere. - 2. In quem inferum descenderit. - 3. Utrum totus fuerit in inferno. - 4. Utrum aliquam moram ibi traxerit. - 5. Utrum Sanctos Patres ab inferno liberaverit. - 6. Utrum damnatos ab inferno liberaverit. - 7. Utrum liberaverit pueros in peccato originali defunctos. - 8. Utrum liberaverit homines de Purgatorio.

CIRCA *haec omnia quaesita Doctor nihil ex professo disputavit: sed veritatem fidei catholicae de descensu Christi ad inferos* Oxon. 3. d. 25. *supponit, et* 4. d. 45. q. 2. n. 12., *et alibi, praesertim vero eiusdem mentionem facit* 1. d. 11. q. 1. n. 5.

Itaque ad Primum articulum *quod attinet, hoc ipso quod factum esse de Philippi Apostoli auctoritate tenet Ecclesia, ac credendum fidelibus proponat, opus divinae sapientiae apprime consentaneum extitisse, atque inde eximie immensam animae Christi benignitatem ac dilectionem erga electos suos eluxisse, in dubium revocari non potest.*

Quod Secundo *quaeritur,* An Christus descenderit ad infernum damnatorum, *Magistri sentiunt non eo descendisse quoad realem sui praesentiam, sed secundum quemdam effectum. S. Thom. hic, Bonaventura,* 3. d. 22. art. 1. q. 4. *Richardus ibidem,* art. 2. q. 1. *May.* 4. d. 43. q. 4. *Alensis,* 3. p. q. 19. m. 4. *aliique.*

Ad Tertium, *quo quaeritur,* Utrum Christus fuerit totus in inferno, *Durandus,* 3. d. 22. q. 3. *respondet, sustineri probabiliter posse, salva etiam fidei veritate, non descendisse in infernum Christi animam, quoad sui realem praesentiam, sed quoad effectum tantum, quatenus Patres inibi degentes extraxit. Hanc opinionem videtur sequutus Picus Mirandulanus in suis Conclusionibus. Et quamvis in Apologia dicat, non amplecti se opinionem Durandi, ab eo tamen nonnisi verbis, vel certe in modo dicendi differre videtur. Sed quicquid sit de hac re, Durando subtiliter contradicit Caietanus* in comm. super art. 2. quaestionis 52. 3. partis. *Sed ille pertimescens Ecclesiasticam censuram,* n. 9. *scribit: etsi id videatur probabiliter dictum, salva etiam fidei veritate de descensu Christi ad inferos, quia tamen virtus divina non comprehenditur ratione humana, non est pertinaciter asserendum quin anima Christi per alium modum nobis ignotum potuerit descendere ad inferos. Haec ille. Communis tamen Theologorum et Patrum tenet Christi animam beatissimam quoad sui realem praesentiam in inferioribus terrae partibus mansisse usque ad instans resurrectionis. Uti* hic *S. Thomas, sed et Bonaventura,* 3. d. 22. art. 1. q. 4. *Richardus,* ibidem art. 2. q. 1. *sequuti Alensem,* 3. p. q. 19. m. 4. *sed et Tertullianus,* De Anima, *cap.* 55. *Hieronymus,* super cap. 4. Epist. ad Ephesios *et Ambrosius,* ibidem, *modo ipsius commentarii sint, Augustinus,* lib. 3. super Symbolum. *Damascenus, lib.* 3. De fide, *cap.* ult., *aliique passim.*

Scio Durandum et Picum opinari et asserere, salvari posse dicta Sanctorum, etiamsi asseratur Christum quoad effectum tantum ad inferos descendisse. Sed profecto non ad mentem illorum, quia diserte profitentur, eumdem illum descendisse ad inferos, qui ascendit ad Caelum, quo sane non per effectum tantum ascendit, et quia constat corpus eius sacratissimum tunc temporis iacuisse exanime in sepulchro, profecto secundum animam, eiusque realem praesentiam ad inferos descendit.

Caeterum quoad quaesiti titulum ut in terminis proponitur praeclare disputat idem Durandus, cit. d. q. 2. *ostendens Sanctos in eloquutionibus quibusdam non exacte vim et naturam vocabulorum observasse: quare concludit de virtute sermonis non esse concedendum, Christum totum descendisse ad inferos, ibique per triduum permansisse, aut totum in sepulchro iacuisse, de qua re Magister Sent.* 3. *dist.* 22. *cap.* Et utique. *Verum praeter auctaritates, quas congerit, videri potest Augustinus, lib.* 3. De Symbolo, *cap.* 7.

Utrum vero aliquam moram traxerit anima Christi beatissima in inferis, quod Quarto *quaerebatur, dicendum, tamdiu inibi mansisse, quamdiu corpus iacuit in sepulchro, et praeterea per illud temporis, quo post mortem, corpus e Cruce depositum unguentis ac aromatibus procuratum sepulchro illatum fuit. Anima enim Christi statim ac a corpore separata est, ad Sanctos descendit, quibus eius adventus optatissimus erat.*

Ad Quintum *autem dicendum, liberasse, ac eduxisse ex inferis animas Sanctorum, qui in requie et refrigerio eius adventum praestolabantur. Tanto quippe videndi eam diem desiderio flagrabant, quanto prolixior extiterat tot saeculorum decursus.*

Sextum *quod attinet, dubitari non potest animas aeternis suppliciis addictas liberatas non esse:* In quocumque enim loco ceciderit lignum ibi erit. *Eccles.,* 12.

Ad Septimum *respondendum est negative. Eae quippe animae non uniebantur capiti Christo per fidem et charitatem; cum subinde non fuerint iuventa membra eius, sequi non debebant conditionem capitis resurgentis. Sed pro horum pleniori intelligentia videnda quaestio* 69. Supplementi ad 3. partem.

Circa Octavum quaesitum *dubitant Theologi. S. Thomas* hic *cum suis tuetur partem negativam. Bonaventura, Richardus, Franciscus* locis citatis *probabilius putant Christum liberasse omnes quotquot invenit purgatorio igni subiectos, eo quod essent membra ipsius per fidem et charitatem.*

QUAESTIO QUINQUAGESIMATERTIA.

DE RESURRECTIONE CHRISTI, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de his quae pertinent ad exaltationem Christi; et *primo,* de eius Resurrectione: *secundo,* de eius Ascensione: *tertio,* de eius sessione ad dexteram Patris: *quarto,* de iudiciaria potestate ipsius.

Circa *primum* occurrit quadruplex consideratio. Quarum *prima* est de Christi Resurrectione: *secunda,* de qualitate resurgentis: *tertia,* de manifestatione resurrectionis: *quarta,* de eius causalitate.

Circa primum quaeruntur quatuor.

1. De necessitate resurrectionis eius. - 2. De tempore. - 3. De ordine. - 4. De causa.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT NECESSARIUM CHRISTUM RESURGERE.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 53. *art.* 1.

VIDETUR haud fuisse necessarium Christum a mortuis resurgere. Nam [*Oxon.* 3. d. 24. n. 15.] si oportuisset ipsum resurgere maxime ob argumentum Pauli, 1. *ad Corinth.,* cap. 15.: *Si mortui,* inquit, *non resurgent, nec Christus resurrexit:* atqui Christus resurrexit; igitur mortui resurgent. Quo argumento visus est declaravisse mortuorum resurrectionem omnino futuram: sed Christi resurrectio non causat in nobis maiorem evidentiam de nostra resurrectione, quam si ipse non resurrexisset; uterque enim est fidei articulus immediate credendus independenter ab alio; ergo non oportuit Christum a mortuis resurrexisse ante generalem omnium resurrectionem.

2. PRAETEREA. Haud necessarium fuit Christum pati, et mortem subire pro liberatione generis humani, ex dictis *q.* 46. *art.* 1.; ergo nec oportuit ipsum a mortuis resurgere. *Probatio consequentiae:* quia enim nulla urgebatur necessitate mortem subeundi, libere et volens ipsam passionem et mortem pertulit; ergo et pariter libere resurrexit, et ita non necessario.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 43. q. 3. n. 2.] Iuxta Damascenum, *lib.* 4. *cap.* 19.: *Resurrectio est eius quod cecidit et dissolutum est secunda surrectio.* Sed haec ratio minime adaptari potest Christo; qui [*Oxon.* 3. d. 21.] nec cecidit in Adam, nec corpus ipsius dissolutum fuit per corruptionem; ergo dici non potest a mortuis resurrexisse, ac subinde multo minus ipsum resurgere oportuisse.

CONTRA. Ut Christus exaltaretur oportuit pati passionem et subire mortem per iniustissimam sententiam ei inflictam, ex *q.* 49. *art.* 6. Sed exaltari nequaquam potuisset nisi prius resurrexisset; igitur necessarium fuit ipsum resurgere.

RESPONDEO dicendum, Christum resurgere non aliter necessarium

fuisse, nisi necessitate consequentiae, ac subinde extitisse simpliciter contingens; quod enim sequitur ex libera et contingenti suppositione, liberum et contingens dicendum esse, declaratum fuit praecitata *quaest.* 46. *art.* 1. Verum quia. ut ibidem expositum est, *art.* 3. licet Deus alium penitus modum adhibere potuerit in hominum reparatione, praeter passionem et mortem Filii sui incarnati, tamen eo uti voluit modo tamquam omnium opportunissimo, et convenientissimo; quaecumque ergo a Mediatore, et per Mediatorem gesta sunt in negotio redemptionis nostrae magis fini praefixo convenientia et ipsum magis decentia extitisse fatendum est. Hoc ergo sensu et non alio fuere necessaria et passio, et mors et resurrectio, et reliqua omnia, quae evenisse vel sacrae Literae testantur, vel certa fide tenemus. — Et porro quam convenientissime Christi resurrectio accelerata sit, ac praevenerit generalem omnium resurrectionem, ex eo constat, quia homines esse resurrecturos est res ab humana ratione remotissima; nam ad eam nec est aliqua vis in natura, nec humanus intellectus potest eam attingere, ut ei propositioni necessario assentiatur, ut declarabitur *q.* 75. *Supplem. art.* 3. *In incidentibus.* Ergo expediebat et oportebat Christum primitias dormentium a mortuis resurgere, quo nullus esset ambigendi locus haud dissimilia a capite membra futura, ac [*Oxon.* 3. d. 34. n. 21.] robur spes acquireret ad longanimiter et fortiter ferenda adversa quae accidunt in via. Unde [*Report.* 4. d. 43. q. 1. n. 2.] Iob., 19. scribitur: *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Salvatorem meum: reposita est haec spes mea in sinu meo:* ergo ex eo quod Christus resurrexit ad vitam immortalem, dicit certo tenere et se pariter resurrecturum, et sperare cum illo vitam sempiternam acturum. — *Denique, quaest.* 43. *art.* 4. dictum fuit, editis miraculis Christum suam Divinitatem hominibus manifestasse; nemo enim hominum, quae ipse gessit cum illis circumstantiis aut fecit aliquando, aut facere potuit, ut late declaratum est *loco citato.* Inter miracula autem sublime admodum est *a mortuis resurgere;* per ipsam ergo mirabilem resurrectionem corroborata est fides de Divinitate; nam quia verus homo mortalis et passibilis erat, passus, mortuus, et sepultus est; et quia etiam Deus, conveniens fuit, ut ante hominum resurrectionem resurgeret ille qui homo erat et Deus. Unde [*Oxon.* 3. d. 24. n. 21.] Thomas videns eum a mortuis resurrexisse exclamavit: *Dominus meus et Deus meus.* Ioann., 20.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo: [*Oxon.* ib. n. 15.] quoniam in argumento proprie dicto creditur et consentitur conclusioni propter ipsum argumentum, et eius evidentiam, et ex Christi resurrectione nos inferre evidenter non possumus reliquorum mortuorum resurrectionem, manifestum est Pauli ratiocinationem non esse demonstrativam; et ita concedo [*Report.* 4. d. 43. q. 1. n. 2.] tam Christi resurrectionem, quam hominum esse credendas independenter ab alia, quia ex una non ostenditur reliqua. Sed nihilominus quia credimus Christum verum hominem vere mortuum fuisse et resurrexisse, praedicanti homines resurrecturos esse facilius assentimur, postquam didicimus, per fidem ipsum Caput nostrum iam resurrexisse. Hoc ergo sensu congruum et opportunum fuit Christum ante alios suam resurrectionem accelerasse, nec aliam hic adstruimus necessitatem, ut declaratum fuit *in solutione.*

AD SECUNDUM patet ex proxime dictis; quemadmodum enim Christus nulla necessitate coactus mortem subivit, ita et libere resurrexisse fatemur, quamvis postquam Deus sapientissime et opportunissime ea fieri decrevit, omnino eventura erant; sed quoniam praesuppositio libere posita fuit, ita pariter et quae inde sequuta sunt proprie necessitatem exclusisse constat.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 21. q. 1. n 1.] quamquam Christi corpus dissolutum non fuerit per corruptionem, nec Adae culpae subiectus esse potuerit, nihilominus ipsum cecidisse per mortem, cum scilicet extrinsecus violentia sibi illata anima separabatur a corpore, ut vere tunc homo esse desierit. Homo ergo cecidit per mortem, et rursus homo reparatus est per resurrectionem.

ARTICULUS II.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM TERTIA DIE RESURGERE.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 53. *art.* 2.

VIDETUR minus conveniens fuisse Christum tertia die resurgere. Nam [*Oxon.* 4. d. 43. q. 1. per tot.] generalis omnium hominum resurrectio est futura: sed hanc credimus futuram in mundi fine; ergo convenientius tunc Christus una cum aliis surrexisset. Etenim [*Oxon.* 3. d. 21. n. 1.] Christus erat secundum humanitatem in omnibus similis aliis hominibus, excepto peccato; cum illis ergo magis convenienter resuscitatus fuisset.

2. PRAETEREA. Ex dictis, *art. praec.* conveniens fuit Christum suam resurrectionem accelerasse, quod fides de Divinitate ipsius roboraretur: sed id efficacius praestare potuisset si statim ac mortuus est, vel citius ac factum esse tenemus, resurrexisset; igitur non fuit conveniens eum tertia die resurgere.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 4.] Christum tertia die resurrexisse a mortuis articulus fidei est; igitur ordine convenienti id gestum fuit.

RESPONDEO dicendum, convenientissime Christum tertia die a mortuis surrexisse. Nam quemadmodum conveniens fuit Christi corpus exanime sepulchro inferri, ne ulla subesset occasio dubitandi de vera et reali morte ipsius, ut dictum est *q.* 51. *art.* 1., ita pariter ad ostendendum ea, quae facta sunt vere evenisse et non ad apparentiam, oportuit aliquamdiu illud corpus Verbo unitum in sepulchro ab anima separatum iacere. Et [*Oxon.* 3. d. 21. n. 6.]. quoniam altera ex parte dedecebat diutius inibi moram trahere, et insuper comprobanda erat ipsius Christi Divinitas per resurrectionem, tertia die virtute Verbi anima iterum corpori unita per informationem, revixit et resurrexit ad vitam immortalem. Hinc [ib. 4. d. 3. q. 4. n. 18.] Salvator cum praedixisset suis discipulis passurum se flagella, irrisiones et mortem a Gentibus opera Iudaeorum ad id impellendis, subdit, et *postquam flagellaverint occident eum, et tertia die resurget.* Lucae 18. Caeterum id triduum accipiendum est, ut ex Augustino retulimus supra *q.* 51. *art.* 4.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: etsi Christus quoad huma-

nitatem fuerit in omnibus similis caeterorum hominum, excepto peccato, nihilominus non conveniebat ipsum resurgere cum aliis in generali resurrectione, quia, praeter ea quae dicta sunt *in solutione*, ipse Christus per summam humiliationem passionis et mortis meruit exaltari, et consequenter resurgere a mortuis ad vitam immortalem, ut dictum est *q.* 49. *art.* 6. At caeteri homines resurrecturi sunt per Christi resurrectionem veluti per causam meritoriam, ut patebit infra, *q.* 56. Igitur reliqui homines non debebant una cum Christo resurgere, qui non per propria, sed per Christi merita resurrectionis beneficium obtinuissent; at Christi resurrectionem oportebat praevenire resurrectionem caeterorum, ut causa moralis et libera solet suum praecedere effectum.

AD SECUNDUM dico, utique Christum mox ac mortuus est vel citius triduo resurgere a mortuis potuisse; temporis spatium inter mortem et resurrectionem convenienter interiectum esse, ut, ne per umbram quidem de veritate mortis ipsius occasio ulla dubitandi oriretur.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS PRIMO RESURREXERIT.

Doctor, loc. infr. citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 53. *a.* 3.

RESPONDEO dicendum [*Oxon.* 4. d. 43. q. 1. n. 1. — q. 2. n. 3. d. 49. q. 15. n. 4.-5.] — *Prol.* q. 2. n. 10.-12. — Christum omnium primum a mortuis surrexisse, ut diserte traditum est in Scriptura; 1. enim *ad Corinth.*, cap. 15., scribitur: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium.* Et rursus Actuum 26. inquit idem Apostolus, *Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum.* Cum igitur narrant Evangelistae Salvatorem quosdam mortuos resuscitasse, et Moysen et Eliam transfigurato in monte adstitisse, ac discipulis videndos se praebuisse, et in morte Salvatoris multos e monumentis exiisse, non contradicunt iis, quae a Paulo praedicantur; nam [*Quodlib.* q. 20. n. 20.] aut illi rursus morituri revixerunt; aut Christi resurrectionem non praecesserunt, sed potius imperio eius qui resurrexerat paruerunt; Christus autem primus omnium resurrexit ad vitam immortalem, et impassibilem, non amplius moriturus, sed magis de morte triumphaturus.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS FUERIT CAUSA SUAE RESURRECTIONIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 43. *q.* 3. — 3. *d.* 16. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 53. *a.* 4. (*Quaestio praecedit de causa physica, non meritoria, quae sola Christus est*).

VIDETUR Christus fuisse causa suae resurrectionis. Etenim [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 1.] id aperte testatus est idem Salvator dicens: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.* Ioann., 10. Ponere autem animam est mortem subire; iterum vero eam sumere est a mortuis resurgere; ergo Christus revera exititit causa suae resurrectionis.

2. PRAETEREA. Ille videtur esse causa resurrectionis, a quo potest induci saltem aliqua dispositio, ad quam necessario sequatur unio animae cum corpore; nam [*Oxon.* ib. n. 13.] agens naturale inducens dispositionem in corpore organico, perfectam scilicet organizationem, sequitur necessario animae infusio; ergo pariter potuit naturaliter induci ab anima Christi dispositio in corpus, ad quam necessario sequatur unio ipsius cum corpore, et ita resurrectio.

3. PRAETEREA. Christus per passionem et mortem meruit exaltationem et resurrectionem; ergo ipse fuit causa suae resurrectionis. *Probatur consequentiae:* quia Christus meruit nostram resurrectionem, recte dicitur non nos sed Christus esse causa resurrectionis nostrae; ergo quoniam meruit propriam resurrectionem, ipse extitit causa suae resurrectionis.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 12.] Solus Deus potest unire animam intellectivam corpori; ergo ipse solus est causa resurrectionis; ac consequenter Christus erat fuitque causa suae resurrectionis quatenus Deus.

RESPONDEO dicendum, Christum fuisse causam activam suae resurrectionis quatenus erat Deus, non quatenus erat homo, idest, non iterum uniebatur anima corpori per virtutem ipsi animae inexistentem, sed per virtutem divinam. Nam [*Oxon.* 4. d. 43. q. 3. n. 21.] neque anima potest seipsam corpori defuncto unire, nec ab aliqua substantia corporea; causa enim aequivoca est perfectior suo effectu; continet namque id ipsum effectum et aliquem alium praeterea, alioquin non esset causa aequivoca. Anima autem est homine imperfectior, sicut pars est imperfectior toto; et homo etiam est perfectior qualibet alia substantia corporea; igitur nec anima nec aliqua alia substantia corporea possunt hominem causare, sicut hominem causat et efficit uniens animam rationalem corpori. — Quemadmodum igitur [*Oxon.* ib.] solus Deus est creans animam et infundens corpori quando primo corpori unitur per generationem, ita solus ipse potest iterato unire animam corpori in resurrectione, quae est secunda productio hominis; et consequenter quando anima Christi Domini corpori suo uniebatur et resurgebat homo, id peragere nequit propria virtute, sed virtute Verbi, cui erat ipsa anima unita.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 15.] Christum potestatem habuisse ponendi animam suam effective, quatenus Deus, qui separavit animam a corpore postquam per inflictam passionem non erat amplius aptum animationi; et pariter ut Deus habebat potestatem sumendi eam; et revera divina virtute et potestate factum est ut iterum corpori uniretur, et homo resurgeret qui per mortem ceciderat.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 13.] nullam dispositionem inductam ab agente naturali in materiam esse dispositionem necessariam ad animae infusionem; quaecumque enim dispositio in materiam inducta se tenens ex parte materiae et in ratione receptivi, cuiusmodi est forma mixtionis perfectibilis ab anima intellectiva, nequit necessitare ad causandam animam; quia quacumque dispositione intellecta, adhuc materia est in potentia contradictionis ad ipsam animam intellectivam, ut possit et non possit ea informari; nihil ergo positum ab agente naturali in materia necessitat Deum ad animae productionem, quia Deus voluntarie

et contingenter causat quicquid extra se causat. Et quamvis ad corporis organizationem sequatur regulariter animae infusio, ad id tamen nullum habere potest influxum forma illa mixtionis, sed ipse naturae Auctor immediate et creat et infundit ex lege suae Providentiae ab se libere statuta.

AD TERTIUM concedo Christum extitisse causam meritoriam tam proprie, quam aliorum resurrectionis: verum non de causa meritoria, sed de physica et reali esse quaestionem. Itaque quoniam haec causa nequit esse alia, quam virtus divina, cuius solius est mortuos suscitare ipse Christus ut Deus effecit propriam resurrectionem, ut in novissimo die est effecturus resurrectionem hominum caeterorum.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAQUARTA.

DE QUALITATE CHRISTI RESURGENTIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de qualitate Christi resurgentis.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum post resurrectionem Christus habuerit verum corpus. - 2. Utrum resurrexerit cum corporis integritate. - 3. Utrum corpus eius fuerit gloriosum. - 4. De cicatricibus in corpore eius apparentibus.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS POST RESURRECTIONEM HABUERIT VERUM CORPUS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 3. — *d.* 49. *q.* 16.
S. Thom. 3. *p. q.* 54. *a.* 1.

VIDETUR Christus post resurrectionem non habuisse verum corpus. Etenim Christus resurrexit clauso sepulchro; nam [*Oxon.* 4. d. 49. q. 16. n. 4.] mulieres venientes ad sepulchrum dicebant: *Quis revolvet nobis lapidem?* Similiter Christus intravit ad discipulos ianuis clausis. Igitur corpus Christi cum resurrexisset simul fuit cum alio corpore; sed verum corpus non potest esse simul cum alio corpore, adeo ut compenetrentur; igitur post resurrectionem Christus non habuit verum corpus.

2. PRAETEREA. Christus post resurrectionem suam apparuit in alia forma ac habuerit dum ageret in vita mortali; visus est enim duobus discipulis euntibus in Emmaus esse quidam peregrinus: verum autem corpus non videtur posse mutare eam formam et figuram, quam naturaliter praesefert; igitur potius videtur habuisse Christus post resurrectionem corpus phantasticum, quam verum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 1.] Lucae, 24. *Palpate,* inquit Salvator, *et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere,* ergo verum corpus habuit, tale nimirum, quali praeditum

erat priusquam moreretur. Unde [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 31.] Ambrosius (et ponitur *De Consid.*, 2. Omnia quaecumque), *Sane,* inquit, *corpus quod ex Virgine sumptum est, quod passum est et sepultum, quod resurrexit et in Caelum ascendit.* Si igitur idem corpus Christi quod fuerat passum et sepultum resurrexit, profecto verum corpus resurrexit, sicuti verum corpus fuit passum.

RESPONDEO dicendum, Christum post resurrectionem habuisse verum corpus humanum et idem prorsus, quod assumpserat dum factus est homo; illud enim quod semel assumpsit numquam a Verbo separatum fuit, ut ait Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 27. Quamvis ab eo per mortem anima separata sit; si autem semper fuit cum Verbi hypostasi unitum vivens in morte, et post mortem; ut igitur ante et in morte fuit verum corpus, ita fuisse oportuit post resurrectionem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 49. q. 16. n. 4.] revera Christum, ut ex utero Virginis exivit integris remanentibus virginitatis claustris, ita de clauso sepulchro exisse et ad discipulos ianuis pariter clausis intrasse. *Cum itaque dicitur:* verum corpus non potest esse simul cum alio corpore; *respondeo,* id verum esse de corporibus non gloriosis; beatorum enim corpora dotem subtilitatis adepta, non inveniunt ullam repugnantiam in penetrandis aliis corporibus non solum beatis, verum etiam non habentibus eamdem subtilitatis dotem. Vel potest dici, Christi corpus fuisse cum aliis corporibus virtute Divinitatis, quemadmodum eadem virtute iterum fuerat vitae restitutum.

AD SECUNDUM dico: Christus post resurrectionem suam non immutavit corporis sui formam et figuram, etsi alius ab eo ac esset conspici quandoque voluerit. Porro ita apparere dignabatur virtute divina. Deus enim [*Oxon.* 4. d. 49. q. 15. n. 5.] absque ulla repugnantia potest non coagere cum corpore aliquo ad immutationem potentiae visivae potentis illum attingere, et interim causare visionem in potentia illa per qualitatem quae non est illius obiecti, et ita factum est cum discipulis illis, quibus Christus visus est in forma peregrini, licet tunc propriam habuerit formam.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTI CORPUS RESURREXERIT INTEGRUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 16. *q.* 2. — 4. *d.* 44. *q.* 1.
S. Thom. 3. *p. q.* 54. *a.* 2.

VIDETUR corpus Christi haud resurrexisse integrum. Etenim [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 7. seqq.] illud corpus non surrexisse integrum existimandum est, cui deest aliqua pars sanguinis, qua constabat et integrabatur dum erat vivens: sed corpori Christi desunt aliquae particulae pretiosissimi sanguinis, quae in terris remanserunt, et ut fas est venerantur; ergo non surrexit corpore integro.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 7. — 4. d. 44. q. 1. n. 15.] Christi corpus dum vita mortali viveret subiectum erat causis naturalibus agentibus ad invicem; ergo oportuit multas partes spectantes ad constitutionem eius corporis fluxisse per actionem earum naturalium causarum, perinde ut in caeteris hominibus: sed eas partes, quae ei defluxerunt in

vita, non reassumpsit ex mortuis resurgens; ergo tale corpus non resurrexit integrum. *Probatur minor:* etenim loco partium quae effluxerunt aliae aggeneratae fuerunt per virtutem nutritivam; ergo si omnes reassumere voluisset, illud corpus ultra proportionem excrevisset, quod non videtur probabile.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 7. seqq. — 4. d. 44. q. 1. n. 16.] Si Christi corpus subiectum erat pugnae causarum naturalium ut caetera corpora viventium; igitur cum resurgeret, minime potuit habuisse eamdem carnem qua componebatur dum esset in vita mortali: sed ad integritatem corporis facere videtur ut resurgens constet iisdem partibus quas habebat priusquam moreretur; ergo Christi corpus non surrexit integrum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 32.] Damascenus, *lib.* 3. *cap.* 3. *Nullam,* inquit, *partium naturae deposuit.* Igitur si nullam partium naturae deposuit in morte, profecto in perfecta integritate resurgere debuit.

RESPONDEO dicendum, Christum resurrexisse cum perfectissima corporis integritate, et ea omnia habuisse, quae spectant ad veritatem humanae substantiae, non solum [*Oxon.* 4. d. 43. q. 1. n. 15.] nimirum animam eamdem, et idem corpus quod vivens et ante mortem habuit, sed etiam partes integrales eius, et non tantum etherogeneas, verum etiam homogeneas, ex quibus etherogeneae componuntur, et quicquid denique fuit vere aliquando animatum anima intellectiva, vel per se aliquid huiusmodi animati. — *Verumtamen* licet hoc verum sit et dicendum pariter de quolibet homine in generali resurrectione ad vitam revocando, non tamen quicquid fuit in Christo pro tempore vitae eius de veritate naturae ipsius reperiebatur in eo cum a mortuis resurgeret. Nam [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. — 4. d. 43. q. 1. n. 15.] multas partes spectantes ad veritatem naturae humanae fluxisse, constat, dum viveret per actionem continuam caloris in humidum radicale, et loco deperditarum virtute nutritivae rediisse; igitur si resurgendo omnes illas reassumpsisset, necessario eius corpus extitisset immoderatae quantitatis, vel densius quovis alio corpore humano: neutrum est verisimile, quia Christi corpus nihil indecorum assumpsit dum viveret vita mortali, et ita multo minus in resurrectione decuit id assumpsisse cum erat omnino gloriosum et impassibile; tunc igitur pariter quoad entitatem et raritatem habuit corpus proportionatum informationi animae rationalis.

Quae igitur partes in Christo resurgente redibant ut haberet undique corpus integrum et perfectissimum, quale nimirum decebat animam perfectissimam? — *Respondeo* [*Oxon.* 4. d. 43. q. 1. n. 15. seqq.] quoniam regulariter loquendo pars prima in corpore hominis viventis purior est illa, quae loco eius aggeneratur per vim nutritivam, quae per continuam actionem in contrarium magis magisque debilitatur, et consequenter minus perfectam partem generat, videtur dicendum in corpore Christi rediisse et reparatum fuisse ex partibus purioribus, quae aliquando fuerunt partes illius corporis, quantum spectabat ad decorem, et pulchritudinem et perfectissimam symetriam corporis animandi ab anima omnium perfectissima, et consequenter habuisse totum id quod pro eius formatione acceptum fuit ex B. Virgine, quia ea fuit omnium partium purissima, et de genitis ex nutrimento, semper priores partes, quia puriores usque ad congruentem et decentem quantitatem corporis humani.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: [*Oxon.* 4. d. 3. q. 1. n. 4. — d. 10. q. 4. n. 3.] sanguis non est animatus anima intellectiva, sed est in proxima dispositione ut convertatur in carnem animatam; reassumpta ergo in resurrectione carne ex purioribus partibus quae animatae fuerant ab anima intellectiva, videtur non oportuisse Christum reparare partes sanguinis eius, quae per actionem causarum naturalium toto vitae tempore fluxerunt; bene tamen oportuit reassumpsisse sanguinem, caeterosque humores ad veritatem humanae naturae spectantes, quos in passione profudit, quia alias integrum illud corpus non fuisset, cui aliquid tale, ad veritatem scilicet humanae naturae faciens, defuisset. Quod si interim aliquae guttae pretiosissimi sanguinis Salvatoris ex fide historica et traditione Ecclesiastica reperiantur in terris, eas dicendum est relinqui voluisse Christum ad memoriam suae sacratissimae passionis altius imprimendam, sed ipsas tamen ad integritatem et perfectionem corporis eius non fecisse; sed ultra si supervixisset excerni et digeri debuisse; eas tamen sanguinis particulas seu guttas esse interim a Verbo separatas sine controversia debet esse, quemadmodum si incidit sibi ungues, vel rasit aut totondit capillos, eas superfluitates in terris remansisse, nec in resurrectione reassumptas aut Verbo unitas esse oportere, ac proinde corpus per omnia integrum surrexisse modo supra declarato.

AD SECUNDUM dico, declaratum iam fuisse quas partes corporis sui Christus in resurrectione reassumpserit; nam certum est non omnes quae illi infuerunt in vita reparatas fuisse in resurrectione, quia tunc, ut argumentum procedit, oportuisset in magnam molem corpus illud excrescere; ergo puriores dumtaxat et perfectiores accepit, quae fuerunt aliquando ab eius anima informatae, ultra illam quam praebuit B. Virgo Maria in efformatione corporis Filii sui, quia illa extitit omnium partium perfectissima et purissima, et ideo eius nihil aliquando deperditum esse.

AD TERTIUM concedo, Christi corpus non habuisse carnem eamdem, quam habuit pro aliquo instanti, vel etiam pro aliquo tempore vitae suae, sed nec totam in resurrectione accepisse quam habuit pro tota vita, ut dictum est, excepta illa quam contraxit ex B. Virgine; illius quidem nihil amisisse fatendum est. Verum quoad caeteras partes attinet per nutritivam acquisitas accepisse puriores, donec evaderet corpus perfectum, reliquas reparari, et reassumere nec decuisse nec oportuisse; et ita corpus resuscitatum fuisse magis idem corpori habito in hac vita, quam si extitisset idem corpori quod habuit in aliquo instanti vel tempore determinato vitae suae. Si esset enim idem illi pro tali instanti, esset magis aliud a corpore suo pro alio instanti, quod non sequitur ponendo reassumpsisse aliquas partes, nempe puriores ex omnibus, quae aliquando fuerunt in corpore illo pro toto tempore vitae suae. Sed de hac materia videnda *quaest.* 80. *Supplementi, art.* 4.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTI CORPUS RESURREXERIT GLORIOSUM.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 16. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 54. *a.* 3.

VIDETUR Christi corpus minime resurrexisse gloriosum. Nam [*Oxon.* 2. d. 8. n. 4. seqq.] corpora gloriosa non exercent, nec exercere possunt

actus et operationes vitales animae, praesertim vegetativae: sed constat Christum post resurrectionem manducasse et bibisse cum discipulis suis; scribitur enim Lucae, 24. petenti Salvatori aliquid manducandum discipulos apposuisse partem piscis assi, et favum mellis, atque esitasse; ergo eius corpus non erat gloriosum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 14. n. 1.] Beatorum corpora erunt splendida et lucida, iuxta illud Sapientiae, 3. *Tamquam scintillae in arundineto discurrent:* sed Christi corpus post resurrectionem non erat magis lucidum et scintillans quam fuerit ante mortem, imo cum pluries et diversis apparuisset post resurrectionem, numquam visus est habere alium colorem aut lucem, ac habuerit prius; ergo non videtur resurrexisse gloriosum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 1.] Corpus gloriosum inter alia est habiturum dotem incorruptibilitatis: sed Christi corpus post resurrectionem minime fuit incorruptibile; ergo nec erat gloriosum. *Probatur minor:* nam Gregorius super illud Ioann., 20. *Infer digitum tuum huc,* etc. ait, *corrumpi necesse est quod palpatur.* Igitur cum Christi corpus fuerit tunc palpabile, oportuit fuisse et corruptibile, et ita minime gloriosum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 16. n. 1.] Christus resurgens ex mortuis exivit de sepulchro ad cuius ostium erat advolutus lapis, et intravit ad discipulos ianuis clausis; ergo eius corpus erat gloriosum; corpora enim non gloriosa se mutuo penetrare non possunt.

RESPONDEO dicendum, Christum surrexisse cum corpore glorioso; etenim [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5. — *Report.* ib. n. 3. seqq.] in tantum dum agebat vitam mortalem non habuit corpus gloriosum, in quantum erat mortem subiturus pro redemptione generis humani, quem finem minime assequi potuisset si gloriosum corpus gestasset; ex eo enim fieri non poterat ut quicquam pateretur. Habebat ergo corpus passibile et mortale, idest, non gloriosum, quia ex miraculosa dispensatione impediebatur ne gloria qua fruebatur anima Christi redundaret in vires inferiores et in corpus. Peracta igitur passionis et mortis eius dispensatione, resurgens non amplius moriturus, corpus debuit esse gloria perfusum, impassibilitate, immortalitate, caeterisque dotibus Beatorum donatum. — *Deinde:* sua passione Christus promeruit, ut Deus amoveret illud impedimentum redundantiae gloriae in corpus; repraesentata ergo et defunctus iam passione et morte, debuit tot laboribus et meritis iustum rependi praemium, quod erat corporis glorificatio et impassibilitas, et hoc ipse orabat ad Patrem: *venit hora clarifica, Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Ioann., 17.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 2. d. 8. n. 5.] eam Christi commestionem non extitisse actionem vitalem, quatenus nimirum per ipsam converteretur cibus in substantiam comedentis, quia nullo eiusmodi cibo tunc indigebat Christi corpus post resurrectionem; at nihilominus manducasse, quatenus comestio est contritio cibi et traiectio eius in partem interiorem seu stomachum; id vero absque ulla repugnantia fieri potuisse a corpore glorioso. Aliam responsionem ad hoc argumentum videsis infra, *q.* 55. *art.* 6.

AD SECUNDUM [*Oxon.* 4. d. 49. q. 15. n. 5.] *est responsio dicentium* non apparuisse intuentibus corpus Christi claritatem eius, quia sicuti in

potestate hominis glorificati est videri, et non videri, ita pariter in potestate ipsius est ostendere, et non ostendere ipsius claritatem; et ita Christum post resurrectionem voluisse praebere se intuendum in sua gloriosa claritate: *Sed haec responsio non videtur vera:* — quia non apparet qua ratione aliqua actio naturalis subsit imperio voluntatis creatae; nulla enim voluntas creata potest impedire actionem ignis ne agat in aquam sibi approximatam, et ita pariter non est in potestate Beati occultare sui corporis claritatem cum approximatur passo proportionato, sicuti est oculus respectu lucis sensibilis. *Et ideo dico,* divina potestate factum esse ne oculi discipulorum viderent claritatem Christi postquam a mortuis resurrexit. Deus enim est primum agens, quo non agente cessat omnis actio creaturae. Deus itaque cooperabatur ad immutandam potentiam visivam dumtaxat ut cernerent personam Christi, non autem ipsius gloriam, ut ex anima redundabat in corpus.

Ad tertium dico: si fuit tangibilis quantitas corporis Christi gloriosi, ut ait B. Gregorius, per quamdam resistentiam, non tamen [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 12.] tactum potuit immutare per aliquam qualitatem sensibilem tangenti impressam; quia non tangeretur nec ut dura, nec ut mollis, nec ut calida, nec ut frigida, etc. Quod igitur tangitur secundum aliquam qualitatem sensibilem immutando tactum, est corruptibile, *concedo:* et licet illud corpus habuerit in se principia corruptionis, et sibi derelictum fuisset corruptum, nihilominus quia praeservabatur a Deo, et gloria animae perfusum, erat incorruptibile.

ARTICULUS IV.

UTRUM CORPUS CHRISTI DEBUERIT CUM CICATRICIBUS RESURGERE.

Doctor, loc. infra citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 54. *art.* 4.

Videtur Christi corpus haud cum cicatricibus resurgere debuisse. Etenim ex dictis, supra *art.* 3. Christi corpus resurrexit omni ex parte integrum: sed corpus cicatricibus deformatum debita integritate, quae ad eius decorem et pulchritudinem et idoneum usum membrorum attinet, plane videtur carere; ergo etsi Christi corpori cicatrices in passione inustae fuerint, illis obductis et deletis, resurgere debuit. *Minor declaratur:* [*Oxon.* 2. d. 37. q. 1. n. 10.] quia etsi vulneratus nullam sui partem amittat, tamen continuitas solvitur membrorum, et exinde minus habilis redditur exercendis operationibus vitae; quam imperfectionem oportuit longe abfuisse a Christi corpore glorioso, eo quod nullum corpus non gloriosum et vulnera passum dici queat integrum atque perfectum.

2. Praeterea. Augustinus in *Enchirid.*, cap. 91. De Sanctorum resurrectione disserens, *Resurgent,* inquit, *Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: propter quod et spiritualia dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus.* Igitur si talis Sanctis eveniet resurrectio, multo magis Christi resurrectio ea habere debuit privilegia et praerogativas, cum exemplar sit Sanctorum resurrectionis: sed vulnera et cicatrices corporis efficiunt ipsum deforme et vitiis scatens; igitur Christi corpus

videtur resurgere debuisse sine ullis cicatricibus, expers nimirum omnis deformitatis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 44. q. 1. n. 2.] Si vulnerum loca in corpore Christi resurgentis non fuerunt obducta et deleta, igitur et corpora caeterorum resurrecturorum pariter loca cicatricum et vulnerum, quae ipsis inflicta fuerunt in vita mortali, praeseferent patentia: sed hoc ipso corpora illa multo decore et pulchritudine carerent, et complura forent enormiter deformia; igitur si corpora Beatorum iis deformitatibus sunt caritura, multo magis et corpus Christi.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 1.] Ioann., 20. *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum*, dicit Salvator Thomae, cum iam a mortuis surrexisset.

RESPONDEO dicendum, conveniens fuisse Christum cum illis ipsis cicatricibus et vulneribus sibi a crucifixoribus impiissime inflictis a mortuis resurgere. Cuius facti etsi multae rationabiles congruentiae assignentur, illa tamen omnium potissima videtur quam Ioannes in Evangelio annotatam reliquit; per hoc enim quod anima felicissima Christi corpus vulneribus deformatum reassumpsit, egregie comprobatum est ipsum verum corpus passibile et mortale assumpsisse, vere mortuum esse, ac verissime a mortuis resurrexisse, cum illas easdem corporis cicatrices ad vitam immortalem resurgendo praesetulerit, quibuscum sepulchro illatum fuerat, atque inibi exanime triduo iacuerat. Cicatrices ergo illae et lateris vulnus in corpore Christi resurgentis omnem prorsus dubitandi occasionem ademerunt de identitate corporis Christi. Nemo enim ambigere poterat quin illud corpus quod resurrexisse cernebant fuerit idem quod in Cruce pependit, et sepulchro fuerat illatum; quae profecto [*Oxon.* 3. d. 24. n. 1.] Salvator praeclare insinuavit illis verbis ad Thomam quidem directis, sed ad fideles omnes attinentibus, *Infer digitum tuum huc*, inquiens, *et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis*. Et continuo ille exclamans ait: *Dominus meus, et Deus meus*. Quo clare significatum est ex resurrectione corporis cum ipsis cicatricibus quas praeseferebat cum monumento conderetur, Thomam agnovisse Christum verum hominem esse, verumque Deum.

AD ARGUMENTA. Quoniam omnium est una eademque difficultas, praemittenda est Augustini doctrina ex cap. 20., lib. 22. *De Civitate: Nescio*, inquiens, *quo autem modo sic afficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quae pro Christi nomine pertulerunt. Et fortasse videbimus: non enim deformitas in eis, sed dignitas erit et quaedam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit*. Et paucis interiectis, *Quamvis itaque*, inquit, *omnia quae acciderunt corporis vitia tunc non erunt, non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia*.

Ex his ergo AD PRIMUM concedo, Christi corpus resurrexisse integrum et perfectissimum, uti decebat corpus animae omnium perfectissimae, iuxta dicta *art.* 2.; sed nego cicatrices vulnerum ullam ei deformitatem attulisse, quia in illis non aliqua deformitas, sed maxima effulgebat dignitas ob ea, quae per illa vulnera praeclarissime gessit. Nam perfecit in ipsis opus redemptionis humanae, ac promeruit exaltari usque ad dexteram Patris; non erant ergo Christi corpori cicatrices illae oneri, nec propter eas ullam sentire poterat difficultatem, quia non erant nisi virtutis indicia, et non corporis vitia.

Unde AD SECUNDUM dicendum, et Beatorum corpora, et Martyrum caritura in illo Regno beatitudinis omni deformitatis vitio; et utique exemplo resurrectionis Christi; sed tam in capite, quam in membris mansura ipsa virtutis argumenta, ex quibus nulla deformitas, sed magis tanta propter illa dignitate eminebunt, quanta illinc ipsis merita obvenere.

AD TERTIUM patet responsio ex dictis.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAQUINTA.

DE MANIFESTATIONE RESURRECTIONIS, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de manifestatione resurrectionis Christi.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum Christi resurrectio omnibus manifestari debuerit, an solis quibusdam specialiter personis. - 2. Utrum fuisset conveniens, quod eis videntibus resurgeret. - 3. Utrum post resurrectionem debuerit cum discipulis suis conversare. - 4. Utrum fuerit conveniens, quod suis discipulis in aliena effigie appareret. - 5. Utrum resurrectionem suam argumentis manifestare debuerit. - 6. De sufficientia illorum argumentorum.

ARTICULUS I.

UTRUM RESURRECTIO CHRISTI DEBUERIT OMNIBUS MANIFESTARI, AN QUIBUSDAM SPECIALIBUS PERSONIS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. p. q. 55. a. 1.

VIDETUR Christi resurrectio omnibus omnino manifesta esse debuisse. Nam, iuxta dicta *q.* 49. *art.* 6., Christus ob passionem meruit exaltationem et glorificationem: sed ab ipsius resurrectione initium sumpsit eiusdem exaltatio et glorificatio; igitur [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 1.] debuit omnibus esse manifestum a mortuis resurrexisse eum, cui ex humilitate et obedientia complacuit usque ad mortem Crucis humiliari; aut saltem debebat id innotescere illis omnibus, qui viderant, aut audierant eum mortem Crucis pertulisse.

2. PRAETEREA. Ordo, quo fertur Christi resurrectio percrebuisse, minus conveniens esse videtur; nam perhibetur primum Mariae Magdalenae innotuisse, et per illam Apostolos didicisse Christum vivere: sed [*Oxon.* 4. d. 25. q. 2. n. 3. seqq.] id evenisse constat contra mandatum Apostoli, 1. *ad Corinth.*, cap. 2. dicentis: *Docere mulierem non permitto;* ergo potius conveniebat Magdalenam, aliasque mulieres instrui ab Christi Discipulis de ipsius resurrectione, quam id per Mariam illis annunciari.

CONTRA. Ioann. 20 et Marci 16. narratur qualiter primum mulieres per Angelum edoctae sunt de Christi resurrectione, et per illas id Discipulis annunciatum esse.

RESPONDEO dicendum, Christi resurrectionem non omnibus statim manifestari debuisse, sed solum certis quibusdam personis, quibus me-

diantibus proponeretur toti Ecclesiae credenda; revelationes enim [*Oxon.* 2. d. 11. n. 5. — 4. d. 49. q. 16. n. 4.] secundum Dionysium, 4. *De Caelesti Hierarch.*, fiunt hominibus per Angelos, et per Angelos quidem manifestata fuit Christi resurrectio Mariae Magdalenae, quae mox annunciavit Apostolis Christum a mortuis resurrexisse. At Salvator quo magis discipuli confirmarentur de ipsius resurrectione successive modo istis, modo illis apparuit, adeo ut indubitati testes fierent de tam mirabili mysterio. Unde [*Oxon.* 3. d. 24. n. 15.] et Apostolus, *ad Corinth.*, 1. cap. 15. scribens dicit: *Si Christus non resurrexit, invenimur falsi testes.* Quamquam ipse non sit inventus inter eos qui testes fuerunt, quia post Christi Ascensionem Apostolus effectus est. Revelatum itaque [*Ib. Prolog.* q. 1. n. 23. — 1. d. 16. n. 2. — 3. d. 24. n. 17.] fuit Apostolis, et quibusdam aliis certis personis resurrectionis Christi mysterium, et locutione interiori, qua assenserunt Magdalenae annuncianti, et exteriori per Christi apparitionem; ex quibus factum est, ut tantam certitudinem de ea ipsi habuerint, ut non potuerint dubitare, aut non assentire Christum resurrexisse a mortuis; sicuti nos non possumus non assentiri primis principiis demonstrationum; quae notitia et firmitas in credendo erat necessaria ipsis Apostolis, ex quibus veluti ex montibus descenderet in colles, idest in inferiores Ecclesiae, omnis notitia et fides credendorum, et ipsi in tanta certitudine fierent fortiores in sustinendis laboribus, et alacriores in disseminanda veritate per orbem. Sicuti igitur de reliquis credendis ex illis ad nos descendit notitia, nec congruum est omnibus fidelibus fieri eas credendorum revelationes, quas accepisse Apostolos constat, ita ordine convenientissimo certificatis maioribus Ecclesiae de Christi resurrectione multiplici argumento, alii et inferiores crederent indubiae veritati, cuius illi testes fuerunt.

Ad Argumenta. Ad primum concedo, Christi exaltationem et glorificationem secundum corpus ortum traxisse ab eiusdem gloriosa resurrectione; tunc enim primum animae gloria redundavit in corpus, efficiens illud impassibile et immortale; sed tamen huius glorificationis notitiam non oportuisse tunc omnes habere; ne illos quidem qui viderunt eum de Cruce pendentem occubuisse; sed magis fuisse divulgandam una cum disseminatione legis Evangelicae; ut qui audituri erant Christum mortem Crucis pertulisse, una intelligerent tertia tamen die eum resurrexisse, ac non diu post ad Caelos ascendisse. Porro [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 11.] ut id Apostoli efficere inciperent, prius erant induendi virtute ex alto, iuxta promissum Salvatoris iam iam ad Caelos ascensuri, Lucae, 24. Quod et factum est ipso die Pentecostes, quo die Hierosolymis solemniter praedicare coeperunt, et successive per orbem universum Lex Evangelica disseminata est. Non ergo conveniebat Christi resurrectionem omnibus mox manifestari, sed magis sensim et successive ea erat veritas per orbem manifestanda et disseminanda, tamquam caput et articulus principalis Catholicae doctrinae.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 25. q. 2. n. 4.] dictum Apostoli esse intelligendum de doctrina publica in Ecclesia, cui ministerio se implicare mulieribus interdicit, quia nec permisit Christus. Caeterum aliquid privatim annunciare per mulieres, etsi natura et gradu inferiores sint iis, quibus annunciant, nullum est inconveniens, nec ulla lege vetitum; praesertim [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. n. 20.] cum supernae revela-

tiones non sequantur nec fiant necessario secundum ordinem naturarum, sed iuxta beneplacitum divinum, quo unum prae aliis eligitur ad hoc vel illud munus obeundum in Ecclesia, licet qui non eliguntur interdum sint altioris ordinis et gradus, aut etiam naturae; nam [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 1.] Paulus, 3. *ad Ephes.* dicit Sacramentum Incarnationis Christi absconditum fuisse principibus et potestatibus in caelestibus, eisque per Ecclesiam innotuisse.

ARTICULUS II.

UTRUM FUERIT CONVENIENS, QUOD DISCIPULI VIDERENT CHRISTUM RESURGERE.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 55. *art.* 2.

VIDETUR convenientiori ordine proponi potuisse Ecclesiae credenda Christi resurrectio, si discipulis datum esset ipsum resurgentem intueri. Nam [*Oxon.* 3. d. 24. n. 13.] secundum Augustinum, 11. *De Civit.*, c. 2.: *Quae remota sunt a sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus.* Sed post Apostolos et Discipulos Christi, nemo propriis sensibus scire potuit Christi resurrectionem; ergo convenientius Discipulis resurgere visus fuisset, ut nos de tali veritate illos testes requirere potuissemus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 7. n. 4.] Apostoli Christi, aliique permulti viderunt Lazarum resurgere; igitur nihil novi Discipuli vidissent, si Christo resurgenti adfuissent; et propterea congruentius adhibiti fuissent in testimonium resurrectionis eorum Magistri, ut ab eodem id esse futurum non semel acceperant.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 49 q. 16. n. 4.] Marci, 16. narratur qualiter mulieres valde mane accedentes ad monumentum unguentis perfusurae Corpus Iesu, et dicentes ad invicem: *Quis revolvet nobis lapidem?* invenerunt Christum iam resurrexisse, atque id ipsis Angelum coopertum stola candida annunciasse; nemo ergo hominum fuit testis Christi resurrectionis, dum peragebatur; sed id est hominibus per Angelum nunciatum.

RESPONDEO dicendum, convenienter non esse adhibitos testes oculares resurrectionis Christi, sed magis expediens fuisse, ut primum per Angelos ipsis ea manifestaretur. — *Primo,* [*Oxon.* 4. d. 43. q. 2. n. 3. — q. 3. n. 1.] quia cum resurrectionem mortuorum (cuius fuit exemplar Christi resurrectio) humana ratio attingere non possit, ut merito visa sit Dionysio res supra naturae vires et captum, pro more divinae Providentiae disponentis omnia fortiter et suaviter, evenit ut nemo hominum cerneret resurgentem, bene tamen resurrexisse, et discerent primum ab Angelis, a quibus regulariter homines illuminantur, et postmodum propriis oculis ipsimet viderent, quo de rei veritate certiores redderentur, atque Ecclesiae per illos crediturae annunciarent vidisse Iesum a mortuis resuscitatum, quem paulo ante Crucifixum inspexerant. — *Secundo,* [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 11.] quoniam cum resurrectio nonnisi per miraculum peragi possit, si discipulis datum esset inspicere Christum resurgentem, profecto [*Oxon.* 3. d. 14. q. 2. per tot. — *Prolog.* q. 2.

n. 10.] vidissent aliquid adeo insolitum supra spem et facultatem, ut citra magnam admirationem et perturbationem id fieri nequivisset. Si enim [*Oxon.* 4. d. 30. q. 2. n. 4.] B. Virgo turbata est ad sermonem Gabrielis annunciantis sibi maternitatem Dei, ut dixerit, *Quomodo fiet istud?* Lucae, 1., quid facturum putamus, si Apostoli Christum resurgere vidissent? Prius ergo edocendi erant iam impletum esse quod praedixerat Salvator de ipsius resurrectione, quo intellecto non esset locus, quae alias ingruisset, perturbationi; atque mox ex facta revelatione fortificati, ac videndi inter viventes quem deflebant mortuum desiderio inflammati, tandem oculis inspicerent iam a mortuis excitatum, qua ex re ineffabili replerentur cordis laetitia, omnem pellente moestitiam prioremque animi dolorem.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, revera esse ita remotam a sensibus nostris resurrectionem, cum actu perficitur, ut nequaquam ea possit per sensus attingi; nam [*Oxon.* 4. d. 10. q. 8. n. 6 8.] oporteret inspicere animam uniri iterum corpori: id autem oculo corporeo minime licere exploratum est; cum ne intellectus quidem corpori unitus eam intueri possit. Recte igitur quoniam nostro testimonio eam didicisse nequivimus, ii adhibiti sunt testes, quibus perspecta esse possit. Angeli itaque clare videntes Christi animam beatissimam reverti ad corpus per ipsam vivificandum, testes esse potuerunt illius resurrectionis, prout et fuisse Evangelica narrat Historia. Ad discipulos vero facti notitia per Angelorum revelationem postquam pervenisset, exinde Salvatorem resuscitatum conspexerunt. Cum ergo resurgeret Salvator testes minime adhibiti fuere Discipuli, quia fieri id regulariter nequibat, sed resurrexisse viderunt, eamdemque veritatem Ecclesiae tamquam testes veraces tradiderunt.

Ad secundum dico, *q.* 53. *art.* 3. explicatum fuisse qualiter etsi Salvator plures mortuos suscitaverit, nihilominus ipse omnium primus resurrexit, scilicet ad vitam immortalem, non amplius moriturus; quos autem resuscitavit dum viveret in vita mortali, rursus mortem subire oportuit. Lazarus igitur resuscitatus quidem fuit, sed ad vitam mortalem; Christi autem resurrectio erat ad vitam immortalem et beatam, ideoque ipsum resurgentem comitabantur omnes corporis beati dotes, quas non semel Salvator discipulis ostendit, in variis argumentis apparens eis. Resurrectio igitur ipsius Christi longe diversa extitit a Lazari, aliorumque, quos ad vitam revocavit, mortuorum resurrectione.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS POST RESURRECTIONEM DEBUERIT CUM DISCIPULIS CONVERSARI.

De *hoc articulo nihil adducere possumus ex Doctore.*

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS DEBUERIT DISCIPULIS IN ALIA EFFIGIE APPARERE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 49. *q.* 15. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 55. *a.* 4.

VIDETUR Christus haud debuisse apparere discipulis in alia effigie. Etenim per huiusmodi apparitionem factum est ut illi putaverint esse quemdam peregrinum, qui revera erat Christus Salvator, ut narratur *in Lucae Evangelio, cap. ult.*; igitur manifeste decepti sunt ab apparitione Christi sub specie aliena: Deo autem non convenit decipere quemquam; ergo minus conveniens fuit Christum in alia forma Discipulis apparuisse.

2. PRAETEREA. Intuens obiectum sibi praesens et videns illud aliter ac est, plane illusio est in tali visione: sed Discipulis erat praesens Christus, et videbatur illis cernere quemdam peregrinum; ergo illusi sunt in tali apparitione: non conveniebat autem Christum illudere iis, quos sua visione dignabatur; ergo non debuit in aliena effigie apparere.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 34. n. 17.] Illi quibus Christus apparebat testes debebant esse resurrectionis eius, et persuadere Ecclesiae revera a mortuis resurrexisse: sed apparendo sub diversis formis poterant discipuli ambigere an revera res ita se haberet, uti videbantur, et ne forte ipsi decepti in errorem inducerent et alios; ergo non conveniebat Christum sub alia specie apparere.

CONTRA. *Lucae ultimo* narratur qualiter Salvator duobus discipulis euntibus in Emmaus in forma peregrini apparuit, edisserens et docens sensum Scripturarum, quae de ipso erant.

RESPONDEO dicendum, quandoquidem Deus statuerat Christi resurrectionem Ecclesiae manifestare modo omnibus convenientiori, primum per Angelos annunciari voluit Magdalenae, et ipsa mediante, de illa Apostolos aliosque discipulos reddere certiores; et ita sane ut dum aliqui eorum de facti veritate permitterentur dubitare, e pectoribus credentium et crediturorum omnem excuteret ambiguitatem: unde ait Gregorius in Homil. 26.: *Plus nobis Thomae infidelitas ad fidem, quam fides Discipulorum credentium profuit.* Hinc ut suaviter plura resurrectionis suae argumenta exhiberet discipulis duobus Emmaus contendentibus comitem se dedit in via; qui cum non satis persuasi forent veraciter Salvatorem revixisse, sed de mysterio nonnihil dubitarent, talem se exhibuit eis in corpore, qualis apud illos erat in mente. Quia igitur in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire se longius finxit, perinde ac si peregrinus esset; qua de causa cum compelleretur ab illis una in hospitio permanere et discumbere, cognoverunt eum in fractione panis. At abeunte ab oculis eorum Salvatore, illico pariter e dubitantium cordibus omnis evanuit ambiguitas. Ut igitur [*Prolog.* q. 1. n. 23.] illi in fide Christi resurrectionis solidarentur, et per eos hoc etiam argumento Ecclesia instrueretur, convenientissime in aliena effigie illis discipulis apparuit exterius, qualis tunc ab ipsis gerebatur interius. Signa proinde quae adhibita sunt exterius satis fuerunt ad causandum firmum assensum, concurrente pariter interna illuminatione.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, nullam fuisse in ea apparitione deceptionem. Deceptio enim [*Oxon.* 4. d. 49. q. 15. n. 5.] proprie est in via morum, quod longe abest a casu praesenti. Salvator itaque videndum se praebens Discipulis in forma ipsis competente (ut Gregorius ait), haud est dicendus propterea decipere voluisse. Nec ipsi sane decepti sunt, quia talem decebat ut viderent oculis, qualem tunc gerebant in mente.

AD SECUNDUM pariter negandum est, [*Oxon.* ib.] eam apparitionem fuisse illusionem, quia Discipuli certi erant, et veraciter videbant personam illam quacum loquebantur in effigie peregrini, nec aliter tunc Salvator intendebat nisi ostendere eis personam suam, quam illi veraciter intuebantur; non fuerunt igitur illusi quasi unum viderent pro alio, licet cernerent aliter ac erat, quia ita fieri conveniebat.

AD TERTIUM respondeo, Discipulos illos, quibus Christus in forma peregrini apparuit certissimos redditos fuisse de illius resurrectione, cum ob ea quae viderant [*Oxon.* 1. d. 16. n. 2.], tum ex interna illuminatione qua cognoverunt se nec deceptos nec illusos fuisse, sed verissime Christum resuscitatum a mortuis intuitos esse.

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTUS VERITATEM RESURRECTIONIS DEBUERIT ARGUMENTIS DECLARARE.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 8. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 55. *art.* 5.

VIDETUR veritas resurrectionis non debuisse argumentis declarari. Nam Christum resurrexisse est articulus fidei: sed [*Oxon.* 3. d. 31. n. 2.] fides ex sui ratione inclinat tantum in verum latens, secundum Gloss. in illud Hebraeor., 21.: *Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium:* igitur mysterium resurrectionis debuit fuisse latens, sic ut nullis argumentis declararetur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 1. q. 3. n. 2.] Christus a mortuis resurrexisse est fidei articulus, ut prius; igitur non expedit id aliquot argumentis declarari, nec propter fideles, nec propter infideles: non propter fideles quidem, quia tunc fides meritum non haberet: nec quantum ad infideles, quia tunc putarent nos credere ob ea argumenta, et ita fidem non habere.

3. PRAETEREA. Ex dictis supra, *q.* 53. *art.* 1. resurrectio Christi non potest probari ullis argumentis in dubiam fidem facientibus, et inclinantibus intellectum ad firmiter assentiendum; ergo est credenda independenter ab omnibus rationibus; alioquin fides nostra exponeretur derisioni, quia putaretur nos credere propter dubias rationes; nullis ergo argumentis veritas resurrectionis debuit declarari.

CONTRA. *Actuum* 1. scribitur, Christum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta discipulis apparuisse, et loquutum esse de regno Dei.

RESPONDEO dicendum, veritatem resurrectionis Christi debuisse argumentis multis declarari. Quamquam enim Deus Legis Evangelicae promulgatoribus potuisset eamdem certitudinem de Christi resurrectione infundere, quam habuissent per multa argumenta exhibita in persona

ipsius Christi; nam [*Oxon.* 3. d. 24. n. 17.] Deus absque concursu et motione obiecti potest causare in intellectu eamdem notitiam eius, quam ipsum immediate per proprium concursum causaret; congruum nihilominus apprime fuit ad Ecclesiae instructionem, quo omnibus omnis dubitandi penitus adimeretur occasio, ut ipse in multis argumentis signisque evidentibus ostenderetur Discipulis suis, ita ut illis testificantibus se multiplici argumento post triduum depraehendisse veraciter Redemptorem a mortuis resuscitatum, facilius crederetur, quam si id tantummodo proposuissent absque ullius testimonio, quemadmodum plures testes et argumenta intervenerunt quibus eius conversatio in terris, passio, et mors fuit comprobata. Unde [*Oxon.* 3. d. 24. n. 13.] Augustinus, 11. *De Civit.*, c. 20.: *Profecto,* inquit, *ea quae remota sunt a sensibus nostris quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus, eisque credimus a quorum sensibus remota esse vel fuisse non credimus.*

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, Apostolos et eos qui viderunt Christum resuscitatum vidisse quidem hominem quem oculis cernebant, sed credidisse latentem Deitatem, [*Oxon.* ib. n. 21.] ut ait Gregorius, *Homil.*, 26. in Evangelio de Thoma: *Aliud vidit, et aliud credidit; vidit hominem, et credidit Deum.* — *Sed contra est,* quia fides docet hominem illum fuisse resuscitatum, non Deum, nisi per idiomatum communicationem; tunc igitur argumentum factum concludit. *Dico,* si teneatur omnium articulorum esse unum fidei habitum, eos tunc credidisse alia quae non patebant, et eodem credidissent Christi resurrectionem si coram resuscitatum non aspexissent; etsi autem tunc quoad ipsam Christi resurrectionem Apostoli non habuerint fidem, sed scientiam, id tamen nullum detrimentum attulit, illis, quia et fidem de aliis habebant, et erat id necessarium ad Ecclesiae informationem.

Ad secundum dicendum, [*Oxon.* 2. d. 8. n. 5.] Christum non declaravisse discipulis suam resurrectionem argumentis illis, quae faciunt fidem de re dubia, adeo ut ob argumentum praestetur assensus conclusioni; nam Christus non disputationibus probavit se resuscitatum, sed signis certis et evidentibus, quae experiebantur per sensus ii, quibus se visendum praebere dignatus est; illi igitur minime dubitabant interius illuminati an deceptio aliqua subesset; nam quaecumque exinde poterant nebulae dubitationum suboriri, extemplo Veritas sempiterna discussit, ut Evangelium legenti est manifestum. Non evacuatur itaque meritum fidei, quia notitiam intuitivam habentes credidissent, si scientiam certam non habuissent, nec fides propterea exponitur ludibrio, quia nemo nisi insanus dixerit ea argumenta et signa ostensa a Christo extitisse dubia et falsa.

Ad tertium concedo [*Oxon.* 4. d. 43. q. 2. n. 27. seqq.] resurrectionem Christi non esse credendam propter humanas rationes et quaslibet persuasiones, nec eiusmodi argumenta extitisse ea in quibus Salvator se resurrexisse ostendit, sed talia, ut illis dissentire non valerent qui credendam erant proposituri Ecclesiae Christi resurrectionem; quam vero convenientissime eo ordine proposita Ecclesiae sit, declaratum fuit supra, *art.* 1. *praesentis quaestionis.*

ARTICULUS VI.

UTRUM ARGUMENTA QUAE CHRISTUS INDUXIT SUFFICIENTER MANIFESTAVERINT RESURRECTIONEM EIUS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 8. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 55. *art.* 6.

VIDETUR Christi resurrectio haud sufficienter fuisse manifestata per argumenta, quae per ipsum exhibita leguntur. Etenim potissimum argumentum illud esset, cum post resurrectionem eius manducare voluit cum Discipulis suis, ut narratur *Lucae* 24. *et Ioann.* 21.: sed eo argumento sufficienter non ostenditur Christi resurrectio; ergo per nullum aliud. *Probatur minor:* [*Oxon.* 2. d. 8. n. 1.] quia frequenter in Scriptura refertur, ut *Genes.*, 28. *Tobiae per totum, et alibi,* saepe Angelos in forma humana hominibus apparuisse, atque cum iisdem etiam esitasse et bibisse; sed certum est eorum Angelorum corpora non vera fuisse quia phantastica, nec vere manducasse, ut diserte testatus fuit Tobiae Angelus Raphael; Tobiae, c. 12. *Videbar quidem,* inquit, *vobiscum manducare et bibere, sed ego cibo invisibili et potu qui ab hominibus videri non potest utor:* ergo pariter diceretur Christi corpus fuisse phantasticum, et prorsus apparentem eiusdem comestionem, et alia id genus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 15. n. 1.] Salvator resurgens a mortuis ostendit se Discipulis contendentibus in Emmaus ad instar cuiusdam peregrini, idest non in ea claritate qua fulgebant corpora Beatorum: igitur tali argumento non convincitur eius resurrectio, etenim *Fulgebunt iusti sicut Sol,* Sapientiae 4.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 1.] Christus post resurrectionem ostendit easdem corporis cicatrices quibuscum fuit sepultus, easdemque palpandas praebuit; narratur enim *Ioann.*, 20. dixisse ad Thomam, *Infer digitum tuum huc:* sed hoc factum magis ostendit oppositum; ergo non sufficienter demonstratur exinde Christi resurrectio. *Probatur minor:* siquidem videtur pertinere potius ad mortalitatem huius vitae praeseferre vulnera, quam ad statum gloriosae resurrectionis.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] *Lucae* 24. scribitur, Salvatorem apparuisse Discipulis in unum congregatis, et dixisse illis: *Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum, palpate et videte,* etc. Sed ex hoc convincitur corpus Christi non fuisse gloriosum, seu non vere resurrexisse: ergo ea argumenta non sufficiunt. *Probatur minor:* [*Oxon.* 4. d. 49. q. 15. n. 4. seqq.] ex eo quia cum Salvator gloriosus in monte apparuit tribus Discipulis, nequaquam poterant aspicere in eum, imo ad gloriae illius claritatem conterriti sunt, et ceciderent tamquam mortui; igitur si Christus contuendum et videndum se praebuit Apostolis, non videtur resurrexisse gloriosus, quia corpus gloriosum non est tangibile, seu palpabile.

CONTRA. Actuum, 1. annotatum est qualiter Christus *post passionem suam praebuit seipsum vivum Apostolis in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.*

RESPONDEO dicendum, argumenta quibus Christus suam veracem resurrectionem declaravit sufficientissime illam probasse, adeo ut omnibus

illis perspectis nullus possit superesse ambigendi locus. Ostendit enim illis se habere verum corpus, idest, non phantasticum, esseque corpus humanum carnem et ossa habens, atque idem numero cum illo quo pertulit passionem et mortem, referens eadem vulnera, et easdem vulnerum cicatrices, quas viventi et mortuo inusserant impiorum manus, ac denique [*Oxon.* 2. d. 8. n. 5.] esse anima rationali informatum, per veram comestionem cum discipulis suis significavit; et esse denique Deum in cordium eorum perscrutatione egregie declaratum fuit; quamquam igitur forsitan haec argumenta singillatim considerata sufficienter non declarent eius resurrectionem, simul tamen accepta abunde, ut dictum est, ipsam manifestant.

Ad argumenta. Ad primum dicendum, efficacius argumentum ostendendi Christi resurrectionem non esse illud acceptum ex comestione, etsi una cum aliis bene demonstret ipsam, licet non per se seorsim acceptum. Hinc Salvator non solum illud edere voluit, sed multa alia, quorum quaedam breviter perstrinximus, et in Evangelio et in Epistolis Pauli leguntur, et in Actibus Apostolorum insinuantur. — *Aliter etiam respondeo,* Christi comestionem fuisse ordinatam ad veram nutritionem, et consequenter eo egregie probari eius resurrectionem; nam non est inconveniens corpus gloriosum posse convertere non gloriosum, sicuti potest esse cum non glorioso; nec propterea esset corruptibile, quia non gloriosum conversum in gloriosum induisset incorruptionem; nec est ulla repugnantia Deum facere corpus gloriosum in minima quantitate, et illud augere per comestionem; nec tamen aliquid tunc corrumperetur de nutrito et aucto. Sed in corporibus ab Angelis assumptis non est, nec esse potest nutritio, quia non fit ex illis unum per se cum Angelo assumente. Comestio igitur in illis non poterat esse nisi ficta et apparens, quatenus erat cibi comminutio, et translatio in partes interiores corporis, non ordinata ad nutritionem.

Ad secundum respondeo sic: Christus post resurrectionem non se ostendit discipulis in ea claritate, qua revera ipsius corpus perfundebatur, sed apparere dignabatur sicut conveniebat iis, quibus se videndum praebebat, ut dictum est supra, *art.* 4. Ex interna nihilominus illustratione illi cognoscebant se non decipi, ac revera habere praesentem Salvatorem resuscitatum, licet non in forma gloriosa apparentem.

Ad tertium dicendum, egregie comprobatam fuisse Christi resurrectionem ex eo quod cum iisdem quae perpessus fuerat vulneribus resurgere voluit, nam per hoc ostendit illud ipsum corpus se tunc habere, in quo passus fuerat et sepultus, ut dictum est *q. anteced. art.* 4.

Ad quartum dico, pariter et ipso argumento comprobatum esse Christum vere a mortuis surrexisse; quia ostendendo corpus humanum, et ad contrectandum invitans, omnis adempta est ambiguitas quae suboriri poterat an illud corpus foret phantasticum vel humanum. — *Et cum dicitur:* quia corpus gloriosum non est palpabile, nec visibile prae gloriae claritate; *respondeo,* negandum est corpus Beati non esse tangibile; quia etsi [*Oxon.* 4. d. 49. q. 13. n. 12.] non immutaret sensum tactus per aliquam qualitatem sensibilem sibi derelictam; quia non sentiretur ut durum nec ut molle, ut nec calidum aut frigidum, nihilominus quantitas ipsius corporis potest tangi, quia aliqualiter resisteret immutativo sensui tactus. Ad haec, [*Oxon.* ib. q. 15. n. 4.] corpora gloriosa

visibilia sunt, licet non actu permanente et stabili, sicut cernimus solem, non permanenter, quia corrumperet potentiam visivam, et ita potuisset videri corpus Christi gloriosum post resurrectionem, saltem non permanenter. Sed in gloriae claritate tunc apparere noluit, quia sic conveniebat conversationi longiori quadraginta dierum, quibus commoratus est cum discipulis in terris post ipsius gloriosam resurrectionem. Igitur argumenta quae praebuit Salvator post resurrectionem singillatim accepta ostendunt quidem veritatem ipsius, sed si omnia simul accipiantur plane convincunt et flectunt intellectum humanum ad assentiendum illi veritati.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASEXTA.

DE RESURRECTIONIS CHRISTI CAUSALITATE, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causalitate resurrectionis Christi.

Et circa hoc quaeruntur duo.

1. Utrum resurrectio Christi sit causa nostrae resurrectionis. - 2. Utrum resurrectio Christi sit causa nostrae iustificationis.

ARTICULUS I.

UTRUM RESURRECTIO CHRISTI SIT CAUSA RESURRECTIONIS CORPORUM.

Doctor, loc. inf. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 56. *art.* 1.

VIDETUR Christi resurrectio non esse causa resurrectionis corporum. Etenim [*Oxon.* 2. d. 2. q. 10. n. 5.] ad causam in actu sequitur effectus in actu, ex 5. *Metaph.*, text. 3. igitur si Christi resurrectio extitisset causa resurrectionis caeterorum, profecto universalis resurrectio corporum non esset futura, sed iam praeteriisset, sicuti et Christi resurrectio iamdudum fuit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 43. q. 1. n. 11.] Mortui sunt iterum ad vitam revocandi ut quisque recipiat a Deo mercedem suorum operum quae in corpore gessit: sed principium istius retributionis faciendae non est Christi resurrectio sed magis divina voluntas, quae pro infinita iustitia ita decrevit et statuit futurum; igitur causa resurrectionis hominum non Christi resurrectio, sed Dei iusta voluntas potius erit.

3. PRAETEREA. Ponatur Christi resurrectio causa resurrectionis caeterorum hominum. Quae est ergo causa? Principalis, exemplaris, vel meritoria? Principaliter effectivam nemo dixerit, nam eiusmodi est solus Deus. Sed nec exemplaris; etenim Deus mente infinita condit omnia rerum exemplaria, nec extra se quidquam intuetur ut aliud efficiat. Nec denique meritoria; quia Christus resurgens excesserat statum via-

toris, et ita erat incapax ulterius merendi; igitur Christi resurrectio non videtur causa nostrae resurrectionis.

CONTRA. [*Report.* 4. d. 43. q. 1. n. 2.] Paulus, 2. *ad Corinth.*, cap. 15. hanc conficit ratiocinationem: *Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit:* Christus vero resurrexit; igitur et mortuorum resurrectio erit. Quae deductio nulla profecto foret nisi Christi resurrectio esset causa resurrectionis nostrae, et haec ab illa veluti a quodam principio penderet.

RESPONDEO dicendum, Christi resurrectionem esse causam resurrectionis hominum, non quidem principalem, sed secundariam et meritoriam. *Prior solutionis pars* declaratur; etenim [*Report.* ib.] Paulus loco super citato, scribit: *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium,* appellans Christum primitias dormientium, eo quod ipse primus omnium ad vitam beatam et immortalem resurrexit. *Primum* autem [10. *Metaph.*, q. 2. n. 2.] in quodlibet genere est perfectissimum et causa aliorum quae sunt eius generis; igitur Christi resurrectio omnium prima et excellentissima causa erit resurrectionis hominum caeterorum. — *Rursus,* [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 2.] Ioann., 5. *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Et ad Roman., 14. *In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur.* Est igitur Christus quatenus homo causa quidem resurrectionis nostrae, sed non principalis, neque physica inquantum homo; nam eiusmodi causalitatem habere nequiit respectu suae resurrectionis, ex dictis, *q.* 53. *art.* 4. ergo multo minus physicam causalitatem exercere potest respectu resurrectionis hominum caeterorum. Solus itaque Deus [*Oxon.* 4 d. 43. q. 5. n. 7. seqq.] est causa physica resurrectionis hominum, ac proinde respectu eiusdem Christus ut homo non aliam habet causalitatem nisi moralem et meritoriam. Quemadmodum enim [*Ib.* 3. d. 19. per tot.] Christus est causa meritoria omnis gratiae: nam et de illius plenitudine omnes accipiunt, pariter et causa talis debet esse respectu adeptionis gloriae, cui adipiscendae datur et gratia, et ad eam ut ad finem ordinatur resurrectio. Quemadmodum ergo non est alia causalitas attribuenda humanitati Christi respectu iustificationis et gratiae, nisi meritoria et moralis, ita neque aliam potest habere, vel est habiturus respectu resurrectionis hominum futurae.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, illud procedere de causis necessario agentibus, sive naturalibus, ad quas mox sequitur effectus; non vero de causis libere agentibus. Voluntas igitur divina, cuius iussio est futura resurrectio mortuorum, agit iuxta consilia et leges a se praefixas, ideoque nisi venerit ab se statutum tempus resurrectionis humanae, non est eam repraesentatura, etsi interim eam perficere statuerit intuitu meritorum Christi, qui est Mediator et Redemptor generis humani.

AD SECUNDUM dico, divinam voluntatem pariter esse causam principalem iustificationis nostrae, et nihilominus gratiam elargitur intuitu meritorum Christi, ita quoque ob eadem merita aliquando resurrectionem esse repraesentaturam. Ipsa ergo resurrectio, licet principaliter sit a Deo perficienda, recte intelligitur nihilominus ad eam concurrere et Christi humanitas vel merita eiusdem, de quibus descendit et gratia in ordine ad gloriae consecutionem, ad quam et ipsa ordinatur resurrectio.

AD TERTIUM dictum est, Christum esse causam meritoriam nostrae resurrectionis. — *Et cum arguitur contra;* quia Christus resurgens non erat viator, et ita non erat in statu merendi; *respondeo,* [*Oxon.* 3. d. 19. n. 10-12.] sicuti non obstante quod non esset amplius in statu merendi resurgens ex mortuis, adhuc erat et est causa meritoria omnis gratiae, prout et talis quoque extiterat priusquam esset, ob merita praevisa, ita pariter et esse potuisse et fore causam meritoriam nostrae resurrectionis; esse causam pariter exemplarem eiusdem, conformiter ad dicta *q.* 24. *art.* 3. sentiendum est. Porro eiusdem resurrectionis esse causam non meritoriam, sed instrumentalem, ut quidam opinantur; si ad physicam activitatem id spectare putent vix est intelligibile, et alio mysterio obscurant hoc mysterium. Sed plane nulla necessitate compellimur tali nos involvi difficultate ad declarandam hanc instrumentalem causalitatem, cum recte intelligantur Scripturae de causa morali et meritoria, ut dictum est. *Rursus,* [*Oxon.* 3. d. 17. n. 2.] duae naturae in Christo habent operationes proprias impermixtas, iuxta Damascenum, *lib.* 3. *cap.* 14. et declaratum fuit *q.* 18. *art.* 1. *et sequentibus.* Igitur ita fuit proprium naturae divinae Christi suscitare mortuos, aliaque edere miracula, ut ad eadem nulla physica causalitate concursum praebere potuerit eius humana natura; ac proinde cum omnes mortuos Deus suscitabit, Christi humanitas nulla physica, seu principali seu instrumentali activitate ad eos suscitandos sese extendet, sed dumtaxat moraliter et meritorie.

De qua re videndus *art.* 1., *q.* 76. *Supplem. ad* 3. *p.*

ARTICULUS II.

UTRUM RESURRECTIO CHRISTI SIT CAUSA RESURRECTIONIS ANIMARUM.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 56. *art.* 2.

VIDETUR Christi resurrectio minime causare resurrectionem animarum. Nam [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 1.] Augustinus, *Tract.,* 23. in Ioann. *Suscitat,* inquit, *corpora non Pater, sed Filius secundum dispensationem humanitatis, in qua est minor Patre; secundum autem quod Deus est, vivificat animas:* sed Christi resurrectio spectat ad dispensationem humanitatis; ergo non se extendit ad resurrectionem animarum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 9. q. 2. n. 3.] Iuxta Augustinum, 12. *super Genes.,* cap. 26. et 27. agens est praestantius patiente: nullum autem corpus est spiritu praestantius, adeoque nullum corpus agere potest in spiritum; igitur nec Christi resurrectio, quae corporis fuit, agere poterit ad resurrectionem animarum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 2.] Ad Roman., 14. *In hoc Christus mortuus est, et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur;* nempe per iudiciariam potestatem, cuius exercitium consequutus fuit in resurrectione: sed etiamsi ipse dumtaxat per resurrectionem suam influeret in corporum resurrectionem et non in animas, adhuc eamdem iudiciariam potestatem haberet, et dominaretur vivorum

et mortuorum; ergo non est ponendum ipsius resurrectionem causam esse resurrectionis animarum.

4. PRAETEREA. Animae impiorum non resurgent ad vitam; scribitur enim [*Oxon.* 4. d. 47. q. 1. n. 1.] Psal. 1. *Non resurgent impii in judicio:* sed, iuxta dicta *art. praeced.* eo quod Christi resurrectio causa sit resurrectionis nostrae nemo hominum non est resurrecturus; omnes enim omnino resurgemus; ergo pariter si eadem Christi resurrectio foret causa resurrectionis animarum, animae omnes resurgent ad vitam, sicuti et corpora sunt reditura ad vitam; cum igitur complures animarum minime sint consequuturae resurrectionem ad vitam, Christi resurrectio non videtur causa resurrectionis animarum.

5. PRAETEREA. Causa et ratio resurrectionis, seu iustificationis animarum, est passio Christi vel exhibita vel praevisa; intuitu enim passionis et meritorum Christi, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. et 7. — d. 2. q. 1. per tot.] Deus largitur per gratiam, qua animae iustificantur et resurgunt ad vitam spiritualem, ergo resurrectio Christi esse non potuit causa resurrectionis animarum, cum Christus in ipsius resurrectione non videatur aliquid promereri potuisse.

CONTRA. Ad Roman., 14. *Qui traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram:* tunc autem veraciter animae resurgere dicuntur, cum iustificantur; ergo Christi resurrectio est causa resurrectionis animarum.

RESPONDEO, iuxta dicta, *art. praec.,* Christi resurrectionem esse causam meritoriam iustificationis, seu resurrectionis animarum; etenim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] nullum adiutorium spectans ad beatitudinis consequutionem elargitur Deus nisi intuitu causae meritoriae, quae iuste inclinat Deum ad conferendum bonum illi pro quo talis causa meretur: talis autem causa meritoria est Christus complens cursum suum in hac vita nobiscum; resurgent ergo animae ad vitam sempiternam per Christi resurrectionem tamquam per causam meritoriam; quamvis enim non ab illius resurrectione sit, ut nobis gratiam promeruerit, sed potius per oblationem factam ab eo in Cruce pro nobis, provenientem ab intensissima dilectione Dei et hominum propter Deum, nihilominus de resurrectione complementum accepit totius vitae Christi decursus; ea enim evasit impassibilis, et immortalis; vere ergo resurrexit propter iustificationem nostram, quia resurgens non amplius moriturus, quod promeruerat et ipse adeptus est, et pro nobis a Patre impetravit. Cum enim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 11. — 1. d. 11. q. 1. n. 5. — d. 16. n. 1.] ad Caelum ascendisset, missoque Spiritu, docuit Ecclesiam omnem veritatem: qui utique Spiritus veritatis non venisset, nisi ipse prius ad Caelum rediisset; et redire utique non poterat, nisi a mortuis gloriosus resurrexisset. Eam vero homines edocti veritatem iustificantur per susceptionem veracium Sacramentorum, evadunt templa Spiritus Sancti, qui animas iustificat per gratiae infusionem; traditus igitur est propter delicta nostra; quia sua passione pro omnibus satisfecit, et resurrexit propter iustificationem nostram, quia in resurrectione completa sibi commissa dispensatione, promeritam hominum iustificationem per Spiritus Sancti missionem repraesentavit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondet [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 10.] Magister, 4. d. 48. cap. *Et sicut,* dictum Augustini esse intelligendum

non proprie, sed per appropriationem, quia Christus non est suscitaturus corpora mortuorum secundum humanitatem, sed virtute Divinitatis; verumtamen recte id Filio appropriatur secundum dispensationem humanitatis, quia in humanitate suscepit quod est causa nostrae resurrectionis idest passionem, et resurrectionem. Quia igitur pariter in humanitate meruit resurrectionem animarum per gratiae infusionem, recte dicitur ipsius resurrectio esse causa meritoria resurrectionis animarum. Caeterum iustificatio animarum soli Deo competit tamquam causae physicae; idque sive intelligatur de vita prima, quae est iustificatio, sive de vita perfecta, quae est beatitudo.

Ad secundum concedo, neque Christi humanitatem, neque ea quae spectant ad ipsam, habere potuisse aliquam physicam causalitatem seu primariam, seu instrumentalem respectu resurrectionis, seu iustificationis animarum, ut magis patebit, cum infra *q.* 62. agetur de causalitate Sacramentorum respectu gratiae; sed interim negandum habere propterea non potuisse causalitatem meritoriam et moralem; imo [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. per tot.] ipse meruit de condigno omnem gratiam, per ea quae gessit et pertulit in humanitate; ideoque recte humanitatis eiusdem resurrectio intelligitur se extendere ad resurrectionem animarum, modo *in solutione explicato.*

Ad tertium, dictum est *responsione ad primum,* Christi humanitatem, eiusque resurrectionem influxum non habituram respectu corporum resuscitandorum, nisi quatenus in forma humanitatis meritum et causam resurrectionis nostrae suscepit, ideoque a Scriptura et Patribus sibi resurrectionem corporum appropriari. Quoniam igitur extitit pariter et causa meritoria resurrectionis et iustificationis animarum, recte intelligimus resurrexisse propter nostram iustificationem, pro quanto sentimus, et fatemur nos consequi gratiam et gloriam propter merita ipsius.

Ad quartum respondeo sic: quoniam sua passione Christus meruit exaltari, ex dictis *q.* 46. *art.* 6. adeptus subinde est ut foret iudex universalis omnium creaturarum; necessario ergo omnes homines sunt ad vitam redituri, ut quisque ex sententia iudicis referat digna eorum quae gessit in corpore. Quamvis autem [*Oxon.* 3. d. 19. n. 7.] eiusdem Christi passionis tanta extiterint merita, ut satis essent hominibus cunctis salvandis, quo minus tamen omnes tanti beneficii compotes fiant, ipsorum culpae et ignaviae potius adscribendum esse, quam Christi meritis; igitur quemadmodum Christi resurrectio est causa meritoria resurrectionis corporum, ita et animarum, quantum est ex parte sui; sed non omnes ea sunt potiturae, quia dilexerunt magis tenebras, quam lucem.

Ad quintum dico, perfectissimam causam meritoriam, quam Trinitas disposuit dare et dedit generi humano, extitisse (ut dictum fuit *in solutione*) Christum secundum quod complevit cursum suum in hac vita nobiscum; id autem temporis spatium continetur primo instanti suae conceptionis, et gloriosa ad vitam resurrectione; quare sicuti resurrectio fuit terminus et complementum passionis et meritorum Christi, ita passio, mors, et resurrectio ipsius Christi una eademque actio et adimpletio nostrae redemptionis videtur aestimanda; igitur intuitu operis ipsius, quo nostra peracta est redemptio, Deus et reducit mortuos ad vitam, et gratiam infundit, qua fit resurrectio animarum.

QUAESTIO QUINQUAGESIMASEPTIMA.

DE ASCENSIONE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Ascensione Christi.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum fuerit conveniens Christum ascendere. - 2. Secundum quam naturam conveniat sibi ascensio. - 3. Utrum propria virtute ascenderit. - 4. Utrum ascenderit super omnes caelos corporeos. - 5. Utrum ascenderit super omnes spirituales creaturas. - 6. De effectu ascensionis.

ARTICULUS I.

UTRUM FUERIT CONVENIENS CHRISTUM ASCENDERE.

Doctor, loc. infra citat. — S. Thom. 3. *p. q.* 57. *a.* 1.

RESPONDEO dicendum, conveniens apprime fuisse Christum in Caelum ascendere; etenim Salvator in carne passibili ad nos descenderat, ut liberaret a morte peccati per gratiam ab se promeritam; et ita erueret genus humanum a potestate diaboli, cui subdebatur per praevaricationem primi parentis; quae omnia sua passione et morte iam perfecisse, constat ex dictis supra, *q.* 49. *et alibi frequenter.* Completa igitur sibi commissa dispensatione, cum ad vitam immortalem non amplius moriturus resurrexisset, eaque [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] adimpleto fineque imposito cursui vitae suae nobiscum, Sacramentisque veracibus institutis, per quae suae passionis effectus et efficaciam rite suscipientes perciperent, ad Patrem unde venerat sibi redeundum erat, ut [*Oxon.* 1. d. 19. q. 2. n. 1.] ipse professus est dicens: *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Ioann., 16.; nempe quia iam finem et complementum imposuerat operi sibi iniuncto redemptionis humanae. Quemadmodum igitur oportebat ipsum nobiscum, ac inter homines conversari quoadusque in ara Crucis solveret nostrae redemptionis pretium, ita omnibus adimpletis quae facturus erat inter homines, conveniebat ad locum immortalitati suae competentem reverti, quod est Caelum, unde [*Oxon.* 4. d. 10. q. 3. n. 1.] in saeculi consummatione venturus est iudicare vivos et mortuos, iuxta illud Augustini, *donec finiatur saeculum sursum est Dominus.* Et ponitur d. 2. *De Consecr.*, cap. *Prima haeresis.* Porro Caelum est propinquius Deo quocumque corruptibili quoad necessitatem essendi; Deus enim est simpliciter necesse esse; quanto igitur aliquid est magis necessarium, tanto erit Deo propinquius; ac proinde quandoquidem Christus iam transcenderat statum mortalitatis, et consecutus fuerat incorruptionem et impassibilitatem, Caelum ei maxime congruebat pro loco; conveniens ergo fuit ipsum in Caelum ascendere.

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENIEBAT CHRISTO ASCENDERE IN CAELUM SECUNDUM NATURAM DIVINAM.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 57. *art.* 2.

RESPONDEO dicendum, Christo non convenisse ascendere in Caelum secundum naturam divinam, sed secundum naturam humanam. Secundum enim eam naturam Christo conveniebat ad Caelum ascendere, secundum quam perrecturus ad Patrem mundum relinquebat, ut ipse testatus est, Ioann., 16. dicens: *Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Secundum autem naturam divinam ipse mundum relinquere non poterat; est enim Deus ubique, omnia implens per essentiam, praesentiam et potentiam, ideoque immobilis; igitur [*Oxon.* 4. d. 10. q. 2. n. 21.] quemadmodum ad Caelos ascendens mundum reliquit secundum naturam humanam, quae sursum est ad dexteram Patris, ita iuxta humanam naturam Christo convenit ad Caelum ascendere. Quare [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 31.] Ambrosius (et ponitur *De Consecrat.*, d. 2. omnia quaecumque) *Idem,* inquiens, *sane corpus quod ex Virgine sumptum est, quod passum est et sepultum, in Caelum ascendit.* Cum ergo haud passa sit natura divina, sed homo Verbo Dei unitus, qui et sepultus est et resurrexit, ille ipse quoque verissime in Caelum ascendit. Quo nihilominus sensu dici queat Christum ascendisse in Caelum secundum naturam divinam, quia ascendit divina virtute, patebit *art. sequenti.*

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS ASCENDERIT PROPRIA VIRTUTE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 49. *q.* 14. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 57. *a.* 3.

VIDETUR Christus non ascendisse propria virtute. Quia [*Oxon.* 4. d. 49. q. 14. n. 1.] si propria virtute ad Caelos perrexisset, pariter et caeteri Beati in finali resurrectione ascenderent propria virtute; habituri sunt enim corpora gloriosa, uti gloriosum erat corpus Christi: sed *consequens* est falsum; ergo et unde sequitur. Falsitas *consequentis* probatur ex illo Apostoli, *ad Thessalonic.*, cap. 4.: *Simul,* inquit, *rapiemur* (ab Angelis nimirum) *cum illis in nubibus obviam Christo in aëra;* igitur non propria virtute obviam Christo sunt profecturi et ascensuri, sed alieno potius adiutorio ascendent; igitur pariter et Christus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 2. q. 2. n. 36.] Si Christus ascendisset propria virtute, utique id effecisset virtute divina; humana enim virtus non videtur tale quid praestare potuisse: sed neque virtute divina; ergo ascendit non propria, sed aliena. *Probatur minor:* virtus divina est intensive infinita: sed virtus infinita movet in non tempore; ergo Christus ascendisset in non tempore: hoc autem est falsum, quia discipuli contuebantur illum sensim ascendentem in Caelum; igitur ascendit non propria virtute.

CONTRA. Act., 1. *Videntibus illis elevatus est;* igitur propria virtute ascendit.

RESPONDEO dicendum, Christum ascendisse propria virtute, divina nimirum, quia erat Deus, et propria etiam virtute animae gloriosae; anima enim [*Oxon.* 4. d. 49. q. 14. n. 4. seqq.] ultra motum organicum quo movetur corpus non beatum, potest etiam movere corpus beatum inorganice, idest, totum simul, et non unam partem, alia quiescente, sicuti movetur motu organico corpus vivens; in tantum enim de facto movet anima corpus organice, in quantum una pars est magis disposita ad recipiendum motum ab illa, quam altera, et ideo impossibile est movere minus dispositum, nisi prius mota parte magis disposita, sicuti non potest vivificare alias partes corporis, nisi prius vivificet cor. Si igitur in aliquo statu anima habet omnes partes sui corporis aeque dispositas, movebit corpus totum simul et ad libitum eius: corpus autem Christi gloriosum habebat omnes partes ex aequo aptas et dispositas ad recipiendum motum ab anima; igitur propria virtute animae ascendit; sed non sola, quia erat homo et Deus, et ideo raptus est ad Caelum virtute quoque divina.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, corpora Beatorum moveri ab anima propria inorganice et tota simul. — *Et cum instatur,* [*Oxon.* ib. n. 13.] quia rapientur ab Angelis, secundum Apostolum; *respondeo,* id non esse futurum ex aliqua eorum indigentia, quia corpora illa agilitatis dotem sunt habitura, nec opus ipsis erit aliquo extrinseco adiutorio; dicuntur itaque raptum iri ab Angelis, qui assistent eis magis ad ipsos honorandos et congratulandum de mortis triumpho, quam quod opere Angelorum indigeant.

AD SECUNDUM respondeo: [*Oxon.* 1. d. 2. q. 2. n. 36.] quando virtus infinita intensive agit contingenter, potest agere in tempore et in non tempore; sicuti enim in potestate eius est agere et non agere, ita in potestate pariter ipsius est agere in tempore et in non tempore. Itaque nulla est repugnantia Christum ascendisse in tempore, quamvis ascenderet virtute divina provehente illum hominem supra omnem creaturam. Si vero necessario ageret virtus infinita (ut falso opinabantur Philosophi), tunc de necessitate moveret in non tempore.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS ASCENDERIT SUPER OMNES CAELOS.

ARTICULUS V.

UTRUM CHRISTUS ASCENDERIT SUPER OMNEM CREATURAM SPIRITUALEM.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 57. *art.* 4. *et* 5.

RESPONDEO dicendum, Christum ascendisse super omnem creaturam spiritualem, ac proinde multo magis super omnes caelos corporeos. Etenim Christus eo quod pertulerit passionem et mortem, eousque meruit exaltari, ut adeptus sit iudiciariam potestatem et dominium omnium creaturarum. Unde [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 2.] dicit Apostolus: *In hoc Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur,*

ad Roman., 14. iuxta id quod ipse Salvator testatus fuerat, Matthaei, ult. *Data est mihi,* inquiens, *omnis potestas in caelo et in terra.* Si ergo omnis potestas ei data fuit et demandatum ut ius diceret in omnes creaturas, utique omnibus debet praesidere, et super omnes exaltari. Iudicare enim [*Oxon.* ib. d. 19. n. 5.] est Praesidentis, ad quem sensum dicit Apostolus: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum,* ad Roman., 14. Igitur Ascensio Christi terminum non habuit donec proveheretur supra omnes spirituales creaturas, quibus omnibus praesidet, veluti Iudex universalis omnium. Quare [*Oxon.* ib. d. 11. q. 3. n. 32.] Gregorius super illud Ioann., 20.: *Maria stabat, etc.* apposite ait: *Quod moriendo in sepulchro posuit, surgendo super Angelos levavit.* Huc faciunt dicenda *q. sequenti per totam, et praesertim art.* 3. *et* 4. Ex quibus recte inferes, Christum ascendisse super omnes Caelos corporeos, ibique suae provectionis posuisse finem, ubi sibi ad Patris dexteram erat sedendum. Supergressus est ergo omnes, Caelos nempe firmamentum in quo sunt omnia sydera, Chrystallinum, et in Empirei nobiliori parte celsiorique situ in saeculis aeternis regnaturus sedit a dextris Dei. Estque [*Oxon.* 2. d. 14. q. 2. n. 12.] Caelum tertium, in quod raptus est Paulus, et audivit talia verba, quae non licet homini loqui, 2. *ad Corinth.*, cap. 12.

ARTICULUS VI.

UTRUM ASCENSIO CHRISTI SIT CAUSA NOSTRAE SALUTIS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 57. *a.* 6.

VIDETUR Christi Ascensio esse non potuisse causa nostrae salutis. Nam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. per tot.] causa salutis nostrae respective ad Christum sunt merita ipsius: sed ipse per Ascensionem nihil pro nobis promereri potuit; igitur Ascensio Christi non est causa nostrae salutis. *Minor ex eo patet,* quia cum Christus in Caelum ascenderet erat perfecte beatus; igitur excesserat iam status viatoris, et meriti.

2. PRAETEREA. Non alia ratione Christi Ascensio posset esse causa nostrae salutis, nisi quia primus omnium penetrans Caelos reversurus unde venerat, stravit quodammodo nobis viam perveniendi ad salutem sempiternam: sed ex dictis *q.* 49. *art.* 5. Christus per suam passionem et mortem aperuit nobis ianuam Caeli; igitur nihil per Ascensionem ei fini potuit contulisse; quia alioquin Passio haud sufficiens extitisset aperiendae ianuae regni Caelorum.

CONTRA. Ioann., 16. *Expedit vobis ut ego vadam,* id est revertar ad Patrem per Ascensionem; igitur spectabat ad nostram salutem ut Salvator ascenderet ad caelestia.

RESPONDEO dicendum, Christi Ascensionem esse causam nostrae salutis meritoriam, eo modo quo de eiusdem gloriosa resurrectione dictum est *q. anteced. art.* 2. Et sane [*Oxon.* 1. d. 16. n. 1.] ipse Salvator id Ecclesiae suae significaturus, ait ad Apostolos dolentes de imminenti ipsius ad Patrem reditu: *Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet: si autem abiero, mittam eum ad vos,* Ioann., 16. Quantopere autem necessarius fuerit Spiritus Sancti adventus pro mundi salute [*Oxon.* ib. d. 11. q. 1. n. 5.] ibidem declaravit Veritas dicens: *Cum*

autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Quoniam igitur non venisset Spiritus Sanctus nisi Christus ad Caelum rediisset, ipsius Ascensio causa fuit nostrae salutis, idest [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] Christus complens cursum vitae suae nobiscum promeruit exaltari super omnes Caelos, omnemque spiritualem creaturam, et insuper ut genus humanum in gratiam reverteretur cum Deo, [*Oxon.* ib. d. 3. q. 4. n. 11.] qui iuste illi irascebatur propter Adae praevaricationem, utque per Spiritus Sancti missionem in linguis igneis tanta replerentur gratia et virtute solidarentur Apostoli, ut potuerint mundum universum ad Evangelium convertere, et persuadere Baptisma esse suscipiendum ad salutem. Et quoniam haec adeo sublimia et divina Ecclesiae ex Spiritus Sancti missione obvenere, qui non advenisset nisi Salvator ad Caelos ascendisset, vere eius Ascensio nostrae extitit causa salutis. Sed videnda dicta *cit. q.* 56. *art.* 2.

Ad Argumenta. Ad primum *est responsio dicentium,* Christi ascensionem extitisse causam nostrae salutis non per modum meriti, sed per modum instrumentalis efficientiae. *Nos existimamus* gratis attribui Christi humanitati aliam causalitatem, praeter moralem et meritoriam respectu salutis humanae, ut dictum est *q.* 56. *art.* 1. § *Ad tertium.* Verumtamen non intelligimus Ascensionem Christi esse causam nostrae salutis, quasi ascendendo, eam ipse nobis promeruerit; quia revera tunc non merebatur, sed ea evenicbant illi ob merita praecedentia, quorum gratia pariter missus est Spiritus Sanctus ad confirmandos, roborandos, et declarandos orbis Doctores Apostolos, et ad docendum omnem veritatem, tum per illos, tum [*Quodlib.* q. 20. n. 24.] per assistentiam quam credimus impendere Ecclesiae Catholicae, ne aliquando in iis, quae sunt ad salutem necessaria, erret.

Ex quibus patet responsio Ad secundum, quia etsi per mortem Christus meruerit adaperiri ianuam Caeli, meruit pariter primum sibi patere, ut primus omnium intraret. In Ascensione autem iniit regni possessionem per merita acquisitam; sicut et propriae exercitium exaltationis adeptus est; et pariter intulit in gloriam suam quotquot secum e Lymbi carcere eduxerat. Per mortem igitur, ut ianua Caeli aperiretur promeruit; in Ascensione autem reipsa patuit, et ita salutis aeternae possessionem contulit nobis.

QUAESTIO QUINQUAGESIMAOCTAVA.

DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTERAM PATRIS, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Sessione Christi ad dexteram Patris.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Christus sedeat ad dexteram Dei Patris. - 2. Utrum hoc conveniat sibi secundum naturam divinam. - 3. Utrum conveniat sibi secundum naturam humanam. - 4. Utrum hoc sit proprium Christi.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT SEDERE AD DEXTERAM DEI PATRIS.

Doctor, Oxon. 4. d. 49. *q.* 14. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 58. *art.* 1.

RESPONDEO dicendum, Christo convenire sedere ad dexteram Dei Patris, ut scribitur Marci ultimo: *Et Dominus quidem Iesus assumptus est in caelum, et sedet ad dexteram Dei.* [*Oxon.* 4. d. 49. q. 14. n. 12.] Sed tamen non esse id intelligendum de sessione corporali, scribit Augustinus, *De fide et symbolo,* cap. 7. dicens: *Nec ideo tamen, quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dextrum aut sinistrum latus animo occurrat: aut ipsum quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est.* Et quibusdam interiectis: *Ad dexteram,* inquit, *ergo intelligendum est dictum esse in summa beatitudine, ubi iustitia et pax, et gaudium est; sicut ad sinistram haedi constituuntur, idest in miseria propter iniquitates et labores, atque cruciatus: sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positione, sed iudiciariam significat potestatem, qua illa Maiestas numquam caret, semper digna dignis retribuendo.* Haec ille. — Videtur ergo in caelis Christus magis stare, quam sedere; nam inclinatio partium non congruit agilitati. Potius ergo erectio sive statio videtur esse situs conveniens corpori, in quantum est instrumentum animae, quia tunc magis aptum est et promptum ad operationem; et quidem Stephanus vidit Iesum stantem, *Actuum,* 7.

ARTICULUS II.

UTRUM SEDERE AD DEXTERAM PATRIS CONVENIAT CHRISTO SECUNDUM QUOD DEUS.

Doctor, loc. cit. art. praec. — *Quodlib. q.* 6. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 58. *a.* 2.

RESPONDEO dicendum, sedere ad dexteram Patris convenire Christo secundum quod Deus; si enim sedere ad dexteram Patris est esse constitutum in summa beatitudine, ubi iustitia et pax et gaudium regnant,

profecto Christus secundum quod Deus ad dexteram Patris sedet, [*Quodlib.* q. 6. n. 17.] cum ut Deus sit illi per omnia aequalis, habens eamdem essentiam et virtutem et perfectionem, ac subinde eamdem beatitudinem idemque gaudium, et hoc est quod dicit Augustinus, 15. *De Trinit.*, c. 14.: *Pater,* inquiens, *genuit Filium per omnia aequalem sibi, non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aut minus, aut amplius esset in Verbo, quam in seipso.* Haec ille. Cum habeat ergo Filius quidquid Pater, scilicet, gloriam, beatitudinem, et iudiciariam potestatem, idque immobiliter sicuti et divinam Essentiam, recte Christus ut Deus dicitur sedere ad dexteram Patris.

ARTICULUS III.

UTRUM SEDERE AD DEXTERAM PATRIS CONVENIAT CHRISTO SECUNDUM QUOD HOMO.

Doctor, Oxon. 4. *loc. cit. art. praec.* — 3. *d.* 10. — *Report. ib.* *S. Thom.* 3. *p. q.* 58. *art.* 3.

RESPONDEO dicendum, Christo secundum quod homo est convenire sessionem ad dexteram Patris; [*Oxon.* 3. d. 1. n. 4. seqq.] etenim iuxta dicta *q.* 23. *art.* 4. secundum quod homo non est Filius Dei adoptivus, sed naturalis; quia pro nullo signo durationis habuit extraneitatem, sed extitit semper ille homo unitus Verbo divino, ex quo congruum fuit Deum dedisse ei summam gratiam possibilem, quanta scilicet decebat Unigenitum Patris. Ex tunc igitur obtinuit ac potitus est summa fruitione, etsi perfectam tranquillitatem adeptus sit post resurrectionem, in qua evasit prorsus impassibilis et beatus. Quandoquidem igitur per illam unionem sit Deus, et Filius Dei naturalis, unicaque eademque adoratione adorandus qua colitur Deus, et constitutus super omnem aliam creaturam *in esse* naturae et gratiae, verissime sedet ad dexteram Patris ut homo, plus habens de bonis paternis, quam omnes aliae creaturae, obtinens insuper et iudiciariam potestatem eminentissimam omnium, quae possunt esse sub Deo.

ARTICULUS IV.

UTRUM SEDERE AD DEXTERAM PATRIS SIT PROPRIUM CHRISTI.

Doctor, loc. cit. art. antec. —*S. Thom.* 3. *p. q.* 58. *art.* 4.

RESPONDEO, sedere ad dexteram Patris esse sic proprium Christi, ut nulli alteri creaturarum convenire possit. Et quidem, ut patuit *ex antedictis,* ipse secundum naturam divinam est per omnia Patri aequalis obtinens cum ipso aequalem gloriam beatitudinis et regnum; secundum vero quod homo est, quia Verbo Dei personaliter unitus, habet plenitudinem omnium gratiarum et supernaturalium donorum, et iudiciariam potestatem; quia igitur tot tantaque bona nulli alteri obvenerunt, *sedere ad dexteram Patris* est proprium Christi.

QUAESTIO QUINQUAGESIMANONA.

DE IUDICIARIA POTESTATE CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de iudiciaria potestate Christi.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum iudiciaria potestas sit attribuenda Christo. - 2. Utrum conveniat ipsi secundum quod est homo. - 3. Utrum eam fuerit ex meritis adeptus. - 4. Utrum eius potestas iudiciaria sit universalis respectu omnium hominum. - 5. Utrum praeter iudicium quod agit in hoc tempore sit expectandum aliud universale iudicium futurum per ipsum. - 6. Utrum eius iudiciaria potestas etiam ad Angelos se extendat.

ARTICULUS I.

UTRUM IUDICIARIA POTESTAS SIT SPECIALITER CHRISTO ATTRIBUENDA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 47. *q.* 1. — *d.* 48. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 59. *art.* 1.

VIDETUR iudiciaria potestas non esse specialiter Christo attribuenda: Nam Matthaei 19. dicit Christus Apostolis, [*Report.* 4. d. 47. q. 1. n. 1.] *sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël;* igitur iudicandi ferendique sententiam potestas convenit etiam Apostolis, ac propterea non est ita Christo attribuenda, ut nemo alius proinde sit iudicaturus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 1.] Iudicare non convenit nisi potestatem habenti super iudicandis: sed Christus secundum naturam humanam est frater noster, et non dominus; igitur Christo speciali aliqua ratione non convenit iudiciaria potestas, sed Deo, vel ipsi in quantum Deus est.

3. PRAETEREA. [*Report.* 4. d. 47. q. 1. n. 6.] Danielis 7. scribitur: *Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedit:* antiquus autem dierum Deus praedicatur eo quod sit aeternus: sedere autem dicitur ob iudiciariam potestatem, secundum Augustinum relatum *art.* 1. *quaest. praec.* Cum igitur aeternitas et antiquitas recte attribuatur Patri, eidem pariter specialiter est attribuenda iudiciaria potestas, et non Filio.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 2.] Actuum, 10. scribitur: *Ipse est* (Christus) *qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum:* igitur iudiciaria potestas specialiter est Christo attribuenda.

RESPONDEO dicendum, iudiciariam potestatem esse Christo attribuendam. Pro quo intelligendum, [*Report.* 4. d. 48. q. 1. n. 2. seqq.] Iudicium (ut ad rem praesentem pertinet) esse *completam determinationem et authenticam reddendi alicui secundum merita sua.* Et quidem dicitur *completa,* quia includit determinationem firmam intellectus, et determinationem efficacem voluntatis, idest, volentis, et intendentis secundum determinationem intellectus retribuere; et hoc est, quod specificatur particula *authentica:* significatur enim iudicium ferre esse eius, qui possit

determinationem intellectus et voluntatis perducere ad effectum. In ratione ergo *iudicii* includitur essentialiter dictamen intellectus practici, consonum iustitiae, respicientis operabilia, quatenus videlicet dictat secundum *legem,* huic esse reddenda praemia, et alteri supplicia, prout in operabilibus conformiter vel difformiter ad legem sese gesserunt; et quia id dictamen non sufficit ad completam rationem iudicii, hinc essentialiter quoque requirit ipsam efficacem voluntatem, a qua sit ipsa realis retributio praemiorum, vel poenarum. — *Ex quo statim* [*Report.* ib. — *Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 7.] *sequitur,* principaliter iudicare includere principaliter dictare, et principaliter habere *velle* efficax exequendi dictamina intellectus; et consequenter principaliter iudicare non posse competere nisi naturae intellectuali, cuius intellectus alteri non subordinetur in iudicando, nec voluntas in volendo, taliter ut ad eius imperium extemplo sequatur effectus; igitur ita iudicare non convenit nisi Deo, et subinde ex aequo tribus Personis divinis. — *Verumtamen,* quia Verbum ex vi productionis suae habet notitiam actualem sibi communicatam, notitiae autem actuali ut actuali convenit declarare, hinc, etsi quaelibet alia persona a Verbo habeat actualem declarationem, quatenus est actualis notitia et aeque declarativa realiter, sicut illa notitia quae est Verbum, nihilominus declarare magis convenit cum proprietate Filii, quam cum proprietatibus aliarum personarum; ideo recte sibi appropriatur esse *notitia declarativa, et sapientia et Ars Patris.* Et quia iudicis est causam sapienter cognoscere, super qua est iudicium vel sententia ferenda, et declarare eum qui iudicatur esse dignum poena vel praemio, iudiciaria potestas specialiter Filio Dei attribuitur.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Report.* 4. d. 47. q. 1. n. 8.] eo sermone Salvatorem innuere voluisse universalitatem salvandorum, qui Christo iudicanti et sententiam ultimam ferenti in reprobos, erunt assessores, nam alioquin duodecim tantum non sunt Tribus Israël, est enim praeterea Tribus Levi. Per duodecim ergo Tribus Israël datur intelligi universitas iudicandorum, sicuti per duodecim iudicantes universitas salvandorum.

Ad secundum dico: [*Oxon.* 4. d. 47. q. 1. n. 9. seqq.] quoniam Christo secundum humanitatem non convenit supremum dominium universitatis rerum, cum id proprium sit supremi Domini, ideo ei non est attribuenda suprema iudiciaria potestas, qua homo est, sed commissaria, omnium tamen eminentissima, de quo *articulo sequenti.*

Ad tertium, concedo convenire ex aequo tribus Personis divinis principaliter ferre sententiam, et ita esse omnium trium iudiciariam potestatem; sed nihilominus recte attribui Filio, ob ea quae dicta sunt *in solutione.*

ARTICULUS II.

UTRUM IUDICIARIA POTESTAS CONVENIAT CHRISTO SECUNDUM QUOD HOMO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 48. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 59. *a.* 2.

Videtur non convenire Christo iudiciaria potestas secundum quod homo. Nam [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 1.] iudicare est actus habentis pote-

statem et dominium super iudicatum: sed Christus secundum naturam humanam, est frater noster, et non dominus; ergo ipsi non est attribuenda iudiciaria potestas, nisi quatenus est Deus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Augustinus, *super illud* Ioann., 5.: Filius quos vult vivificat, *Suscitat,* inquit, *corpora non Pater sed Filius secundum dispositionem humanitatis, in qua est minor Patre.* Et post subdit: *Secundum autem quod Deus est vivificat animas.* Sed iudicari magis pertinet ad animam, quam ad corpus; ergo iudicare non competit Christo nisi secundum quod Deus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 47. q. 1. n. 6.] Si spectaret ad Christum secundum quod homo iudicare, profecto ante iudicium et sententiae pronunciationem, ipsius esset causam cognoscere, ut inde egrederetur iudicium rectum: sed causam cognoscere non attinet ad Christum secundum humanitatem, sed praecise qua Deus; ergo pariter ei convenit iudiciaria potestas tantum quatenus Deus est. *Probatur minor*: nam quomodocumque ponantur merita et demerita iudicandorum innotescere in iudicio finali, id fieri nequit nisi per Dei virtutem, cuius solius est intueri et scrutari corda; ergo non potest id Christo attribui secundum humanitatem.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 48 q. 1. n. 1.] Ioann., 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere quia filius hominis est.* Ergo secundum naturam humanam data est Christo potestas iudicandi.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 8] Christo secundum quod homo convenire iudiciariam potestatem, non quidem principalem (qualis est eius, qui in iudicando non subordinatur alteri, quoad dictamen intellectus et exequutionem voluntatis), sed commissariam et subauthenticam, maiorem et excellentiorem tamen qualibet alia, quae posset committi alicui creaturarum et demandari. Et sane, quod non sit ea potestas primaria et principalis declaratur; quia anima Christi non est increata, sed creata, [ib. n. 7.] igitur eius intellectus subordinatur divinae veritati in iudicando, et praesertim de illis, de quibus non potest esse certum dictamen, nisi ex regulis determinatis a voluntate divina, veluti sunt omnia ea quae spectant ad beatitudinem et miseriam iudicandorum, circa quae mere contingenter se habet; et consequenter etiam voluntas animae Christi necessario subordinata est voluntati divinae in recte volendo; et quantumcumque efficaciter velit aliquid impetrando illud efficaciter, sic ut ad eius imperium illud eveniat et incuntanter fiat, subordinatur nihilominus necessario voluntati divinae, quia ipsa non est omnipotens; igitur impossibile est Christum secundum naturam humanam principaliter iudicare, sic ut ed eius nutum atque iussionem praecise sequatur retributio bonorum, et poena malorum. Et quoniam Christi sententiam concomitabitur eiusdem exequutio, oportet eam ab alia causa repraesentari, quae non alia potest esse, nisi voluntas divina.

Sed tamen iudiciariam [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 8.] potestatem Christi secundum naturam humanam esse omnium supremam declaratur; nam etsi posset purae creaturae committi, ut eius intellectus recte dictaret de retributione facienda, et voluntas eamdem efficaciter vellet, taliter ut semper sequeretur effectus, non a se ,sed a divina voluntate causatus; non posset tamen committi illi creaturae, ut effectus efficaciter voliti a se ipsa causerentur, quia tunc esset omnipotens; cum igitur iudiciaria po-

testas data Christo talis sit, ut quicquid circa retributionem faciendam intellectus eius dictaverit et voluntas efficaciter voluerit, ab eadem persona quae est omnipotens ponatur in effectu, profecto talis potestas est excellentissima et suprema omnium, quae esse possint sub Deo; [*Oxon.* ib. n. 9.] commissaria tamen et subauthentica est, quia sicut supreme non dominatur, ita nec supreme, seu independenter imperat facienda, sed commissarie, cum subordinatione scilicet ad supremum dominium Dei; et nihilominus ea potestas est omnium excellentissima, quia imperium eius efficaciam completam habet ab eadem persona. Atque ita, ut non attribuimus animae Christi omnipotentiam, ita non negamus ab eo summam excellentiam quae potest competere creaturae, seu communicari a Deo intellectivae in tempore creatae.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.*ib.n.9. seqq] Christum quatenus homo habere iudiciariam potestatem, non principalem, qualis est in supremo domino, sed commissariam et subauthenticam, quae ei non repugnat, ut homo est. — *Et cum dicitur,* ut homo est frater noster; *concedo,* secundum quod habet eamdem humanam naturam, et quatenus iusti sunt filii Dei adoptivi; sed interim ipse est caput omnium hominum et Angelorum in quantum homo, et ita est pariter Dominus omnium creaturarum, et subinde index omnium, sed potestate commissaria, ut dictum est.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. n. 10.] potest dici sic: vivificatio animarum soli Deo competit, et hoc sive sit sermo de vita prima, quae est iustificatio, sive de vita perfecta, quae est beatitudo; resurrectio autem corporum et iudicium, seu sententia finalis pronuncianda possunt competere Christo homini ut imperanti, licet imperio subauthentico, quia respectu illorum potest habere, ut reipsa potitur dominio minus principali, saltem accipiendo resurrectionem pro iis, quae ipsam praecedent fientque ministerio Angelorum; Christus enim habet imperium efficax respectu potestatis Angelorum, et habebit pariter imperium efficax illius sententiae ferendae, etiam secundum naturam humanam, ut declaratum est.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 10. q. 8. n. 12.] non solum Christi animam posse pervadere secreta cordium, sed etiam intellectum cuiusvis Beati; ex hoc enim, quod sunt intelligibilia causata cadunt sub obiectum naturalis attingentiae intellectus separati, et eadem possent nullo negotio attingere Angeli mali si a Deo permitterentur, et non magis impedirentur, ut testantur Sancti factum esse in mysterio Incarnationis; quia non fuit permissus diabolus nosse Virginitatem B. Mariae, ut facili negotio potuisset. Permissurus est autem Deus intellectui Christi creato ea omnia penetrare intimeque nosse, quia potestatem dedit ei iudicium facere; ergo priusquam sententiam ferat, est omnia cogniturus, et discussurus singulorum merita et demerita, ut omnibus digna factis pronunciet rependenda, et re ipsa reddat.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS EX MERITIS ADEPTUS SIT IUDICIARIAM POTESTATEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 48. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 59. *a.* 3.

VIDETUR Christus non fuisse adeptus iudiciariam potestatem ex meritis. Ideo enim constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum, ut dicitur *Actuum* 10., quia ille homo habet unionem ad Filium Dei personaliter: sed ad eam unionem nulla potuerunt praecessisse merita; ergo nec potestatem iudicandi potuit Christus sibi promeruisse, sed magis gratis accepit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 19. n. 4.] Iudicare est Praesidentis, iuxta illud Apostoli ad Roman., 14. *Tu quis es qui iudicas alienum servum?* Sed praesidere corpori mystico Ecclesiae convenit Christo secundum quod est caput ipsius; igitur cum excellentiam capitis Christus receperit gratis, et nullis praecedentibus meritis, nec potestatem iudicandi consequenter potuit sibi aliqua ratione promereri.

CONTRA. Ex dictis *q.* 19. *art.* 3. *tertium repetito,* quamquam corpori Christi ex unione ad animam beatam deberetur gloria, nihilominus gloriam et impassibilitatem corporis promeruit; igitur etiamsi iudicaria potestas concomitetur statum sublimissimum illius hominis uniti hypostatice Verbo Dei, potuit nihilominus promeruisse actualem eiusdem exequutionem.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 1. seqq.] Christum ex acerbissima passione et morte ac profundissima humilitate iudiciariam potestatem promeruisse; quemadmodum enim etsi a primo instanti suae conceptionis esset beatissimus, nonnisi per passionem erat adepturus immortalitatem et intraturus in gloriam suam, ut ipsemet discipulis euntibus in Emmaus testatus est: *Nonne,* inquiens, *oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam?* Lucae, 24. ita quamvis competeret Christo ex vi unionis hypostaticae et gratia capitis esse iudicem universorum, nihilominus debuit pro hac potestate quasi in actu secundo obtinenda pati passionem et mortem. Unde Iob., 36. scribitur: *Causa tua quasi impii iudicata est,* (a Pilato nimirum secundum Glossam) *ideo causam iudiciumque suscipies.* Iudicium igitur ad disceptationem causarum omnium ideo suscepit, quia id meruit per suam passionem, in qua inter alia dicta fuit in ipsum mortis sententia quasi impius extitisset, qui omnes ab impietate et captivitate, qua detinebantur, venerat liberaturus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, quemadmodum erat debita corpori gloria ex beatitudine animae, et tamen eius potitus non est secundum corpus nisi post passionem, qua meruit amoveri impedimentum redundantiae illius, ita ex eadem passione redimens humanum genus acquisivit speciali eo titulo dominium in omnes homines, et consequenter iudiciariam potestatem, quamquam aliunde eadem sibi conveniret.

AD SECUNDUM respondeo *ex dictis:* nam Christus ex capitis excellentia accepit quasi in actu primo potestatem iudiciariam, citra omne meritum; eius autem potestatis per passionem et mortem acquisivit actum secundum, et exequutionem iudicandi, ut dictum est.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTO CONVENIAT IUDICIARIA POTESTAS QUANTUM AD OMNES RES HUMANAS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 32. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 59. *art.* 4.

VIDETUR non convenire Christo iudiciaria potestas quantum ad omnes res humanas. Nam [*Oxon.* 1. d. 46. n. 1.] Matthaei 22. ait Salvator ad Hierusalem: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* Igitur Christi voluntas quantum ad hoc non adimplebatur, et consequenter nec illi, quos voluit congregari, et factum non fuit, erant sub iudiciaria potestate ipsius; quae utique potestas dicit dictamen practicum intellectus et voluntatem efficacem, idest, ponentem in esse effectum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 46. q. 4. n. 6.] Secundum Augustinum, 12. *Confes. Iussisti Domine, et ita est, ut poena sit sibi omnis peccator.* Et Boëtius, 4. *De Consolat.: Infeliciores sunt improbi iniusta impunitate donati, quam iusta punitione puniti:* sed quod peccatum afferat peccanti poenam, et quod improbi impune peccantes peius se habeant quam si punirentur, id evenit ex iusto iudicio Dei, et eodem modo ante et post Christi adventum; igitur non habet Christus iudiciariam potestatem super omnes res humanas.

CONTRA. [*Oxon.* 2. d. 1. q. 1. n. 2.] Filius est ars et sapientia Patris; ergo sicuti omnia facit per ipsum, ita et omnia iudicat per ipsum.

RESPONDEO, [*Oxon.* 3. d. 32. n. 6.] hunc ordinem divinae Providentiae fundatum in natura obiectorum possumus intelligere. *Primo,* Deus dilexit se amore infinito. *Secundo,* voluit fruitionem Christi independenter ab omni motivo, ob excellentiam sui. *Tertio,* elegit determinatum numerum hominum et Angelorum, circa alios mere negative se habendo. *Quarto* tandem voluit hunc mundum sensibilem gratia hominum, praecipue praedestinatorum, ut serviret eis. Unde et dicit Aristoteles, 2. *Physicor.,* text. c. 24.: *Homo quodammodo est finis omnium sensibilium,* nempe quia propter hominem condita sunt omnia sensibilia a Deo. Cum igitur Christo data sit iudiciaria potestas respectu omnium hominum, in quos et finalem sententiam est dicturus, consequens est ut pariter et multo magis eamdem adeptus sit potestatem super ea omnia, quae propter homines facta sunt. [*Quodlib.* q. 21. n. 15.] Quaecumque igitur circa humanum genus geruntur, iustissimo Dei iudicio geruntur, atque eorumdem dispositio tradita est Filio. Principatus igitur et regna et magistratus, sed et divitiae et sanitas et paupertas et egestas et servitus a capite Christo in membra descendunt, et iustissimo iudicio dispensantur et ordinantur ad electorum, et praedestinatorum salutem; et aliquando in praesenti vita adversitas plus proficit, quam prosperitas, secundum Boëtium, 4. *De consolatione Philosophiae,* Prosa 4.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 1. d. 46. n. 3.] non deberi ea verba sic intelligi, quasi Salvator voluerit congregare filios Hierusalem, et non sit factum quod ipse volebat, sed quia omnes, quos ipse congregavit, sua voluntate congregavit. Verum qui congregari eique auscul-

tare noluerunt, non propterea effugerunt iudicium eius, quia respuentes misericordiam, incidunt in sententiam iustitiae.

AD SECUNDUM dico illa omnia extitisse et geri iusto Dei iudicio ante et post Incarnationem, sed tunc id iudicium pertinuisse ad Christum quatenus Filius Dei est. At postquam factus est filius hominis, eamdem potestatem accepisse eodem modo, quo adeptus est omnium dominium, non supremum scilicet, sed excellentissimum post supremum; licet exequutionem eius potestatis acquisierit per passionem; acceperat eam nihilominus, et omnium dominium cum per unionem ad Verbum Dei ille homo constituebatur Ecclesiae caput et Rex excelsus universitatis rerum.

ARTICULUS V.

UTRUM POST IUDICIUM QUOD AGITUR IN PRAESENTI TEMPORE RESTET ALIUD IUDICIUM.

Doct., Oxon. 4. *d.* 47. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 59. *a.* 5.

VIDETUR non esse futurum aliud iudicium ab eo, quod in praesenti tempore peragitur, cum scilicet anima a corpore discedit. Etenim Nahum, 1. legitur, [*Oxon.* 4. d. 47. q. 1. n. 1.] *Non iudicat Dominus bis in idipsum:* si autem ultra iudicium praesentis temporis esset aliud futurum iudicium, Deus bis iudicaret eamdem causam; ergo non est aliud futurum iudicium universale ab eo, quo quisque iudicatur specialiter in sua causa.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Augustinus ad Hesichium: *In quo quem invenerit ultimus eius dies, in eo inveniet eum ultimus saeculi dies:* sed ultimus dies est in quo quisque e praesenti vita discedit, et pronunciatur sententia vel vitae aeternae, vel mortis perpetuae; ergo nullum aliud iudicium est ipsis expectandum in ultimo saeculi die.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Ex Psal., 1. *Non resurgent impii in iudicio,* igitur peracto iudicio in praesenti tempore, nullum aliud est impiis expectandum, qui maxime tamen in iudicium viderentur evocandi, et etiam ut adessent compellendi.

CONTRA. Augustinus, 20. *De Civit.,* c. 21. loquens de fine libri Isaiae Prophetae: [*Oxon* ib. n. 2.] *Promittit,* inquit, *ipse Propheta fines Ecclesiae ad quos per ultimum iudicium facta Beatorum, malorumque discretione, venient.* Et plura alia habet de hac re ibi.

RESPONDEO dicendum, judicium generale finaliter esse futurum, in quo per Iudicis sententiam separabuntur mali a bonis in perpetuum, illis poena irrogata sempiterna, bonis vero felicitate perpetua donatis. [*Oxon.* ib. n. 4. seqq.] Respectu ergo electorum est iudicium approbativum, quo iudicatur ipsos esse praemiandos; respectu vero reproborum est iudicium condemnativum, quo pronunciatur aeterno supplicio perimendos. Et quamvis huiusmodi generale iudicium esse futurum nulla ratione convincatur, quia minus notum est, quam mortuorum resurrectio, circa quam nihilominus haberi nequeunt demonstrationes, haud inutile tamen erit ad id utcumque suadendum unam et alteram congruentiam in medium afferre. — Et *prima* quidem est quia congruum apprime videtur tandem separari omnes malos a bonis; non enim mali communicant cum bonis, nisi ad hoc, *ut vel malus corrigatur, vel ut bonus per illum exerceatur,*

ut ait Augustinus, super Psal. 54. *Nunc autem veniet finalis determinatio, ubi nec ultra boni exerceantur, nec mali corrigantur.* Ergo convenit tandem pronunciari generalem sententiam perpetuae separationis horum ab illis. Ut igitur ea separatio et discretio omnibus appareat quam iustissime decernatur, oportet generale iudicium fieri. — *Secunda* congruentia est quia in secretis iudiciis quae fiunt circa singulas personas, licet sit iustitia et iudicium, non relucet tamen hic talis iustitia manifeste, nec rectitudo divini iudicii, propter quod clamat Apostolus ad Roman., 11. *O quam incomprehensibilia sunt iudicia eius :* rationabile igitur est, Deum instituere commune et generale aliquod iudicium, in quo omnibus palam faciat cuncta quae protulit particularia iudicia esse et fuisse rectissima et iusta.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Report.* 4. d. 47. q. 1. n. 9.] propter idem peccatum non ferri bis sententiam ad eumdem finem, et propterea Deum non iudicare bis in idipsum. Caeterum quamlibet personam posse dupliciter considerari: et ut est talis persona particularis, et in quantum est pars familiae deputatae ad regnum, vel ad carcerem. Et primo modo dico, unumquemque iudicari quando est in termino vitae sibi praefixae; sed quatenus unusquisque integrat unam aut alteram familiam esse iudicandum cum omnibus in generali et finali iudicio.

Ad secundum ex Augustino respondeo [*Report.* ib.] ex dictis; quia ultimo vitae die erit iudicium cuiuslibet ut est singularis persona, non tamen per eam est adscriptus societati vel collegio, cui quisque adscribendus est per sententiam ferendam in iudicio generali.

Ad tertium ex Psalmo, [*Oxon.* ib. n. 8.] *Non resurgent impii in iudicio,* verum est ad vitam, iuxta illud 2. Machab., 7. *Tibi autem resurrectio ad vitam non erit;* et hoc apparet ex eo, quod subditur: *Neque peccatores in concilio iustorum:* sive accipiatur ibi *iustorum,* idest, de iustis consilium Dei est, ut perpetuo beatificentur; sive consilium *iustorum,* quo scilicet sibi ipsis consulunt, ut sensus sit: iustorum consilium est in omnibus divinae voluntati concordare, in quam concordiam certe impii non resurgent.

ARTICULUS VI.

UTRUM IUDICIARIA POTESTAS CHRISTI SE EXTENDAT AD ANGELOS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 47. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 59. *a.* 6.

Videtur iudiciaria potestas Christi non se extendere ad Angelos. Etenim [*Report.* 4. d. 47. q. 1. n. 1.] Angeli ab initio mundi fuerunt iam iudicati, et boni quidem potiti sunt felicitate aeterna, et mali addicti sunt suppliciis sempiternis; igitur non sunt amplius cum hominibus iudicandi.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Gregorius, 26. *Moral.* dicit, in iudicio esse futuros quatuor ordines, unum illorum qui iudicabunt, et non iudicabuntur : si autem aliqui cum Christo sunt iudicaturi, maxime Angeli; ergo non subiicientur iudiciariae potestati Christi.

3. Praeterea. [*Oxon.* 3. d. 19. n. 6.] Christus non est influens in Angelos gratiam; ergo nec ipsos est finali iudicio iudicaturus; idcirco

enim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. — d. 48. q. 1. n. 1.] data est ei potestas ferendi sententiam in homines, quia cum gratiam illis meruerit, convenientissimum fuit, ut cognosceret utrum bene, an male usi ea sint, et pro meritis causarum sententiam finalem pronunciet. *Probatur igitur antecedens:* nam Christi merita ex passione eius et morte fluxerunt; eam enim obtulit Patri pro electis pro quibus gratiam meruit; per passionem etiam ianua Caeli aperta fuit: ex pàssione efficaciam Sacramenta acceperunt; ac per passionem denique meruit exaltationem, et ius acquisivit iudicandi, aut exequutionem eius; ac proinde quoniam pro Angelis passus non est, sed propter homines dumtaxat, eius iudiciaria potestas homines tantummodo videtur comprehendere, et non Angelos.

CONTRA. Christus ut homo est caput Angelorum et Dominus, ex dictis supra, *q.* 8. *art.* 4.; ergo habet iudiciariam potestatem super Angelos, et per consequens iudicio finali sunt iudicandi.

RESPONDEO dicendum, Christum iudicem futurum in finali iudicio non solum hominum, sed etiam Angelorum. Quamvis enim verum sit [*Oxon.* 4. d. 47. q. 1. n. 8.] eos fuisse iudicatos postquam, peracto statu viae, perseverantes in superbia deiecti sunt ad tartara, et sese Deo et Filio eius carnem suscepturo de Virgine subiicientes adsciti sunt ad regnum, congruum tamen est, Christum in generali iudicio, finalem sententiam in eos pronunciare, qua omnibus innotescat et malos ultimo supplicio perimendos, et bonorum gaudium et felicitatem augendum: illa etenim sententia: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum* omnes electi, et filii Dei iudicabuntur iudicio generali esse haeredes regni Patris Caelestis; et illa alia: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum praeparatum diabolo et angelis eius,* reprobi iudicabuntur in communi, tamquam carceri sempiterno mancipandi. Et quemadmodum unicuique electorum accedet gaudium ultra illud, quod adepti sunt in iudicio particulari et in possessione regni, quia quilibet gaudebit de integritate suae civitatis, ita cuiuslibet reproborum evadet intensius supplicium ultra illud in iudicio particulari taxatum et inflictum; quia repletio carceris unumquemque ex his, qui carceri adstricti detinentur angustat, premit, atque coarctat. In iudicio itaque illo universali, [*Report.* 4. d. 47. q. 1. n. 5.] non tantum erit reprobatio malorum, sed etiam condemnatio eorum, illico sententiam efficacissimam consequente poena: quemadmodum nedum sunt approbandi electi, sed etiam amplioris felicitatis facienda est illis condigna retributio.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Report.* ib. n. 9.] etiam homines in morte fuisse iudicatos ut particulares sunt personae, et tamen esse adducendos in iudicio universali, ut partes unius, aut alterius civitatis, Dei scilicet vel Diaboli; ita pariter et cum Angelis agendum esse, atque finali una sententia bonos a malis separandos.

AD SECUNDUM ex Gregorio respondeo: [*Report.* ib. n. 5.] sancti non sunt iudicandi quoad disceptationem praecedentem sententiam, nec pariter aliquis tunc ut privata persona est iudicio subiiciendus; quoad innotescentiam itaque causae non omnes iudicabuntur, quia nec Angeli boni, nec mali, nec innocentes, nec pueri qui baptizati decesserunt; sed tantum sic iudicabuntur mediocriter boni, et mediocriter mali in fide; quia quantum ad istos fiet innotescentia causarum, quae ante iudicium non omnibus patebant, et ita nec eorum iusta sententia erat nota omnibus; et nihilo-

minus iudicabuntur omnes homines et Angeli, boni et mali, quatenus omnes boni eligentur ad aulam, et omnes mali coniicientur in tartareum carcerem. Videnda *q.* 89. *Supplem. art.* 6. 7. 8.

AD TERTIUM respondeo ex dictis, *citat. q.* 8. *art.* 4. Angelos primam gratiam accepisse a capite Christo, ac propterea illis gratiam promeruisse, non quidem per passionem et mortem eius praevisam, sed per actus internos dilectionis Dei et proximi propter Deum; ii enim actus fuerunt a Deo praevisi in primo signo praedestinationis et electionis Christi; et quoniam processuri praevidebantur a summa gratia, longe gratissimos atque acceptissimos Deo oportet extitisse. Intuitu ergo horum meritorum Christi collata fuit prima gratia Angelis; nam in omni signo, quo praevidebatur futurus Christus, quia plenus gratiae et veritatis, erat causa meritoria omnium donorum, quae Deus erat daturus membris corporis illius mystici, adeo ut de illius plenitudine omnes acceperint et accipient. Sicuti ergo Christus est caput omnium creaturarum, ita et futurus est iudex omnium in extremo iudicio, in quo boni omnes erunt participes regni caelestis, et mali detrudentur in barathrum infernale; a quo per merita suae sacratissimae passionis nos liberare dignetur Filius Virginis Immaculatae Iesus Christus Redemptor humani generis, haeres universorum, et excelsus Dominus omnis rationalis et intellectualis creaturae. Amen.

QUAESTIO SEXAGESIMA.

DE SACRAMENTIS, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Post considerationem eorum quae pertinent ad mysteria Verbi Incarnati, considerandum est de Ecclesiae Sacramentis, quae ab ipso Verbo Incarnato efficaciam habent. Et *prima* consideratio erit de Sacramentis in communi: *secunda* de unoquoque Sacramentorum in speciali.

Circa *primum* quinque consideranda sunt: *primo,* quid sit Sacramentum: *secundo,* de necessitate Sacramentorum: *tertio,* de effectibus Sacramentorum: *quarto,* de causa eorum: *quinto,* de numero.

Circa primum quaeruntur octo.

1. Utrum Sacramentum sit in genere signi. - 2. Utrum omne signum rei sacrae sit Sacramentum. - 3. Utrum Sacramentum sit signum unius rei tantum vel plurium. - 4. Utrum Sacramentum sit signum quod est res sensibilis. - 5. Utrum ad Sacramentum requiratur determinata res sensibilis. - 6. Utrum ad Sacramentum requiratur significatio, quae est per verba. - 7. Utrum requirantur determinata verba. - 8. Utrum illis verbis possit aliquid addi vel subtrahi.

ARTICULUS I.

UTRUM SACRAMENTUM SIT IN GENERE SIGNI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *a.* 1.

VIDETUR Sacramentum non esse in genere signi. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 2. n. 4. — *Report.* ib.] Sacramenta sunt a Deo instituta ut causent gratiam in animam digne suscipientium illa: sed causa non est

in genere signi respectu effectus proprii; nemo enim dixerit causam signare proprium effectum; igitur Sacramentum non est in genere signi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 3.] Si Sacramentum esset in genere signi, utique non esset in genere signi significantis naturaliter, sed ad placitum: sed huiusmodi signa formaliter non sunt nisi respectus rationis; igitur Sacramentum esset respectus rationis: id vero est plane falsum, quia constat materia et forma reali, eiusque effectus, nimirum gratia, est pariter realis.

3. PRAETEREA. Sacramentum secundum Magistrum Sent. 4. d. 1. lit. B. *est invisibilis gratiae visibilis forma:* sed forma visibilis non est in genere signi; quia nec respectus rationis, qualis est relatio signi; ergo Sacramentum non spectat ad genus signi.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.]: Augustinus, 10. *De Civit.*, cap. 5. *Sacramentum est rei sacrae signum.*

RESPONDEO dicendum, Sacramentum esse in genere signi. [*Oxon.* ib. n. 4.] Quicquid enim Deus potest facere, potest et per aliquod signum a se impositum significare: signum autem ex Augustino, 2. *De Doctrina Christiana*, cap. 1. *est quod praeter speciem suam, quam ingerit sensibus, facit in cognitionem alterius devenire.* Posset igitur Deus imponere et instituere aliquod signum sensibile ad significandum effectum invisibilem creatum a se pro salute hominis viatoris. Et quemadmodum nos solemus imponere signa ad significandos nostros effectus, sicuti est iuramentum promissorium ad significandum effectum futurum, et assertorium ad significandum praeteritum vel praesentem, ita multo magis et Deus potest instituere vel signum rememorativum quod esset effectum praeteritorum, vel prognosticum respectu futurorum, vel denique demonstrativum ad signandos effectus praesentes. — *Ulterius* possibile est Deum determinare se ad ita cooperandum ad aliquod signum ab se institutum, ut mox causet effectum signatum, nisi impediat indispositio eius cui tale signum adhibetur. Et porro id signum cui instituens disponit se regulariter cooperaturum est appellandum signum verax vel certum, ad distinctionem signi incerti vel aequivoci, quod nempe ex aequo concomitatur signatum vel oppositum. At proprie est dicendum signum efficax, quia eo adhibito, quantum est ex parte sui, sequitur infallibiliter effectus. [*Oxon.* ib.] Eiusmodi signum absque ulla repugnantia potest includere plura sensibilia in se, etiam diversorum sensuum; quemadmodum ad signandum perfectionem divinam quae est Essentia simplicissima possumus instituere istam orationem, *Deus est infinitus perfecte,* quae conflatur ex multis syllabis audibilibus, ita possumus instituere ut aliqua audibilia et aliqua visibilia simul signent conceptum nostrum, ut ad significandum actum benevolentiae vel amicitiae, possent institui aliqua verba certa cum aliquo actu manus, vel osculo. — Cum igitur Sacramentum [*Oxon.* ib. n. 4. seqq.] sit quoddam ens conflatum ex rebus et verbis ex divina institutione cum pacto assistendi et cooperandi ei, nisi ex parte utentium sit indispositio, et causandi effectum invisibilem, gratiam nimirum in salutem hominis viatoris, profecto Sacramentum erit in genere signi, significabitque gratiam, qua tamquam salubri caelestique medicina sanentur vulnera hominum viatorum. Est igitur Sacramentum *Signum sensibile gratiam Dei, vel eius effectum gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 4. n. 5.] Sacramentum non causare gratiam, sed significare gratiam causatam a Deo intuitu meritorum Christi; quia [*Report.* 4. d. 1. q. 2. n. 5.] igitur rebus illis visibilibus et sensibilibus voluit uti Deus ad significandum effectum invisibilem ab se causatum, proprie et vere Sacramentum est in genere signi.

AD SECUNDUM, concedo materiam et formam Sacramentorum esse quid reale, et etiam gratiam a Deo ex illorum applicatione causatam esse realem; et nihilominus Sacramentum pro formali esse signum ac importare illum respectum rationis ad signatam gratiam. Non quod dicat praecise illum respectum rationis in abstracto, sed in concreto; quo sensu involvit materiam et formam. Sed quia non de se, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 2. n. 4. — *Report.* ib. n. 4.] sed ex divina institutione significat gratiam, ideo formaliter Sacramentum est signum, seu rationis respectus connotans materiam et formam, ad quarum positionem et applicationem Deus ex sua libera determinatione causat gratiam, nisi sit indispositio in eo, cui applicatur.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib. n. 10.] id quod est in definitione Magistri, *visibilis forma,* idem importare *ac signum sensibile,* quemadmodum imago Herculis est signum sensibile repraesentans Herculem. *Visibile* autem videtur posuisse loco *sensibilis,* quatenus visus est caeteris sensibus excellentior et plurium differentiarum cognoscitivus. In excellentiori ergo sensu intellexit caeteros omnes, non secus ac si dixisset *sensibilis forma.*

ITERUM ARTICULUS I.

UTRUM SACRAMENTUM SIT IN GENERE SIGNI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *a.* 1.

VIDETUR Sacramentum haud spectare posse ad genus signi. Signum enim [*Oxon.* ib. n. 1. — *Report.* ib. n. 6.] est formaliter respectus rationis: sed huiusmodi respectus nequit fundari nisi in unico fundamento; igitur cum Sacramentum constet rebus et verbis, quae non faciunt aliquod unum per se, erunt plura fundamenta; et per consequens non fundabunt unum respectum rationis signi, quemadmodum et relatio realis nequit habere nisi unum fundamentum a quo specificatur.

2. PRAETEREA. Magister, 4. d. 1. cap. 2. *Sacramentum,* inquit, *ita est invisibilis* gratiae *forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat:* sed quod gerit alterius imaginem ita ut illius sit et causa, nequit nisi improprie appellari signum eiusdem; igitur Sacramentum, de Magistri sententia, non est signum.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Augustinus, 10. *De Civit.,* cap. 5. Sacramentum *est rei sacrae signum;* igitur spectat ad genus signorum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 5.] Sacramentum non solum spectare ad genus signi utcumque, sed ipsum esse signum formaliter et essentialiter; etsi interim connotet plura in obliquo, eo pacto, quo omnia logicalia formaliter et essentialiter dicunt respectum rationis, seu secundam intentionem, non abstractam quidem, sed concernentem primam

intentionem. Sciendum tamen est quemadmodum vocem significare hoc aut illud non possumus probare, sed oportet nos supponere sic esse, eo quod ita institutum esse ostendit usus communis earumdem vocum, ita rationem nominis *Sacramentum* non possumus probare, sed debemus supponere et accipere quod communiter eo nomine intelligitur. Et quia Theologi per *Sacramentum* communiter intelligunt signum quoddam efficax institutum a Christo Domino significans gratiam Dei datam utentibus Sacramentis in salutem ipsorum, eam nominis rationem non possumus probare, bene tamen an possit esse eius propria definitio licet declarare.

Quoniam vero, [*Oxon.* ib. n. 2. seqq.] 1. *Topic.*, c. 4. definitio est *ratio verum esse significans*. sequitur nihil posse vere definiri nisi sit ens positivum, unum per se, modo compositum sit, et non singulare; singularitas enim non spectat ad *quodquid est esse rei*. Quidquid igitur non habet verum esse reale non potest definiri vera definitione. Ac propterea quandoquidem Sacramentum non sit nisi quoddam signum ex divina institutione significans, nec unum per se, non poterit habere veram definitionem. Sed quia quicquid potest concipi et significari, potest esse eius aliqua ratio nominis, quae nimirum distincte et explicite declaret id quod nomen importat implicite et confuse, quaelibet talis ratio declarativa potest appellari definitio, extendendo nomen definitionis. Hoc sensu [*Oxon.* ib. n. 5.] non inconvenit Sacramentum habere propriam definitionem, nisi ea nominis ratio sit in se vel falsa vel impossibilis, vel omnino non una. Atqui dicendo Sacramentum est *signum sensibile gratiam Dei vel effectum Dei gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris*, non est ratio in se falsa, quia partes inter sese non contradicunt; nec impossibilis, quia nihil est impossibile nisi cuius ratio est in se falsa. Nec per se non unitas impedit; [*Oxon.* ib. n. 6.] nam si unum accidens esset in pluribus subiectis, illud nihilominus accidens esset proprie definibile, perinde ac si esset in uno; quia illa plura subiecta non pertinent per se ad rationem eius, sed se habent veluti additamenta; in praefata autem definitione illud quod dicitur *sensibile* est respectu signi tamquam additum; ergo etsi in τὸ *sensibile* non sit unitas quia revera ex rebus et verbis non coalescit unum, quia tamen est respectu signi quod Sacramentum dicit in recto, erit suo modo proprie definibile. Id enim [*Oxon.* ib. n. 7.] quod est esse signum et etiam ea quae per se determinant rationem signi, cuiusmodi sunt *ex institutione* et *efficaciter*, est formale in praedicta ratione. *Sensibile* vero et *effectum Dei gratuitum* sunt additamenta: *primum* ut subiectum seu fundamentum; *secundum* vero ut correlativum; et ideo non prohibent relationem esse per se definibilem, adeo ut *signum ad placitum efficax* apud intellectum dicit conceptum per se unum, sicut ratio *relationis paternitatis*, quae perinde esset definibilis si foret in pluribus fundamentis ac si sit in uno tantum. Caeterum *signum ex institutione* non est relatio quae sequatur ex natura rei fundamentum; quamquam enim sit ex se aptum ad significandum effectum signatum, actualis tamen signatio non convenit sibi nisi per actum imponentis; dicit ergo *signum* respectum praecise rationis. Is ergo cum dicat unum conceptum per se in intellectu, bene potest definiri, quo pacto definiuntur omnes intentiones logicales, in tantum ut eae definitiones sufficiant ad scientiam proprie dictam, alias Logica

non esset scientia. Et in definitionibus eiusmodi invenitur genus, differentia et proprium. Et ita ad propositum *signum* est in praedicta nominis eius notificatione genus; *ex institutione vero et efficax* est differentia; differt enim a naturalibus signis et inefficacibus; at *sensibile* est fundamentum relationis; *gratia* vero vel *effectus Dei gratuitus* ponitur ibi ut correlativum. Estque ea ratio communis omnibus Sacramentis, quia omnia significant gratiam habitualem et inhaerentem, vel Dei effectum gratuitum, ut Sacramentum Eucharistiae. Haec igitur ratio nominis *Sacramentum* est eius definitio; ratio enim [*Oxon.* ib. n. 9.] quam significat nomen, secundum Philosophum, 4. *Met.*, text. com. 28. est eius definitio. Et eius rei causa est, quia nomen imponitur ad significandam essentiam rei; ergo ratio quae exprimit quid dicitur per nomen distincte et per partes, exprimit distincte conceptus essentiae rei.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 11.] concedo, fundamentum istius relationis includere plura ex quibus non fit per se unum; sed nego, Sacramentum quoad formalem rationem eius non esse per se unum. — *Et cum arguitur* contra de relatione reali; *quamquam hoc sit dubium*, quia forte in multis trahentibus unam navem est una relatio trahentium ad unum tractum, tamen in relationibus rationis propositio est manifeste falsa; quia quantumcumque diversa possunt concurrere in fundamento unius relationis rationis; non enim oportet nisi ut plura illa concipiantur quasi unum in ordine ad aliquid signatum, sicuti *circulus coopertus foliis hederae in cruce positus* potest signare *mustum bonum*.

AD SECUNDUM respondeo Magistrum hic non esse tenendum, nisi commode exponatur. Nam nihil gratiae supernaturalis esse potest in rebus et verbis, quibus constant Sacramenta; nec rursus ullo pacto imaginem gratiae praeseferre possunt; non putamus ergo aliquam causalitatem respectu invisibilis effectus ea habere, nisi moralem, ut patebit *q.* 62. *art.* 1.

ARTICULUS II.

UTRUM OMNE SIGNUM REI SACRAE SIT SACRAMENTUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *art.* 2.

VIDETUR quodlibet signum rei sacrae esse Sacramentum. Nam definitio et definitum convertuntur; ergo cum Sacramentum sit *rei sacrae signum*, ex Augustino, 10. *De Civit.*, cap. 5., igitur et omne rei sacrae signum pariter Sacramentum erit.

2. PRAETEREA. In omni lege fuerunt complura sacra signa, ex quorum usu pateret hominibus via salutis; numquam enim Deus reliquit genus humanum sine remedio contra originale peccatum; sed ea plane sacra signa Sacramenta erant, gratiam scilicet significantia ex Dei instituto, et insuper gratiam efficientia in iis, qui talibus signis utebantur; ergo omne signum rei sacrae est Sacramentum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] In veteri lege erant innumera signa rei sacrae, ut patet de tot sacrificiis, purificationibus, immolatione Agni Paschalis, caeterisque caeremoniis, quae omnino erant signa rerum sacrarum; purificationes enim significabant purificationem a peccato,

immolatio Agni significabat mortem Christi, et sacrificia actus latriae in Deum; nec tamen ea signa erant Sacramenta; ergo non omne signum rei sacrae est Sacramentum.

RESPONDEO dicendum, non omne signum rei sacrae esse Sacramentum: Sacramentum enim non est quodlibet signum, sed signum efficaciter significans gratiam datam eo utenti a Deo intuitu meritorum Christi; non quasi gratia quovis modo data hominibus non largiatur a Deo propter Christum: de plenitudine enim eius omnes accipientes participant; sed quia eam efficaciam ad signandam gratiam quam habent Sacramenta sic habent a meritis Christi, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 10. seqq.] ut infallibiliter ad eorum signorum positionem Deus causet gratiam; etiamsi de ipsa non cogitetur, ut in pueris, et si non ponatur obex ut in adultis; ad omnem autem aliam gratiam quam Deus largitur hominibus requiritur bonus motus interior, quo in Deum mediate vel immediate moveantur, atque ita mereantur non primam quidem gratiam, sed gratiae augmentum. Signa autem rerum sacrarum in veteri lege minime erant Sacramenta (Circumcisione excepta), nisi improprie et large id vocabulum accipiendo; quia non conferebant gratiam eo modo quo dictum est conferre Sacramenta ex opere, ut aiunt, operato, sed conferebant tantum gratiam per modum meriti seu ex opere operantis, quatenus ex charitate et obedientia servantes Dei praecepta de caeremoniis, purgationibus et oblationibus, merebantur subinde gratiae augmentum, sicuti transgrediendo ea mandata obnoxii peccato fuissent.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, Augustinum, 10. *De Civit.*, cap. 5. non loqui de Sacramentis proprie dictis, de quibus est ad praesens sermo, sed de sacrificiis. Sacrificium ergo definiens ait: *Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii Sacramentum, idest sacrum signum est.* [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 8.] Oblationes ergo illae hostiarum in sacrificiis veteris legis erant Sacramenta, idest, signa quidem visibilia, sed secreto et occulte significantia Christum veram hostiam et Sacerdotem, quo placaretur ira Dei super genus humanum; sed non propterea ea sacrificia causabant gratiam efficaciter et infallibiliter ex virtute eorum, uti novae legis Sacramenta; sed tantum per modum meriti, uti dictum est. Sicuti ergo Sacramentum non est signum rei sacrae utcumque, sed efficaciter signans gratiam Dei in salutem hominis viatoris, ita nec omne signum rei sacrae Sacramentum erit, nisi improprie loquendo de Sacramento: et alioquin in qualibet lege fuit aliquod tale Sacramentum improprie dictum, imo multa talia, ut in lege naturae genuflexiones, inclinationes, et prostrationes ad terram, quae generaliter dici possunt sacra signa, improprie tamen Sacramenta, ob causam dictam.

AD SECUNDUM respondeo: si revera in lege naturae erat aliquod signum a Deo institutum cuius usu deleretur originale, sicuti mundabatur in lege Moysi per Circumcisionem, concedo eiusmodi signa extitisse Sacramenta, ut de Sacramentis loquitur hic, iuxta notificationem Sacramenti positam *art. praec.*: quia talia signa signabant gratiam ex opere operato. Sed non propterea alia quaelibet rerum sacrarum signa Sacramenta proprie sunt vocanda, quamvis illa adhibentibus daretur gratiae augmentum per modum meriti, ut in *antecedentibus* expositum fuit.

ARTICULUS III.

UTRUM SACRAMENTUM SIT SIGNUM UNIUS REI TANTUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 2. — *d.* 2. *q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *art.* 3.

VIDETUR Sacramentum esse significativum unius rei tantum. Etenim ex dictis *art.* 1. Sacramentum est signum verax, certum et efficax, eo quod incertum non sit vel aequivocum: sed si plura significaret, esset incertum aut aequivocum; nesciretur enim quinam ex pluribus effectibus praesertim significaretur; vel saltem ambigeretur quodnam esset primum et principale vel minus principale significatum; ergo si est signum verum et efficax, nonnisi unius rei potest esse significativum.

2. PRAETEREA. Sacramenti significatum aliud non est, quam Dei gratia vel eius effectus gratuitus, iuxta dicta *in antecedentibus:* sed talis effectus significatus unica et simplex res est, qua homines digne ea signa adhibentes sanctificantur; igitur Sacramentum non est signum nisi unius rei tantum.

3. PRAETEREA. Sacramenta nequeunt esse signa rememorativa, sed dumtaxat demonstrativa effectus quem continent et causant; ergo tantum unicam rem significare possunt. *Probatio assumpti:* nam Sacramenta fuerunt instituta a Christo vitam mortalem agente; igitur si ea applicata vel suscepta tunc fuissent (ut legitur Baptisma collatum fuisse), utique per ea gratia data esset: sed tunc minime esse poterant signa rememorativa Christi passionis, quippe quae non adhuc fuerat repraesentata; ergo ex se Sacramenta non sunt nisi signa demonstrativa eius effectus quem continent.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. per tot.] Sacramenta omnia instituta fuere a Christo Domino, atque per eiusdem merita habent efficaciam, gratiam enim digne suscipientibus largitur Deus intuitu meritorum Christi; igitur eius rei potissimum erunt Sacramenta significativa, scilicet meritorum Christi, per quae signa illa vera et efficacia sunt.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 9.] Sacramentum est signum sensibile et efficax gratiae; igitur gratiam ipsam significat, et reducit ad memoriam id a quo habet efficaciam, et gratiae finem praenunciat; ergo est plurium rerum significativum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 19.] Sacramenta regulariter conferunt gratiam illis, quibus applicantur, nisi obstet propria indispositio: eam autem gratiam Deus non fuisset daturus hominibus post lapsum, nisi causa meritoria, Christus scilicet, seipsum in mortem tradendo, nobis Deum placasset, ac iuste inclinasset ad conferenda dona gratiarum illis, pro quibus se obtulit; Sacramenta igitur sunt signa rememorativa istius causae meritoriae seu passionis Christi exhibitae, quatenus ab illa et per illam habent efficaciam. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2. seqq.] Non possunt enim esse signa demonstrativa gratiae collatae quin importent efficaciam et certitudinem eiusmodi infusionis, et consequenter involvunt quoque et significant ordinate Christi passionem, a qua efficaciam et certitudinem habuerunt. Et quia denique status, in quo ea Sacramenta instituta sunt, est omnium praecedentium perfectis-

simus, et lex perfectissima, quippe cui nulla alia sit successura, secundum illud Matthaei, 26. *Novi et aeterni Testamenti;* nam ad istud testamentum sequitur perfectissimum et optimum, ad quod ordinatur homo viator, scilicet status aeternae beatitudinis, eius quoque gloriae felicitatis aeternae Sacramenta possunt quoque esse signa prognostica. Et [*Oxon.* ib. n. 9.] non solum demonstrativa gratiae collatae per ipsa, quatenus accipitur *signum prognosticum* non solum pro priori duratione signato, quo pacto signant caelestem gloriam, sed etiam pro signo prioritatis naturae, quo pacto gratiam praecedunt, sicuti causa dicitur praecedere effectum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, non esse Sacramenta signa ambigua aut incerta; quia non ex aequo et primo signant ea omnia, sed ordine illo exposito *in solutione.*

AD SECUNDUM patet ex dictis, quia sunt signa demonstrativa gratiae et rememorativa Christi passionis, a qua efficaciam habuerunt.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib.] Sacramenta ante passionem Christi minorem habuisse efficaciam quam post exhibitionem eius, quia gratiae tunc collatae non erat illico successurus status finalis beatitudinis; ianuae enim aperitio reservabatur passioni Christi exhibitae, et ideo erant tunc Sacramenta signa vera et certissima gratiae; quia tamen deerat illa efficacia, quae ipsis erat accessura ex passione Christi, esse nequibant signa rememorativa passionis eius quasi exhibitae, sed venturae; passionis vero futurae magis videntur fuisse signa prognostica.

AD QUARTUM patet responsio *ex dictis in solutione.*

ARTICULUS IV.

UTRUM SACRAMENTUM SIT SEMPER ALIQUA RES SENSIBILIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *art.* 4.

VIDETUR non esse congruum Sacramentum reperiri semper in rebus sensibilibus, Deus enim non est causa, nec dat [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 1.] directe occasionem errandi hominibus: sed in sensibilibus esse repositam hominis salutem, videtur praebita esse directe errandi occasio, nempe credendi aliquid numinis esse in huiusmodi sensibilibus, et per consequens idololatrandi; ergo non oportuit Deum instituisse aliquid sensibile ut in eo vel per aliud simile esset salus quaerenda.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] In lege naturae Sacramentum institutum a Deo in remedium peccati originalis non erat aliqua res sensibilis; ergo multo minus congruebat in lege Evangelica institui Sacramenta in sensibilibus signis: nam in lege hac explicatiorem habemus doctrinam rerum supernarum ac fuerit in lege naturae. *Probatur igitur assumptum:* nam teste Gregorio, 4. *Moral.: Quod agit apud nos aqua Baptismi, hoc egit apud veteres pro parvulis sola fides.* Igitur in lege naturae Sacramentum necessarium ad salutem non erat in aliqua re sensibili institutum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] Christus Magdalenam aliosque multos iustificavit citra usum Sacramentorum; sed et Apostolos confirmavit sine Sacramento confirmationis; igitur non oportuit Sacramenta esse instituta in rebus sensibilibus, cum eorumdem effectum sine illis possit obtineri.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 1.] Augustinus *contra Faustum*, 19.: *In nullum nomen religionis possunt homines colligari nisi aliquorum signorum velut Sacramentorum visibilium consortio colligentur;* igitur oportunum et propemodum necessarium est Sacramenta instituta esse in rebus sensibilibus.

RESPONDEO dicendum, congruum esse Deum instituisse Sacramenta in rebus sensibilibus. [*Oxon.* ib. n. 2.] Dixi *congruum,* quia necessitas Sacramentorum neque *a priori* neque *a posteriori* ut a fine potest ostendi. Dei enim voluntas quae est causa huius institutionis omnia libere et contingenter extra se agit, nec defuissent quamplura alia media liberandi genus humanum praeter passionem Christi, et Sacramentorum institutionem, et absolute posset causare gratiam illamque hominibus conferre independenter ab omni signo sensibili. Fuisse tamen id apprime congruum declaratur: nam convenientissimum est effectum invisibilem, cuiusmodi est gratia, causandum a Deo ordinante hominem ad aeternam salutem, significari per aliquod signum sensibile; ex eo enim fit ut viator inquirens cognitionem intelligibilium ex sensibilibus, effectum illum invisibilem certius cognoscat. Nec huiusmodi signum decuit esse speculativum, quo scilicet intellectus haberet conceptum de effectu invisibili signato, sicuti *homo* significat naturam humanam; sed oportuit extitisse signum quasi practicum, quo nempe significaretur effectum invisibilem esse vel fieri. — *Rursus,* nec debebat esse signum practicum dubium aut aequivocum vel incertum; quia etiamsi per ipsum duceretur homo in cognitionem, quod daretur ille invisibilis effectus, nihilominus quia signum esset incertum et dubium, admodum remisse appeteret sibi illud adhiberi; anceps enim esset an sibi signatum daretur; congruebat igitur effectum illum invisibilem signari per signum practicum certum et efficax, quo homo et signatum cognosceret, et in eo signo invisibilem effectum ardenter quaereret. — *Ulterius,* signum certum aut potest esse tale certitudine demonstrativa, aut certum ut in pluribus, 1. *Post. t. c.* 43. Signum hoc practicum, de quo loquimur, non debuit habere certitudinem necessariam, ut ad ipsum universaliter et qualitercumque et quomodocumque applicatum, sequatur infallibiliter effectus, quem signat; nam cum illud signum debeat adhiberi ab homine, sequeretur in potestate hominis esse signum aliquod, ad cuius qualemcumque applicationem Deus causaret infallibiliter gratiam: hoc autem auferret a suscipiente debitam praeparationem; satis enim esset sibi vel maxime indisposito suscipere vel adhibere illud signum ad recipiendam gratiam; igitur congruit effectum illum invisibilem significari per signum sensibile practicum, certum certitudine ut *in pluribus,* idest semper nisi suscipientis indispositio obstet; idque signo praecedente naturaliter *fieri* signati, ut ita susceptio signi sit quasi dispositio ad signatum; ut non aliud sit illud signum esse efficax, nisi habere eas omnes conditiones. Quod denique debuit esse ex divina institutione, quia nullum sensibile habet naturaliter efficaciam causandi effectum invisibilem. Atque ita convenientissimum fuit Sacramentum institui in signis sensibilibus, propter cognitionem et desiderium causandum in viatore respectu effectus invisibilis, gratiae videlicet divinae, quae congruentia est pro qualibet persona privata.— *Et praeterea* [*Oxon.* ib. n. 3.] est alia congruentia ex parte totius communitatis accepta ab Augustino *loc. sup. cit.* Congruum est enim omnibus

viatoribus unius sectae in aliquibus signis exterioribus communicare et convenire, per quae etiam ab aliis alterius sectae distinguantur; ex talibus enim signis cognoscit homo quis est suae sectae et quis alienae. Quod esse apprime conveniens constat ex eo, quia qui sciunt se esse eiusdem sectae iuvant se mutuo ad observationem eius, et qui sciunt se dissimilis sectae vitant se mutuo tamquam mutuo se impedientes. Tale autem signum unitivum eorum qui sunt eiusdem sectae et distinctivum ab aliis expedit esse practicum, respectu alicuius effectus invisibilis pertinentis ad observationem sectae. Ergo seu ex parte cuiuslibet personae particularis, seu ex ratione totius communitatis Christianae, congruum fuit Deum in signis sensibilibus Sacramenta instituisse.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 9.] dico, ex ea institutione Sacramentorum in signis sensibilibus Deum non dedisse occasionem aut directe causam fuisse idololatrandi; non enim instituit illa sensibilia quasi in eis esset vel crederetur aliquid numinis, sed instituit ut essent signa certa et efficacia effectus ab se creandi; unde et cognoscerent viatores certo significata illorum, et una dirigerentur ad quaerendam salutem.

Ad secundum respondeo [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 3.] Gregorium non accepisse fidem pro solo habitu fidei, nec pro actu solummodo interiori credendi, sed potius cum ait, suffecisse parvulis ad salutem actum fidei in lege naturae, intellexisse de actu exteriori sensibili fidem protestante, in quo actu sensibili protestante fidem in Mediatorem venturum sita esse potuit ratio Sacramenti.

Ad tertium dico, Christi potentiam non fuisse alligatam Sacramentis, nec ullis signis sensibilibus, ideo iustificare potuisse et tribuere effectum Sacramentorum citra usum quorumcumque sensibilium; [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 2.] at postquam ea sibi instituere placuit tamquam remedia generalia, sine ulla exceptione omnes ad eorum usum respective teneri, sic ut non liceat consequi effectum Sacramentorum sine illorum usu, vel re ipsa vel in voto, in casu quo nequeant suscipi in effectu.

ARTICULUS V.

UTRUM REQUIRANTUR DETERMINATAE RES AD SACRAMENTA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *a.* 5.

Videntur non requiri determinatae res ad Sacramenta. Si enim requirerentur, maxime ad certo efficaciter significandam gratiam sanctificantem: sed nullum est inconveniens eamdem gratiam diversis rebus et eodem modo significari; igitur non requiruntur determinatae res ad Sacramentum. *Probatur minor:* [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] quia in lege Mosayca immolatio Agni Paschalis significabat Christi mortem, et diversae oblationes idem quoque significabant, scilicet Christi oblationem et mortem; igitur eadem gratia potest diversis rebus significari.

2. Praeterea. Tunc necessario requirerentur determinatae res in Sacramentis, cum eorum effectus nulla ratione obtineri posset sine illis rebus, in quibus instituta perhibentur: sed constat effectum Sacramentorum aliquem consequi posse sine Sacramentis; igitur non necessario requiruntur res determinatae pro eorum effectuum consequutione. *Probatio minoris:*

nam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6.] Sacramenta instituta sunt ad salutem hominis viatoris: sed aliquis potest esse iustificatus (ut aliquando factum esse narrat Scriptura); igitur is non indiget Sacramentorum usu et susceptione, nimirum Baptismi vel Poenitentiae, quia tunc frustra susciperentur.

CONTRA. Sacramentum non est signum aequivocum, sed certum et efficax ex institutione significans; ergo est gratiae significativum efficaciter, praecise cum adhibetur iuxta mandatum instituentis; ergo determinatae res tantum sunt ita significativae.

RESPONDEO dicendum, Sacramenta significare gratiam praecise in determinatis rebus, in quibus sunt instituta, ac proinde necessario determinatas res exigere; nemo enim potest dare certitudinem alicui signo practico nisi ille in cuius potestate est posse causare significatum illius signi; sed solus Deus potest se determinare ad causandum effectum sibi proprium, nempe gratiam signatam per Sacramenta; ergo solus Deus potest dare certitudinem signo practico sui effectus, atque ita solus Deus potest instituere Sacramenta; igitur si adhibeantur in aliis rebus ultra eas, quas Deus instituens praescripsit, non erunt signa certa et efficacia gratiae. Et quamquam aliquis sub Deo posset instituere signum illud practicum, quo signaretur Deum invisibiliter agere et causare gratiam, creatura tamen instituens non posset dare signo id significandi certitudinem, quia tale quid non est in eius potestate; aliud est ergo quod signum significet practice signatum, et aliud quod sit certum signum; nam aliquis posset uti signo practico ad ostendendam cordis benevolentiam dolo malo ad decipiendum incautos: Sacramentum autem est certum signum et efficax; igitur quoties adhibetur non iuxta mentem instituentis legislatoris, nec certum signum, nec Sacramentum erit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, ea ratione magis concludi intentum *solutionis*. Quia quemadmodum in lege veteri eadem res diversimode significabatur ex divina institutione et mandato, ita in Evangelica nihil certo et efficaciter signat gratiam nisi ex divina institutione. Et si igitur creatura posset instituere aliquod signum practicum ad significandum eumdem effectum invisibilem Dei, quia tamen ei signo nequit dare certitudinem et efficaciam, numquam tamen Sacramentum esset, nec appellari posset.

AD SECUNDUM est responsio, post promulgationem praecepti de Baptismo suscipiendo unumquemque, quantumvis iustificatum, teneri ad illius susceptionem, nisi constet exemplum esse ab ea lege universali; quia alioquin peccaret mandato Christi non obtemperando; nec foret signum frustraneum, quia significaret gratiam in *esse*. At Poenitentiae Sacramentum cum secunda tabula sit post naufragium, nemo ad illud confugere tenetur nisi naufragium fecerit, excidendo a gratia baptismali, etsi alioquin sola venialia sint materia sufficiens Poenitentiae.

ARTICULUS VI.

UTRUM IN SIGNIFICATIONE SACRAMENTORUM REQUIRANTUR VERBA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 2. — *Report. ib.* —*S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *art.* 6.

VIDETUR non requiri verba in significatione Sacramentorum. Nam Sacramentum est unum per se signum, ex dictis, *art.* 1.: sed [*Oxon.*4. d. 1. q. 2. n. 1.] ex rebus et verbis nequit fieri unum per se signum, quia alterum est permanens, alterum successivum; ergo in significatione Sacramentorum non requiruntur verba.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 1.] Baptisma successit Circumcisioni; quod enim praestabat illa in Lege Moysis, efficit Baptismus in Lege Evangelica: sed in exercenda Circumcisione nulla leguntur verba fuisse pronunciata; ergo nec oportet iis uti in collatione Baptismi, ad hoc ut suum praestet effectum.

3. PRAETEREA. Si Sacramenta necessario constarent verbis, ipsa non forent signa efficacia et certa: hoc autem destruit naturam Sacramentorum Christi; igitur non necessario constant verbis. *Probatio sequelae:* nam verba ipsa cum successiva sint, idest cum successione pronuncientur, numquam ita poterunt attemperari rebus permanentibus, ut exinde coalescat unum signum. *Exemplum:* in collatione Baptismi prius erit ablutio sive decursus aquae in puerum, quam verba proferantur.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 3. n. 1.] Augustinus, *Tract.* 8. in Ioannem: *Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum;* sicuti ergo requiruntur res ad hoc ut Sacramenta significent, ita et verba.

RESPONDEO dicendum, in Sacramentorum significatione requiri verba. Quamvis enim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 3.] Sacramentum pro formali dicat respectum rationis signi ad signatum, taliter ut quicquid praecedit talem respectum sit veluti fundamentum eius, ex pluribus tamen [*Report.* ib. n. 2. seqq.] necessario praerequisitis ad hoc ut Sacramentum gratiam signet, verba videntur esse principaliora; secundum enim Augustinum, 2. *De Doctrina Christ.*, cap. 1., *Verba inter homines obtinuerunt principatum in significando.* Verba igitur videntur habere rationem formae respectu rerum ad Sacramenta necessariarum; et quia sunt rerum determinativa, quippe quae res ipsas praesupponunt; et quia sunt rebus spiritualiora, sicuti audibile est magis spirituale quam visibile. Comparando itaque res ad verba, res habent rationem materiae, et verba rationem formae; igitur si in significatione Sacramentorum requiruntur res, multo magis requiruntur et verba, quae magis sunt significative quam sint res, magisque totum quodlibet sit in suo ordine a forma, quam a materia, licet necessario sit ab utraque.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patet ex *primo articulo in fine,* quia *minor* procedit de per se uno physice, non ex institutione; nam absque ulla repugnantia quisque posset assumere plura diversissima, et inter se nullam convenientiam habentia ad aliquem effectum a se vel ab alio signandum; ita est in propositio de rebus et verbis determinatis ad significationem certam et efficacem Sacramentorum ex institutione divina.

AD SECUNDUM respondeo uno modo sic: [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] quod Sacramenta novi Testamenti constent verbis expresse significantibus effectum invisibilem, spectare ad eorumdem singularem perfectionem, secundum quam excellunt Sacramentis veteris legis, si id illis ex eorum institutione non competebat. Caeterum [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. per tot.] verisimile videtur et illa collata fuisse in prolatione verborum certorum, quibus fides in Mediatorem protestabatur, sicuti dictum fuit de sacrificiis in lege naturae, supra, art. 4. § *Ad secundum.*

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 3. per tot.] utique necessarium esse ad validitatem Sacramentorum ut simul sint verba cum rebus, non simultate mathematica et indivisibili, quia talis vix posset servari; sed simultate morali, qualis requiritur in caeteris actibus humanis. In humanis autem tunc iudicantur aliqua simul fieri, seu esse simultatem inter factum hominis et verbum eius, quando incipit unum antequam prorsus finiatur alterum.

ARTICULUS VII.

UTRUM REQUIRANTUR DETERMINATA VERBA IN SACRAMENTIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *a.* 7.

VIDETUR in Sacramentis non requiri determinata verba. Etenim apud diversas nationes verba ipsa sunt diversa: sed nationes diversae uti possunt iisdem Sacramentis; ergo ad veritatem Sacramentorum non requiruntur determinata verba.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 1.] Ipsum Baptismatis Sacramentum aliis verbis et sub alia et alia forma confertur a Graecis et a Latinis: et tamen tam illi quam isti vere baptizant; igitur non requiruntur determinata verba. *Patet assumptum,* nam Latini sub hac forma baptizant: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* Graeci vero sic pronunciant; *Baptizetur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* igitur, etc.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 7.] Christus instituit Sacramenta Baptismatis et Eucharistiae sub determinatis verbis, ut patet in Evangelio *Matthaei* ultimo, et 26. ergo omnino necessarium est ad validitatem Sacramentorum uti determinatis verbis.

RESPONDEO, ad veritatem Sacramentorum requiri determinata verba, illa nimirum in quibus a Salvatore instituta fuerunt; siquidem, ex dictis *art. ant.* verba habent rationem formae respectu rerum quae ad Sacramenta adhibentur ex divina institutione. Nam materiae est praecedere secundum originem, et determinari, sicuti formae est sequi, et determinare, atque ita quandoquidem verba sequantur ad res, easque determinent, et insuper principalius et actualius significent, constat verba respectu rerum habere rationem formae, etsi interim utraque constituant atque integrent unum fundamentum respectu relationis signi ad gratiam signatam. Cum igitur verba habeant rationem formae, nisi adhibeantur ea quae institutor voluit adhiberi, non constabit Sacramentum vera forma, et consequenter non vere significabit id quod instituens voluit significari per formam a se institutam; ergo non erit Sacramentum.

Ad Argumenta. Ad primum dico nationes utentes propriis idiomatibus in collatione Sacramentorum veracium, non usurpare alia verba nisi materialiter et secundum quid; ea enim habent (ut supponimus) idem significatum et sub eadem ratione, qua usurpantur et significant verba quibus utitur Ecclesia latina, quod satis est; quia Sacramenta non signant gratiam quatenus utimur verbis latinis, sed in quantum significant id quod Christus significari voluit, et idemmet illa alia verba significant; et consequenter sunt eadem simpliciter et formaliter seu in significando, et diversa materialiter.

Ad secundum, concedo ministros in Ecclesia Graeca vere baptizare; sed nego id non fieri ab ipsis per determinata verba a Christo instituta. *Et cum probatur;* [*Oxon.* ib.] dico, in forma qua utitur Ecclesia latina exprimi tria, scilicet ministrum, suscipientem, et actum, et non oportere ministrum exprimi, aliquo verbo vel pronomine, ut patet ex verbis Christi, Matthaei ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* igitur suscipientem necesse est exprimi, sed non determinate, eo modo quo Ecclesia latina exprimit, scilicet actum verbo indicativi modi, et suscipiens pronomine secundae personae; sed potest actus exprimi verbo alterius modi, et suscipiens nomine alterius personae, cum id non sit determinatum in forma tradita a Christo. Verum oratio illa: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* praecise pertinet ad formam Baptismi. Quandoquidem ergo seu Graeci, seu Latini utantur eadem forma essentiali, utrique recte conferunt Baptismum, licet sit variatio in expressione ministri.

Sed [*Oxon.* ib. n. 5. seqq. — *Report.* ib. n. 6.] quaenam potuit esse causa variationis in expressione ministri inter Graecos et Latinos? *Respondeo*: in principio quo promulgata fuit lex de Baptismo suscipiendo, gloriabantur Baptizati, et unus prae alio efferebatur, quod a meliori ministro sibi viderentur Baptismum recepisse, dicentes: *Ego quidem Pauli, ego vero Apollo, ego autem Cephae;* quod erat causa schismatis inter eos, atque eo nomine coarguuntur ab Apostolo, 1. *ad Corinth.*, c. 1. dicens, *divisus est Christus?* Hinc ad amovendam eam occasionem, mandatum, vel permissum est, ut minime expressa persona ministri, diceretur: *Baptizetur servus Christi,* etc. licet melius potuissent ea verba ordinari et exprimi, quia nemo antequam baptizetur est servus Christi, sed baptizatur ut sit servus Christi, loquendo de servitio spirituali, quo Christianus est servus Christi. Illa autem forma quamdiu fuit tolerata ab Ecclesia Romana, et pro tempore pro quo instituta est, rationabilis fuit durante causa praedicta; sed ea cessante rationabiliter potuit forma communis fuisse eis imposita. Vel ergo Romana Ecclesia prohibuit illam formam quantum ad eos, et tunc peccant servando (quod tamen expresse non invenitur in aliquo *capitulo* specialem mentionem faciente de eis); vel si permisit sive concessit, licitum videtur eis illam formam continuare; et si tali permissione seu licentia stante in Conciliis suis particularibus ordinaverunt inter se talem formam esse servandam, videtur minister eorum teneri eam servare.

ARTICULUS VIII.

UTRUM LICEAT ALIQUID ADDERE VERBIS IN QUIBUS CONSISTIT FORMA SACRAMENTORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *art.* 8.

VIDETUR forma Sacramentorum aliquam variationem subire posse, stante eorumdem validitate Sacramentorum. Nam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 2.] Augustinus, 5. *De Trinit.*, cap. 7. *Idem est Patrem esse et genitorem esse;* ergo aeque valeret dicendo in nomine genitoris et geniti, ac Patris et Filii; igitur stante veritate Sacramentorum, verba in quibus conferuntur variari possunt.

2. PRAETEREA. Si necessario in Sacramentorum collatione opus esset uti determinatis verbis, maxime id foret servandum in Sacramento Baptismi, sine quo non datur ingressus in regnum Caelorum: sed constat posse valide conferri in aliis verbis ac sint quae instituit Christus; nam [*Oxon.* ib.] de *Consecrat.*, d. 4. cap. *A quodam Iudaeo,* determinatur non esse rebaptizandos eos, quos quidam Iudaeus nomine Sanctae Trinitatis baptizaverat: Christus autem iussit baptizari in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

3. PRAETEREA. Post institutam a Christo formam Sacramentorum, valide collatum est in Ecclesia Baptisma sub alia forma; ergo non necessario servari debent verba in quibus dicitur consistere forma Sacramentorum. *Probatio assumpti:* nam [*Oxon.* ib. n. 9.] *Actuum,* 2. 10. et 19. legitur, Apostolos contulisse Baptismum in nomine Christi; igitur non necessario servanda est forma illa: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] De Baptismo et eius effectibus: *Si quis puerum in aqua merserit et non dixerit: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen, non est puer baptizatus.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 7. seqq.] secundum Philosophum, 5. *Phys.*, text. com. 7. 9. et 18. mutationem in genere esse quadruplicem, nimirum secundum *substantiam, quantitatem, qualitatem* et *ubi.* Atque ita in forma Sacramentorum totidem modis potest intelligi variatio; de omnibus igitur dicendum per ordinem. Et quidem secundum substantiam, forma Sacramentorum posset multipliciter variari: uno modo si ponerentur alia verba alterius idiomatis, idem tamen significantia quod Latina, et tunc ea variatio non impediret verum esse, veraciterque confici Sacramentum, ut dictum est, *art. praec.*; vel aliud Verbum vel verba habenda aliud significatum: et hoc posset esse dupliciter, nimirum vel esse significatum omnino disparatum, et tunc manifestum est Sacramentum confici non posse; vel esse significatum conveniens omnino habens idem substractum in re, quia exprimit distincte tres Personas sub aliis rationibus significatas, ut *genitoris, geniti, et spirati;* vel denique quatenus illae personae significantur implicite vel tamquam in toto collectivo, ut hoc nomine, *Sancta Trinitas;* vel implicite, ut in quoddam importante personas per correspondentiam effectus ad causam, uti si conferretur Baptismus in nomine *Christi.* Hoc enim nomen signi-

ficat Filium secundum naturam humanam, qui unctus est, et dat intelligere Patrem, a quo unctus est, et Spiritum Sanctum, quo unctus est.

Quoad [*Oxon.* ib. n. 9.] nomina itaque significantia personas divinas sub ratione proprietatum, scilicet *Genitoris, geniti et spirati,* et non sub ratione subsistentium et hypostasum, ut *Patris, Filii, et Spiritus Sancti,* dicendum illis nominibus non servari formam quoad substantiam, ac proinde Sacramentum Baptismi sub illis verbis minime conferri nec subsistere. *Declaratur:* quia Salvator voluit personas vocari nominibus personarum, et non proprietatum; ergo utens illis nominibus proprietatum loco personarum, non conficit Sacramentum. Id vero Salvatorem rationabiliter fecisse, constat ex eo quia sicut Iudaeis datum erat aliquod nomen significans Essentiam divinam sub propria ratione, quod ipsi vocabant nomen Dei, *Tetragrammaton,* ita Christus dedit Ecclesiae nomina significantia personas sub propriis rationibus. Quod si non fecerit aut non dederit huiusmodi nomina, probabile tamen est in aliqua invocatione nomen personae habere aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis personae. Sicuti petens aliquod donum ab aliquo nomine vel pro amore Ioannis, citius et efficacius impetraretur, quam si loco nominis proprii poneretur nomen significans proprietatem suppositi, ut dicendo pro amore filii Zebedaei.

Quantum vero [*Oxon.* ib.] attinet ad nomen Trinitatis patet ex *Matthaei,* ultimo, Christum iniunxisse personas divinas esse distincte explicandas; nomine autem Trinitatis importantur tantum implicite; ergo conferens Baptismum nomine Trinitatis, nihil faceret.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 15.] ex Augustino, respondeo, idem esse Genitorem et Patrem quantum ad hoc quod est dici ad alterum, sive importare proprietatem eiusdem personae; sed non esse idem quantum ad primum conceptum significatum utrobique; quia Pater significat primo et per se suppositum in natura divina, et Genitor primo et per se significat proprietatem: non est autem eadem vis nominis proprii et proprietatis nominis in invocatione facta alicuius personae ad aliquem effectum; ideoque in invocatione Personarum divinarum nominibus proprietatum earum non servari formam a Christo institutam, nec omnino Baptismum validum esse.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib.] nomine Sanctissimae Trinitatis esse intelligendam explicitam invocationem trium Personarum, quemadmodum Salvator servari mandavit.

Ad tertium concedo, [*Oxon.* ib.] aliquando in Ecclesia collatum fuisse Baptisma nomine Christi, ut dicit Scriptura. Sed tamen nunc servandam esse formam, quam ipse Salvator tradidit *Matthaei,* ultimo et ita fieri praecipit Ecclesia Romana; quae [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 14.] spiritu veritatis edocta errare non potest in iis quae spectant ad Sacramentorum collationem. Sed de hac materia iterum redibit sermo infra, *q.* 66. *art.* 6.

ITERUM ARTICULUS VIII.

UTRUM LICEAT ALIQUID ADDERE VERBIS, IN QUIBUS CONSISTIT FORMA SACRAMENTORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *a.* 8. *(Expenditur quaesitum quoad variationem* secundum quantitatem.*)*

VIDETUR licere aliquid addere vel detrahere verbis in quibus consistit forma Sacramentorum. Etenim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 1.] secundum Priscianum, verbum primae personae dat intelligere nominativum; ergo in collatione Baptismi sufficeret dicere, *baptizo te,* absque pronomine *ego:* igitur potest aliquid detrahi aut addi verbis in quibus forma Sacramentorum consistere censetur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Ambrosius, *De spiratione Spiritus Sancti,* cap. 14. *Si fide mysterium Trinitatis tenetur, et una tantum persona nominetur, plenum est Sacramentum.* Igitur licet de forma Sacramentorum detrahere ea verba quae maxime necessaria iudicantur. — *Confirmatur.* [*Oxon.* ib. n. 1.] *De Baptismo et eius effectibus,* cap. *Si quis,* dicit Glossa, pronomen non esse de substantia formae, quia plenum sensum generat haec vox, *baptizo,* absque pronominis expressione. — *Praeterea.* [*Oxon.* ib. n. 2.] *De Consecrat.,* d. 4. cap. *Retulerunt. Si quis dicit, Baptizo te in nomine etc. valide confert Baptismum, ex quo baptizare intendit.* Atque Papa non apponit ea in responsione pronomen *ego:* igitur eo detracto, adhuc subsistit forma Sacramenti, et valide conferturur Baptisma.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Formae traditae a Christo consecrationis Corporis et Sanguinis regulariter additur τὸ *enim,* quod non est in forma, quam tradidit Christus, ut constat ex Evangeliis; igitur licet formis Sacramentorum aliquid addere vel detrahere.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] *De Baptismo et eius effectibus: Si quis puerum ter in aqua merserit, et non dixerit, Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen, non est puer baptizatus.*

RESPONDEO [*Oxon.* ib. n. 11.] secundum quantitatem in forma Sacramentorum potest variatio contingere apponendo vel subtrahendo aliquid ad illam spectans. Apponendo vero aliquid fieri potest vel anteponendo, vel postponendo, vel interponendo.

PRIMUM DICTUM: si in forma Sacramentorum addatur aliquid repugnans principalibus verbis ipsius formae, vel diminuens verba illa principalia, non conficitur Sacramentum, quia non servatur forma a Christo ordinata, ut si dicatur addendo, *In nomine Patris maioris et Filii minoris, etc.:* vel diminuendo dicatur, *Si Ego sum omnipotens, ego te baptizo,* aut proferatur sub disiunctione sic, *Ego te baptizo, aut occido in nomine Patris, etc.:* non conficitur Sacramentum quia nec conditio illa existit, nec disiunctiva ponit determinate alteram partem.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* ib.] si anteponatur, vel posponatur aliquid repugnans, formae non conficitur Sacramentum; at conficitur si non repugnet. *Exemplum:* qui baptizaret dicens: *In nomine Patris et Filii*

et Spiritus Sancti et B. Virginis, non valide baptizaret, quia de rigore sermonis, *In nomine,* ex aequo refertur ad divinas Personas, et ad B. Virginem; quod idem est dicendum si additio illa fieret in principio orationis, ut dicendo, *In nomine B. Virginis, et Patris, etc.* quamvis proferens aliter intendat invocare B. Virginem, et aliter divinas personas. At si baptizans ante vel post prolationem verborum formae invocaret B. Virginem, ut impetraret donum perseverantiae baptizato, cum non distraheretur sensus formae necessariae, ea additio non impediret Sacramenti collationem.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* ib.] interpositio, si interrumpat unitatem debitam formae, ipsa forma non manet, nec est Sacramentum; at est si non interrumpat. Sed quando per interpositionem interrumpitur forma? *Respondeo,* id iudicandum esse ex aliis actibus humanis; quando enim ex communi loquela, ob interpositionem verborum non facientium ad rem, non iudicatur quin oratio sit una et continua, nec debet in proposito iudicari; ut si quis incipiens proferre formam Baptismi diceret, *tacete,* vel *recedite,* non propterea censeretur illa oratio interrupta, et ideo posset stante illa interruptione ipsam complere et perficere. At si baptizans post inceptionem formae vellet interponere alias preces, non esset censenda illa oratio una, uti nec iudicaretur in aliis consimilibus.

QUARTUM DICTUM: [*Oxon.* ib.] si subtrahatur aliqua vox non principalior, uti est pronomen *ego,* conficitur Sacramentum; sed nequaquam si subtractio fiat circa aliquod verbum principale; nam quodcumque verborum illorum est per se necessarium ad formam; sicuti ergo non conficeretur Sacramentum sine forma, ita nec sine aliquo verbo ex principalibus. Sed si subtrahatur aliqua syllaba per syncopam, non propter hoc destruitur forma; non enim est arbitrandum Deum determinavisse hominem ad verba in Sacramentis ultra illum modum, quo verba sufficiunt ad conceptum exprimendum: cum syncopa autem bene intelligit audiens conceptum exprimentis. Nihilominus quantum fieri potest cavendum est ne verba Sacramentalia per syncopam exprimantur, ob reverentiam Sacramentorum. Non tamen auderem dicere peccare mortaliter eum, qui syncopam committeret, modo id non faciat ex contemptu, sed ex quadam infirmitate vel inconsideratione humana, quae non praecavet omnia quantum posset.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 14.] de pronomine *ego* concedo non esse simpliciter de necessitate formae, neque ut expressum, neque ut implicitum in verbo primae personae; sed quantum ad Ecclesiam latinam, saltem post tempora Alexandri III. qui condidit praecitatam Constitutionem *Si quis de Baptismo et eius effectibus,* oportere ministrum conferentem Baptisma exprimere pronomen *ego.*

Et per hoc [*Report.* 4. d. 3. q. 2. n. 8.] AD SECUNDUM ex Ambrosio, dicendum illud dictum non esse absolute verum, sed indigere expositione. Si itaque puer expiraret dicto *In nomine Patris,* credibile est Deum ex misericordia residuum formae suppleturum, idest habiturum eum pro baptizato. At si ea parte formae pronunciata Sacerdos e vivis excederet, esset puer iterum baptizandus.

Ex his *ad confirmationem* [*Oxon.* ib.] et ad id quod subditur ex cap. *Retulerunt d.* 4. *De consecrat.* esse accipienda et intelligenda pro

tempore antecedente illam Constitutionem, *si quis,* Alexandri III. Tunc enim pronomen *ego* neque fuit quid essentiale formae Baptismi, neque erat de necessitate ministri sicuti est modo.

AD TERTIUM, concedo τὸ *enim* esse additum ad formam a Christo institutam; verumtamen rationabiliter [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 26.] quia ad exprimendam continuationem sequentium cum praecedentibus. Ideo minister graviter peccaret illam particulam omittendo.

TERTIO ARTICULUS VIII.

UTRUM LICEAT ALIQUID ADDERE VERBIS IN QUIBUS CONSISTIT FORMA SACRAMENTORUM.

(*Doctor, Oxon.* 4. *d.* 3. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 60. *a.* 8.)
Expenditur quaestio quoad variationem penes qualitatem, et ubi.

VIDETUR licere circa formam fieri aliquam immutationem. Nam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 2.] 2. Perhierm. *Nomina et verba transposita idem significant;* ergo aequivaleret oratio coalescens ex verbis transpositis illi quae constat verbis non transpositis; igitur forma Sacramentorum non est ita praecisa, ut omnem renuat variationem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 12.] *De Consecrat., d.* 4. cap. *Retulerunt,* refertur Papam declaravisse valide collatum fuisse Baptisma sub hac forma, *Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritua Sancta;* igitur forma Sacramentorum admittit variationem secundum qualitatem, seu terminationem verborum.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] *De Baptismo et eius effect.* cap. Si quis: *Si quis puerum ter in aqua merserit et non dixerit: ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen, non est puer baptizatus.*

RESPONDEO, videndum esse nunc de variatione secundum *qualitatem et ubi.* Variatio [*Oxon.* ib. n. 12.] secundum qualitatem est quoad terminationem dictionum, quae pertinent ad congruitatem sermonis. Iuxta doctrinam ergo traditam in praeallegato cap. *Retulerunt,* si contingat formam pronunciari a ministro incongrue ob ignorantiam latini sermonis, et non sit intentio inducendi aliquem errorem, sed faciendi potius quod Ecclesia facere intendit, ea variatio secundum qualitatem stat cum Sacramenti validitate. Quod porro intelligendum est cum sermonis incongruitas et variatio in fine dictionis contingit. Qua vero ratione id sit possibile, bene experiuntur aliqui audientes quosdam illiteratos, qui loquuntur incongrue, et tamen bene concipiunt quid volunt dicere, etiam quantum ad singula verba.

De variatione tandem [*Oxon.* ib. n. 13.] quoad *ubi* dico, aliquam transpositionem omnino variare sententiam: ut si diceretur: *ego Patris baptizo te in nomine Filii et Spiritus Sancti;* aliquam vero permittere ut transposita teneant quasi eamdem virtutem in ipsa forma, ut si diceretur: *in nomine Filii et Patris et Spiritus Sancti ego baptizo te.* Prior enim transpositio aufert conceptum orationis ut a Christo instituta est; ergo sub illa Sacramentum minime confertur. At in secunda est verum Sacramentum; etsi enim congruum esset servare ordinem proferendo Personas secundum originem, qua Pater est prior Filio, et uterque Spi-

ritu Sancto ab eis originato, et servare eum ordinem necessarium sit quoad ministrum, in tantum ut aliter faciens inordinate faciat, ex parte nihilominus Sacramenti non videtur omnino necessarium, quia Personae quocumque ordine nominatae (modo salvus sit orationis conceptus a Christo institutae) sunt unum efficiens principale in Baptismo, et ut sic nominantur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* ib. n. 15.] Philosophi propositionem veram esse absolute de nominibus transpositis, sed non sequi exinde conceptum totius orationis ex talidus nominibus sic et sic transpositis, esse eumdem. Quoniam igitur forma Sacramentorum non consistit tantummodo in significatione incomplexorum, sed magis in significatione totius orationis, fieri non potest ut ea per transpositionem terminorum variata, sit amplius forma Sacramentorum.

AD SECUNDUM patet responsio ex dictis in *solutione*. Unde et dicit Papa in praeallegato Capitulo, *si ille qui baptizavit* (utendo praedicta forma) *non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis, non possumus consentire ut denuo baptizetur.*

QUAESTIO SEXAGESIMAPRIMA.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de necessitate Sacramentorum.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Sacramenta sint necessaria ad salutem humanam. - 2. Utrum fuerint necessaria in statu ante peccatum. - 3. Utrum fuerint necessaria in statu post peccatum ante Christum. - 4. Utrum fuerint necessaria post Christi adventum.

ARTICULUS I.

UTRUM SACRAMENTA SINT NECESSARIA AD HUMANAM SALUTEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 61. *a.* 1.

VIDENTUR Sacramenta haud esse necessaria ad humanam salutem. Etenim [*Oxon.* 3. d. 20. — 4. d. 15. q. 1. n. 4. seqq.] neque incarnatio neque mors Christi fuit sic necessaria ad humanam salutem consequendam, ut sine iis mediis non potuerit ille finis obtineri, ut dictum fuit *q.* 1. *art.* 2. *et rursus* 46. *art.* 1. *et* 2.; igitur multo minus necessarium fuit pro humana consequenda salute institui aliquod Sacramentum.

2. PRAETEREA. Si Sacramenta forent necessaria ad aeternam salutem, igitur oporteret omnes illis initiari et suscipere; alioquin si uno aut altero non suscepto, adhuc possemus salutem consequi, igitur pariter eum finem adipisci possemus sine susceptione alicuius. Sed [*Oxon.* 3. d. 40. n. 5.] constat in lege Christianorum non omnes matrimonium du-

cere, nec omnes Sacerdotio vel Ordinibus initiari; igitur Sacramenta non sunt necessaria ad aeternam salutem.

3. PRAETEREA. Stante praesenti divinae providentiae ordinatione, qua statutum est peragendam esse reconciliationem generis humani cum Deo per Mediatorem, perfecta ac exhibita tali mediatione, utique necessaria ad salutem, non videtur oportuisse institui aliqua signa, per quae Deus infunderet gratiam; quia tunc Mediatoris legatio efficaciter suum non fuisset consequuta effectum plenae reconciliationis, si alia praeterea ad eum finem forent necessario adhibenda.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 1.] Augustinus, *contra Faustum* 19.: *In nullum nomen religionis coagulari possunt homines, nisi aliquorum signorum velut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Cum igitur oporteat ad salutem homines inter se colligari, quo mutuo se adiuvent pro assecutione illius finis, necessario sunt Sacramenta in signis sensibilibus instituta.

RESPONDEO dicendum, Sacramenta non esse ita necessaira hominibus pro aeterna salute procuranda, ut sine ipsis non potuissent homines ipsam adipisci, quia non deerant alii modi innumeri divinae sapientiae occurrentes, citra eorumdem institutionem, quibus unde aberraverat homo reductus esset, sicuti nunc per Sacramenta salvantur quicumque salutem consequuntur. Sed tamen [*Oxon.* ib. n. 2. seqq.] homini lapso et per peccatum saucio convenientissime medicina salubris praestatur mediantibus Sacramentis in rebus sensibilibus saluberrime institutis. Et quidem propter tria, scilicet: humiliationem, eruditionem, et exercitationem. Propter humiliationem, inquam, ut dum ipse homo ex divino mandato rebus sensibilibus se subiecit, ob hanc humilitatem et obedientiam Deo magis placeat magisque mereatur apud illum, ob cuius praeceptum salutem quaerit in inferioribus se, non quidem ab illis, sed a Deo per illa. Propter eruditionem etiam congruum fuit ea in sensibilibus institui, quatenus per signa sensibilia, quae foris cernuntur, ad invisibilem virtutem, quae intus est, agnoscendam mens erudiatur. Propter exercitationem denique conveniens fuit sic instituta fuisse: cum enim homo otiosus esse non possit, proponitur ei utilis et salubris exercitatio in Sacramentis, qua vanam et noxiam declinet occupationem; non enim facile capitur a tentatore qui bono vacat exercitio.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patet ex dictis *in solutione;* quia non dicimus ita necessaria esse Sacramenta, ut alia via homo non posset salvari, sed pro praesenti statu; supposita ergo legis evangelicae promulgatione, [*Oxon.* 4.d. 2.q.1.n.2. seqq.] cum sit omnium perfectissima, congruum et necessarium fuit pro illius observatione, instituta esse adiutoria perfectissima, sicuti sunt Sacramenta eiusdem legis.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 3.] Sacramentorum aliqua esse quae congruunt et sunt necessaria cuique personae particulari, sicuti sunt regeneratio spiritualis, nutritio, roboratio et reparatio salutis perditae; et aliqua esse quae sunt in gratiam communitatis, uti Ordo, et Matrimonium. Haec igitur non oportet esse communia omnibus, quia pro communitate instituta sunt; reliquae vero sunt necessaria ad salutem, vel reipsa vel in voto.

AD TERTIUM dicendum, [*Oxon.* 3. d. 10. n. 8.] Mediatorem nobis promeruisse primam gratiam, quae datur sine ulla dispositione praevia in

parvulis; ad eam autem recuperandam vel augendam congruum est cooperari adultum, ne videantur contemnere, quod fit per dignam susceptionem Sacramentorum, in quorum usu homo viator post lapsum saluberrime exercitatur.

ARTICULUS II.

UTRUM ETIAM ANTE PECCATUM FUERINT HOMINI NECESSARIA SACRAMENTA.

Doct., Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 61. *a.* 2.

VIDETUR ante peccatum fuisse homini necessaria Sacramenta. Etenim per Sacramenta vel confertur prima gratia, vel augmentum gratiae: sed perseverante innocentiae statu, potuisset homo adipisci augmentum gratiae; ergo ipsi tunc fuissent necessaria Sacramenta.

2. PRAETEREA. In statu innocentiae fuit Sacramentum Matrimonii inter Adamum et Evam; igitur homini ante peccatum erant necessaria Sacramenta. *Probatur assumptum,* [*Oxon.* 4. d. 26. n. 1.] ex Genesi., 2. ubi scribitur Adam dixisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo matrem et patrem suam, et adhaerebit uxori suae.* Super quae verba vult Glossa, tunc institutum fuisse Sacramentum Matrimonii, et allegantur a Salvatore in Evangelio, *Matthaei,* 19; igitur pariter potuerunt fuisse eo in statu et reliqua Sacramenta instituta.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 3.] Si innocentiae status perstitisset, adhuc Mediator venturus erat in mundum; igitur tunc et reliqua Sacramenta instituisset. *Probatio consequentiae;* nam [*Oxon.* 1. d. 3. q. 4. n. 2.] in statu innocentiae sensibilia apta fuissent manuducere hominem ad intelligenda insensibilia et immaterialia, ut modo; ergo Mediator in ipsis sensibilibus Sacramenta quaedam instituere debuisset, ut per ea homo acquireret notitiam intelligibilium, et ita exercitaretur, donec ad Paradisi gaudia transferretur.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 7.] Per Sacramenta confertur gratia medicinalis ad sananda vulnera peccatorum: sed in statu innocentiae nullum fuit peccatum, quod esset sanandum; igitur Sacramenta praecise decent statum naturae lapsae; adeoque non fuerunt homini necessaria ante peccatum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] in statu innocentiae non fuisse homini necessaria Sacramenta, sicuti fuerunt postquam ab innocentia excidit genus humanum per Adae praevaricationem. Nam etsi homo in statu innocentiae potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia, tamen nullum sensibile fuit necessarium, tamquam conferens ad salutem, removendo aliquod impedimentum salutis, ut nimirum posset dici proprie medicina. Cum enim tunc portio inferior et vires inferiores corporis subderentur perfecte rationi, ita ut adversus rationem non rebellarent, atque ita ratio et portio superior subdebatur perfecte regulis aeternis, nullum poterat esse impedimentum salutis ex sensibilibus; adeoque neque ex ipsis sensibilibus oportebat institui aliquid, quod esset medicina adversus malum quod non erat. Ex quo sequitur, multo minus in statu Patriae

indigere hominem Sacramentis; tunc enim non indiget homo sensibilibus, ut cognoscat intelligibilia pertinentia ad salutem suam; neque in eo statu indiget excitari ad quaerenda pertinentia ad salutem, quam iam perfecte adeptus est.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 3. d. 7. q. 3. n. 7.] utique homines in statu innocentiae potuisse mereri per bonos actus internos gratiae augmentum, quae data eis fuisset et descendisset a Christo ut a capite; sed Christus non extitisset eorum Redemptor, seu sanctificator. Ut igitur nemo redimitur nisi qui venundatus est, vel qui propria sponte alterius se subiecit potestati, ita gratia illa non fuisset medicinalis, qualis est Sacramentorum, nec curativa vulnerum, quae non erant, sed potius gratia sanctificans praeservativa. Quod si in eo statu non esset gratia sanans per modum medicinae, neque consequenter fuissent Sacramenta, quae sunt signa huiusmodi gratiae; sublato enim signato, necesse est tolli signum illius signati.

AD SECUNDUM dico. Matrimonium illud non fuisse verum Sacramentum, sed [*Oxon.* 4. d. 26. n. 2. et 20.] Adamum illis verbis tamquam Prophetam praedixisse verum Sacramentum instituendum a Christo in Lege Evangelica; fuisse tamen quemdam verum contractum, apprime congruentem naturae rationali ad prolem debite educandam et honeste, cui Christus (a quo facta est gratia et veritas) ad uberiorem sanctificationem hominum sub Lege Evangelica viventium, voluit addere, ut esset signum gratiae infallibiliter ex parte sui dandae omnibus eum contractum rite et cum debita dispositione ineuntibus.

AD TERTIUM, concedo, Christum fuisse venturum, etiamsi genus humanum in innocentiae statu perstitisset. Et concedo rursus, sensibilia manuducere potuisse hominem ad intelligenda invisibilia. At nego, propterea Sacramentum aliquod in illis institui debuisse; quia quemadmodum in sensibilibus nullum suae salutis impedimentum homo aliquando invenisset, ita nec in iisdem aliquod remedium ponendum erat adversus morbum, qui aliquando non fuisset futurus.

ARTICULUS III.

UTRUM POST PECCATUM ANTE CHRISTUM SACRAMENTA DEBUERINT ESSE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3 *et* 7. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 61. *a.* 3.

VIDETUR non debuisse esse Sacramenta ante Christum post peccatum. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 1.] Deum instituisse aliquod Sacramentum in lege naturae non legitur: Sacramentum autem non potest institui nisi a Deo, ut dicetur infra, *q.* 64. *art.* 2. Igitur priusquam Salvator in mundum veniret non debuerunt esse aliqua Sacramenta; nam profecto extitissent si illa auxilio hominibus tunc esse potuissent. — *Confirmatur* ex Gregorio, 4. *Moral* et ponitur d. 4. *De Consecrat. Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii.* Ergo non fuit apud eos Sacramentum, quod esset medicina adversus morbum peccati.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Cum plures leges fuerint a Deo datae, si fuissent pro tempore cuiuslibet earum Sacramenta a Deo instituta, non

extitissent eadem Sacramenta: sed diversa, congruentia nimirum illis legibus respective; si enim Sacramenta legis prioris remansissent tempore legis posterioris, non fuissent alia instituta pro lege posteriori: sed inconveniens est Sacramenta semel instituta esse desiisse; ergo praestat dicere non fuisse, seu instituta non esse. *Probatur minor:* quia vox semel imposita ad significandum semper manet significativa eiusdem rei; ergo multo magis signum semel a Deo impositum semper manet significativum eiusdem signati.

3. PRAETEREA. Sacramenta ideo signa efficacia sunt gratiae, quia eam efficaciam acceperunt a passione Christi: sed priusquam Christus in mundum veniret, passio eius non erat nec esse potuit repraesentata; igitur nulla Sacramenta ante Christi adventum esse debuerunt; nam haud extitissent signa efficacia gratiae, uti post adventum et passionem Christi.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Augustinus, *contra Faustum,* 19.: *In nullum nomen Religionis congulari possunt homines, nisi aliquorum signorum velut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Ergo cum pro quovis tempore post lapsum fuerit religio in Deum, opus fuit eius religionis homines colligari consortio quorumdam signorum sensibilium, seu Sacramentorum.

RESPONDEO dicendum, pro quocumque tempore post lapsum ante Christum fuisse necessaria Sacramenta. Nam [*Oxon.* ib. n. 7.] pro quocumque statu in quo est morbus necessaria est medicina: post lapsum autem primi parentis morbus malitiae et vulnera peccatorum invaluerunt in humana natura; igitur oportuit illis mederi per medicinam Sacramentorum. Et quoniam congruum fuit, praesertim post lapsum, hominem manuduci ad invisibilia per signa sensibilia, decuit pro eo tempore Deum instituisse Sacramenta. — *Ulterius,* [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 2.] nullo tempore dimisit Deus cultores suos sine remedio necessario ad salutem: post lapsum autem necessaria erat ad salutem deletio peccati originalis; igitur pro quocumque tempore et statu fuit a Deo de remedio efficaci provisum, quo originale deleretur; id enim etsi potuit deleri in adultis per bonum motum intrinsecum, in parvulis nihilominus in quibus talis motus fuit impossibilis, non potuisset deleri per proprium motum; ergo per actum aliquem aliorum circa ipsos, vel ad ipsos relatum: sed non poterat quisque esse certus actum alterius ad parvulum relatum esse sufficientem pro macula originali delenda, nisi hoc esset institutum a Deo; nemo siquidem potest esse certus per aliquid attingere ad salutem, nisi certo sciat Deum acceptaturum illud ad eum finem; convenientissimum igitur fuit saltem contra originale, tempore cuiuscumque legis ante Christi adventum, aliquod Sacramentum a Deo fuisse institutum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 3. seqq.] potuisse Deum tale Sacramentum revelasse alicui Patrum, quibuscum frequentius loquebatur, licet cui et quando Scriptura non dicat, quae ab Adam usque ad Abraham satis succinte pertransit. Vel potest dici, haberi expresse in Scriptura post lapsum placuisse Deo sacrificia, ut patet ex sacrificio Abelis, Noe, Melchisedechi et Abrahami, *Genesis,* 4. 8. 14. et 15. Quod utique non esset nisi fuissent a Deo instituta; imo reputandi essent fatui et praesumptuosi si talia sine divino praecepto vel inspiratione fecissent; fecerunt ergo ex divino instinctu et revelatione, ut diserte testa-

tur Scriptura, *Genesi,* 15. *cit.;* ubi habetur, Deum mandasse Abrahamo ut tolleret vaccam et capram et arietem annorum trium; turturem, et columbam, atque sibi ea omnia sacrificio offerret: possibile autem est aliquod determinatum Sacrificium esse Sacramentum; non est enim contra rationem Sacrificii ipsum vel eius oblationem esse Sacramentum. Et tunc de eius institutione, licet indistincte habeatur in Scriptura quod sit a Deo in remedium originalis pro assequenda aeterna salute post lapsum. — *Ad Gregorium* dicendum, ipsum non intelligere solam fidem pro fidei habitu, et forte non tantum pro actu interiori; sed accipere fidem protestatam actu exteriori sensibili, qui actus dirigente fide sufficienter potuit habere rationem Sacramenti. Potest ergo intelligi fides, idest actus exterior et sensibilis fidei, contradistingui a fide in sacrificiis protestata; et priorem fidem posuit Gregorius sufficere pro parvulis, qui actus sufficienter potuit habere rationem Sacramenti ex divina institutione; ea autem protestatio forte fiebat in verbo aliquo invocando Deum, vel offerendo parvulum Deo. At fidem cum sacrificiis pro adultis fuisse necessariam arbitratus est.

Ad secundum, concedo pro diversis statibus et legibus a Deo diversa Sacramenta fuisse instituta; non ita tamen diversa, ut aliud vel diversum significatum haberent; quia [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 8.] uti instituebantur contra eumdem morbum, ita eamdem medicinam spiritualem significabant. Sed quia in processu generationis humanae semper crevit notitia veritatis, ut ait Greg. *homil.,* 16. *in Ezech.,* subinde congruum fuit in lege posteriori tamquam perfectiori, Deum instituisse signum, evidentius signatum significans; ut enim lex posterior perfectior erat priori, ita ad sui observationem perfectiora adiutoria requirebat; et consequenter eius Sacramenta perfectiorem gratiam signare debebant. Quantum igitur ad sensibile signans, decuit esse aliud et aliud Sacramentum; nec potuit id fieri per primum, quia illud ex sui institutione semper idem significasset: signanda autem erat perfectior gratia; ergo debuit aliud signum institui. Et ita evenit in signis practicis institutis a nobis, qui ad signandum perfectiorem effectum nostrum et evidentius, eligimus nova signa imponere magis, quam iam impositis uti. Voces autem vel sunt signa speculative, vel semper eamdem rem invariatam significant. Sacramenta autem sunt signa practice et efficaciter significativa effectus invisibilis causandi a Deo.

Ad tertium concedo, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.-3. et 9.] Sacramenta nedum legis Evangelicae, sed etiam cuiuscumque alterius efficaciam habuisse a passione Christi: — *Et cum subditur:* quia Christi passio eam efficaciam dare nequivit, nisi post quam exhibita fuit; *respondeo,* Deum contulisse omnem gratiam quovis tempore membris corporis Christi mystici intuitu meritorum Filii sui, non quatenus erant posita in effectu, sed prout praevidebantur aliquando futura. Quamquam fatendum sit, post exhibitionem eorumdem meritorum uberiorem gratiam datam esse per Sacramenta ab eodem instituta, quia *gratia et veritas per Iesum Christum facta est,* Ioann., 1.

ARTICULUS IV.

UTRUM POST CHRISTUM DEBUERINT ESSE ALIQUA SACRAMENTA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 61. *art.* 4.

VIDETUR post Christi adventum aliqua Sacramenta esse non debuisse. Nam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19. seqq.] adveniente Christo cessare debuerunt figurae, quae de ipso erant in veteri lege; igitur nulla post adventum eius congruit esse Sacramenta; siquidem Sacramenta quaedam habuit lex Moysis: illa autem lex cessavit et abrogata est per Christi Evangelium; ergo etiam cuncta Sacramenta debuerunt cessare, et ita nulla esse in lege Evangelica lata per Christum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 3.] *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.* Ioann., 1. Igitur pro consecutione eius gratiae, quam abundanter Christus nobis per suam passionem promeruit, congruum non fuit adhiberi alias causas in eius adeptionem influentes; alioquin haud adaequate gratia facta fuisset per Iesum Christum; igitur quamvis alias leges oportuerit habere aliquot Sacramenta ob eorum imperfectionem, legi tamen Evangelicae omnium perfectissimae ea minime congruere videntur.

3. PRAETEREA. [*Miscell.* qq. q. 6. n. 3.] Secundum Apostolum ad *Galatas*, 3. *Lex pedagogus noster fuit in Christo;* extitit igitur dispositio ad novam legem et ad Christum: sed quae congruunt dispositioni ad formam non insunt ipsi formae nec ei adaptari queunt; igitur quoniam legi disponenti et ducenti ad Christum congruebant quaedam Sacramenta, his decuit caruisse Christi legem, tamquam perfectivam et formam veteris legis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 1.] Augustinus, *adversus Faustum*, 19. *In nullum nomen religionis coagulari possunt homines, nisi aliquorum signorum velut Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Igitur in religione Christianorum debent esse aliqua Sacramenta, in quibus omnes Christi sectatores colligentur, mutuo sese adiuvantes in observantia legis Evangelicae; atque ita post Christum debuerunt omnino esse aliqua Sacramenta.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 7. seqq.] post Christi adventum esse debuisse aliqua Sacramenta, quibus ceu signis sensibilibus homines manuducerentur ad invisibilia, et in quibus esset ipsis parata medicina gratiae caelestis ad curanda vulnera peccatorum. Peccata enim non fuerunt sublata per Christi Passionem in effectu, sed in causa, idque efficacissime et abundanter. Per Christum enim gratia et veritas facta est, quae fuit praeparata in Sacramentis, sic ut digne ea sumentibus infallibiliter daretur ipsa gratia, et dimitterentur peccata. Sed ratio resolutionis est ista: quia [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. n. 9.] pro quolibet statu omnes tenentur ad fidem Mediatoris post lapsum, adeo ut nemo salvetur nisi credat in ipsum, a quo descendit omnis gratia in eos qui salvantur. Ipse igitur est principium reparationis in natura lapsa. Sicuti igitur ante eius adventum pro qualibet lege et statu decuit Deum instituisse aliquod Sacramentum quod esset signum efficax gratiae, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 3.]

ita et post adventum eius oportuit esse instituta consimilia signa efficacia, quibus adhibitis, et homines ad salutem pertingerent, et protestarentur fidem in Mediatorem. Ut quemadmodum illis signis antiqui Patres protestabantur se credere in Mediatorem venturum, ita fideles in lege Evangelica per usum Sacramentorum profiterentur se credere in Mediatorem, qui iam advenit. Et sicuti illis non proderat ad salutem credere in Mediatorem actu dumtaxat interno fidei, sed opus ipsis erat id quoque actu extrinseco profiteri, seu ad deletionem originalis in parvulis, seu ad usum Sacramentorum, ita in lege Evangelica et post Christi passionem necesse est credentibus ad salutem et pro deletione originalis, et pro curandis vulneribus peccatorum signis illis sensibilibus a Christo institutis uti in effectu vel saltem in voto. Post adventum igitur Christi debuerunt esse instituta aliqua Sacramenta, quemadmodum oportuit id quoque factum fuisse ante adventum ipsius post lapsum, iuxta dicta *art. antec.*

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19. seqq.] respondeo concedendo per Christi adventum omnes figuras quae de ipso erant cessare debuisse, et ita revera legem per Moysen latam abrogatam esse, et subinde Sacramenta illius legis esse desiisse, adeo ut mortifera exinde esse coeperint: nego tamen in ea lege, per quam vetus est abrogata, esse non debuisse aliqua Sacramenta, ob causas dictas *art. praec.* Imo [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] cum posterior haec lex priori perfectior sit, exigit et requirit tam intensive quam extensive ampliora et perfectiora adiutoria ad sui observationem.

Ad secundum respondeo: [*Oxon.* ib. n. 3. et 9.] ideo Christus dicitur gratiam fecisse seu per illum factam esse, quia post eius adventum uberior gratia confertur suscipientibus Sacramenta legis ab se instituta, quam contulerint Sacramenta veteris. Porro his Sacramentis non debuit conferri gratia, quomodocumque et qualitercumque susciperentur, quia tunc gratia contemneretur; oportet ergo intervenire congruam suscipientis dispositionem. Et ita pariter si citra Sacramentorum susceptionem gratia utcumque daretur post lapsum, ipsa contemneretur. Non sunt ergo adhibitae aliae causae a Christo, quasi illam promereri debuerint. Una est enim causa meritoria sufficientissima et adaequatissima; sed quoniam haec eadem causa meruit ut modo convenientissimo homini et abundanter conferretur, instituta sunt Sacramenta in quibus homo salubriter exerceretur, ut dictum est supra, *art.* 1.

Ad tertium respondeo, solum concludi haud esse debuisse eadem Sacramenta veteris et novae legis, quod concedo, ut dictum est in responsione *ad primum.*

QUAESTIO SEXAGESIMASECUNDA.

DE PRINCIPALI EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST GRATIA, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectu Sacramentorum. Et *primo,* de effectu eorum principali, qui est gratia: *secundo,* de effectu secundario, qui est character.

Circa primum quaeruntur sex.

1. Utrum Sacramenta novae legis sint causa gratiae. - 2. Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum. - 3. Utrum Sacramenta contineant gratiam. - 4. Utrum sit in eis aliqua virtus ad causandam gratiam. - 5. Utrum talis virtus in Sacramentis derivetur a passione Christi. - 6. Utrum Sacramenta veteris legis gratiam causarent.

ARTICULUS I.

UTRUM SACRAMENTA SINT CAUSA GRATIAE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 4. — *Report. ib. q.* 3.
S. Thom. 3. *p. q.* 62. *art.* 1. *et* 4. — *Sent. q.* 1. *art.* 4.

VIDENTUR Sacramenta esse causa gratiae collatae per ipsa. Nam Sancti expresse attribuunt Sacramentis causalitatem respectu gratiae; ergo attingunt causaliter gratiam. Augustinus, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 4. n. 1. arg. 1.] enim *Homil.* 80. in *Ioannem., Quae est,* inquit, *virtus ista aquae ut corpus tangat, et cor abluat?* Cor autem, idest anima, non abluitur nisi per gratiam, vel gratiae causa. — *Rursum* est commune dictum, quod *Sacramenta novae legis hoc efficiunt, quod figurant:* figurant vero seu sunt signa gratiae; est igitur attribuenda causalitas Sacramentis respectu gratiae: sed non possunt habere causalitatem, ut sine quibus non; huiusmodi enim causalitas, quae effectum non attingit, neque dispositionem ponit ad ipsum, efficiendo eam, non est nisi causalitas per accidens; ergo cum Sacramenta non sint causae per accidens gratiae, quia tunc id non poneretur in eorum definitione; igitur oportet ipsa per se esse causas gratiae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Secundum Magist. Sent. 4. *d.* 1. *cap.* 3. per hoc distinguuntur Sacramenta veteris et novae legis, quod illa erant tantum signa gratiae, ista, idest novae legis, non tantum sint signa gratiae, verum etiam causae eius; igitur habent veram causalitatem respectu gratiae; nam quemadmodum vere distinguuntur a Sacramentis veteris legis, ita vere efficiunt gratiam.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. q. 5. n. 2.] Cum dicuntur Sacramenta esse causae gratiae, non est id accipiendum quasi aqua v. gr. in Baptismo sua forma et virtute gratiam attingat, quia illa creatur a solo Deo; neque rursus gratia causatur ab aqua quatenus est instrumentum divinae misericordiae, sed solum ut tale instrumentum habet actionem in dispositionem praeviam, ad quam necessario sequitur gratia: sed causans dispo-

sitionem ad quam necessario sequitur forma, dicitur causare formam; igitur Sacramenta vere dicuntur causare gratiam, non principaliter, nec etiam instrumentaliter, virtute scilicet principalis agentis, sed tantum dispositive, inquantum nimirum attingunt praeviam dispositionem ad gratiam, quae dispositio in quibusdam Sacramentis est character, in quibusdam vero est aliquis ornatus animae proportionatus characteri.

CONTRA. [*Oxon.* ib. q 4. n. 1.] Bernardus, in sermone *De Coena Domini: sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversae sunt traditae a Sacramentis:* sed liber non est causa efficiens Praebendae, nec annulus Episcopatus. ergo nec Sacramentum est causa efficiens gratiae. — *Rursus,* si Sacramenta efficerent gratiam vel praeviam gratiae dispositionem, aut essent causae aequivocae, aut univocae: non univocae, ut patet, quia effectus est invisibilis: nec aequivocae, quia illa sensibilia non sunt perfectiora gratia aut praeviis dispositionibus ad gratiam.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. q. 5. n. 4.] non esse attribuendam aliquam propriam actionem et causalitatem Sacramentis respectu gratiae, neque respectu dispositionis supernaturalis praeviae ad ipsam. Et hoc *probo primo:* secundum opinantes Sacramenta habent physicam causalitatem respectu gratiae, quia respectu dispositionis praeviae ad ipsam; creatura non potest agere, ut dictum est 1. *p. q.* 45. *art.* 5. ad terminum creationis, ne instrumentaliter quidem; quod multo magis debet esse verum de substantia corporea et materiali, cuiusmodi sunt Sacramenta: sed dispositio praevia ad gratiam, sive sit character, sive ornatus animae supernaturalis, est terminus creationis; ergo cum ad hunc creatura non possit agere, nec attingetur per suam actionem a Sacramentis. *Probatio minoris:* nam illa dispositio est forma simpliciter supernaturalis, et quaelibet talis aeque non est educibilis de potentia naturali subiecti recipientis, aeque etiam subiectum est in potentia obedientiali ad quamcumque talem formam; igitur praecise est attingibilis per creationem, utpote simpliciter supernaturalis, quippe ad quem non sit in subiecto ulla inclinatio naturalis, sed tantum potentia obedientialis, secundum opinantes. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 4.] dispositio illa praevia ad gratiam, quam physice ponuntur causare Sacramenta, inducitur, vel potest induci in animam in instanti; sed Sacramenta non possunt habere physicam actionem in instanti: ergo ab ipsis non causatur illa praevia dispositio physice. *Probatur maior:* tum quia dispositio necessitans quando nullum est impedimentum in suscipiente fit simul cum forma: gratia autem fit in instanti; ergo et illa dispositio ad ipsam cum nullum sit impedimentum. *Tum etiam* quia non est successio in forma, nisi penes partes mobilis, vel penes partes ipsius formae: subiectum autem hic est indivisibile, neque requiritur successio in dispositione, quia sicuti potest induci minima gratia, ita ad hanc sufficit minima dispositio, quae inducetur necessario in instanti. *Probatur ergo minor:* nam Sacramentum, utpote includens essentialiter verba successive proferenda, est quid successivum; ergo nequit esse aut agere nisi tempore actione reali naturali; ergo nec agere potest actione supernaturali, nisi in tempore, quia secundum opinantes, non competit instrumento habere actionem supernaturalem, nisi quando habet naturalem et propriam; et per consequens cum dispositio ad gratiam non producatur in instanti, non erunt Sacramenta eius physice

productiva. — *Est hic responsio talis:* [*Oxon.*ib. n.5.] una syllaba totius orationis sacramentalis habet esse in instanti; ipsa igitur Sacramenta attingunt dispositionem, quae fit in instanti. *Contra,* etiam syllaba successive formatur, cum locali motu aëris; ergo et ipsa profertur in tempore. *Deinde,* ea syllaba estne prima, media, vel ultima orationis? Quamcumque dicas, quoniam ea attingit physice dispositionem, et aliae non, sequitur, ad ipsam sequuturam dispositionem, etiamsi seorsim formaretur, quia ipsa est causa praecisa, reliquae vero non causant dispositionem: hoc autem est plane falsum, quia Sacramentum non conficitur nisi omnibus verbis prolatis, quibus constat forma Sacramentorum. — *Respondent,* ultimam syllabam esse instrumentum completive, et habere actionem praedictam, non virtute propria, sed virtute omnium praecedentium, sicuti gutta ultima in virtute omnium praecedentium cavat lapidem. *Contra,* ideo ultima gutta in virtute praecedentium cavat lapidem, quia praecedentes reliquerunt dispositionem praeviam ad terminum: hic vero syllabae praecedentes nullam dispositionem relinquunt ante ultimam. — *Tandem,* in Sacramento Eucharistiae non videtur ista realis causalitas possibilis; ergo non est ponenda in aliis. *Declaratur assumptum:* etenim vel poneretur respectu Eucharistiae iam consecratae, vel respectu consecrationis Sacramentalis. Non primo modo, quia species panis non est causa instrumentalis respectu existentiae realis Corporis Christi, neque respectu alterius dispositionis ad illum effectum. Sed neque secundo modo; verba enim illa prolata non attingunt transsubstantiationem, quae est terminus principalis huius consecrationis. Siquidem cum illa transsubstantiatio non fiat nisi virtute Dei infinita, sicuti et creatio, si Sacramenta non attingunt physice terminum creationis, neque poterunt in dispositionem praeviam ad transsubstantiationem; ea enim vel esset in Christi corpore, et tunc non esset dispositio ad ipsum; vel esset in pane, et tunc quoniam ipsa esset necessitans ad transsubstantiationem existeret in eodem instanti cum transsubstantiatione, et per consequens simul essent panis ut subiectum dispositionis, et transsubstantiatio ut necessaria sequela dispositionis, quod includit contradictionem.

Ad Argumenta. Ad primum concedo, Sacramenta non esse causas per accidens; sed ex hoc non sequitur attingere debere dispositionem praeviam ad gratiam reali et physica actione, cum eorum causalitas non sit nisi actio quaedam moralis, ut explicabitur *art. seq.* Sicuti ergo dicunt attribuentes Sacramentis realem causalitatem, characterem vel ornatum in anima esse per se dispositionem ad gratiam, [*Oxon.* ib. q. 5. n. 17.] ita dico Sacramentum vel eius susceptionem esse per se proximam dispositionem ad gratiam, et ideo ad hunc finem sive effectum potuisse recte a Sanctis et Doctoribus definiri. Si enim aliquis consideraret venae incisionem ut ordinatam ad sanitatem, definiret utique illam, et differentiam assignaret ex eo ordine, sub quo considerat incisionem. Ita Sancti et Doctores considerantes Sacramenta quatenus ex divina institutione habent ordinem ad gratiam, neglectis eorum physicis activitatibus, et sub eo ordine definiunt, et differentias assignant.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib.] Sacramenta veteris et novae legis non distingui per ea quae impossibile est ipsis convenire, eiusmodi est active et physice agere ad aliquid spirituale in anima. Sacramenta igitur novae legis gratiam causant tamquam signum eius efficax; illa vero

veteris legis non ita causabant; loquendo tamen de Sacramentis improprie dictis, sicuti erant sacrificia, oblationes et caeremoniae illius legis; Sacramenta enim proprie dicta et signabant gratiam, ut signa eius efficacia, et eamdem quoque causabant; quamvis non parem efficaciam habuerint Sacramentis legis novae, quae a passione Christi exhibita eam acceperunt, ut patebit inf. *art.* 5.

AD ULTIMUM, patet ex dictis *in solutione.*

ITERUM ARTICULUS I.

UTRUM SACRAMENTA SINT CAUSA GRATIAE.

Doctor, et S. Thom. loc. cit. art. antec.

VIDETUR Sacramenta causare vera causalitate gratiam, quam significant. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 4. n. 1.] Augustinus, *Homil.* 80. in *Ioann.: Quae,* inquit, *est virtus ista aquae, ut corpus tangat et cor abluat?* loquitur autem de aqua baptismali; ergo illa corpus tangendo cor abluit: cor autem, anima nimirum, non abluitur nisi per gratiam; ergo causat gratiam.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Magister Sent. 4 *d.* 1. *cap.* 2. ponens rationem Sacramenti, ait, esse *signum gratiae, ita ut eius imaginem gerat et causa existat;* igitur diserte attribuit Sacramento causalitatem respectu gratiae.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] In quadam Oratione petit Ecclesia: *Perficiant in nobis Domine tua Sacramenta quae continent.* Ex hoc arguitur dupliciter: *primo,* hic petitur gratia, et non petitur impossibile; ergo possibile est Sacramenta efficere gratiam. *Secundo,* quia innuitur Sacramenta continere quod petitur, scilicet gratiam: sed non continent eam formaliter, ut patet; ergo virtualiter et causaliter.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Bernardus, in sermone *De Coena Domini: Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversae sunt traditae a Sacramentis.* Ergo sicut illa, de quibus exemplificat, sunt tantum signa illarum dignitatum, ita Sacramenta sunt tantum signa et non causae physicae gratiae.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4.q.1.q.5. n. 13.] Sacramenta non causare gratiam neque dispositionem praeviam ad ipsam vera et reali causalitate, sed esse causas mere morales gratiae, quatenus his rite utentibus et suscipientibus, Deus confert gratiam quam signant infallibiliter, non quia ipsam attingant per intrinsecam ipsorum virtutem, sed dumtaxat infallibiliter per assistentiam Dei causantis illum effectum: non infallibiliter, vel necessario necessitate absoluta, sed necessitate respiciente potentiam ordinatam, iuxta nimirum praesentes dispositiones a divina Providentia libere positas; de quibus ipse certiorem reddidit Ecclesiam suam, ac pollicitus est daturum se suscipientibus rite Sacramenta, gratiam quam signant. Ipsa ergo Sacramenta, vel susceptio eorum est immediata dispositio ad gratiam, quae quamvis sit in anima, et susceptio illa circa corpus versetur et perficiatur, nihilominus ipsa Sacramentorum susceptio vere est dispositio ad gratiam; etsi enim haec dispositio non sit in eodem su-

biecto, in quo est forma, satis tamen est ambas esse in eodem supposito, praesertim cum eiusmodi dispositio non sit talis ex natura rei, sed in ordine ad agens voluntarie causans formam vel terminum. — Tunc *ulterius* declaratur propositum sic: [*Oxon.* ib. n. 12.] necessitas eorum quae sunt ad finem non aliunde est petenda et accipienda, quam ab ipso fine; ergo cum finis Sacramentorum sit gratia vel effectus aliquis invisibilis ad salutem ordinatus, et ipse finis possit sufficienter haberi absque eo quod ponantur Sacramenta agere realiter vel ad ipsum vel ad praeviam dispositionem eius, sequitur huiusmodi realem actionem non esse ipsis attribuendam, quia non est ponenda ulla pluralitas sine necessitate.

Quomodo igitur Sacramenta non erunt causae per accidens, si ipsa neque gratiam, neque dispositionem ad ipsam causent vera et reali actione? — *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 12.] posito ipsa non habere eam actionem realem (quae revera nec potest, nec debet ipsis attribui), adhuc cum hoc optime cohaerere Sacramenta esse causas, non per accidens, per se. *Quod probo:* omnis dispositio necessitans ad formam, sed quae non est ratio receptivi, potest dici quodammodo causa activa, sive causa instrumentalis respectu formae: sed ipsum Sacramentum sive susceptio Sacramenti est talis dispositio, et immediate non causans aliam mediam inter se et gratiam; ergo ipsa potest dici quodammodo causa activa vel instrumentalis respectu gratiae. *Probatio maioris:* quia in sententia attribuentium vim realem activam Sacramentis, ideo dicuntur causare gratiam, non quia ipsam attingant, sed quoniam agunt ad dispositionem praeviam ad gratiam, quae immediate a Deo creatur, absque concursu illius praeviae dispositionis; ergo etiam erunt Sacramenta causae activae per se, vel instrumentales gratiae, per hoc quod praecise ponantur dispositiones non physicae, sed morales, necessitantes ad gratiae infusionem, non ex virtute intrinseca ipsorum, sed ex pacto assistentiae divinae. *Exemplum:* absolute conceditur meritum esse causam instrumentalem respectu praemii, adeo ut per meritum acquiratur praemium, et nihilominus meritum non causat active praemium in se, nec aliquam dispositionem mediam ad ipsum; sed quoniam ipsum meritum est dispositio praevia ad praemium, et non per modum receptivi, dicitur per se esse causa activa praemii. Ita et Sacramenta recte dicentur per se causare gratiam, licet ipsam aut mediam dispositionem ad gratiam physice non attingant, ex eo quod sint morales dispositiones non se tenentes ex parte receptivi, et necessitantes ad gratiae infusionem ex pacto assistentiae divinae. Et alioquin [*Oxon.* 3. d. 9. — 4. d. 1. q. 6 7. — d. 2. q. 1.] haud verisimile videtur attribuere Sacramentis maiorem et efficaciorem causalitatem respectu gratiae, quam habeat ipsa Christi passio in se; Sacramenta enim ab illa efficaciam acceperunt, ut patebit infra *art.* 5. Passio autem Christi praecise moraliter et non physice influit in gratiam: nam eum modum causandi gratiam retinet ut exhibita, qualem habebat ut exhibenda, in quo statu plane non nisi meritorie et moraliter effecit iustificationem hominum.

Caeterum [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5. n. 14.] instrumentum in artificialibus non habet formaliter vim activam: serra enim non habet in se nisi quantitatem, figuram, et motum localem, quae non sunt formae activae; nam alioquin mathematicus considerans quantum figurarum non abstraheret a motu. Nec videtur ponenda durities qualitas activa, quia si Deus conser-

varet aliquod quantum molle in eadem quantitate et figura, movendo ipsum localiter, aeque divideret aliquod corpus sicut modo instrumentum durum dividit; ergo durities non est formaliter principium agendi. Quemadmodum ergo [*Oxon.* ib. n. 15.] agens effective inducit calorem, et ipse calor non effective, sed formaliter expellit frigus, ita agens movens et utens instrumento expellitur per ipsum formaliter ab eodem *ubi* aliud corpus, ob eorum incompossibilitatem. Divisio enim ligni per serram non est nisi quaedam expulsio partium ab *ubi* ad quod movetur securis ab artifice. Instrumenta igitur artificialia non sunt formaliter activa, sed tantum receptiva cuiusdam effectus prioris, ordinati ad effectum ultimum. Cum igitur instrumentum ita se habeat, recte Sacramentum appellatur *instrumentum,* licet non habeat virtutem activam proprie respectu termini, cum sit quidam effectus prior ordinatus ad gratiam quam signat, atque etiam per se causat, et non per accidens, modo iam explicato.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 17.] concedo, aquam baptismalem abluere cor, idest animam, non quidem causando dispositionem mediam inter ipsam et gratiam abluentem, sed abluere tamquam proximam dispositionem et immediatam ad gratiam, eo pacto quo dicitur meritum inducere beatitudinem, vel sectio venae, vel alia huiusmodi praeparatio inducere sanitatem: si enim Sacramentum causaret dispositionem ad gratiam reali actione, et sic diceretur abluere, opus esset ut illa dispositio immediatius ablueret, idest causaret gratiam; quia quod est causa prioris non propter hoc est causa posterioris, nisi illud medium sit causa tertii, et hoc in eodem ordine causae; alioquin non intelligeretur esse causa tertii, ut est causa effectus prioris. Cum itaque solus Deus sit causa gratiae, et non dispositio praevia, nec Sacramenta unam aut alteram causabunt reali actione.

Ad secundum ex Magistro, [*Oxon.* ib.] dico, ipsum per hoc quod addit, *et causa existit,* intelligere et velle Sacramentum esse signum efficax, quo significatur esse signum practicum, certum et verum et praevium naturaliter ad suum signatum.

Ad tertium dico sic: [*Oxon.* ib.] si motio serrae esset dispositio proxima ad inductionem alicuius formae, et non ex natura alicuius motionis, sed ex dispositione alicuius agentis simul cooperantis, posset rationabiliter peti ab illo agente, ut vellet illam motionem perficere id quod continet; hoc est dictu, quod sicut continet illud, tamquam dispositionem praeviam, sic perficiat illud, hoc est, ad ipsam immediate sequatur illud. Ita est in proposito, ut constat ex dictis.

ARTICULUS II.

UTRUM GRATIA SACRAMENTALIS ALIQUID ADDAT SUPER GRATIAM VIRTUTUM ET DONORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 2. *q* 1. et 6. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 62. *a.* 2.

Videtur gratia Sacramentalis nihil addere super gratiam virtutum et donorum. Nam [*Oxon.* 3. d. 34. n. 14.] septem virtutes in genere, scilicet tres theologicae et quatuor morales simpliter perficiunt viatorem circa omne obiectum, quantum perfici potest in via; igitur gratia sacramentalis

super virtutes praedictas nihil addere potest; alioquin per illas non esset viator sufficienter perfectus.

2. PRAETEREA. Gratia sacramentalis aliud in anima efficere non potest, nisi abstergere in ipsa sordes peccatorum, et tribuere ius in haereditatem gloriae caelestis: sed haec eadem efficit in anima gratia habitualis; ergo hanc habenti nihil gratiae conferunt Sacramenta, quia nullum in anima effectum haberet. *Minor probatur*: gratia et charitas aequaliter dividunt inter filios regni et perditionis, ex Augustino, 15. *De Civitate*, cap. 18.; [*Oxon.* 2. d. 27.] ergo nihil tribuere potest gratia Sacramentorum, quod prius non dederit charitatis habitus animae habenti illum.

CONTRA. *Ex quaestione ant.* Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem, et quidem pro omni statu post lapsum: si autem nihil adderent ad septem praedictas virtutes, non viderentur necessaria; etenim cum illis virtutibus potest stare indigentia Sacramentorum, saltem Ordinis et Matrimonii, ergo, etc.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 3.] gratiam sacramentalem esse diversam a gratia habituali et a caeteris subinde virtutibus et donis, si haec ponantur diversa a virtutibus; et consequenter ipsam aliquid addere ad omnia illa. Gratia enim sacramentalis, quae nimirum a Deo confertur rite suscipientibus Sacramenta, datur ad finem specialem Sacramentorum; ergo differt ab habituali in ratione effectus; per Baptismum enim confertur gratia per modum regenerationis spiritualis; per Confirmationem autem tribuitur gratia roboris et constantiae ad profitendam fidem in Baptismo protestatam; per Eucharistiam gratia praeservationis a mortalibus et perseverantiae in bonis operibus; Extrema autem Unctio abstergit peccatorum reliquias, ac in aegroto fiduciam divinae misericordiae excitat; gratia vero collata in Ordine est, ut congrue administrentur Ecclesiae Sacramenta; et in Matrimonio denique confertur gratia, qua subleventur onera Matrimonii, et debite educetur proles, et carnis concupiscentia vincatur. Haec autem omnia collata a Deo mediis sacramentis sunt auxilia actualia, quibus suscipientes Sacramenta eorumdem proprios fines exequi et attingere possint; addit igitur gratia Sacramentalis supra habitualem et caeteros habitus viatorem perficientes id, quod requiritur et exigunt Sacramenta in iis, qui ea suscipiunt, atque ita in ratione effectus.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, utique viatorem esse perfectum, si habeat omnes illos habitus virtutum, et ut talis non indiget Sacramentis ut persona particularis est, si ipsa interim non contemnantur Sacramenta. At quia homo viator admodum difficulter illos habitus conservare potest, praesto sibi est ad hoc obtinendum gratia sacramentalis; ac proinde hoc nomine non est ipsi superflua, sed apprime necessaria. *Deinde*, etsi viator habeat omnes illas virtutes, quia tamen non habet eas in gradu perfectissimo, nisi ex specialissimo privilegio Dei, possunt iugiter augeri per continuum usum Sacramentorum, et gratiam per ipsa collatam.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. q. 6.] respondeo, Sacramentum magis proprie significare illum effectum in anima, ad quem confertur gratia in Sacramento, quam signet ipsam gratiam. Unde gratia existente una in anima, Sacramenta tamen diversa distinguuntur penes diversa significata propria (ut expositum est *in solutione*), quae sane significata sunt diversi effectus eiusdem gratiae. Igitur gratia quae per Sacramenta confertur tribuit illum specialem effectum, quem per se Sacramentum

signat; et si inveniat animam a peccatis ablutam et haeredem regni, uti sunt Sacramenta vivorum, auget praeexistentem respectu consecutionis effectus proprie ab se signati.

ARTICULUS III.

UTRUM SACRAMENTA NOVAE LEGIS CONTINEANT GRATIAM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 62. *a.* 3.

VIDENTUR Sacramenta novae legis continere gratiam. Nam [*Report.* 4. d. 1. q. 3. n. 1.] hoc expresse videtur significare Ecclesia in quadam Collecta dicens, *Perficiant in nobis, Domine, Sacramenta quod continent:* sed quod a Sacramentis est perfectivum animae suscipientis illa gratia est; ergo et hoc ipsum, idest, gratiam continent.

2. PRAETEREA. Iuxta dicta supra *articulo* 1. Sacramenta recte dicuntur esse causa gratiae, et quidem per se et non per accidens: sed eo modo quo aliquid est alterius causa, eo pacto est continens ipsum; ergo si Sacramenta sunt per se causa gratiae, ipsa Sacramenta per se gratiam continent.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* 4. d. 1. q. 4. n. 3.] Sacramentum est medicina spiritualis ipsius animae, quatenus per gratiam quae per illa confertur sanatur anima, et obducuntur et delentur vulnera peccatorum: sed medicina continet in suo ordine sanitatem quam inducit; ergo pariter et Sacramenta novae legis gratiam continebunt, qua spirituali sanitati restituitur anima.

CONTRA. [*Report.* 4. d. 1. q. 3. n. 2.] Augustinus, 83. *qq.: Soli Deo,* inquit, *convenit illuminare animas:* sed illuminantur per gratiam; ergo ipse solus eam causat in anima; igitur gratia non continetur in Sacramentis, sed in eius causa adaequata.

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 4. d. 1. q. 3. n. 2.] Sacramenta novae legis non continere gratiam, ut effectus continetur in causa univoca, aut aequivoca. Et quidem, quod non sint Sacramenta causae univocae gratiae, manifestum est; quia gratia non potest esse formaliter in Sacramentis cum sint sensibilia et materialia. Neque ut in causa aequivoca, quia causa aequivoca est simpliciter perfectior suo causato: in rebus autem sensibilibus non potest esse aliquid nobilius vel eminentius gratia; igitur haec non potest esse in Sacramentis ut in causa reali univoca, vel aequivoca.

Verumtamen, quoniam Sacramenta sunt per se causae gratiae et dispositionis proximae ad gratiam, quam confert Deus ea suscipientibus, modo quo ipse ordinavit, et expositum est *art.* 1, et influunt in gratiam ut causae instrumentales, perinde ut instrumentum in artificialibus recipit effectum priorem ordinatum ad effectum ultimum, videntur ipsa Sacramenta continere gratiam ut effectus dicuntur contineri in causa morali, et sicuti continentur effectus in praeviis eorum dispositionibus necessitantibus causam physicam voluntarie determinatam ad eorum productionem.

AD ARGUMENTA patet responsio ex dictis *in solutione:* declaratum est enim, [*Report.* ib.] qualiter Sacramenta sint et dici queant causa gratiae, non physica quidem, nempe univoca vel aequivoca, sed dumtaxat moralis; et sicuti dispositio necessitans ad formam, quae non est ratio

receptivi, est quodammodo causa activa eius formae instrumentalis, qua ratione meritum dicitur causa praemii, ita et Sacramentorum susceptio est dispositio respectu gratiae, necessitans ad eam ex pacto Dei, signis ab se institutis infallibiliter assistentis, nisi ex parte suscipientis propria obstet indispositio.

ARTICULUS IV.

UTRUM IN SACRAMENTIS SIT ALIQUA VIRTUS GRATIAE CAUSATIVA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 5. — *Report. ib. q.* 4.
S. Thom. 3. *p. q.* 62. *art.* 4. — *Sent.* 4. *d.* 1. *q.* 1. *art.* 4.

VIDETUR in Sacramentis esse virtutem gratiae causativam, Virtus enim semper nominat principium agendi, quod est forma aliqua absoluta: Sacramenta [*Oxon.* 4. d. 5. q. 5. n. 3.] autem non sunt agentia principalia, sed instrumenta gratiae; quia igitur virtus agendi est ipsi agenti proportionata, non potest esse in Sacramentis ea virtus sicuti est in agente principali: in isto autem agente est illa forma absoluta secundum completum sui *esse:* ergo huiusmodi non potest esse in instrumento. Cum igitur instrumentum agat quatenus motum ab alio, oportet inesse sibi virtutem agendi ut motui proportionatam; et quoniam motus est ens incompletum, pariter et illa virtus Sacramentorum habebit esse incompletum, et non perfectum: huiusmodi autem entia imperfecta quae sunt in *fieri* solent *intentiones* communiter nominari; ergo virtus supernaturalis, quae est in Sacramentis, quatenus sunt instrumenta gratiae, est in ipsis quasi *in fieri,* tamquam ens incompletum sive intentionale.

Et si dicatur ad rationem: [*Oxon.* ib. n. 3.] quia non videtur probabile virtutem supernaturalem posse reperiri in corpore tamquam in subiecto, cum haec virtus sit expers extentionis et quantitatis; *contra arguitur:* quia haec responsio procedit estque vera, posse non reperiri ut in subiecto, aliquam virtutem supernaturalem, de virtute habente esse completum, non vero de ea quae inest secundum esse incompletum per modum intentionis. Quod et exemplis declaratur: *primo* quidem, quia sic sermo audibilis causa existens disciplinae, secundum Philosophum, in principio *de sensu et sensato.* continet quodammodo intentiones animae cuius conceptiones exprimuntur per sermonem. *Secundo,* virtus artis est in instrumento moto ab artifice; ergo etiam virtus supernaturalis est in Sacramentis, ut sunt gratiae instrumenta. *Tertio,* denique, quia in motu corporis caelestis est quodammodo virtus substantiae separatae moventis, secundum Philosophos.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5. n. 1.] Omne accidens reale supernaturale est simpliciter perfectius quocumque accidente naturali. *Probatio:* nam in illud non potest causa naturalis; in istud autem potest: ea autem impotentia aliunde videtur exoriri non posse, nisi ex eminentia effectus; igitur si in Sacramentis esset aliqua virtus supernaturalis, illa esset simpliciter nobilior omni qualitate naturali; ergo in verbis sacramentalibus alicuius Sacramenti reperiretur aliquod accidens absolutum simpliciter perfectius omni perfectione intellectualis creaturae, quod est inconveniens.

RESPONDEO dicendum, in Sacramentis non esse ponendam aliquam virtutem gratiae causativam. *Quod probo primo:* etenim [*Oxon.* ib. n. 8.] illa virtus supernaturalis, quae ponitur in Sacramentis, aut est ibi indivisibiliter, idest, tota in toto et tota in qualibet parte; aut tota in toto et pars in parte. Non potest esse primo modo, quia inter omnes formas perficientes materiam solum id attribuitur animae intellectivae. Nec secundo modo potest poni, quia tunc extenderetur per accidens in subiecto, quod est contra rationem virtutis spiritualis. — *Secundo*, formae Sacramentorum communiter conflantur pluribus verbis; igitur vel in qualibet syllaba esset eadem virtus omnino; vel in alia esset alia atque alia virtus. Si primum dicatur; igitur fatendum esset idem accidens migrare de subiecto in subiectum, et manere postquam subiectum defecit; syllaba enim prima abeunte, virtus qua informabatur superesset et informaret sequentem usque ad ultimam. Si secundum teneatur; igitur Sacramentum unum conflatum una oratione ut forma non haberet aliquam virtutem unam, quod est inconveniens; quia sicuti Sacramentum constituitur per virtutem quam habet causandi effectum, quia est signum practicum, ita debet habere unam rationem simplicem causandi, sicuti est simplex effectus. *Et si* dicatur, esse illam virtutem unam aggregatione multarum virtutum singulis partibus correspondentium; *contra* [*Oxon.* ib. n. 5.] illa virtus non est activa, quae numquam potest habere effectum: sed virtus quae esset in omnibus et singulis partibus formae numquam habet effectum, nec habere potest; desineret enim esse antequam compleatur ultima particula prolationis: donec autem compleatur ultima particula formae non habetur effectus signatus; igitur frustra ponitur in particulis antecedentibus; cum nec realiter influere possit in effectum quando producitur, nec relinquat aliquam realem dispositionem, cuius virtute ultima causare valeat. — *Denique,* [*Oxon.* ib. n. 7. et q. ult.] non sunt ponenda plura nisi ratio naturalis id exigat, vel fidei veritas: sed nulla ratio naturalis probat ponendam esse in Sacramentis eam virtutem; nec fidei veritas requirit huiusmodi virtutem supernaturalem in aqua vel in verbis; quia sine ista potest declarari Sacramentum esse signum efficax gratiae, et haberi iste effectus absque eo quod attingatur ab aliqua forma physica intrinseca Sacramentis. Et quoniam non posset assignari quando illa virtus supernaturalis produceretur in sensibilibus ad Sacramentum pertinentibus, quia nec ante usum ipsorum, nec in ipsa applicatione, cum nullum instrumentum formaliter sit aptum ad usum, propterea quod eo quis actu utatur, sed est tale ante usum, sequitur non esse praedictam virtutem supernaturalem Sacramentis attribuendam.

AD ARGUMENTUM, quo persuasi aliqui putant esse ponendam virtutem intrinsecam gratiae causativam in Sacramentis, patet responsio ex dictis *in art.* 1.: declaratum est enim [*Oxon.* ib. n. 12. seqq.] qualiter Sacramenta sunt instrumenta et causae gratiae per se, licet non habeant aliquem influxum realem per virtutem sibi ipsis inexistentem, seu in gratiam ipsam, seu in dispositionem praeviam ad gratiam.

Ad exempla, quibus arbitrantur declarare propositum, respondeo singillatim sic: *primum* de sensibili sermone, accipit manifeste falsum; nam [*Oxon.* ib. n. 10.] sermo audibilis non habet in se formaliter aliquam intentionem animae. Quod probo; quia sermo non impositus ad significandum nullam talem formam habet in se, ut est evidens: per imposi-

tionem autem non recipit aliquam formam absolutam in se, nec relationem, nisi forte rationis. *Praeterea,* eodem existente agente principali et instrumento sufficiente, sequitur eadem actio: sed si Latinus proferat verba Latina Graeco, idem est agens principale et instrumentum quod esset si loqueretur alteri Latino, tamen non sequitur effectus, quia nullus conceptus causatur in Graeco audiente; ergo ille sermo non erat instrumentum ex se ad causandum animae conceptum in audiente. Est ergo sermo rememorativum respectu conceptus; ita quod facta immutatione sensus ab ipso sermone, et ulterius intellecta natura eius, in quantum talis natura est, intellectus cognoscens ipsum esse impositum ad significandum talem naturam, et ex collatione eius ad illud aliud, intelligit id quod eo nomine significatur, non quasi sermo per aliquam formam causet conceptum de aliqua re; sed sermo est praevius ad conceptum de re, qui causatur per propriam speciem rei, vel phantasma in anima. Quod constat, ex eo, quia quantumcumque sermo proferretur, si audiens non haberet in se speciem rei quae nomine exprimitur, nullus conceptus causaretur in eo de illa re. Hinc per voces non intelligimus res, nisi quarum habemus species; at quod actualiter eas consideremus, hoc est per collationem signi ad signatum.

Secundum exemplum: [*Oxon.* ib.] de instrumento artificis non concludit; etenim omnino impossibile videtur, aliquam formam toties causari in serra quoties ab artifice movetur; et toties desinere esse quoties desinit actu moveri; et non loquor de impulsu quem recipit serra a virtute motiva artificis, sed de virtute quae esset derivata ab arte, et foret instrumento serrae principium agendi, inessetque ei antecedenter aut concomitanter ad motum et impulsum.

Tertium denique exemplum, [*Oxon.* ib. — d. 49. q. 13. n. 8.] de motu, non cogit, quia quomodocumque substantiae causentur a coelo, saltem motus localis coeli non potest esse formale principium producendi eas, quia solummodo facit ut applicentur activa passivis.

ITERUM ARTICULUS IV.

UTRUM IN SACRAMENTIS SIT ALIQUA VIRTUS GRATIAE CAUSATIVA.

Doctor, et S. Thom. loc. cit. art. antec.

VIDETUR Sacramentis inesse aliqua virtus gratiae causativa. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 4. n. 1. — q. 5. n. 1.] Augustinus, *Homil.* 80. in *Ioannem: Tanta,* ait, *est virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat:* ergo aquae Baptismi inest aliqua virtus respectu infusionis gratiae, qua cor abluitur; non abluit autem animam, nisi causando et inducendo gratiam; ergo est in Sacramentis aliqua virtus gratiae causativa.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5. n. 1.] Sacramentum est medicina spiritualis ipsius animae: sed medicinae inest aliqua virtus ad sanandum; alioquin non magis foret medicina quam quidvis aliud, quod non est medicina, nec ad effectum inducendi sanitatem applicabile; igitur et Sacramentis debet inesse aliqua virtus causativa gratiae, qua sanatur spiritualiter anima.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Nova relatio non potest alicui advenire

de novo sine aliquo absoluto novo, ex 5. *Physicor,* text. com. 10. sed aqua et verba habent relationem signi sensibilis, quatenus sunt partes Sacramenti Baptismatis respectu gratiae invisibilis; ergo habent aliquod absolutum novum quod sit relationis eius fundamentum; illud erit virtus gratiae causativa; ergo omnino ponenda est in Sacramentis aliqua virtus, qua gratia causetur.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Ad idem Sacramentum quandoque concurrunt diversa sensibilia: sed idem accidens reale absolutum non potest esse in diversis subiectis; ergo non potest esse aliqua una virtus quae sit forma absoluta realis in tali Sacramento; unius enim Sacramenti una est virtus quae deberet esse in diversis fundamentis. — *Rursus* quae qualitas esset illa virtus? Non enim habitus vel dispositio, nec naturalis potentia vel impotentia, nec passio vel passibilis qualitas, nec denique forma vel figura; ergo nulla talis virtus est ponenda in Sacramentis.

RESPONDEO ergo dicendum, non esse ponendam aliquam virtutem absolutam in Sacramentis, imo nec eius possibilitatem probari: [*Report.* 4. d. 1. q. 4. n. 11.] est enim Sacramentum signum quoddam sensibile ordinatum et institutum a Deo, efficaciter repraesentans suum signatum, ut quicumque id signum rite suscipiat is fiat amicus Dei per gratiam, in eius susceptione sibi datam, in tantum ut infallibiliter, quantum est ex parte Dei assistentis, semper detur gratia quam signant, nisi ex parte suscipientis propria obstet indispositio. — Quod [*Report.* ib.— *Oxon.* 4. d. 1. q. 5. n. 16.] si ob auctoritates sanctorum et Ecclesiae dicentium Sacramenta includere virtutem, contendas hanc esse omnino ponendam et adstruendam, potest dici quod *virtus* uno modo est ultimum de potentia, 1. *Caeli,* com. 116. Ultimum autem potentiae signi practici est quod significet efficaciter, praevie nimirum et certitudinaliter. Nam non potest signo, in quantum practicum est competere maior potentia; hanc itaque virtutem concedo inesse Sacramentis; sed aio, ipsam non esse aliquam formam absolutam, sed solummodo relationem conformitatis signi ad signatum, seu ista conformitas ponatur pertinere ad essentiam Sacramenti, seu ponatur non pertinere, sed esse tantum accidens concomitans ut in pluribus; ista nihilominus ratio est ultimum de potentia signi practici, et ita virtus Sacramentorum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 19.] virtutem illam, de qua loquitur Augustinus, non esse aliud quam efficaciam signi respectu signati, eamque proinde non esse formam aliquam realem absolutam, sed solum signi veritatem virtualiter praecedentem signatum.

AD SECUNDUM respondeo sic: [*Oxon.* ib.] si sanitas non posset nisi ab agente voluntario induci, et ab ipso institueretur aliquod signum quod esset efficax, seu dispositio necessitans ipsum ad inducendam sanitatem, illud signum profecto foret medicina virtuosa; non quidem per aliquam formam absolutam, quae esset principium sanandi, sed solummodo per ordinem efficacem ad sanitatem.

AD TERTIUM [*Oxon.* ib.] potest dici uno modo, toties fundamentum esse novum, quoties Sacramentum est novum; et tunc quidem inesse novam relationem sine fundamenti mutatione, sed eam mutationem non esse ad aliquod absolutum in fundamento, se ad esse fundamenti. — *Vel potest dici,* [*Oxon.* ib.] relationem rationis posse esse novam in aliquo absque omni novitate absoluti in ipso: satis enim est ad huiusmodi respectum, ut de novo comparetur illud absolutum ad al-

terum per actum intellectus. Quo pacto potest dici *dominus* de novo sine novo absoluto in ipso. Vel magis ad propositum: potest nummus dici pretium de novo, quod non dicit nisi respectum rationis, sicuti nec esse commutatum pro alio; etenim esse *commutatum* non magis dicit relationem realem quam esse datum: *datum* vero cum dicat habitudinem obiecti ad voluntatem, non dicit nisi rationis relationem in ipso dato, sicut nec intellectum esse in obiecto intellectus.

ARTICULUS V.

UTRUM SACRAMENTA NOVAE LEGIS HABEANT VIRTUTEM EX PASSIONE CHRISTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 1. 3.—d. 19. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3: *p.q.* 62. *a.* 5.

VIDENTUR Sacramenta novae Legis non habere virtutem et efficaciam ex passione Christi. Nam 2. *Met.* text. com. 2. et 5. *Phys.* text. com. 37. *Causa in actu et effectus in actu simul sunt, et non sunt:* sed Christi passio non est in actu; ergo nec effectus aliquis in actu; igitur si Sacramenta habent efficaciam, debet illam haurire aliunde quam a Christi passione.

2. PRAETEREA. Si a Christi passione Sacramenta virtutem et efficaciam haberent; igitur vel ab illa ut aliquando praevisa futura, vel ab ea tamquam exhibita. Si primo modo, igitur Sacramenta veteris Legis potuerunt habuisse efficaciam per ipsam; secundum autem Magistrum, 4. *d.* 1. *litt. E.* vetera Sacramenta dumtaxat promittebant gratiam; non erant ergo efficacia, uti revera extitissent, si a Christi passione praevisa eam mutuata fuissent. Si autem passio dat efficaciam ut exhibita; igitur Baptismus et Eucharistia non habuerunt efficaciam ex Christi passione, quandoquidem fuerunt instituta priusquam pateretur.

3. PRAETEREA. Si a Christi passione Sacramenta traherent efficaciam, aut ab illa tamquam a causa principali, aut veluti a causa meritoria. Primum dici non potest; quia illa non est causa principalis Sacramenti, quae non potest esse causa principalis effectus significati per Sacramentum: eius autem effectus causa est solus Deus creans gratiam. Neque secundum sustineri potest; quia respectu gratiae nulla est causa meritoria: *Si enim est ex meritis, iam non ex gratia.* Ad Roman., 9.

4. PRAETEREA. Si ab aliqua passione Sacramenta haberent efficaciam, hoc maxime esset a laterali vulnere Salvatoris, iuxta Augustinum, 15. *De Civit.*, cap. 26, ubi loquens de Arca Noe dicit: *Ostium in latere arcae, profecto illud est vulnus, quando latus Crucifixi perforatum est lancea. Hoc quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Sed ab illo vulnere non potest aliquod Sacramentum habere efficaciam; quia illud vulnus fuit inflictum corpori iam mortuo, ut patet Ioann. 19. *Ad Iesum autem cum venissent et vidissent iam mortuum, etc.* Corpus autem Christi post mortem non erat causa meritoria alicuius gratiae.

CONTRA. Augustinus in auctoritate statim citata, et lib. 2. *De nuptiis et concupiscentia,* cap. 27. longo sermone disserit de gratia facta per Christum, eiusque passionem.

RESPONDEO itaque dicendum, Sacramenta habere virtutem et efficaciam ex Christi passione. Etenim Sacramentum habere efficaciam est ipsum habere regulariter effectum significatum concomitanter; ergo ab illo habet efficaciam a quo est, ut effectus regulariter concomitetur. Et quoniam id fieri et contingere potest dupliciter: vel scilicet tamquam a causa principali principaliter causante huius concomitantiam; vel tamquam a causa meritoria, quae nimirum meretur ut sit talis concomitantia; Sacramenta novae Legis a solo Deo habent efficaciam veluti a causa principali; a Christo autem patiente vel a passione Christi habent efficaciam ut a causa meritoria. — *Primum probatur:* quia solus Deus instituit Sacramenta: sed efficacia Sacramenti non potest esse ab alia causa inferiore illa, quae instituit; igitur principalem efficaciam trahunt a solo Deo instituente. — *Rursus,* solus Deus determinat se ad causandum effectum sibi proprium; si enim ab alio determinaretur ad agendum, esset respectu determinantis causa secunda et non prima: sed effectus significati per Sacramenta sunt proprii Deo; ergo solus Deus potest determinare se ad causandum effectus Sacramentorum regulariter concomitantes Sacramenta; et per consequens a sola voluntate divina habeant Sacramenta determinate efficaciam, tamquam a causa principali. — Quod vero a Christi passione tamquam a causa *meritoria* Sacramenta habent efficaciam, *declaratur:* etenim obsequium eo est gratius et acceptius, quo a magis dilecto et grato offertur, pro illo, pro quo offertur, et ad finem consequendum pro quo fit ea oblatio: sed Christus fuit longe gratissimus et acceptissimus Trinitati, quippe cui dedit Deus gratiam et non ad mensuram aliorum Sanctorum; igitur offerendo se in mortem pro satisfactione humanae praevaricationis, et ut electi consequerentur gloriam, ad quam erant praeordinati, meruit ut intuitu talis obsequii acceptissimi, Deus elargiretur gratiam, qua remittuntur peccata, evadimus Deo amici, et assequimur vitam aeternam; igitur fuit Christus vel eius obsequium in passione Deo exhibitum causa meritoria adaequatissima merens Electis gloriam et gratiam; in tantum ut nihil spiritualium charismatum et donorum descendat in filios Adae a Deo, nisi intuitu meritorum Christi, qui ea omnia omnibus meruit. Et nemini unquam ullam gratiam dedisset Deus post primi hominis praevaricationem, et neminem amplius in gratiam et amicitiam recepisset, nisi prius acceptavisset Christi obsequium, quo sumus Deo reconciliati. Id enim fuit ipsi magis acceptum et charum, quam fuerit odiosa et displicens Adae praevaricatio, ut dictum est *q.* 48.-49. *et alibi* frequenter.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, Christi passionem non esse nunc in effectu; sed tamen est in acceptatione divina, quod sufficit ut sit causa meritoria omnis gratiae, quae a Deo digne suscipientibus Sacramenta confertur. Quod et evenire solet etiam in humanis; nam homines frequenter multa conferunt ob merita, non eius cui fit retributio, sed alterius, non in se praesentia, sed in memoria si sint praeterita, vel in opinione si credantur futura

AD SECUNDUM potest dici, omnia Sacramenta novae Legis habere efficaciam a passione Christi ut exhibita, non quidem actu exteriori in effectu repraesentata, sed actu interiori. Ipse enim Christus ab instanti conceptionis suae habuit meritum passionis, pro quanto acceptavit eam obtulitque Patri pro electis; et in illo quidem actu interiori consistit

principalior ratio meriti. Ante autem conceptionem suam non fuit ea passio sic exhibita et accepta Deo, tunc enim erat praecise in praescientia divina, sed non exhibita aliquo actu reali Christi; tametsi ob eius praevisionem numquam deseruerit genus humanum, quin praestiterit remedia necessaria ad salutem. Unde etsi antequam pateretur quaedam instituerit Sacramenta, parem haec efficaciam a Christi passione obtinuerunt, ac si post Christi resurrectionem fuissent instituta. Vel potest dici, Sacramenta novae Legis vivente Christo minorem habuisse efficaciam, quam post exhibitam ac repraesentatam passionem eius; et nihilominus institui oportuisse ab ipso vivente, quia erant instituta non pro tunc, sed in quantum post eius mortem habitura principalem efficaciam.

AD TERTIUM dico, Apostolum aliud non velle nisi quod gratia non habet causam meritoriam de condigno in eo cui confertur, etsi possit habere causam meritoriam de congruo in eodem; at ipsum non negare, imo passim adstruere causam meritoriam extrinsecam de condigno, quae est Christus Filius Dei. Et sane nil frequentius repetit, inculcat, exagerat quam nos esse liberatos et ereptos de diaboli potestate et peccatorum, atque pristinae libertati filiorum Dei redditos, illique reconciliatos fuisse ex meritis passionis Christi.

AD ULTIMUM concedo, Sacramenta non fluxisse ex vulnere inflicto lateri Christi iam mortui, sed in tantum dici specialiter inde fluxisse, quatenus duo ex principalioribus habent quamdam similitudinem expressiorem eorum, quae inde fluxerunt ad sensibilia, in quibus ea instituta sunt: sanguis enim specialius assimilatur speciei sub qua est sanguis in Eucharistia; et aqua specialius assimilatur materiae Baptismi. Qui intellectus potest haberi cap. *In quadam de celebrat. Miss.*, ubi dicitur in illis duobus, scilicet aqua et sanguine, duo maxima Sacramenta redemptionis et regenerationis elucere.

ARTICULUS VI.

UTRUM SACRAMENTA VETERIS LEGIS GRATIAM CAUSARENT.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3. et 6. — *Report. ib. q.* 5.
S. Thom. 3. *p. q.* 62. a. 6.

VIDENTUR Sacramenta veteris Legis non causasse gratiam. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 1.] Augustinus in Psal. *Ut quid Deus repulisti in finem,* loquens de Sacramentis veteris Legis, *Illa,* inquit, *tantum promittebant et significabant, haec autem,* scilicet Sacramenta novae Legis, *dant salutem:* sed promittere et signare gratiam non est ipsam causare; igitur Sacramenta veteris Legis non causabant gratiam.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] Si Sacramenta veteris Legis gratiam suscipientibus contulissent, id profecto ex meritis passionis Christi praevisae habuissent; igitur quo magis aliqua ex illis passioni Christi exprimendae accessissent, eo ampliorem gratiam causassent: sed non conceditur oblationes veteris Legis quae Christi oblationem praefigurabant, gratiam ex opere operato causasse; ergo multo minus id efficere poterant alia quae minus distincte Christi passionem repraesentabant.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 11.] Sacramentum Legis veteris maximum videtur fuisse Circumcisio, per quam originale delebatur: sed ex hoc non conferebatur gratia se illi subicientibus, ut testatur Magister 4. *d.* 1. *litt. K. Ibi enim,* inquiens, *peccata solum dimittebantur, sed nec gratiam ad bene operandum adiutrix vel augmentum ibi praestabatur;* igitur nullum aliud Sacramentum gratiam conferebat.

CONTRA. Per aliquod Sacramentum veteris Legis remittebatur peccatum originale, *ex q. antec. art.* 3.; ergo per ipsum causabatur gratia, quemadmodum quia per Baptismum remittitur originale, per ipsum gratia causatur.

RESPONDEO dicendum, Sacramenta veteris Legis gratiam causasse sicuti Sacramenta novae Legis causant, nimirum ex opere operato, licet non adeo efficaciter. Pro quo intelligendum, Sacramentum [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 10.] uno modo distingui seu dividi sicuti dividitur vox aequivoca in varias significationes, in Sacramentum proprie et improprie dictum; et primum est quod definivimus *q.* 60. *art.* 1. Improprie vero Sacramentum est quicquid institutum est ad cultum divinum, non habens tamen efficaciam contra morbum originalem; uti in lege naturae genuflexiones, inclinationes, et alia huiusmodi, et in Lege Moysi diversa caeremonialia, quae omnia appellari possunt Sacramenta, idest sacra signa, quia instituta ad cultum divinum.

At Sacramentum proprie dictum potest distingui vel dividi ut superius in sua inferiora tripliciter: *primo* quatenus inferiora significant aliud et aliud, ut Eucharistia, Poenitentia, Baptismus, quae est divisio generis in suas species: *secundo,* ratione subiecti ut Baptismus et Circumcisio; licet enim utrumque fuerit institutum contra originale, tamen in alio et alio sensibili sunt instituta, et ita distinguuntur subiecto: *tertio denique,* distingui possunt in ordine ad significatum, ut quia vel expressius significet unum quam aliud, vel maiorem gratiam conferat, ut Sacramentum Baptismi respectu Circumcisionis.

Tunc declaratur conclusio: [*Oxon.* ib.] quia Deus nullo tempore reliquit genus humanum sine remedio necessario ad salutem, maxime illos, quibus ipse legem dedit, ut per eius observantiam pertingerent ad salutem: frustra enim fuisset data talis lex sine remedio, quo mediante salvi esse possent; ergo tempore legis Mosaycae adversus morbum culpae originalis parasse medicinam, sentiendum est: nemo autem potest ad salutem pervenire sine deletione originalis peccati; igitur Sacramentum contra originale institutum debebat gratiam causare, qua illud deleretur. Nam debebat esse signum certum et efficax, hoc est, tale ut per eius applicationem essent certi ex pacto divino collatam fuisse gratiam et deletum originale: sed Sacramenta novae legis, quae dicuntur gratiam causare, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7. n. 2.] non habent amplius quam esse signa certa et efficacia gratiae, quae per eorum applicationem confertur rite illa suscipientibus; igitur et Sacramenta veteris legis pariter causabant gratiam, quamquam minus efficaciter, quia non erat adhuc Christi passio exhibita, ut dictum fuit *articulo praecedenti.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 13.] Augustinum (et si qui alii Patres inveniantur dicere Sacramenta veteris legis gratiam tantum significasse et non contulisse) id de Sacramentis improprie dictis, quorum complura fuerunt in lege veteri, intellexisse.

Concedo ergo huiusmodi Sacramenta large sumpta gratiam ex opere operato non causasse ut signa efficacia eius. Et huius generis quidem extiterunt purgationes illae faciendae secundum legem per aquam expiationis, ut legitur *in Levitico;* et purgatio a lepra et alia id genus plurima. Sed et oblationes hostiarum quae magis accedebant ad perfectionem Sacramentorum, quia pertinebant ad cultum latriae pro tempore, quo voluit Deus sic coli. Haec, inquam, omnia dicebantur caeremoniae et improprie Sacramenta, et ideo, ut dixi, non conferebant nec causabant gratiam ex opere operato; sed nihilominus in illis conferebatur gratia per modum meriti; nam observantes praecepta Dei ex obedientia et charitate merebantur. Quemadmodum qui illis non parebant mandatis demeruisse ac peccasse, certum est.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. d. 3. q. 4. n. 19.] concedo caeremonialia quaeque veteris legis gratiam ex opere operato non causasse, sed dumtaxat per modum meriti, ut dictum est. At nego de Circumcisione esse parem rationem; cum enim hanc instituerit Deus ut esset proprie Sacramentum, in quo originalis culpa deleretur, minime ea culpa deleri potuisset secundum Dei potentiam ordinatam, nisi gratiam ex opere operato contulisset.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 11.] Magistrum *ibi* comparare Circumcisionem Baptismo; quoniam ergo respective ad Baptismum parvam gratiam conferebat, ut declaratum fuit *art. praec.,* ideo negasse gratiam causare, idest, tantam quanta in Baptismi collatione confertur. Sed de Circumcisione videnda *quaest.* 70. *infra.*

QUAESTIO SEXAGESIMATERTIA.

DE EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER. IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de alio effectu Sacramentorum, qui est Character.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum ex Sacramentis causetur character aliquis in anima. - 2. Quid sit ille character. - 3. Cuius sit character. - 4. In quo sit sicut in subiecto. - 5. Utrum insit indelebiliter. - 6. Utrum omnia Sacramenta imprimant characterem.

ARTICULUS I.

UTRUM SACRAMENTUM IMPRIMAT ALIQUEM CHARACTEREM IN ANIMA (1).

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 9. — *Report. ib. q.* 8. *S.* — *Thom.* 3. *p. q.* 63. *a.* 1.

VIDETUR Sacramentum non imprimere characterem in anima. Nam [*Report.* 4. d. 6. q. 8. n. 6. — *Oxon.* ib. d. 6. q. 9. n. 9.] nihil frustra

(1) Videndae commentationes Magistri Hyquaei super hanc quaestionem dilucide ac exacte declarantis mentem Magistri Scoti, ac ostendentis vane ac perperam a quibusdam traduci tamquam nutaverit in hoc quaesito, ac temeriter senserit de charactere. *Contra* Hyquaeus ostendit Scotum prae omnibus Scholasticis veritatem characteris declarasse atque reposuisse inter fidei dogmata ob Ecclesiae auctoritatem, cum hac circumscripta non constet ex Scriptura et Patribus de hac veritate, cum illorum dicta possint commode in alium sensum interpretari. Sed accedente Ecclesiae declaratione constat de charactere uti de catholica veritate.

est ponendum in operibus Dei et naturae, quia Deus et natura nihil faciunt frustra: sed character iuxta intellectum Theologorum, si ponatur frustra esset; ergo non est talis character adstruendus. *Probatio minoris:* [*Report.* ib. n. 7. — *Oxon.* loc. cit.] nam si aliqua ratione cogeremur hunc concedere characterem, maxime ut foret dispositio ad gratiam: aut igitur ex parte suscipientis, aut ex parte agentis: non ex parte suscipientis, quia anima non habens actuale peccatum, est summe disposita ad gratiam suscipiendam: nec ex parte agentis, quia cum agens sit infinitae virtutis, nullam exigit antecedentem dispositionem pro gratiae infusione. — *Et si dicatur,* requiri characterem tamquam dispositionem permanentem ad gratiam inducendam; quandoquidem [*Report.* ib. n. 6.] enim fieri possit ut quis ficte recipiat Sacramentum, ut Baptismum, tunc utique effectum eius, scilicet gratiam, non recipit, sed quia potest eam recipere postea si poeniteat de fictione, opus est ut in ipsum inductus prius sit character, ut dispositio praevia et permanens. *Verum hac* responsione non infringitur factum argumentum; nam aut pro illo posteriori quando recipit effectum ultimum Baptismi, scilicet gratiam, character requiritur, ut dispositio ex parte suscipientis, aut ex parte agentis: neque unum neque alterum, ut argutum est; ergo stat ratio, atque ita superflue omnino poneretur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 4.] Quando benedicitur aqua vel vestis sacerdotalis aut dedicatur Ecclesia vel consecratur Calix, nulla talis forma imprimitur; quia nec formaliter illa per gratiam sanctificantur: sed recipiens Sacramentum non recipit necessario sanctitatem; ergo nec characterem aliquem inducunt in animam suscipientium illa.

CONTRA. Non repugnat ipsi animae ea forma quae dicitur character; nec pariter est aliqua repugnantia ex parte agentis imprimentis illum; ergo quandoquidem ab omnibus ponitur, irrationabiliter reiiceretur.

RESPONDEO, sentiendum et fatendum esse Sacramentum aliquid vocabulo *characteris* indigitatum (de re autem postea) animae impressum relinquere. Sed prius videndum quid nomine *characteris* a Theologis intelligatur. Character igitur [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 2.] transferendo verbum ex verbo, idem significat, quod figura, uti accipitur *ad Hebraeos,* 1.; nam ubi nos habemus *figura substantiae,* ponitur *character* in Graeco; et hoc sensu appellamus characteres figuras quibus litterae scribuntur. Et in incantationibus vocantur characteres quaedam figurae protractae. Sic quoque accipitur in *Apocalypsi,* cap. 13. 14. 16. et 19. character Bestiae, figura in fronte, vel in manu, quae significat ipsam pertinere ad familiam Bestiae. Sed generalius accipitur *character* pro signo; et hoc pacto Baptismus potest dici character, quia signum quoddam est. Forma denique verborum in Sacramento potest appellari character, sicut dicit Magister Sent. 4. *d.* 6. *cap.* 1.

Caeterum Theologi [*Oxon.* ib. n. 3.] per characterem universim intelligunt quoddam spirituale donum impressum a Deo in anima suscipientis Sacramentum non iterabile. Ex qua nominis ratione deducuntur aliquae proprietates characteris: quorum una est sibi communis cum aliis formis, scilicet quod sit forma assimilativa alii habenti ipsam, et distinctiva a non habente. Sequuntur etiam aliae speciales proprietates, quarum prima est quod sit signum rememoratlvum Sacramenti suscepti;

secunda convenit ei esse signum conformativum Christo, cuius Sacramentum suscipitur, et etiam obligatorium ei, eo pacto quo suscipiens Sacramentum obligatur per eius susceptionem.

Ex quibus [*Oxon.* ib.] statim infertur, characterem non esse gratiam, aut aliquam ex virtutibus Theologicis; quia tales virtutes non semper conferuntur Sacramentum suscipientibus, uti imprimitur character ei, qui initiatur Ordine etiam ficte; et quia etiam ponitur character esse indelebilis, cuiusmodi non sunt virtutes, quae possunt per peccata deperdi, sequitur characterem esse aliud quid a gratia et virtutibus.

Tunc declaratur resolutio: [*Oxon.* ib. n. 14.] quia *De Haereticis C. Ad abolendam:* sentiendum est de Sacramentis Ecclesiae sicut sentit Romana Ecclesia: sed Romana Ecclesia videtur sentire characterem imprimi in anima per susceptionem Baptismi, sicut dicit Innocentius III. *De Baptismo et eius effectibus,* cap. *Maiores: Qui ficte accedit ad Baptismum characterem suscipit christianitatis impressum;* et ibidem in fine; *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio cum obicem voluntatis contrariae invenit obsistentem;* licet enim prima auctoritas posset exponi et accipi *character christianitatis* pro ipso Baptismo, secunda tamen, qua dicitur sacramentalis operatio imprimere characterem, videtur loqui de ipso charactere in sensu Theologorum ponentium ipsum esse quamdam formam spiritualem impressam in anima. Etsi ergo non possit probari ratione esse ponendum, ob Ecclesiae nihilominus auctoritatem debemus admittere et sentire Sacramentum aliquod imprimere characterem in anima. — Et ad hoc etiam est *congrueutia* talis: [*Oxon.* ib. n. 15.] quia congruit receptum in familiam Christi distingui a non recepto per aliquod intrinsecum sibi; quia licet Christus posset distinguere sine tali intrinseco, tamen perfectior est ea distinctio, et in se et in comparatione ad totam Ecclesiam, militantem scilicet et triumphantem, si fiat per aliquam formam intrinsecam manentem, quam si non ita fiat: tale autem distinctivum in eo qui suscipit Sacramentum ab illo qui non suscipit, et quo intratur in familiam Christi, ponitur et intelligitur character.

Ad Argumenta. Ad primum dico sic: [*Oxon.* ib. n. 17.] licet Deus de potentia absoluta posset causare et infundere gratiam in animam suscipientis Sacramentum, et etiam omnes alios effectus proprios characteri attributos, sine huiusmodi forma, quae dicitur *character,* tamen de potentia ordinata, idest iuxta leges a divina sapientia de facto constitutas, ipse non posset gratiam infundere suscipienti Sacramentum, aut alios effectus formales characteris tribuere sine ipso. — *Et cum arguitur:* aut est dispositio ex parte agentis, aut ex parte passi; *respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 18.] non agentis, quasi character sit quoddam agens medium inter primum agens et passum, nam characteri attribuere aliquam causalitatem respectu gratiae non videtur probabile; sed dico Deum assistere illi tamquam signo invisibili ad causandam gratiam, quam signat, recedente impedimento. Est ergo dispositio ex parte receptivi, quia est forma prior, sine qua non recipitur forma posterior, non quidem quasi sit ratio susceptivi respectu posterioris, sed quia prius insit quam posterior, non simpliciter necessario, sed necessario comparando ad potentiam ordinatam agentis causantis utramque formam.

Ad secundum dico: [*Oxon.* ib. n. 16. seqq.] cum consecrantur quae

in argumento enumerantur, non recipere formam inhaerentem ipsis, quia non sunt capacia; at hominem esse capacem et gratiae et dispositionis ad ipsam; hinc cum ob proprium impedimentum gratiam non recipit, ipsam nihilominus dispositionem recipere, quae dispositio est ipse character. — *Si dicas:* cum homo non recipit sanctitatem formalem, non distinguitur ab aliis sanctificatis, quae eam recipere non possunt; ergo tunc neque recipit dispositionem; *dico:* quamvis homo non distinguatur ab aliis sanctificatis per hoc quod est *non recipere sanctitatem formalem,* distinguitur tamen ab illis per hoc, quod est capax et sanctitatis formaliter, et etiam dispositionis ad ipsam; alia vero sub ipso non sunt capacia; et ideo licet ob contrariam dispositionem gratiae non fiat compos, recipit tamen dispositionem, cuius est capax, qua capacitate, seu potentia destituuntur inanima quaeque, quamvis *consecrari, benedici,* aut *dedicari* pro ritibus et more Ecclesiae catholicae recte dicantur.

ITERUM ARTICULUS I.

UTRUM SACRAMENTUM IMPRIMAT ALIQUEM CHARACTEREM IN ANIMA.

Doctor et S. Thomas loc. citatis art. praecedenti.

VIDETUR Sacramentum non imprimere characterem in anima. Siquidem [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 4.] in iis quae pertinent ad Sacramenta nihil est ponendum nisi sit expressum in sancta Scriptura, vel ex fide catholica teneatur, vel explicite ex dictis Sanctorum habeatur: sed de charactere animae impresso per Sacramentorum susceptionem, nihil habetur in divina Scriptura, nec ex fidei articulis qui de Sacramentis sunt id potest colligi; nec denique Sancti videntur hoc tradidisse, ut intelligunt Theologi de hoc charactere disserentes; ergo non est ponendus. *Minor* quoad duo priora membra patet. *Probatur quoad tertium;* quia Augustinus [ib. n. 8.] qui tot tantaque volumina *de Baptismo* conscripsit, et contra Donatistas *de Unico Baptismo,* et frequenter de eodem *super Ioannem,* nusquam meminit *characteris* prout de eo loquimur, haud sane praeteriturus de hoc sermonem instituere post tantam rei discussionem, si character esset immediatius et necessarius effectus Baptismi; nec videtur novisse aut posuisse de Baptismo nisi Sacramentum, hoc est, aliquod visibile extra, et rem Sacramenti, gratiam scilicet; nec aliquando invenitur dixisse fictum recipere aliquam rem Sacramenti, ut aiunt, et ponunt Theologi de charactere. — *Respondetur,* quamquam characterem expresse non posuerit Augustinus, de eo tamen fuisse loquutos alios Sanctos, nempe Dionysium, 2. *De Ecclesiast. Hierarch. et Damasc.,* lib. 4. c. 1. — *Contra* [*Oxon.* ib. n. 5. seqq.] Dionysius eo loci non loquitur de charactere secundum hanc significationem, sed de quadam solemnitate, seu caeremonia quae in Ecclesia Graeca fieri consueverat, circa noviter baptizatos; nam prius ducebantur ad Hierarcham, qui divino lumine ipsum antequam baptizaretur consignabat: ea autem, ut innuimus, fiebant longe ante Baptismi susceptionem; non loquitur ergo de charactere, qui ponitur imprimi ipso

in Baptismate. Sed nec Damasceni auctoritas est ad rem, quia ibi expresse loquitur de signo crucis, ut ipsum consulenti patere potest.

2. PRAETEREA. Ad quid ponitur character in ficte recipiente Baptismum? Opinantur poni ad hoc, ut Deus assistat Baptizato, recedente fictione, ad causandum effectum Baptismi. — *Contra,* [*Oxon* ib. n. 9.] perinde posset Deus sine eo signo assistere Sacramento ab se instituto ad causandum effectum eius sicuti cum illo; igitur ad hoc frustra ponitur. — *Confirmatur,* nam effectus Baptismi non datur habenti characterem nisi vere poeniteat: sed per veram poenitentiam gratia daretur, etiamsi nullus sit character impressus; ergo ob gratiam frustra ille ponitur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 10.] Arguo ex iis quae characteri attribuuntur, nempe, quod sit quaedam forma assimilativa et configurativa; nam baptizatus absque ulla forma sibi inhaerente posset assimilari baptizato, et distingui a non baptizato, sicuti professus in Religione assimilatur alteri pariter professo, et distinguitur a non professo, per solum actum profitendi, qui praeteriit, et non per formam manentem in ipso. Pariter qui praestitit homagium regi obligatur ei ad fidelitatem servandam, et ita ad quamdam configurationem, non per aliquod sibi inhaerens; ergo pariter qui Baptismum suscipit, obligatur Christo eique quodammodo configuratur, non per characterem sibi inhaerentem, sed per obligationem contractam in Sacramenti susceptione.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quoad id quod dicunt characterem esse signum rememorativum arguitur contra: quia vel esset tale signum respectu Dei, et patet quod non oportet ipsum ponere, quia sine quocumque signo potest Deus cognoscere baptizatum a non baptizato; vel esset respectu proximi, et tunc vel in gloria, vel in inferno: neutrum potest dari; quia maior gloria est habuisse charitatem, et maior confusio excidisse ab illa quam habuisse characterem; accedit quod Christus et B. Virgo plane tali gloria carerent, quia non habuerunt huiusmodi characteres, vel non omnes.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 11.] Non videtur probabile Deum largiri alteri sua dona, qui non solum est in peccato, sed etiam in actu suscipiendi donum, peccat: sed ponentes characterem dicunt fieri posse ut ipsum recipiant, dum actu peccant, ut qui ficte suscipiunt Baptismum; ergo minus probabilis videtur esse haec Theologorum sententia.

6. DENIQUE. [*Oxon.* ib.] Omne donum Dei aut est gratis datum, aut est gratum faciens: character non est donum gratum faciens, quia stat cum peccato: nec gratis datum, quia huiusmodi dantur propter bonum Ecclesiae: ex charactere nullus effectus utilis Ecclesiae sequitur; igitur non est admittendus.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 13.] Non repugnat ipsi animae habere formam sibi impressam, qualis ponitur character; et per consequens nec repugnat Deum illum imprimere; ergo quandoquidem ita videtur sentire Ecclesia, ponendum est de facto imprimi in quorumdam Sacramentorum susceptione.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 18.] quamquam probari non possit aliqua ratione naturali, in susceptione Sacramentorum imprimi characterem in anima, neque in universali, ut propter finem eius, neque *propter quid.* neque etiam in particulari per experimentum alicuius actus, seu per conditiones eius manifestantes ipsum inesse agenti percipienti actum

suum; quemadmodum nec probari potest inesse gratiam aut virtutes theologicas; et rursus neque possit probari ex iis quae sunt explicite de substantia fidei, ut ex contentis in Scriptura, vel ex iis quae per Sanctos evidenter sunt elicita ex creditis; nihilominus [*Oxon.* ib. n. 17.] tenendum esse imprimi animae, quia Ecclesia Romana id sentit, dicente Augustino *de moribus Manichaeorum: Evangelio non crederem nisi crederem Ecclesiae.* In Romana quippe Ecclesia [*Oxon.*ib.n.14.] esse veram sententiam et sinceram doctrinam de Christi Sacramentis est definitum de fide *Extra de Haereticis* cap. *ad abolendam.* Cum igitur Ecclesia characterem ponat, ut visum est *art. praec.* per eius sententiam declarantur dicta Sanctorum, quae alioquin in se ipsis non videbantur diserte et explicite praeseferre hanc sententiam; etenim potuissent uno aut altero modo explicari, et non secundum intentionem Theologorum Scholasticorum ponentium characterem, tamquam formam spiritualem animae impressam in susceptione Sacramentorum non iterabilium. — Et *potest* huic resolutioni *addi haec congruentia:* [*Oxon.* ib. n. 15.] nam congruum est ad formam perfectam poni aliquam dispositionem: sed gratia est forma supernaturalis et perfecta: ergo congruit ad eam esse dispositionem praeviam supernaturalem; huiusmodi dispositio est character.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 17.] patet ex dictis: quia etsi Ecclesiae Doctores non posuerint expresse characterem, ut de eo loquuti sunt posteriores Doctores et Theologi, ex eo tamen quod Ecclesia Romana eum admittat ac decernat ita esse sentiendum, una declaravit sententias super hac re antiquorum Doctorum; qui etiamsi aliter sensissent, vel etiam negassent, sufficit tamen Ecclesiae auctoritas, a qua declarata fuit.

Ad secundum dico, [*Oxon.* ib. n. 17.] Baptismum non esse habiturum effectum suum, qui est plena absolutio a culpa et a poena, nisi character inesset, cui Deus assistit ad illum effectum causandum. Non nego tamen, Deum de potentia absoluta posse causare gratiam in anima sine illa dispositione praevia, quae est character; sed tamen de potentia ordinata aliter facere disposuit.

Ad tertium, [*Oxon.* ib. n. 18.] concedo, absolute loquendo assimilationem et distinctionem posse esse per actum transeuntem susceptionis Sacramentorum; sed tamen negari non posse, quin ea perfectius et magis congrue habeantur per aliquam formam impressam initiato, post actum transeuntem. Ita quoque ad illud de obligatione; nam si Princeps cui praestatur homagium vel Praelatus recipiens ad professionem possent imprimere aliquam formam permanentem in obligato, id profecto facerent, ut esset signum permanens post actus transeuntes. At Deus id potest, ideo et reipsa efficere in quorumdam Sacramentorum susceptione sentiendum est, iusta declarationem Ecclesiae.

Ad quartum [*Oxon.* ib. n. 19.] de signo rememorativo, dico, ponendum esse tum respectu Dei, tum respectu proximi, et in gloria et in inferno; Etsi enim Deus possit cognoscere sine tali signo, potest tamen etiam cognoscere cum signo. Beati etiam et damnati possunt nosse signatum, quam non nossent non signatum. Est ergo character et ad maiorem gloriam et maiorem damnationem. — *Et cum additur* de Christo et B. Virgine in quibus non fuerunt ii characteres; *dico,* quemadmodum in natura creata sunt aliquae perfectiones supplentes imperfectionem,

ita characterem esse unum de illis, atque ita competere eos nequire omnino perfecto, vel illi personae in qua est aliqua perfectio maior quam sit ista, uti est in B. Virgine, quae cum praeelecta fuerit ut esset Dei Mater, non potuit habere ordinis characterem, quia non congruebat sexui femineo tenere illum gradum in Ecclesia, tamen ipsa absolute obtinuit longe excellentiorem perfectionem.

AD QUINTUM [*Oxon.* ib. n. 20.] de peccante mortaliter, cui non videtur probabile, Deum largiri donum suum, dico id fieri a Deo in ficta susceptione Sacramenti Baptismatis, quia non vult Sacramentum suum, quod vere ab eo suscipitur, esse vanum, et vult in tali aliquem effectum causare, non ultimum quidem, quia indispositus est; sed non ultimum et dispositivum, cui semper paratus est assistere ad causandam gratiam Sacramentalem, cessante fictione.

AD ULTIMUM [*Oxon.* ib.] concedo, characterem esse donum pertinens ad bonum suscipientis, non autem Ecclesiae. — *Si dicas,* qui fieri ergo potest ut conferatur sine aliis donis perficientibus talem personam? *Respondeo,* in actionibus specialibus circa personas speciales Deum non infundere unum donum sine alio, quia quando sanat, perfecte sanat. At loquendo de actionibus generalibus concomitantibus remedia generalia constituta pro toto genere humano, cuiusmodi sunt Sacramenta, in his, inquam, remediis generalibus conferendis, quia non congruit, nec vult esse omnino vacua et inania, si quandoque ex indispositione suscipientis non dat gratiam, saltem conferre praevium effectum.

ARTICULUS II.

UTRUM CHARACTER SIT SPIRITUALIS POTESTAS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 10. — *Report. ib. q.* 6.
S. Thom. 3. *p. q.* 63. *a.* 2. *et* — 4. *d.* 4. *q.* 1.

VIDETUR character esse spiritualis potestas et forma absoluta. Quia [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 2.] mutatio non est nisi ad formam absolutam ex 5. *Phys.,* text. com. 10.: sed ad characterem est mutatio; patet in ficto baptizato, qui nihil novum accipit in Baptismo, nisi characterem; ergo est forma absoluta.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Relatio nequit esse fundamentum relationis, quia tunc esset processus in infinitum: sed character est fundamentum multarum relationum; est enim fundamentum similitudinis cum alio habente eumdem characterem, et etiam fundamentum illius relationis quam importat signum; est enim character signum rememorativum Sacramenti suscepti; et denique est fundamentum configurationis sive obligationis ad Christum; igitur oportet esse quid absolutum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Relatio non est aliqua potestas, neque activa neque passiva, quia neque principium agendi, neque patiendi: sed character est aliqua potestas; character enim Baptismi est potentia passiva, per quam homo est capax aliorum Sacramentorum, sicuti character ordinis est activa potestas ad multos sacros actus in Ecclesia; igitur ipse est forma absoluta.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] In quolibet Sacramento causatur ali-

qua relatio ad actionem vel passionem in anima suscipientis Sacramentum: et tamen non in quolibet imprimitur character; ergo character non est talis relatio, sed forma absoluta.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 3.] Ponentes Characterem esse spiritualem potestatem et formam absolutam, definiunt ipsum per hoc, quod sit *signum communionis fidei, et sanctae ordinationis datum a Hierarcha;* vel quod *sit signum communionis divinorum, et sacrae ordinationis fidelium;* adeo ut signum ponatur in eius definitione ut genus; igitur nequit esse character forma absoluta. *Probatio:* ad quidditatem formae absolutae non pertinet essentialiter aliquis respectus; quia tunc ea quidditas esset ad se et non ad se. Nec potest dici, relationem poni ipsa in definitione tamquam genus, non esse tamen genus, quia hoc pacto ponitur subiectum in definitione accidentis: at relatio non potest esse subiectum absoluti, nec eius ratio receptiva; igitur character non est forma absoluta.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 8.] potest dici, characterem esse spiritualem potestatem, absque eo quod sit forma absoluta, sed tantum respectus extrinsecus adveniens ipsi animae, causatus a Deo immediate in susceptione Sacramenti non iterabilis; nam quemadmodum [*Oxon.* ib. n. 3.] non sunt ponenda plura sine necessitate, ita quando aliquid ponitur praecise propter aliquid, non est illud ponendum perfectius, quam exigat illud, gratia cuius ponitur; alioquin enim illa perfectio ulterior, quae poneretur, frustra poneretur: sed propter illa omnia, ob quae ponitur character, non oportet ponere ipsum esse formam absolutam; quod enim character sit *forma assimilativa* et *distinctiva* et *conformativa Christo,* et quod sit *praevia dispositio ad gratiam,* haec omnia salvari possunt ponendo ipsum esse respectum extrinsecus advenientem; igitur non oportet ponere ipsum esse formam absolutam.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 4.] *assumptum* esse falsum, quia, ut dictum est *q. Prooemiali articulo incidenti, qui est ultimus,* ad relationem potest esse mutatio. Et Philosoph. revera, 5. *Phys.,* licet neget motum esse *ad aliquid,* prout ad genus relationis pertinent relationes intrinsecus advenientes; concedit tamen motum vel mutationem esse *ad aliquid* extrinsecus adveniens, sicut etiam concedit in genere *ubi* esse motum proprie, et tamen *ubi* non est nisi respectus quidam corporis circumscribentis ad locatum, vel locati ad corpus circumscribens. Character autem poneretur respectus extrinsecus adveniens.

AD SECUNDUM, [*Oxon.* ib. n. 5.] *maior* est manifeste falsa; quia secundum Euclidem, 5. *Elem., Proportionalitas est similitudo duarum proportionum,* adeoque super proportionem, quae dicit formaliter relationem, vel super unitatem eius fundatur respectus similitudinis. Neque obstat quod similitudo est unitas in qualitate ex 5. *Met.,* quia etsi *quid* approprietur substantiae, et *aequale* quantitati, et *simile* qualitati, tamen in omni genere accipiendo rem illius generis praecisissime, invenitur *quid* et *quale,* intelligendo formam in ratione formae, et etiam *quantitas virtualis;* adeoque in omni genere est idem *simile* et *aequale.* - *Et cum probatur* de processu in infinitum; [*Oxon.* ib. n. 6.] *negandum est* de realibus relationibus; quia sicuti in absolutis accidentibus aliquid est ita ultimum, quod non potest esse ulterius subiectum alterius, ita in respectivis est status ad illam relationem, quae seipsa refertur, et non per

aliam in se fundatam. Tamen in respectibus rationis potest esse processus in infinitum. Si ergo character esset relatio, posset fundare respectum similitudinis. Fundaret etiam relationem signi, sicut signum definitur ab Augustino, quod nempe *faciat in cognitionem alterius devenire.* Et ita ex eius characteris cognitione posset quis devenire in cognitionem fundamenti, ut prioris. Et esset quoque signum rememorativum actus praeteriti, ut si quis videret paternitatem in suo fundamento, recordaretur generationis praeteritae, atque ita super relationem realem fundaretur relatio signi, quae duceret in cognitionem alterius, scilicet fundamenti non tamquam obiectum motivum, quo pacto cognoscitur relatio per extrema, sed veluti obiectum terminativum, et ex ratione cognita, quo modo relatio potest esse ratio cognoscendi suum fundamentum et terminum. — *Quod addebatur* [*Oxon.* ib. n. 6.] de ratione configurationis sive obligationis, *non cogit;* nam Religiosus per votum, et iurans homagium Principi obligantur religioni et domino; et tamen non per aliquam formam absolutam super quam fundetur obligatio: et ita si poneretur character relatio realis, optime salvaretur ratio obligationis; sicuti filiatio realis in filio potest esse fundamentum obligationis ad obsequium et dilectionem patris.

Ad tertium dico, [*Oxon.* ib. n. 7.] si accipiatur potestas simpliciter in *maiori,* pro potentia scilicet ad aliquem actum, qui sine illa non possit haberi, *nego minorem,* nempe characterem esse huiusmodi potestatem. Nam baptizatus in nullum actum simpliciter potest, in quem non possit non baptizatus, sive active sive passive, ut patet. Quod si accipiatur potestas non simpliciter, sed ministerialis, per quam nimirum aliquis sit conveniens minister alicuius principalis agentis, sine qua talis non esset; tunc dico ad *minorem,* non oportere talem potestatem esse formam absolutam, imo sufficere in multis respectum rationis; nam secundum ponentes esse quid absolutum, Episcopatus non est ordo ultra Sacerdotium, et tamen Episcopus habet hanc potestatem ministerialem, cui Deus assistit, quam non habet is, qui non est Episcopus; nec propterea in Episcopo est aliquid absolutum novum, quia non habet novum Ordinem, nec subinde characterem; sed tantum habet novam relationem ad novum gradum in Ecclesia, per quam specialius et excellentius Deo configuratur, ac fuerit prius. Pariter constitutus Iudex, si ferat sententiam, rata est, quae nulla fuisset lata a non iudice; et tamen non est ea potestas aliqua forma absoluta realis, nec fortasse relativa, nisi rationis. Igitur multo fortius si poneretur talis potestas relatio realis, habens eam, posset esse competens minister respectu executionis alicuius actus, in quem non posset carens potestate; et ita filius potest habere auctoritatem exequendi aliquem actum in paterna domo, quam non habet is, qui est nepos, vel non filius. Ex ratione igitur potestatis non apparet ulla necessitas ponendi characterem esse formam absolutam, quatenus intelligitur activa; sed neque ut ponitur passiva, quia ut talis non est receptiva aut ratio recipiendi, qua caret non baptizatus, sed est potestas quaedam de congruo ordinata a principali agente, disponente agere in passum habens talem formam, et non in aliud passum. Talis autem potentia passiva de congruo respectu agentis principalius voluntarie potest esse sola relatio, sicuti institutio passiva in iudicem est congrua dispositio ut Princeps ei assistat, suam ratificando sententiam, quod non faceret si iudiciariam ab eo potestatem non accepisset.

ULTIMA RATIO [*Oxon.* ib. n. 9.] manifeste contradicit primae; nam si in aliis Sacramentis causatur relatio nova ad actionem vel passionem Sacramenti, et non character; ergo est ibi relatio nova sine absoluto novo. — *Et si dicas,* in aliis esse ornatum quemdam animae correspondentem characteri; *quare ergo* non est ille ornatus indelebilis ut character, cum forma supernaturalis sit non habens causam demeritoriam? Et si est prior ipsa gratia, cur cessante fictione in aliquo casu, non habet effectum suum, ut habet character? *Dico ergo,* ea ratione tantum probari characterem non esse quamlibet relationem ad actionem et passionem Sacramenti, sicuti si esset forma absoluta non esset quaecumque talis, praesertim secundum ponentes in aliis Sacramentis ornatum in anima characteri correspondentem. In aliis igitur Sacramentis sequeretur aliqua relatio transiens et non manens; et character si est relatio manet, etiam post susceptionem Baptismi, et aliorum characterem imprimentium.

ITERUM ARTICULUS II.

UTRUM CHARACTER SIT SPIRITUALIS POTESTAS.

Doctor et S. Thom. locis citatis articulo secundo.

VIDETUR character non esse spiritualis potestas quatenus esse putatur forma quaedam absoluta spiritualis. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 1.] iuxta Philosophum, 2. *Eth.,* cap. 5. tria sunt in anima: potentia, passio, et habitus: character non est potentia, ut patet, cum non sit naturaliter in ipsa anima: nec passio, quia est forma permanens: nec habitus: habitus enim est secundum quem habens ipsum potest bene vel male operari: character autem non est principium alicuius operationis malae vel bonae: non bonae, quia potest stare cum peccato mortali; neque malae, cum ipse sit donum Dei et effectus Sacramenti; ergo si divisio Philosophi sufficienter enumerat formas absolutas in anima, character non est forma absoluta.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si character esset forma absoluta, certe non foret nisi qualitas; substantia enim esse non posset, cum adveniat post omne esse completum substantiale; nec quantitas, quia ponitur forma spiritualis et incorporea: sed nec est qualitas; nam non apparet quae qualitas esse queat, ut videtur enumerando omnes species qualitatis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Forma quaelibet absoluta, quae non est quantitas, habet aliquam operationem propriam: sed character nullam habet propriam operationem; nam quaecumque illi attribuuntur, non sunt a principio effectivo, sed magis a formali; igitur ipse character non est aliqua forma absoluta.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Character est dispositio ad gratiam: sed gratia est forma absoluta; ergo et ista forma quae est dispositio ad eam erit absoluta. Dispositio enim propria videtur esse eiusdem generis cum forma, ad quam disponit. — *Rursum,* character est principium assimilandi baptizatum Christo, vel alteri baptizato: sed similitudo est unitas fundata in qualitate; ergo character est qualitas.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 13.] sustineri posse, characterem esse formam absolutam; et sustineri posse, esse pariter formam respectivam. Sicut enim non potest probari ratione ulla naturali imprimi characterem in quibusdam Sacramentis, sed id ita esse tenetur auctoritate Ecclesiae Romanae, docentis characterem imprimi in susceptione Sacramentorum, ita nec potest ostendi nec improbari evidenter esse formam absolutam, vel respectivam; utrumque igitur potest probabiliter defendi, quia neutrum potest evidenter ostendi esse falsum. — *Ulterius, character est forma spiritualis impressa a Deo suscipientibus Sacramenta non iterabilia.* Cui attribuitur quod ex institutione divina efficaciter significet gratiam illius Sacramenti per modum dispositionis, ut forma prior et imperfectior; et quod sit indelebilis ab anima, propterea quod non habeat causam demeritoriam, ut gratia et virtutes; et quod sit signum rememorativum iam suscepti Sacramenti; et signum configurativum Christo, signans obligationem suscipientis in ordine ad Christum; et quod denique sit forma assimilativa alteri suscipienti Sacramentum, et distinctiva ab alio, qui non suscepit. Sed seu ponatur character forma respectiva, seu absoluta, haec omnia salvari possunt; igitur utrumque potest probabiliter sustineri. Et quidem quod eas proprietates characteri conveniant si poneretur respectus realis extrinsecus adveniens, dictum fuit *superiori articulo secundo,* sicut etiam eaedem illi attribuuntur ab omnibus, qui arbitrantur eum esse formam absolutam. — Caeterum ponendo ipsum esse formam absolutam, manifestum est non posse esse quantitatem, cum sit forma spiritualis simplex animae intellectivae impressa: sed nec poni potest substantia, nam substantiae habenti ultimum suum complementum advenit; erit igitur qualitas quaedam spiritualis, sed quae? dicetur postea.

AD ARGUMENTA adducta pro utraque parte respondeo AD PRIMUM, [*Oxon.* ib. n. 16. et 17.] si ponatur character forma absoluta, dico ipsum esse habitum. *Et cum arguitur contra:* quia habitu possumus bene vel male operari, quod non praestat character; *dico,* id esse verum de habitu acquisito, non de infuso, cuiusmodi est character, ut dicetur *articulo 2. incidenti.* Tamen habitus appellatur character, quia est immobilis et indelebilis ab anima: esse autem difficile mobile habitus conditio est. Ipse praeterea inclinat ad bene agendum, non immediate, ut principium formale elicitivum proximum, sed ut habitus remotus. Ex quibus patet responsio AD SECUNDUM; iuxta hoc enim character spectat ad primam speciem qualitatis.

AD TERTIUM [*Oxon.* ib.] de propria operatione dico, *assumptum* esse falsum; quia quantitas non est activa, et tamen est forma absoluta. Sed quia hoc ipsum in argumento praecluditur, *respondeo sic:* forma absoluta de genere qualitatis, vel est principium operationis immediate, vel est dispositio ad formam, quae est principium proximum et immediatum operationis; et character est talis dispositio, et ideo qualitas de prima specie; disponit enim ad gratiam ut signum proximum, cuius non est ex natura sua, sed ex institutione divina, quia Deus disposuit assistere semper suo signo, ut sit verum, quantum est ex parte sua, et habeat secum suum signatum.

AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 17.] *alterius partis* dico, posse respectum realem disponere ad formam absolutam, si sit dispositio respectu agentis

supernaturalis, et non sit ratio receptivi; et huiusmodi est character, per quem habens est convenienter dispositus et aptus ad recipiendam formam, ad quam disponit, ab agente. Talis, inquam, dispositio potest esse relatio respectu agentis cuiuscumque voluntarii. Sicut aliquis voluntarie habet filium pro convenienti obiecto sive passo alicuius actionis, et non habet alium carentem illa relatione filiationis pro convenienti passo, licet aequalis sit in omnibus absolutis filio. — *Ad aliud de similitudine,* [*Oxon.* ib.] dico declaratum fuisse *articulo antecedenti,* qualiter similitudo non tantum fundatur super qualitatem, ut est genus distinctum, sed ut generaliter invenitur in omnibus formis ratio eius: hoc enim modo mentaliter crucifixus potest dici similis Christo Crucifixo corporaliter.

ARTICULUS INCIDENS.

QUODNAM SIT FUNDAMENTUM PROXIMUM CHARACTERIS SI IPSE SIT REALIS RELATIO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 10. — *Report. ib.*

Est hic *opinio dicentium* [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 10.] ipsum actum susceptionis Sacramenti transeuntem in praeteritum esse proximum fundamentum, vel proximam rationem fundandi istam relationem characteris, si poneretur eius ratio in reali relatione. — *Sed haec opinio in proposito non potest sustineri;* quia ratio fundandi, et relatio sunt in eodem subiecto proximo: sed susceptio Sacramenti, et character licet sint in eodem supposito, non tamen in eodem subiecto proximo; susceptio enim baptismi infuit circa corpus, character autem imprimitur in anima. — In universum etiam loquendo, illud dictum non videtur continere veritatem; etenim non ens non potest esse fundamentum vel ratio fundandi aliquam relationem realem, quia nec potest esse terminus; ex eo enim *contradictio* ponitur relatio rationis, et non realis, quia scilicet alterum extremorum est *non ens,* seu *negatio:* sed actus transiens in praeteritum, postquam transiit simpliciter non est; ergo postquam transiit nulla relatio realis fundatur super eum. — *Praeterea,* ad terminum immutabilem super fundamentum omnino immutabile non potest fundari relatio, nisi simpliciter immutabilis, et etiam necessario inhaerens fundamento; ergo si character dicat aliquam relationem ad Deum, qui est simpliciter immutabilis, et fundatur in actu ut praeteritus est, cum actus praeteritus, ut talis, sit simpliciter necessarius, sequitur, hanc relationem realem esse simpliciter immutabilem, etiam loquendo de potentia Dei absoluta. Hoc autem est plane absurdum, quod scilicet sit aliqua relatio realis distincta realiter a suo fundamento, quae ab eo non possit deleri a Deo, sicut posterius a suo priori. Quibus argumentis pariter probatur paternitatem non fundari super *genuisse.* — *Si quaeras,* quodnam est ergo fundamentum paternitatis? *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 11.] fundamentum proximum esse ipsam potentiam generativam, non quidem respectum quem illa potentia formaliter importat, sed ipsum absolutum potentiae, quod a respectu denominatur. — *Et ita a simili*

dico, [*Oxon.* ib.] fundamentum proximum characteris, (si ipse relatio realis sit) esse ipsam animam, (utrum autem essentia sit vel potentia dicetur *infra art.* 4.); nam respectus extrinsecus adveniens potest habere pro fundamento proximo et immediato id, ex cuius principiis illa relatio non egrediatur, nec ipsum aliquo modo exigat eam; quia tunc non esset respectus extrinsecus adveniens; determinatur ergo ad tale fundamentum ab actione agentis. — *Si quaeras,* quomodo characteres diversorum Sacramentorum ad invicem distinguantur? *Respondeo,* [*Ox.* ib. n. 12.] si ipsi essent formae absolutae spirituales, dicerentur distingui seipsis formaliter; ita si ponerentur respectus extrinsecus advenientes, pariter distinguerentur seipsis formaliter; etsi enim possent ab extrinseco distingui extrinsece, tamen formaliter distinguuntur seipsis.

ITERUM ARTICULUS INCIDENS.

QUAENAM SPECIES QUALITATIS SIT CHARACTER?

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 10. — *Report. ib. q.* 9.
S. Thom. 3. *p. q.* 63. *art.* 2. In solut. *et art.* 4. § Ad secundum.

VIDETUR character, esto forma quaedam absoluta ponatur, haud spectare posse ad ullam speciem qualitatis praedicamentalis. Etenim [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 13.] si character sit qualitas, utique qualitas supernaturalis erit; ergo non continetur sub genere qualitatis. *Probatio consequentiae:* secundum Philosophum, 10. *Metaph.,* text. com. 16. *Corruptibile et incorruptibile differunt plus quam secundum genus:* sed naturale et supernaturale differunt plusquam corruptibile et incorruptibile; corruptibile enim et incorruptibile continentur sub uno membro, scilicet sub naturali; ergo naturale et supernaturale plus differunt, quam secundum genus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 14.] Ex his quae characteri attribuuntur aut ponendum est spectare ad omnes species qualitatis, aut ad nullam, si id probabile non videatur. *Sed declaratur:* nam si est principium configurandi; igitur ad quartam speciem qualitatis spectat, quae est forma et figura. Cum autem pariter sit principium assimilandi, in tertia est collocandus specie. Et quia est quaedam potestas; sub hac ratione ad secundam reducetur. Et quoniam denique est dispositio, sub prima specie continebitur. Quatenus vero immobiliter permanens, sub eadem concludere eum oportet, tamquam quidam habitus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Character proprie figura quaedam spiritualis est, per quam ea consignati praeseferunt figuram Christianitatis, et configurantur Christo per characterem eius, sicuti qui Antichristo adhaerebunt in fine mundi, gestabunt characterem, seu figuram illius; sed figura constituit quartam speciem qualitatis; ergo ad hanc proprie character spectabit.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 15.] Probo, hunc characterem reduci non posse ad secundam speciem; nam eam speciem constituunt tantum potentiae naturales, iuxta mentem Philosophi: character autem, si potentia sit, sane non erit naturalis, sed supernaturalis potentia; igitur spectare non potest ad secundam speciem qualitatis.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Probo reduci haud posse ad primam speciem qualitatis seu ad habitum: *tum* quia character est potentia supernaturalis; ergo non habitus. *Probatio consequentiae:* nam potentia naturalis non est habitus naturalis; ergo nec potentia supernaturalis est habitus supernaturalis. *Tum,* quia Character est dispositio ad gratiam; ergo non erit habitus. *Tum* quia omnis habitus disponit ad bene vel male agendum, 2. *Ethic.* Characteri autem id attribui non potest. *Tum denique,* quia omnis habitus disponit ad faciliter operandum, ex eodem, 2. *Ethic.* character autem non ita disponit.

CONTRA. Si character non sit formaliter relatio, de necessitate qualitas absoluta erit; ergo ad aliquam speciem illius spectabit: et quoniam est ab anima indelebilis, ad habitum per se reducetur.

RESPONDEO dicendum, si character forma absoluta sit et qualitas, potest poni spectare ad secundam speciem qualitatis, quia revera quaedam potestas spiritualis est, habens proprietates supra enumeratas; vel etiam ad primam speciem, quia cum sit indelebilis ab anima, proprietates habitus videtur habere.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 14.] respondeo, negando *consequentiam,* cuius falsitas manifeste apparet ex hoc, quia virtutes Theologicae sunt formae absolutae supernaturales, et nihilominus nemo dixerit eas proprie non pertinere ad genus qualitatis, adeoque eadem supernaturalitas non efficiet, quin character (si forma absoluta sit) per se non reducatur ad genus qualitatis. — *Et cum probatur* ex Philosopho: *dico,* Aristotelem eo loci intelligere et loqui de genere physico, qua in acceptione nulla duo sunt eiusdem generis, nisi sint ad invicem transmutabilia; sed cum hoc bene stat idem genus logicum per se complecti multa, quae non sunt eiusdem generis physici, ut est evidens in genere substantiae, ad quod genus per se reducuntur substantiae omnes finitae, et subinde corporea et incorporea, quae nihilominus sunt alterius et alterius generis physici; atque ita pariter ad idem genus qualitatis per se reducentur omnes qualitates, seu sint ordinis naturalis seu supernaturalis.

AD SECUNDUM respondeo: [*Oxon.* ib.] quemadmodum character est determinatum ens et qualitas, ita ad determinatam speciem reducatur oportet; quamvis igitur secundum diversas proprietates videatur communicare cum diversis qualitatis speciebus, per se nihilominus et primo sub una tantum specie continetur, eaque vel prima vel secunda iuxta dicta *in solutione.* — *Vel potest dici,* divisionem illam qualitatis in quatuor species non esse proprie generis in species, sed magis esse divisionem secundum quosdam modos diversos convenientes diversis qualitatibus. Et forte eidem qualitati in se secundum essentiam possunt competere plures modi, qui ponuntur in diversis qualitatibus.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib.] nullum ens spectare posse ad hoc aut illud genus, ob proprietates metaphoricas; alioquin Christus esset in genere per speciem substantiae inanimatae, quia dicitur *Petra:* vel quia dicitur et *Leo* collocaretur in genere per substantiam irrationalem; et esset quoque in genere qualitatis, eo quod dicatur *lux mundi.* Colligenda est ergo ex metaphoricis et figuratis locutionibus propria conditio rei in se, et secundum illam collocanda est in genere vel in specie. Nam alioquin, si adductum argumentum concluderet, quia species

intelligibilis configurat animam ipsi obiecto cognito, esset reponenda in quarta specie qualitatis, cum revera sit in prima.

AD QUARTUM dico, [*Oxon.* ib. n. 15.] quamquam Philosophus non videatur loquutus nisi de potentia naturali, de qua et adducit exempla, nihilominus postestas haec supernaturalis, quae character appellatur, si est absoluta et accidentalis, recte deducitur ad idem genus intermedium sub qualitate cum potentia naturali; quemadmodum et habitus supernaturalis ponitur spectare ad idem genus intermedium cum habitu naturali.

AD ULTIMUM, cum arguitur, characterem reduci non posse ad habitum, vel ad primam speciem qualitatis. *Ad primum respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 16.] posse habitum supernaturalem, quatenus est forma supernaturalis de difficili mobilis, esse principium agendi vel resistendi corruptivo; et ita habere rationem potentiae supernaturalis. Neque esse simile de habitu naturali; quia iste dicit quamdam facilitatem ductam super potentiam naturalem: potentia enim naturalis est, qua naturaliter possumus actus, quos possumus. Sed potentia etiam videtur posse esse aliqua supernaturalis forma spiritualis immobilis, ideoque recte quoque habitus dicta, esto sit principium quo possumus in talem actum spiritualem vel supernaturalem. — *Ad secundum* dico, unum habitum esse posse dispositionem ad alium, sicuti secundum distinguentes habitum principii ab habitu conclusionis, habitus principii disponit ad habitum conclusionis; nec propterea tunc habitus est dispositio ut distinguitur contra habitum in prima specie, quia illa est qualitas de facili mobilis, cuius contrarium convenit habitui. — *Ad tertium dico sic:* quemadmodum est admittendus aliquis actus indifferens, qui non sit neque bonus neque malus, ita et habitus generatus ex huiusmodi actibus indifferentibus, sicuti est habitus Geometriae, in quo nulla est per se considerato moralis bonitas vel malitia, ita pariter potest esse aliquis habitus supernaturalis, qui non inclinet de se ad actus bonos, neque malos, et huiusmodi est character. — *Et si dicas* id non posse affirmari de habitu supernaturali, quod scilicet sit indifferens, quia quilibet talis datur ad perfectionem agentis; *respondeo:* habitus supernaturalis potest esse disponens ad actum bonum, licet non sit eius principium elicitivum proximum vel sufficiens; et hoc modo fides infusa non est principium sufficiens eliciendi actum credendi, nec charitas infusa eliciendi actum diligendi; sed inclinant ut eliciatur actus bonus concurrentibus aliis necessariis. Ita et alius habitus supernaturalis potest remotius et imperfectius inclinare ad actum bonum; et talis habitus ponitur character tamquam primo et remotissime disponens ad actus bonos. — *Ad ultimum dico,* [*Oxon.* ib. n. 16.] *assumptum* esse verum de habitu acquisito, non autem de infuso, qui non dat facilitatem ad actum, ut patet de noviter converso, cui non est facile post conversionem actus bonos elicere, sed potius difficile, quousque ex frequenti elicitione actuum bonorum acquirat virtutem, a qua superetur illa difficultas. Quantum igitur ad hunc articulum, sunt duae viae probabiles, quia neutra potest evidenter refelli; seu ponatur character esse potentia et pertinere ad secundam speciem qualitatis, seu ponatur habitus et spectare ad primam.

ARTICULUS III.

UTRUM CHARACTER SACRAMENTALIS SIT CHARACTER CHRISTI.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 63. *art.* 3.

VIDETUR character Sacramentalis non esse character Christi. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. et 10. — *Report.* ib. q. 9.] character est praevia quaedam dispositio ad gratiam, quae in Sacramentis quibusdam confertur, et signum ipsius gratiae: sed quod est dispositio ad gratiam et signum eius est magis character Spiritus Sancti quam Christi; ergo character Sacramentalis non est character Christi. *Probatio minoris:* [*Oxon.* 1. d. 17. q. 2. — d. 18.] Spiritus Sanctus est ille, qui per habitum charitatis animam inhabitat sanctificatam, ipseque est fons omnium supernaturalium donorum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 13.] Characteris ratio est per quem distinguuntur charactere insigniti ab iis, qui id signum non receperunt: sed potissima distinctio hominum viatorum a charitatis forma accipienda est: quae, teste Augustino, *dividit inter filios regni et perditionis;* qui [*Oxon.* 4. d. 6. q 9. n. 2.] perditionis filii utique characterem Bestiae ferre dicuntur, *Apocalyp.,* 13. et 14.; igitur cum charitas non sit Christi character, sed totius Trinitatis, a qua infunditur in anima, character sacramentalis non erit character Christi.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 2. seqq.] Character est signum conformativum Christo, cuius Sacramentum suscipitur, et etiam obligatorium ei, eo modo quo suscipiens Sacramentum obligatur per eius susceptionem ad exequenda quaecumque in tali ritu promittuntur; ergo talis character est character Christi.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 12.] characterem sacramentalem esse characterem ipsius Christi; nam cum character imprimatur praecise in susceptione eorum Sacramentorum, per quae assignatur eminens et determinatus gradus in familia Christi: dictum est autem *art.* 2. *priori,* munus esse characteris distinguere eum qui fuit receptus in familiam Christi ab eo qui foris reperitur; ergo character iste est character Christi, cum eo carentes non computentur inter eos, qui sunt de familia Christi. Quemadmodum igitur in Politiis mundanis qui sunt de familia Regis, atque ab eo obtinuerunt aliquem singularem et eminentem gradum in Republica, character quem gerunt in signum magistratus, quo nomine Principis funguntur, est ipsius Regis, et non alterius character; alioquin fracti sacramenti, et praestiti homagii crimine insimularentur; ita characteres, quibus sunt insigniti recepti in familiam Christi, non possunt esse alterius characteres quam eius, a quo illum gradum in Ecclesia susceperunt, et cui se se obstrinxerunt in susceptione talis praeeminentiae: caput autem Rex et Princeps totius Ecclesiae est Christus altissimus et idem summus Sacerdos, a quo omnis christiana religio ut a fonte dimanat; ergo sacramentales characteres sunt Christi, cuius legis servandae se obstringunt quotquot huiusmodi characteribus insigniti probantur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* 1. d. 17. q. 3.] utique omnia dona supernaturalia, etsi descendant in Ecclesiam a tota Trinitate

per merita Christi, appropriari Spiritui Sancto, ob maiorem convenientiam cum proprietate eius personali, quam cum alia Persona; verumtamen characterem Sacramentalem recte dici et esse characterem Christi, quia per Sacramenta, quae ab ipso habent efficaciam, et quibus ii characteres imprimuntur, intramus in Ecclesiam, quae est corpus mysticum Christi, eique esse nos militaturos pollicemur, sub signis doctrinae Evangelicae adversus mundum et peccata, sicuti milites Regum terrae, sub signis eorum adsciti, dicuntur ferre characterem illorum.

AD SECUNDUM, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 4.] concedo, charitatem esse quae dividit inter filios regni et perditionis; sed nobis hic est sermo de illa forma, quae primo ad ipsam charitatem disponit, quae propterea datur, seu imprimitur inamissibiliter, quo perpetuo ita distinguat habentes eam ab iis, qui tale signaculum non receperunt. Et quoniam haec prima ad gratiam dispositio datur iis, qui per Baptismi susceptionem profitentur Legem Evangelicam, ideo recte dicitur signaculum et character Christi, et non Trinitatis.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHARACTER SIT IN POTENTIIS ANIMAE SICUTI IN SUBIECTO

Dist., Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 11.—*Report. ib.* q. 10.—*S. Thom.* 3. *p. q.* 63. *a.* 4.

VIDETUR character esse in potentia intellectiva animae. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 11. n. 1.] character disponit ad fidem; per ipsum enim distinguitur fidelis ab infideli: sed dispositio est in eodem subiecto in quo est forma ad quam disponit; ergo cum fides sit in intellectu, in eodem debet esset et character.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Characteris munus est configurare Trinitatem creatam Trinitati increatae: sed Trinitas creata vel imago consistit principaliter in intellectu, quia ex eo sicut ex radice oritur voluntas; ergo character debet esse subiective in intellectu.

3. PRAETEREA. Character est quoddam signaculum, quo anima insignitur ad suscipiendum, vel aliis tradendum ea quae sunt divini cultus: divinus autem cultus in quibusdam actibus consistit; ergo cum ad actus ordinentur potentiae animae sicuti essentia ordinatur ad esse, oportet characterem esse in animae potentiis, et non nisi in cognitiva, cum unica forma indivisibilis sit.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 4.] Character disponit ad gratiam: sed gratia est in voluntate; ergo et in eodem subiecto debet esse dispositio.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 2.] *aliqui* ob argumenta inducta sentiunt, revera characterem esse haud posse in essentia animae ut in subiecto, sed magis in potentiis eius, non tamen in omnibus, sed in intellectiva dumtaxat, quamvis altera ex parte putent gratiam esse collocandam in ipsius essentia. Quae principia non videntur admodum inter se cohaerere; nam dispositio ad formam numquam est in posteriori susceptivo formae ipsius. Haec propositio non videtur habere aliquam instantiam, productis etiam in medium omnibus omnino dispositionibus et formis, ad quas disponunt. Sed character est dispositio ad gratiam, ut ultro illi etiam admittunt; et gratia est in essentia animae, ut opinantur; ergo character non potest esse

in aliquo susceptivo posteriori ipsa essentia animae. Potentia autem est posterior essentia animae, tamquam accidens eius, iuxta eorum sententiam; ergo aut utrumque erit in essentia animae, aut utrumque in potentiis eius; non est ergo collocanda dispositio ad gratiam in potentiis si ipsa gratia in essentia ut in subiecto collocanda sit. — *Rursum,* habitus supernaturales non ponuntur in habitibus naturalibus, ut in eorum principiis susceptivis, imo susceptivum utrorumque immediatum est potentia naturalis; ergo pariter in eodem subiectantur susceptivo potentia naturalis et supernaturalis, ac per consequens cum naturalis potentia sit in essentia animae, et character, qui quaedam potestas est supernaturalis, in eodem subiecto erit.

Est ergo dicendum, [*Oxon.* ib. n. 4.] characterem non esse subiective in intellectu, sed in voluntate; siquidem gratia est idem ac charitas; utraque enim perfecte dividit inter filios regni et perditionis: charitas autem est ponenda in voluntate, cuius est diligere Deum propter se, et proximum in ordine ad Deum; igitur cum gratia sit principalis effectus Sacramentorum imprimentium et non imprimentium characterem, ad quem effectum sequuntur aliae virtutes in Baptismatis susceptione; et character convenienter ponatur dispositio ad hunc principalem effectum, ex dictis *in antecedentibus,* rationabiliter quoque videtur ponendus in eodem subiecto in quo est ille effectus, ut idem sit susceptivum formae principaliter intentae, et dispositionis ad ipsam formam. — *Deinde,* character est signum vel fundamentum obligationis animae ad Deum; igitur est ponendus in illa potentia, cuius est primo obligari vel esse rationem obligandi: sed talis potentia est sola voluntas; praecise enim per eius actum alteri obligamur; nam quaecumque alia in obligatione concurrunt, sive ex parte intellectus sive alterius potentiae, non sunt nisi quaedam praeambula ad firmum velle, vel signa manifestativa ipsius volitionis, qua volumus obligari, alterique obstringi in his aut illis repraesentandis, per eumdem qui se ea facturum promittit; non est igitur character in potentia intellectiva, sed magis in voluntate.

Ad Argumenta. Ad primum, [*Oxon.* ib. n. 4.] nego, characterem esse proximam dispositionem ad fidem, ut fides est; sed dico esse dispositionem ad illum effectum, seu perfectionem, quae principaliter conformat totam animam Deo: illa autem est gratia vel charitas; adeoque est in voluntate.

Ad secundum concedo, characterem esse in illa potentia quae est principalior in anima seu in imagine, in cuius nempe figurationem consistit principaliter tota figuratio animae vel imaginis ad Trinitatem; sed aio, illam esse voluntatem. — *Et cum dicitur:* voluntas oritur ab intellectu tamquam a radice; ergo est intellectu imperfectior; *respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 3.] si intellectus habeat respectu voluntatis tantum prioritatem generationis sive originis, ex hoc sequitur intellectum esse voluntate imperfectiorem, quia universim imperfectiora praecedunt perfectiora ordine generationis, 9. *Metaph.* text. com. 15. Si vero intelligatur voluntatem exoriri de intellectu, tamquam eminenter et virtualiter continente ipsam, hoc autem plane falsum est, quia id quod ad alterum ordinatur ut prius origine, non continet illud eminenter vel virtualiter: actus autem intellectus ordinatur essentialiter ad actum voluntatis; igitur intellectus non continet virtualiter voluntatem.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 2.] ea ratione magis deduci debere oppositum, nempe idem esse susceptivum gratiae et dispositionis ad ipsam, ac subinde rectius inde inferri debere et characterem esse in animae essentia, aut saltem eam dispositionem esse non posse in aliquo susceptivo posteriori illo, in quo est forma. Caeterum ob dicta *in solutione,* putamus *assumptum* esse negandum, ac propterea spectata ratione characteris, qua dispositio est, et etiam considerando effectum primarium eius, videtur omnino ad voluntatem pertinere, ac subinde in potentia volitiva esse tamquam in subiecto reponendum.

ARTICULUS V.

UTRUM CHARACTER INSIT ANIMAE INDELEBILITER.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 9. — *Report. ib. q.* 8. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 63. *a.* 5.

VIDETUR character inesse animae non indelebiliter. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 1.] character cum adveniat animae habenti iam esse perfectum, minime substantia esse potest; nec est accidens per se vel necessario inhaerens; quia non causatur ex principiis intrinsecis subiecti, quemadmodum accidentia propria; ergo erit accidens per accidens: sed omne tale accidens est separabile, quia contingenter inest; ergo character non potest inesse indelebiliter animae habenti illum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 12.] Characterem inesse animae indelebiliter includit contradictionem; ergo vel non inest, vel si inest, ab anima potest deleri. *Probatur assumptum:* nulla forma inest animae, quam non possit Deus delere; minus est enim delere quam creare, vel saltem nulla est contradictio formam in anima creatam ab ipsa separari; igitur esse in ea formam inseparabiliter creatam, includit contradictionem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 10.] Character ponitur signum rememorativum; igitur vel respectu Dei, vel respectu aliarum creaturarum: sed ex parte nullius oportet ipsum esse indelebilem; igitur frustra ponitur talis. Et quidem in ordine ad Deum patet: sed nec respectu creaturarum, seu in gloria, seu in inferno existentium; quia maior gloria est habere charitatem, et maior confusio est a charitate excidisse quam a charactere; ergo non oportet ponere characterem indelebilem.

CONTRA. Semel adscriptum in familia Christi decet praeseferre signum, quo aliquando is fuit configuratus Christo, et insuper expressivum contractae obligationis servandae Legis Evangelicae, quam custodit et servat familia Christi: illud signum est character baptismalis; ergo est animae indelebiliter impressus.

RESPONDEO dicendum; [*Oxon.* ib. n. 20.] characterem esse animae indelebiliter impressum; quamquam enim nulla appareat contradictio, quin possit subinde deleri de potentia Dei absoluta, quia est forma realiter ab anima distincta, ipsaque posterior, nihilominus est indelebilis de eius potentia ordinaria; disposuit enim Deus nullam formam supernaturalem delere nisi propter aliquod demeritum eius, cui talem formam dedisset: character autem nullam habet causa demeritoriam; quia cum possit imprimi in ipso actu peccandi, nulla causa potest de-

mereri ipsum tolli; igitur ipse est indelebilis ab anima de potentia Dei ordinata.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM ET SECUNDUM patet, [*Oxon.* ib. n. 20. seqq.] quia probant characterem esse delebilem ab anima de potentia Dei absoluta, quod est simpliciter concedendum; dicimus enim ipsum solummodo esse indelebilem de potentia Dei ordinata, ex eo quod non habeat causam demeritoriam, et comparando ipsum ad potentiam creaturae.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib. n. 10.] Deum non indigere charactere ad hoc ut cognoscat eum, cui fuit aliquando impressus, sed tamen posse etiam cum charactere perinde cognoscere; et concedo etiam id facere ad maiorem gloriam Beatorum et ad maiorem confusionem damnatorum, quia scilicet Beati observaverunt promissa, et damnati fregerunt pactum initum cum Christo in Baptismate. — *Et cum dicitur:* maior gloria est habere charitatem et maior confusio excidisse ab illa *respondeo;* charitatem et alias virtutes non imprimere characterem, ut patebit *art. seq.*

ARTICULUS VI.

UTRUM PER OMNIA SACRAMENTA NOVAE LEGIS IMPRIMATUR CHARACTER.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 9. et 10. — *Report.* ib. *q.* 8. *S. Thom.* 3. *p. q.* 63. *a.* 6.

VIDETUR character imprimi in omnibus omnino novae Legis Sacramentis. Nam ex dictis *in antecedentibus,* character *est signum et dispositio ad gratiam Sacramentalem, ut ad formam perfectam:* sed in omnibus datur vel intenditur ex parte Dei instituentis iste effectus, qui est gratia; igitur requiritur in omnibus ad ipsam gratiam dispositio: cuiusmodi dispositio character est; ergo oportet in omnibus imprimi Sacramentis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 1.] Nullum Sacramentorum novae Legis videtur characterem imprimere; nam eiusmodi character si ab aliquo ex illis esset, maxime imprimeretur per Baptismi susceptionem: hoc autem non videtur asserendum; quia si hic effectus per Baptismum in anima causaretur, pariter eumdem recepisset qui subdebatur Circumcisioni, quia Circumcisioni successit Baptismus in remedium eiusdem morbi, adeoque eumdem effectum utrumque Sacramentum habere debuisset: Circumcisio autem characterem nullum impressit; nam extitisset profecto eiusdem rationis cum charactere baptismali, et tunc qui Circumcisioni se subiecissent Baptismi Sacramentum suscipere non debuissent, cum duo accidentia eiusdem rationis minime esse possint in eodem subiecto.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Fides distinguit fidelem ab infideli, et charitas filios regni a filiis perditionis, ut ait Augustinus, 15. *De Trinit.,* cap. 19. Fides autem et charitas sunt habitus nobilissimi in anima, et tamen nullum in ipsa imprimunt characterem; ergo multo minus id efficient tria Sacramenta, quae eum imprimere dicuntur.

CONTRA. [*Oxon.*ib.q.10. n.12.] Non per omnia Sacramenta novae Legis quis constituitur in aliquo determinato gradu in Ecclesia, sed solummodo per susceptionem aliquorum: sed non oportet imprimere characterem nisi ea, per quae quis acquirit aliquem gradum determinatum in Ecclesia; ergo non in susceptione omnium Sacramentorum imprimitur character.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 12.] non omnia Sacramenta novae Legis, sed tantum Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimere characterem in anima. *Et declaratur* per simile in Politiis mundanis; nullus enim habet, nec habere dicitur determinatum gradum in Republica vel familia Regis, per hoc quod comedit et bibit in domo eius, nec quia post offensam illi factam, Dominus reconciliatur sibi, vel quia multiplicat personas in Republica. Isti siquidem actus communes possunt competere omnibus pro quovis statu vel gradu. Sed bene dicitur obtinuisse quis novum gradum *primo* cum recipitur et adscribitur in familiam Regis in qua prius non erat adscriptus; *secundo* cum constituitur miles ad defensionem Reipublicae; *et tertio denique* cum supra alios elevatur et constituitur supremus in ea familia, sub Domino tamen, habens potestatem evehendi et collocandi alios in gradibus determinatis in familia et domo Domini sui. Ita in proposito, primus gradus in Ecclesia, et quidem universalissimus, est recipi in familiam Christi per Baptismi susceptionem; secundus specialis quo quis inter milites scribitur ad defensionem fidei christianae, quod fit in Confirmatione; et tertius denique est constitui in patrem et pastorem ad introducendum alios in Ecclesiam, et ad dirigendum et instruendum eos; quae potestas confertur in Ordine. At per Eucharistiam, quae pertinet ad nutritionem spiritualem, Matrimonium, quo procreantur corpora, et Poenitentiam, qua Deo post offensam reconciliamur, et Unctionem extremam, qua praeparamur et disponimur ad discessum ex hac vita, non constituitur quis in aliquo certo gradu in Ecclesia; quia actus illi possunt esse communes omni membro Ecclesiae in quocumque gradu intelligantur et reperiantur. Et quemadmodum in Politiis mundi illi tres gradus seu dignitates non iterantur, quia semel recipiuntur in familiam quicumque recipiuntur, et semel adscribuntur ad militiam, et confertur etiam semel potestas ad alios recipiendum in familia Regis et instruendum in doctrina: satis enim est haec omnia semel recepisse et rite facta esse; at satis non est semel nutriri, nec dare operam procreationi, sicuti etiam redire in gratiam potest saepius contingere; ita tria praedicta Sacramenta non decet iterari ut alia, quae iterum conferri et suscipi congruum, et etiam interdum necessarium est. Porro in iis, quae non iterantur gradus non iterabilis acquiritur et character dicitur, qui non ponitur, et recte, in Sacramentis, quae iterantur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, characterem non esse signum et dispositionem ad gratiam utcumque per Sacramenta signatam, quia tunc (ut recte arguitur) oporteret tale signum derelinqui in anima per susceptionem cuiuscumque Sacramenti. Est ergo character signaculum quoddam et dispositio ad gratiam, quatenus suscipienti Sacramentum confertur aliquis determinatus gradus in Ecclesia, qui quoniam non in omnium susceptione datur, ideo nec omnia characterem imprimunt.

AD SECUNDUM dico sic: [*Oxon.* ib. n. 21.] eo quod Circumci-

sionem instituerat Deus in remedium originalis culpae, quae per gratiam delebatur efficaciter eo signo significatam, concedi posse et Circumcisionem impressisse characterem, perinde ut imprimitur in Baptismate. Ita enim Circumcisio erat ianua, per quam ingrediebatur in Legem mosaycam, sicut per Baptismum intramus in Evangelicam. — *Et cum dicitur*, circumcisus non fuisset baptizandus; *nego hoc:* et ad *probationem* potest concedi characteres illos esse eiusdem rationis, et tunc vel Baptismus non imprimebat characterem circumciso, quia subiectum non erat in potentia ad illam formam, quam supponitur iam praeacceptam fuisse; vel si imprimebat, ex eo nullum inconveniens deduci posse, saltem si character ponatur relatio, sicut possunt esse duae obligationes in eodem servo ad dominum suum; potest etiam dici, characterem Circumcisionis extitisse alterius rationis a charactere Baptismi, sicut imperfectum differt a perfecto; quemadmodum gratia Sacramentalis Baptismi est perfectior gratia quae conferebatur in Circumcisione. Et tunc in susceptione Baptismatis circumciso non fuisset impressus novus character, sed solummodo prior acquisivisset ulteriorem et ultimatam perfectionem.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib.] non quamlibet perfectionem in anima habere tale signum rememorativum perpetuum, sed illam tantum per quam constituitur homo in aliquo determinato gradu in Ecclesia; et quoniam virtutes id hominibus non praestant, quia sunt communes omnibus membris Ecclesiae in quocumque gradu, hinc etsi habitus virtutum characterem non imprimant, non propterea idem est inferendum de tribus praefatis novae legis Sacramentis.

QUAESTIO SEXAGESIMAQUARTA.

DE CAUSA SACRAMENTORUM, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de causis Sacramentorum sive per auctoritatem, sive per ministerium.

Et circa hoc quaeruntur decem.

1. Utrum solus Deus interius operetur in Sacramentis. - 2. Utrum institutio Sacramentorum sit solum a Deo. - 3. De potestate quam Christus habuit in Sacramentis. - 4. Utrum illam potestatem potuerit aliis communicare. - 5. Utrum potestas ministerii in Sacramentis conveniat malis. - 6. Utrum mali peccent dispensando Sacramenta. - 7. Utrum Angeli possint esse ministri Sacramentorum. - 8. Utrum intentio ministri requiratur in Sacramentis. - 9. Utrum requiratur ibi recta fides, ita scilicet quod infidelis non possit tradere Sacramenta. - 10 Utrum requiratur ibi recta intentio.

ARTICULUS I.

UTRUM SOLUS DEUS OPERETUR INTERIUS AD EFFECTUM SACRAMENTORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 7. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *a.* 1.

VIDETUR non solus Deus operari interius ad effectum Sacramentorum. Etenim [*Oxon.* 3.d.25.q. 1. n.6.] Maiores in Ecclesia et ministri Sacramen-

torum, ex eo quod sunt collocati in gradu eminentiori per Ordinis susceptionem, ac receperunt aliorum gubernium et praelationem, tenentur subditos illuminare et instruere in iis, quae spectant ad Sacramentorum congruam susceptionem: sed illuminare est interior effectus Sacramenti; igitur non solus Deus operatur interius ad effectum Sacramentorum.

2. PRAETEREA. Orationes et preces, quas fundit conferens Sacramentum Baptismi ante et post susceptionem eius, praesertim si Sacerdos sit Dei amicus, exaudiuntur et prosunt suscipienti Sacramentum ad augmentum gratiae; ergo non solus Deus, sed etiam probus minister interius operatur ad effectum Sacramenti.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 4. n. 1.] *Tanta est vis aquae, ut corpus tangat et cor abluat,* ex Augustino, *Homil.* 80. *in Ioannem;* ergo si aqua quae est instrumentum inanime influit in effectum Sacramenti, multo magis id faciet Sacramenti minister; atque ita non solus Deus ad eorumdem effectum Sacramentorum operatur.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 6.] Solus Deus instituit Sacramenta; ergo ipse solus operatur interius ad effectum eorum. *Probatur consequentia:* ille solus operatur interius ad effectum Sacramentorum a quo habent infallibiliter producere effectum quem signant: habent autem id a Deo dumtaxat.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 7. n. 3.] solummodo Deum interius operari ad effectum Sacramentorum tamquam causam principalem; effectus siquidem in Sacramentis principaliter intentus est gratia, et in quibusdam imprimitur quoque character: uterque autem effectus est immediate ut a causa principali a solo Deo; nam ipsa Sacramenta neque gratiam attingunt, neque ullam dispositionem ad gratiam per propriam et intrinsecam virtutem, sed tantum Deus ex suo pacto illis assistens causat illos effectus, ex dictis supra, *q.* 62; igitur nullus alius a Deo interiorem Sacramentorum effectum attingit et operatur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 3. d. 33.] interiorem illuminationem, quae fit in suscipientibus Sacramenta per instructionem eorum, quorum interest suscipientibus Sacramenta instruere, non esse effectum Sacramentorum, de quo loquimur ad praesens; quia tali lumine possent perfundi et illustrari, etiamsi nullum susciperetur Sacramentum. Est ergo ille effectus, quem dicimus solum Deum interius operari, gratia per Sacramenta significata, nobisque collata intuitu meritorum Christi.

AD SECUNDUM concedo, orationes ministrorum Sacramenti facere posse ad gratiae augmentum, si sint Deo amici, per modum meriti; quia sicuti quisque potest orare pro altero, ita et mereri; sed nego ministrum operari ad effectum Sacramenti, quia gratia quae datur per Sacramenta confertur virtute meritorum Christi, et non per merita ministrorum; et ideo eadem quoque datur quando conferuntur a malis ministris, modo rite eadem Sacramenta dispensent et administrent.

AD TERTIUM dico, *q.* 62. declaratum extitisse, qua ratione aqua tangendo corpus cor abluat, quia non per aliquam propriam et realem causalitatem, sed tantum quia ad positionem illius signi Deus causat effectum signatum, sicuti ad ultimam dispositionem sequitur forma infallibiliter. — *Et cum dicitur:* si aqua instrumentum inanime aliquid facit; ergo multo magis operabitur minister; *respondeo* [*Oxon.* 4. d. 6. q. 5. n. 9.], ex eo aliud non sequi nisi quod aqua et minister sint diversimode

instrumenta gratiae, quia minister debet habere intentionem faciendi quod intendit facere Ecclesia; ipse enim est causa secunda ablutionis Sacramentalis, et quoniam agens voluntarium est, propriam habere debet intentionem, idest, intendere finem, cuius gratia illam actionem facit et repraesentat, veluti Ecclesiae Christique minister. In ordine autem ad principalem Baptismi effectum, qui est gratia, potest appellari instrumentum respectu principalis agentis, eo sensu, quo agens dispositivum dicitur instrumentum respectu perficientis. At aqua est instrumentum quia recipit actionem moventis in ordine ad alium effectum ulteriorem.

ARTICULUS II.

UTRUM SACRAMENTA SINT SOLUM EX INSTITUTIONE DIVINA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 3. — *d.* 2. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 2.

VIDETUR Sacramenta non esse solum ex institutione divina, sic ut aliter esse non possint. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 1.] Deus non immediate, sed per ministros dedit legem filiis Israël, per Angelos nimirum dictantes illam Moysi, et huius ministerio obligavit genus Israëliticum ad eius observantiam; igitur pariter Legem Evangelicam per alium tradere potuisset, et consequenter eius legis Sacramenta ordinari, disponi et institui ab illo; igitur non sunt necessario Sacramenta ex institutione divina.

2. PRAETEREA. [*Oxon.*4. d. 7. q. 1. n. 3.] Sacramentorum essentia in materia et forma consistit: sed alicuius Sacramenti Ecclesia determinavit materiam et formam; ergo ab Ecclesia est eius institutio, ac per consequens circa omnia perinde potuit factum esse. *Probatio assumpti*: nam Salvator confirmaturus discipulos suos insufflavit et dixit eis: *Accipite Spiritum Sanctum*, Ioann., 20. nulla materia adhibita nec instituta; igitur Ecclesia determinat et eligit materiam et formam Sacramenti confirmationis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 23. n. 1.] Sacramenti Unctionis Extremae institutor extitit Iacobus Apostolus, ut legitur in sua Canonica, *cap.* 5; Igitur quoddam Sacramentum non est ex institutione divina; ac proinde etiam aliorum Sacramentorum institutio potuit fuisse ab aliis Apostolis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 5. seqq.] Sacramentum est signum sensibile efficaciter signans effectum invisibilem: sed a nullo alio sub Deo potest eam efficaciam accipere, ut nequit citra Deum produci effectus ille invisibilis; ergo nemo alius a Deo potest esse Sacramenti institutor.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 4.] de facto Sacramenta non fuisse nisi ex institutione divina, nempe causam principalem institutricem eorum aliam non extitisse nisi ipsum Deum; nam nemini competit signum practicum instituere nisi vel respectu alicuius actus sui proprii, vel respectu alterius, qui tamen subest sibi quantum ad illum actum: sed Sacramentum est signum practicum respective ad gratiam, qui est effectus proprius Dei: et Deus in actu sibi proprio non potest alteri a se subesse; ergo nemo alius a Deo fuit Sacramentorum institutor; imo nec potuit esse; id enim praeterea concluditur ea ratione.

Sed tamen ulterius declaratur [*Oxon.* ib. n. 4. seqq.] citra Deum ne-

mini competere posse Sacramenta instituere, ut de Sacramentis loquimur ad praesens. Pro quo, intelligendum, aliunde esse, quod signum practice significet signatum, et aliunde esse quod sit certum signum. *Exemplum:* aliquis legislator si instituisset ut in sua Republica osculum significaret pacem vel inimicorum reconciliationem, licet ex tali impositione id signum practice significaret pacem, quia tamen aliquis fraudulenter et non ex animo, sed ut decipiat, potest eo signo uti, manifestum est illud signum non esse certum ex institutione legislatoris, sed esse aequivocum et incertum, quia aliquando verum, cum nempe habet concomitans signatum, et aliquando falsum, cum aliquis dolo malo eiusmodi signo utitur. At Sacramentum non solum de se est signum practicum, significans nimirum gratiam, sed etiam est signum certum, quia Sacramentum suscipienti infallibiliter gratia datur, nisi propria obstet indispositio. In quantum igitur Sacramentum est signum practicum posset institui a creatura; quia posset imponere signum, quo practice significaretur Deum invisibiliter agere, seu causare gratiam; sed minime facere posset ut illud signum esset regulariter certum; nam nemo potest dare certitudinem alicui signo practico, nisi in eius potestate sit posse causare signatum illius signi: sed nulla creatura habet potestatem causandi gratiam signatam per Sacramenta; ergo etsi liceat alicui creaturarum instituere aliquod signum practicum gratiae, ex sui tamen institutione illud signum non foret certum. Et quamquam posset committi creaturae instituere signum practicum gratiae, scilicet materiam et formam Sacramentorum, sicuti commissum est Ecclesiae instituere ritus et solemnitates eorumdem Sacramentorum, nequaquam tamen huiusmodi signum esset certum et efficax ex sui institutione; sed eam efficaciam et certitudinem oporteret accipere aliunde, et ab aliquo extrinseco, nempe ab illo, qui solus valeret infallibiliter unire ei signo proprium signatum; ergo tunc creatura non institueret Sacramentum inquantum est signum certum et efficax, sed solummodo a Deo institutum, tamquam praeco promulgaret; nam institutio Sacramentorum completa non est solum institutio signi practice significantis gratiam, sed praeterea requiritur ut illud signum sit certum et efficax, sic ut ex ipsa institutione signatum concomitetur ipsum signum; et per consequens nequit eius institutio creaturae seu competere, seu communicari; sicut nec sibi dari potest ut det certitudinem practicam illis per gratiae productionem.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 9.] Deum praecise fuisse Legis Mosaicae legislatorem, Angelos autem et Moysen extitisse eius legis ministros, praenunciatores, et praecones. Quo pacto concedo etiam alios a Deo potuisse esse; et de facto Apostolos et Discipulos Christi fuisse Sacramentorum novae legis praecones, non vero institutores, imo nec esse potuisse.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] concedendo Apostolos fuisse a Christo confirmatos, non adhibitis materia et forma Sacramenti Confirmationis, quia ipse habet potestatem operandi et efficiendi effectum Sacramentorum independenter ab ipsis; sed tamen nego Ecclesiam eius Sacramenti materiam determinasse, sed magis Apostolos id a Salvatore in mandatis habuisse, licet in Scriptura expressum non reperiatur; quia nec multa alia quae gessit Salvator ibi reperiuntur, ut habetur *Ioann., ultimo.*

AD TERTIUM patet responsio ex dictis *ad primum;* nam [*Oxon.* 4.d. 23. n. 7.] Iacobus eius Sacramenti praeco fuit non institutor.

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS SECUNDUM QUOD HOMO HABUERIT POTESTATEM OPERANDI INTERIOREM EFFECTUM SACRAMENTORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 19. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *a.* 3.

VIDETUR Christus secundum quod homo habuisse potestatem operandi interiorem effectum Sacramentorum. Nam [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. — d. 1. q. 3. n. 4.] Christus ut homo novae legis Sacramenta instituit: sed ab eo habent virtutem Sacramenta a quo acceperunt institutionem; ergo Christus ut homo influit in interiorem effectum Sacramentorum. *Probatio minoris:* Sacramenta novae legis sunt signa certa et efficacia gratiae per eadem signatae: sed nemo efficere potest signum ab se institutum esse certum et efficax, nisi et ipse queat unire et efficere signatum per illud signum; ergo Christus ut homo instituere nequivisset Sacramenta tamquam signa certa et efficacia gratiae, nisi idem institutor in interiorem eorumdem effectum influeret.

2. PRAETEREA. [*Oxon.*4.d.2.q.2.n.2.—4.d.4.q.6.] *Ioann.*, 1. legitur dixisse Baptistam ad eos quos ipse aqua intingebat: *Ego Baptizo vos aqua: medius autem vestrum stetit quem vos nescitis, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni,* ut habetur *Lucae,* 3. Sed baptizare in Spiritu Sancto est infundere suscipientibus Baptisma interiorem effectum eius; ergo cum Christus baptizaverit, vel baptizare potuerit ut homo, tamquam talis influit in interiorem effectum Sacramentorum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. — d. 4. q. 6.] Christus citra Sacramentorum usum contulit effectum eorumdem, ut cum Apostolos confirmavit, atque Sacerdotes fecit: sed nisi ipse influeret in interiorem eorumdem effectum oportuisset ipsum uti illis signis, ut ab alio causaretur invisibilis eorum effectus; ergo omnino videtur is effectus interior causari a Christo, quatenus est homo.

CONTRA. Interior effectus Sacramentorum est gratia signata per ipsa: sed solus Deus attingit gratiam per creationem, et nulla alia virtus finita; ergo Christus ut Deus et non ut homo operatur efficitque interiorem effectum Sacramentorum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. — 4. d. 15. q. 1. n. 5.] Christum operari ad interiorem effectum Sacramentorum non solum inquantum Deus, quo pacto causa principalis est effectus eorumdem Sacramentorum, ut dictum est supra, *art.* 1., verum etiam ut homo; ut enim homo extitit causa meritoria Sacramentorum, quatenus ex ipsius passione Sacramenta habent efficaciam. Promeruit enim, ut Deus signis illis assisteret, atque rite suscipientibus gratiam signatam infunderet. Et quoniam causa meritoria ad genus causae efficientis reducitur, Christus ut homo causa quidem efficiens est, sed moralis interioris effectus Sacramentorum; ac proinde est causa moralis effectiva nostrae iustificationis: non sane causa principalis et auctoritativa, qua ex causa tamquam ex radice oritur veritas et efficacia Sacramentorum; quia huiusmodi causa solus Deus esse

potest; nec possibile est hanc auctoritatem alii communicari, sicuti nec fieri potest ut communicetur ipsa Deitas; sed causa eminentissima sub Deo, cui proinde data fuit potestas ferendi Legem Evangelicam et instituendi Sacramenta, adeo ut institutis causa principalis infallibiliter assisteret. Verissime igitur ex eorum institutione non solum habuerunt ut essent signa practica gratiae, verum etiam [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1. n. 7.] efficacia et certa, non quasi Christus ut homo efficacia uniatque signatum illis signis practicis, sed quia eadem persona, quae signa illa ad significandum assumpsit, facit quoque eadem esse certa, efficacia et infallibilia, nisi ponatur obex ex parte suscipientis; ex qua etiam potestate [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] absque signis ab se institutis potuisset influere et causare eumdem effectum quem causat cum ipsis, et interdum quoque causasse constat. Quoniam igitur Christus ut homo promeruit ut Sacramenta virtutem nos iustificandi haberent, et ipsemet meritorie et effective eam virtutem influit, habuit quoque et accepit potestatem ea instituendi, non principaliter et authentice, sed potestatem excellentiae et subauthenticam, quam nulla alia creatura, quae Personae divinae unita non sit, saltem de congruo, habere potuisset.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo: ad hoc ut recte dicatur eumdem Sacramentorum institutorem dedisse illis signis esse certa et efficacia, sicut ex parte ipsorum proprio non destituerentur effectu, quem signant, satis est eamdem personam unire regulariter signis illis propria signata. Et ita revera Christus institutor efficit, ut effectu non frustrentur regulariter, quamvis dumtaxat ut Deus est gratiam attingat principaliter, intuitu meritorum naturae humanae sibi personaliter unitae.

Ad secundum patet ex statim dictis; quia ipse ut Deus causando et infundendo gratiam dicebatur baptizare in Spiritu Sancto; eius autem gratiae erat causa moralis et meritoria ut homo.

Ad tertium [*Oxon.* ib. d. 15. q. 1. n. 5.] dictum est *in solutione*, qua potestate Christus effectum Sacramentorum sine eorum signorum usu causare potuisset; nec exinde sequitur, ipsum tamquam hominem opus habuisse uti signis illis sensibilibus, nisi ut homo eorumdem effectum attigisset; quia attingebatur ab eadem persona secundum potestatem infinitam, quamvis id promereri non potuerit nisi quatenus homo passibilis et viator.

ARTICULUS IV.

UTRUM CHRISTUS POTESTATEM SUAM QUAM HABUIT IN SACRAMENTIS POTUERIT MINISTRIS COMMUNICARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 19. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *a.* 4.

Videtur Christus haud alteri communicare potuisse eam, quam respectu Sacramentorum habet potestatem. Nam [*Oxon.* 4. d. 48. q. 1.] potestate excellentiae et subauthentica, maxima scilicet sub Deo, ipse pollebat quatenus natura illa humana erat unita hypostatice Verbo divino: sed nemo ministrorum Christi habuit, aut habiturus est hoc donum; ergo nec cuiquam ex ipsis congruere potest excellentiae potestas respectu Sacramentorum.

2. PRAETEREA. Ecclesia non potest habere duo capita, sed unum praecise, a quo omnes gratiae et dona in membra descendunt: sed Christo potestas excellentiae respectu Sacramentorum convenit, ut est caput Ecclesiae; ergo nulli membrorum id potest attribui.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 5.] Ex solutione *art. 2. praesentis quaestionis,* constat, nullum alium a Deo Sacramentorum institutorem fuisse, imo nec esse potuisse: sed si Christus impertiri valuisset ministris Ecclesiae eam, quam respectu Sacramentorum habet potestatem, et ii ministri Sacramenta pariter instituere potuissent, cum ex pari potestate instituta viderentur; igitur aut haec potestas alteri absolute competere nequit, aut Sacramenta possunt esse et non esse ex institutione divina.

CONTRA. Potestatem illam excellentiae communicari purae creaturae non involvit contradictionem; ergo possibile est id fieri.

RESPONDEO dicendum, minime congruum esse potestatem praecellentiae, quam habet Christus, communicari alicui membro Ecclesiae militantis, posse tamen de potentia Dei absoluta fieri ut communicaretur. *Declaratio:* [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 6. — 3. d. 13. q. 4. n. 2.] Christo data fuit summa gratia sine proprio merito; imo prius praevidebatur summa gratiam habiturus, quam eius passio acceptanda; ergo Deus potuisset et posset parem gratiam elargiri alteri creaturae sine meritis propriis aut alienis, et consequenter promereri ut Deus assisteret infallibiliter signis ab ea instituendis, sic ut causaret gratiam in omnibus, qui digne illis uterentur; vel etiam ut sine ullis signis sensibilibus ex imperio efficaci perfunderet gratia quos ipse vellet. Tunc enim illa creatura ex plenitudine scientiae nosset quando esset id petendum, vel praecipiendum; quia non iuberet fieri, nisi conformiter ad voluntatem divinam; et ex propriis meritis haberet, ut Deus infallibiliter ei assisteret, taliter ut eius sententia esset firma et irrevocabilis, quia semper iusta: sed talis est potestas excellentiae, quam habet de facto Christus; ergo posset Deus eamdem alii creaturae de potentia absoluta communicare.

AD ARGUMENTA. AD *duo* PRIORA dico, ea probare primam partem *solutionis,* nempe non esse congruum aut expediens eam potestatem excellentiae alteri a Christo, ut homo est, communicari. Unde licet congruum fuerit humanam illam naturam, quae fuit Verbo hypostatice unita, repleri summa gratia et scientia, non tamen extitit id ita proprium sibi et necessarium, ut iis donis uni illi collatis non potuerint aliis a Deo communicari. Posset igitur simpliciter alia creatura pares habitus supernaturales accepisse, et tunc plane potestate excellentiae potiretur et valeret se gerere circa Sacramentorum institutionem, efficaciam, et infallibilitatem, prout sese gessit Christus. Tunc enim voluntas eius creaturae, quae foret gratia plenissima, inseparabiliter adhaereret legibus divinae voluntatis, nec ex plenitudine scientiae errori ulli subesset in iudicando aut decernendo; esset ergo quicquid iuberet ratum, firmum et irrevocabile, non ex authentica et primaria potestate, cuius nemo citra Deum potest fieri compos, sed ex infallibili assistentia principalis auctoritatis et potestatis, ob quam eius auctoritas atque potestas foret excellentissima post Deum.—*Cum igitur arguitur;* quia tantum unum deb t esse Ecclesiae caput; *respondeo,* [*Oxon.* 3. d. 13. q. 4. n. 8.] Deum de potentia ordinata non posse conferre alicui alii tantam gratiam quantam contulit Christo, quia secundum leges latas a sapientia divina non erit nisi unum caput in Ecclesia, a quo sit influentia gratiarum

in membra; at id non impedire, quin de potentia absoluta possint alicui alteri naturae sive assumptae, sive etiam non assumptae paria dona a Deo liberaliter dari. — Caeterum si de facto Deus eam excellentiae potestatem communicaret alicui ministrorum Christi, non essent duo capita in Ecclesia, sed tantum unum, qui est Christus Dominus; creatura ergo illa haberet plenitudinem gratiae dependenter a Christo, cuius esset membrum, et non caput aequalè illi, non solum quia non esset Verbo unita ut natura humana Christi, sed etiam quia de facto Deus disposuit nullam gratiam dare alicui creaturae nisi intuitu meritorum Christi, et quia [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 4.] potestas haec excellentiae non addit potestati instituendi signa practica effectus invisibilis Dei, (quam posse habere Ecclesiam militantem nemo negat) nisi certitudinem et efficaciam signi respective ad signatum; adeo ut ex vi suae institutionis esset certum et infallibile, nullum videtur inconveniens de potentia Dei absoluta communicare hanc perfectionem creaturae, cui scilicet Deus infallibiliter assisteret ad causandum infallibiliter signatum ad signi positionem. Tunc enim is minister non institueret Sacramenta principali auctoritate, nec ex sui virtute intrinseca tribueret certitudinem signo practico, sed tantum haberet eam ab extrinseca causa certo assistente, et ideo esset potestas excellentiae, ut dictum est.

Ad tertium patet ex dictis *in solutione,* nam repugnare creaturae Sacramenta instituere certum est, sic ut eadem valeat infallibiliter unire signatum signis ab se institutis, quia nulla creatura valet gratiam causare, quia non potest creare. At Deus nihilominus absolute committere potest alicui Ecclesiae ministro, ut quaedam signa institueret, ad quorum usum ipse infunderet gratiam rite ea adhibentibus. Qui subinde minister posset habere plenitudinem gratiae et scientiae, caeterorumque donorum, quo in iis efficiendis non erraret, atque cuncta quae gereret divinae voluntatis placitis omnino concordarent.

ARTICULUS V.

UTRUM PER MALOS MINISTROS SACRAMENTA CONFERRI POSSINT.

Doct., Oxon. 4. *d.* 5. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *a.* 5.

Videtur Sacramenta haud conferri posse per malos ministros. Nam [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. d. 1. 3. — d. 6. q. 10. n. 3.] membrum aridum non potest esse causa influendi vitam in aliis membris: sed minister malus est membrum aridum Ecclesiae, quia sine gratia, quae est Ecclesiae vita; gratia enim est vita animae, quia per ipsam coniungimur Deo; igitur per malum ministrum Sacramenta conferri non possunt, sic ut prosint ad salutem et vitam.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib. d. 5. q. 1. n. 1.] Ad hoc ut aqua sit materia conveniens oportet in ea esse aliquam virtutem supernaturalem, ut patet per illud Ambrosii, et pariter dist. 4. *De Consecrat.,* c. *per quam: Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat quae habet gratiam Christi. Non sanat aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, et aquam illam consecraverit:* ergo multo magis requiritur sanctitas ministri ut vere baptizet, caeteraque Sacramenta ministret. *Probatur consequentia:* quia magis dependet Baptismus a dispositione ministri conveniente, quam ab aliqua virtute aquae.

3. PRAETEREA. Quod quis in se non habet alteri omnino dare non posse, est prima animi conceptio: sed malus minister in se non habet gratiam, ex eo enim malus est et dicitur; igitur nec gratiam impertiri potest iis, qui ab illo vel per illum suscipiunt Sacramenta Christi.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 3.] Augustinus, *homil.*, 5. *in Ioann. Baptismus talis est qualis ille in cuius potestate datur, non qualis minister, a quo datur.* Item contra Crescen. *Si non est melior,* inquit, *Baptismus qui per meliorem datur, nullo modo malus est qui per malum datur, quia idem datur.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 4.] per malos ministros Sacramenta valide et salubriter conferri posse, adeo ut suscipientes dicantur vere recepisse Christi Sacramenta, eorumdemque virtutem, nisi ipsorum indispositio obstet, et si minister quantumvis malus facere intendat quod facit Ecclesia, seu quod faciendum mandavit Christus; quae est veritas fidei, nec habet aliam rationem *a priori,* nisi voluntatem Christi instituentis et ordinantis ne ministrorum malitia obesset Legis Evangelicae Sacramenta suscipientibus.

Ad eius porro veritatis declarationem possunt addi hae congruentiae: — *Primo* [*Oxon.* ib. n. 5.] quia congruum et rationabile videtur ut nemo puniatur pro iniquitate alterius, cui non communicat, adeo ut nequeat sibi imputari: suscepturus autem Christi Sacramenta disponit se ad gratiam quantum potest; si igitur gratiam sacramentalem non consequeretur ex malitia conferentis, is profecto puniretur propter culpam alienam, nullo modo sibi imputandam. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 5.] si Baptismi Sacramentum non posset nisi a bono ministro conferri, non esset in magnum remedium viatoris, sed quasi communiter in detrimentum; nam cum nemo possit esse certus de bonitate propria, ita multo minus de bonitate alterius; igitur nemo esset certus vere se recepisse Baptismum; quod est intollerabile inconveniens; nam quisque intendens recipere Baptismum, de quo quilibet potest esse certus, vere recipit; praesumitur enim ministrum exercere illum actum conferendi secundum quod ordinatus est a Deo. — *Denique,* [*Oxon.* ib. n. 4.] quemadmodum institutio signi practici et certi est a Deo immediate et primo independenter ab omni bonitate et malitia ministrorum, ita congruum et rationabile est, ut eius quoque efficacia sit fixa et stabilis et independens a conditionibus variabilibus ministrorum, sed infallibiliter certa ex assistentia Dei.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 6.] non esse paritatem de corpore physico et corpore mystico Ecclesiae; nam omnium partium corporis humani est una vita, et participatur ab eis ordine quodam, quia primo est in corde, et exinde in aliis membris, secundum quod magis et minus approximant illi principio in ordine ad ipsum vivens; et ideo si pars una sit arida vel demortua, non potest per ipsam vita derivari in aliam, nisi prius et ipsa pars, per quam vita derivanda esset, modo sibi competente vivat. At aliter se habet res in corpore mystico Ecclesiae, quia non est in eo una vita numero, nec opus proinde est, ut membrum dans vitam alteri ministerialiter sit propinquius principio vitae in participando vitam, sed tantum in gradu ministrandi. Etsi igitur ministri mali careant vita, quae ex gratia est, quia tamen habent gradum in Ecclesia, per ipsum possunt esse Sacramentorum ve-

races dispensatores, quae non a ministrorum meritis habent efficaciam, sed a meritis solius Christi; et ideo eamdem nanciscuntur efficaciam, seu a bonis, seu a malis dispensentur, modo minister impartiri intendat et facere quod faciendum instituit Christus, et suscipientes intendant initiari Sacramentis Christi.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* ib. n. 6. — 4. d. 1. q. 4.] patuisse ex *q.* 62. *art.* 4. non esse ponendam aliquam virtutem supernaturalem in Sacramentis — *Et cùm adducuntur dicta Ambrosii ad id probandum,* dico, ut expositum fuit *loco cit.,* non esse in aqua aliquam virtutem activam absolutam supernaturalem, sed esse in ea virtutem, quae est ultimum de potentia, quatenus nimirum efficaciter significat gratiam a Deo causandam, et infallibiliter ex pacto inito, quo decrevit semper ex parte sui se gratiam causaturum ad eorum signorum congruam positionem.

AD TERTIUM concedo, malum ministrum in se gratiam non habere, quia alioquin haud esset malus; nego tamen propterea suscipientes per illum Sacramenta, gratiam non recipere; quia non malus aut bonus minister dat gratiam, sed Deus largitur infallibiliter illis, qui rite ea suscipiunt, quicumque tandem eorumdem Sacramentorum dispensator sit.

ARTICULUS VI.

UTRUM MALI MINISTRANTES SACRAMENTA PECCENT.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 2. — *Report. ib. d.* 5. *q.* 2.
S. Thom. 3. *p. q.* 64. *a.* 6.

VIDENTUR mali ministri haud peccare in ministerio Sacramentorum Christi. Nam, [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 2.] 1. q. 1. cap. *Quod quidam,* § *De his: Sacramentorum sanctitatem in perversis hominibus, sive qui intus sunt, sive qui foris, constat impollutam atque inviolabilem permanere.* Ergo quicumque Sacerdos quantumcumque malus potest habere sanctitatem Sacramentorum eamdem cum bono; igitur mali ea ministrantes non videntur peccare.

2. PRAETEREA. Si malus Sacerdos in Sacramentorum dispensatione peccaret, sequeretur aliquem in receptione eorumdem Sacramentorum minime vitare posse peccatum: hoc autem est falsum, quia Christi praecepta non inducunt ad peccandum, sed ad detestanda et emendanda peccata; igitur mali ministri in ministerio Sacramentorum non peccant. *Probatio sequelae:* etenim ille fit peccato obnoxius, qui scienter alterius peccato communicat; ergo si aliquis sciens Sacerdotem esse malum inducat illum ad ministranda sibi Sacramenta, impelleret ad peccandum, ac proinde et ipse una peccaret.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 15.] Satisfaciens in statu peccati mortalis non solum non peccat, sed etiam vere satisfacit; adeo ut non sit iterum alia satisfactio illi iniungenda, quia quod debebat repraesentavit; ergo Sacerdos qui tenetur Sacramenta distribuere ratione officii, licet sit extra charitatem, nihilominus minime peccare videtur in exhibendo id quod facere seu reddere tenetur.

4. PRAETEREA. Quamvis mali ministri careant charitate, tamen per

idem in Mediatorem qui Sacramenta instituit sunt unum cum caeteris membris Ecclesiae, atque etiam connectuntur ipsi capiti Christo, a quo est fides et caetera supernaturalia dona; ergo per fidei donum sunt habiles ministri Sacramentorum Christi, ut proinde in illorum dispensatione non peccent.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 1.] 1. *q.* 1. cap. *Multis saecularium,* ubi adducitur illud Malachiae, 2. *Maledicam benedictionibus vestris.* Et exponitur uno modo, *Maledicam quicquid a vobis benedicitur,* et fit illa comminatio malis Sacerdotibus; ergo quicquid ab eis benedicitur a Deo maledicitur; et per consequens ministerium eorum displicet Deo; igitur omnino tali in ministerio graviter peccare sentiendum est.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 2.] malos ministros in Sacramentorum administratione peccare, nam cum Sacramenta instituta sint a Christo in signis sensibilibus, ut inde viatores ducerentur in cognitionem invisibilis gratiae Dei, et ut iis mediantibus omnes sectatores Legis Evangelicae possent communicare et convenire et sibi mutuo auxilio esse, aliosque aliarum Sectarum declinare, et evitare, ne impediantur in observatione Legis, quam profitentur, congruum subinde est ut ministri Sacramentorum Ecclesiasticae unitatis sint et ipsi membra Ecclesiae, cuius Sacramenta administrant, ei nempe unita per fidem et charitatem: mali autem non sunt Ecclesiae membra, quae uniantur inter se et cum capite Christo per charitatem; ergo non sunt habiles ad illos actus in quibus membra Ecclesiae militantis communicant inter se: ii autem [*Oxon.* 4. d. 9. n. 3.] sunt ministratio et susceptio Sacramentorum; ergo sicuti peccant suscipientes Sacramenta, si non sint membra Ecclesiae per charitatem, ita et ministrantes si sint mali. Sed rei distinctior discussio erit *art. seq.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, eo probari resolutio *art. antec.:* quia cum Sacramenta habeant efficaciam ex meritis Christi independenter a conditionibus ministrorum, eamdem retinent impollutam sanctitatem, et vim, a quibusvis tandem attrectentur; sed tamen exinde non fieri quin indigne suscipientes et ministrantes peccent, ut declaratum est.

AD SECUNDUM respondeo: si malus minister ex ratione officii teneatur Sacramenta ministrare petenti, ipsum tantum esse obnoxium; quia tenetur idoneum Sacramentorum ministrum se exhibere. Si vero non teneatur ex munere, tunc debet recusare ministerium, nisi necessitas aliter fieri postulet. Sed de hoc dubio videndus *articulus incidens* praesenti adiunctus.

AD TERTIUM neganda est paritas; quia satisfactio non requirit eam dispositionem in satisfaciente qualem exigit Sacramentorum ministratio. — *Et cum dicitur:* iste tenetur distribuere petentibus Sacramenta; *dico,* ex hoc sequi gravius peccare, quia ratione officii sui debet esse paratus, atque idoneus minister Sacramentorum.

AD QUARTUM respondeo: quamvis fides in Mediatorem non sit causa praecisa validitatis Sacramentorum, sed magis intentio faciendi et repraesentandi quod Ecclesia facere intendit illis actibus, nihilominus si admitteretur, aliud exinde nequiret inferri, nisi valide conferri per malos ministros veracia Sacramenta Christi, sed non propterea immunes fore a peccato, quemadmodum indigne suscipientes Eucharistiam, quantumvis credant, non ideo non sunt obnoxii gravissimo peccato, dicente Apostolo, 1. *ad Corinth.,* cap. 11. *Qui manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit.*

ITERUM ARTICULUS VI.

UTRUM MALI MINISTRANTES SACRAMENTA PECCENT.

Doctor, Miscell. q. 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *a.* 6.

VIDENTUR mali ministri non peccare in dispensatione veracium Sacramentorum Christi. Nam [*Oxon.* 4. d. 9. q. 1. n. 1.] faciens quod exequi tenetur, non peccat mortaliter illud repraesentando: sed alicui Sacerdoti incumbit ex officio dispensare Sacramenta illis, quorum curam gerit et regimen suscepit; igitur si iste malus sit, haud peccare videtur in Sacramentorum dispensatione.

2. PRAETEREA. Dans eleemosynam ad subveniendum indigentiae pauperum, esto obnoxius sit peccato mortali, eo tamen in actu ne venialiter quidem peccat; ergo pariter nec dispensator Sacramentorum sine charitate videtur tali in facto peccare.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. n. 1.] Ex dictis *art. praec.*, membrum illud quod ministerialiter dat vitam alteri in corpore mystico Christi, non oportet esse propinquius principio vitae in participando vitam, sed satis est appropinquari illi in gradu ministrandi; ergo quantumvis mali ministri Sacramentorum careant charitate, modo polleant gradu ministrandi in Ecclesia, non videntur peccare in Sacramentorum dispensatione.

CONTRA. *Exodi,* 19. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos:* sed nullus interficitur a Deo nisi propter peccatum mortale; ergo oportet Dei ministros cum accedunt ad Dominum per ministerium Sacrorum, esse sanctos, hoc est sine peccato mortali. Unde *De Poenit.*, dist. 6., cap. *Qui vult,* habetur: *Patentissimum est crimen Sacerdotum et ultra modum detestabile, qui non prius se iudicant, et alios alligant.*

RESPONDEO: hic primo [*Miscell.* q. 3. n. 15.] distinguendum de tempore ministrandi Sacramenta, et de ministris, ad quos ex ordine spectat eorumdem ministerium, et deinde iuxta distinctionis partes est quaestio solvenda. Tempus itaque ministrandi Sacramenta est duplex: aut enim est propriae electionis, adeo ut commode queat eorum ministerium in aliud tempus transferri, vel differri: aut est tempus necessitatis, in tantum ut sine periculo differri non possit. — *Rursum,* minister aut est deputatus ex ordinatione Ecclesiae, ut Episcopus, vel Papa, vel Sacerdos Curatus, aut est simplex Capellanus et Sacerdos non habens curam animarum. Tunc esto

PRIMUM DICTUM; [*Miscell.* ib.] seu ministrans, seu suspiciens Sacramenta, sive sibi ex officio illa dispensare incumbat, sive non, tempore propriae electionis, seu sint Sacramenta necessaria seu non, semper peccat mortaliter ministrando vel suscipiendo in peccato mortali. *Probatio:* ministrans aut suscipiens Sacramenta aliter quam sint instituta a Christo, imo modo opposito, plane contemnit Deum in Sacramentis: sed existens in peccato mortali, et ministrare aut suscipere praesumens Sacramenta, contemnit Deum in ipsis Sacramentis; ergo ii peccant mortaliter. *Minor constat* de suscipientibus, ex eo, quia illi scienter privant et impediunt ef-

fectum Sacramentorum; ergo contemnunt Deum in Sacramentis, reputando se idoneos ad suscipiendum, cum revera extra charitatem existentes dispositi non sint. Et pro isto tempore liberae electionis est intelligendum quod habetur *De Consecrat.*, d. 4. cap. *Baptismus: Iustos omnes esse tanti Iudicis ministros, si ministrare iuste voluerint.*

SECUNDUM DICTUM: [*Miscell.* ib. n. 16.] ministrans Sacramenta tempore necessitatis, aut ministrat Sacramenta necessaria, ut est Baptismi aut Poenitentiae Sacramentum imminente mortis periculo; aut ministrat non necessaria, uti est Sacramentum Ordinis et celebratio Missae et dispensatio Eucharistiae et eiusmodi. *In primo* ministrans ea Sacramenta necessitatis in peccato mortali, aut est simplex Sacerdos non habens curam animarum, et tunc dicendum eiusmodi ministrum non peccare mortaliter tali in dispensatione Sacramentorum. *Probatio:* nam ministrans Sacramenta non ex sui electione, nec ex debito officii, sed praecise ob urgentem necessitatem imminente periculo proximi, is non contemnit Deum in Sacramentis, quia hic non reputat se idoneum eorumdem ministrum, nec ignorat extra charitatem neminem Sacramentis ministrandis se ingerere debere; sed praecise ad id descendit causa aeternae salutis proximi procurandae; igitur talis ministrans in peccato mortali non fit novo peccato obnoxius.

Quod [*Miscell.* ib.] si ministrans sit Sacerdos Curatus Sacramentis ministrandis subinde populo sibi commisso obstrictus, is minister peccat mortaliter in dispensatione Sacramentorum, si extra charitatem id exequatur. *Probatur:* etenim obligans se alicui muneri exercendo, et ignorans tempus determinatum executionis illius, semper debet se exhibere idoneum et paratum; igitur is instante necessitate ministrandi Sacramenta, ex hoc quod id praestare teneatur ex officio quod gerit, peccat mortaliter, nisi idoneum ministrum se exhibeat. In peccato autem existens non est idoneus, sed indispositus; igitur eiusmodi semper peccat mortaliter dispensando Sacramenta; ex munere enim quo fungitur debet conservare se et exhibere idoneum ministrum, aut officio renuntiare.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Miscell.* ib.] patet ex proxime dictis; quia si ministro incumbat ex officio esse dispensatorem Sacramentorum, ex hoc quod tempus necessitatis ignoret, debet semper se exhibere idoneum et paratum; si ergo instante necessitate dispensandi Sacramenta imparatus et non idoneus sit, non potest a peccato excusari, cum sua culpa evenerit ut immaculata Christi Sacramenta polluta ministraverit conscientia.

AD SECUNDUM respondeo negando paritatem; quia eleemosynae quae pauperi confertur non est eadem reverentia exhibenda, quae debetur Sacramentis; haec quippe cum immediate respiciant gratiam gratum facientem, tamquam primum eorumdem signatum, necessario sanctitatem requirunt in ministrante et suscipiente, quia uterque debet spiritualiter Sacramenta suscipere; quod tantum exequi valet minister, qui est sine peccato mortali, et suscipiens ea Sacramenta quae sunt vivorum.

AD TERTIUM respondeo sic, [*Oxon* 4. d. 5. q. 1. n. 4.] per hoc quod quis habet gradum in Ecclesia est legitimus dispensator Sacramentorum Christi, et valide ea impertitur, si cetera adsint, idest voluntas et propositum faciendi quod Ecclesia facit ex institutione Christi; sed non

proinde quisque Sacramenta administrat licite nisi sit in charitate: nam si sit malus non est membrum Ecclesiae militantis, ac proinde non licite administrat nec exequitur eos actus, in quibus membra communicant inter se, et per eos excipiunt influxum gratiarum a capite Christo, quod vere fieri non potest nisi sint membra Corporis Christi.

AD ARGUMENTUM *in oppositum,* quatenus facit contra *primam* partem *secundae* conclusionis dicendum, auctoritatem adductam ex 19. *Exodi* intelligi debere de illis qui dispensant Sacramenta tempore propriae electionis, et de iis quibus id incumbit ex officio, cuiusmodi sunt Sacerdotes Curati, quemadmodum in veteri lege unicuique Sacerdotum erat attributum proprium officium exercendum statuto tempore; et tunc ab omni quod inebriare poterat et a multis aliis prohibebantur. Sed ea auctoritas et aliae consimiles non sunt intelligendae de ministrantibus Sacramenta necessaria tempore necessitatis et imminentis periculi salutis aeternae, ut expositum est *in solutione.*

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM SUSCIPIENTES SACRAMENTA A MALIS MINISTRIS PECCENT.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 5. *q.* 2. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 6. Ad secundum.

VIDENTUR peccare illi qui de malorum ministrorum manibus Sacramenta suscipiunt. Nam [*Oxon.* 4. d. 5. q. 2. n. 1.] Ambrosius, *De initiandis rudibus,* loquens de malis baptizantibus et recipientibus ab eis Baptismum, *Qui faciunt,* inquit, *et quibus faciunt nihil prodest, sed ad iudicium est.*

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Cooperans alicui ad peccandum mortaliter peccat mortaliter, quia est contra charitatem fraternam: sed recipiens Sacramenta a ministro malo cooperatur ei in illis actibus, in quibus mortaliter peccat; ergo et ipse peccabit.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si aliquis nollet baptizare nisi reciperet pecuniam, non posset aliquis ab eo recipere Sacramentum Baptismi, nisi committeret simoniam; quia si vendens est simoniacus, et emens; ergo saltem in isto casu recipiens a malo ministro peccat mortaliter.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] *De Consecrat.,* d. 4. cap. *Romanus: Romanus Pontifex non attendit hominem qui baptizat, sed Deum, etsi Paganus sit qui baptizat.*

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 2. seqq.] minister malus potest intelligi vel qui est praecisus ab Ecclesia, ut haereticus, vel nominatim vel ob notoriam Clerici percussionem excommunicatus; vel malus non praecisus ab Ecclesia. Et de *primo* dicendum, licere adulto in casu necessitatis recipere Baptismum a praeciso, si copia alterius ministri non sit; etenim magis obligat praeceptum superioris, quam inferioris: Deus autem iubet Baptismum esse suscipiendum urgente necessitate, non determinans a quibus ministris; et Ecclesia statuit non esse communicandum cum praeciso; ergo magis est obediendum praecepto divino, quam Ecclesiae in illo casu. — *Deinde,* excommunicatus vel praecisus

sciens parvulum non baptizatum animam agere, et statim esse moriturum, tenetur eum baptizare, et ita non vitare eum in actu baptizandi; nam si inveniret fame iam periturum teneretur iuvare, et consequenter magis teneretur illi pro vita spirituali; ergo pariter alius in casu necessitatis posset licite petere ab eodem baptizari; nec aliquis Judex, Ecclesia, vel legislator interpretaretur praeceptum suum de non communicando cum praeciso in casu necessitatis, tam quoad salutem corporalem, quam spiritualem, praesertim cum pro communicando tunc cum eo adsit praeceptum Evangelicum et naturae. Quod etiam expresse dicit Augustinus, *lib.* 6. *Contra Donatistas, cap.* 5. *fere in principio.*

Quantum autem ad parvulum [*Oxon.* ib. n. 4.] si ei periculum vitae imminet, et non possit haberi alius, tenetur quis offerre eum praeciso; nimis enim durum esset dicere oportere et praestare eum sine Baptismo decedere, quam baptizari a praeciso, cum constet per Baptismum, a quovis collatum, ipsum felicitate aeterna potiturum, et sine Baptismo non intraturum in Regnum Caelorum.

Quod si minister [*Oxon.* ib. n. 5.] non sit ab Ecclesia praecisus, sed occulte malus, ut vita eius non sit populo scandalosa, conceditur posse aliquem, imo debere ab huiusmodi Baptismum recipere, si alias debeat; quia propter peccatum quod non est notorium non debet aliquis in actibus notoriis vitare proximum. Quod si publice et notorie malus sit, ut publice fornicarius aut huiusmodi, vel incumbit sibi ex officio dispensare Sacramentum Baptismi, ut si esset curatus Parochialis, aut non incumbit, tamen congruit officio quod gerit, ut si esset Sacerdos vocatus in adiutorium curati. Si *primo modo,* non peccat qui recipit Baptismum pro se vel pro parvulo suo, quia non peccat qui a malo debitum petit, vel accipit: ille autem curatus debitor est Parochiae suae in Sacramentis ministrandis. Si *secundo modo,* vel potest haberi alius cui incumbit ex officio baptizare, et aut aeque malus aut melior est: si melior, peccat qui ex malo recipit, quia non incumbit sibi Sacramenta ministrare: si aeque malus, debet recipere a suo. Sed si nullus alius possit haberi curatus vel Sacerdos nisi aeque malus isti, possit tamen haberi aliquis bonus laicus, dubium est, quis ex duobus sit alteri praeferendus. At quia officium ministrandi Sacramenta in Ecclesia competit Sacerdotibus, videtur dicendum esse bono laico praeferendum malum Sacerdotem, uti habetur *De Consecr.,* dist. 4. cap. *Constat.,* quod solis Sacerdotibus est baptizandi officium concessum, excepto articulo necessitatis.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 6. — q. 1. n. 6.] ex Ambrosio, dico, ipsum loqui et intelligere de adultis fictis, qui consentiunt in haeresim, et in malitiam haereticorum baptizantium, quorum facti sunt discipuli in haeresi et in vita prava, et de his verum est nihil ipsis prodesse quod suscipiunt a talibus ministris.

Ad secundum [*Oxon.* ib.] nego *minorem,* quia petens directe non cooperatur ad peccatum mortale ministri; petit enim ab eo actum debitum, etsi in eo minister peccet; nam nulla malitia excusat eum a solvendo debitum, quo tenetur alteri. Ille etiam actus posset solvi sine peccato si baptizaturus contereretur. Unde quantum est ex parte petentis, ipse magis necessitat Sacerdotem ad poenitendum, quam ad actum peccandi; quia tunc urget necessitas se disponendi ad poenitendum.

AD TERTIUM de simonia dico sic [*Oxon.* ib. n. 7.]: si petens Baptismum emat aquam quia sancta est, peccat; emit enim aliquod quod non potest rebus temporalibus aestimari. Et si quis nollet baptizare nisi sub hac conditione, non est recipiendus Baptismus ab eo, neque pro se, neque pro parvulo, etiam si nullus alius esset qui posset et vellet baptizare, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona, *ad Roman.*, 3. et quis debet magis diligere seipsum quam proximum; et per consequens magis in seipso vitare peccatum mortale, quam in alio damnationem. Quod si Sacerdos vellet vendere aquam, nec alio modo concedere, posset emi eam, non respiciendo ad consecrationem, esto esset consecrata; sicut licet vendere calicem consecratum nullo habito respectu ad consecrationem. Verum si Sacerdos vellet vendere actum baptizationis, potest offerens parvulum emere, non quatenus Sacramentalis est, sed ut est Sacerdoti laboriosus, sicuti conducuntur hodie Sacerdotes ad celebrandas Missas, non ut ipsi vendant et alii emant actum celebrationis ut Sacramentalis est, quod absit; sed proprium laborem vendunt, et alii emunt, quia oportet unumquemque de proprio labore taliter qualiter victitare.

ARTICULUS VII.

UTRUM ANGELI POSSINT SACRAMENTA MINISTRARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 1. — *Report.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *a.* 7.

VIDENTUR Angeli minime posse Sacramenta conferre. Nam [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 6. — d. 8. q. 1.] Sacramentorum ministri, ut Ordinis et Confirmationis, non sunt nisi Episcopi secundum claves Ecclesiae ordinati: sed Angeli cuiuscumque sint excellentiae his gradibus et praerogativis destituuntur; ergo per illos nequirent praefata Sacramenta rite administrari.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 3.] Si Angelo proferente verba consecrationis super materiam idoneam poneretur ibi Corpus Christi; igitur non solius Sacerdotis esset Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi conficere: sed hoc est contra id quod refertur, *Lucae* 22. nempe dixisse Salvatorem Apostolis et successoribus eorum, *Hoc facite in meam commemorationem*; igitur cum Angeli non sint Apostolorum successores, non poterunt esse idonei Sacramenti Eucharistiae ministri et confectores.

3. PRAETEREA. Si statueretur in Ecclesia Angelum posse rite Sacramenta Christi conferre, ex hoc ingens rima aperiretur simplicium deceptioni; nam tunc et Angeli mali eidem sese ministerio ingererent, atque deciperentur multi in re maxima; in qua nempe sita est hominum aeterna salus; igitur non debet admitti Angelum esse posse idoneum ministrum Sacramentorum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1 n. 2.] Validae collationi Sacramentorum tria requiruntur, nempe formae pronunciatio, intentio, et apta materia: haec omnia possunt praesto esse Angelo; ergo et is poterit valide Sacramentum conficere et ministrare.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 2. seqq.] etsi congruum et conveniens sit hominem viatorem tantum Sacramenta viatoribus ministrare.

posse nihilominus quodlibet suppositum intellectuale esse ministrum Sacramentorum Christi. *Et congruitas de homine viatore declaratur:* quia Christus Sacramentorum institutor homo fuit; ergo magis congruit eorum ministrum et dispensatorem esse hominem, quam aliquod aliud suppositum intellectuale. — *Deinde,* in Sacramentis est aliquid sensibile et aliquid spirituale et intelligibile, scilicet gratia signata per illa signa sensibilia; ergo magis congruit Sacramentorum ministrum esse talem ut utatur sensu et intellectu, quam esse tantum intellectualem, uti sunt Angeli. — *Denique,* per Baptismi susceptionem adscribitur aliquis ut sit membrum Ecclesiae militantis; ergo congruum est fieri per aliquem eiusdem Ecclesiae: talis autem est solus homo viator.

Quod vero possent idipsum praestare et Angeli in corporibus assumptis *declaratur:* [*Oxon.* ib. n. 2.] quia ad rite ministrandum Sacramentum, Baptismi e. g. non requiritur nisi ut minister possit necessaria verba proferre, atque polleat virtute motiva qua abluere valeat baptizandum, et rectum usum rationis: Angelus autem in corpore assumpto posset haec omnia praestare, ut patet; et consequenter si constaret aliquem ab Angelo fuisse baptizatum, non esset iterum baptizandus, quemadmodum in Ecclesiastica Historia legimus Michaëlem prohibuisse Episcopo Sipontino dedicare Ecclesiam suam in monte Gargano, eo quod a se iam fuerat consecrata; ita et si quem baptizasset, non esset iterum aquis intingendus, quia id non fieret nisi iussu Dei, et per consequens rite factum esset.

Si vero malus Angelus in corpore assumpto aliquem baptizaret, [*Oxon.* ib.] et constaret Baptismum ab eo collatum fuisse de praecepto Dei, pariter et is habendus esset pro vere baptizato; quia oportet et malum Angelum vel invitum obedire Deo praecipienti. Sed tamen sine certa revelatione non esset id credendum; nam Deus non ministrat Sacramenta per exclusos finaliter a salute, et praesumendum est malum Angelum semper fraudulenter agere nobiscum, nec complete facere et praestare ea quae sunt necessaria ad salutem, ob inimicitias quas exercet cum genere humano, livore et invidia percitus; nisi forsitan de praecepto divino arctaretur ad rite conferendum Sacramentum; et ita nisi constaret, id iussu Dei fecisse, esset ab eo baptizatus rebaptizandus.

Ad Argumenta. Ad duo priora respondeo, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 6. seqq.] Deum non alligasse suam potentiam Sacramentis, sic ut nequeat sine ipsis iam institutis eorum effectum producere; quamquam igitur regulariter loquendo invisibilem effectum causet mediis Sacramentis, et signis sensibilibus si adhibeantur ab habente potestatem, nihilominus si ipse mandaret Angelis ut Sacramenta Confirmationis, Ordinis, et Eucharistiae conficerent, et conferrent, una tribueret iisdem necessariam facultatem et potestatem, parem nempe illi quam habent Sacerdotes et Episcopi iuxta claves Ecclesiae ordinati.

Ad tertium [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 2.] patet ex dictis *in solutione:* quia non esset existimandum vere collatum esse Sacramentum, nisi constaret id opera boni Angeli factum esse; vel si Dei iussu conferretur per malum Angelum, tunc demum facto esset fides adhibenda, cum Dei revelatione innotesceret diabolum eo in negotio fraudolenter non se gessisse.

ARTICULUS VIII.

UTRUM INTENTIO MINISTRI REQUIRATUR AD PERFECTIONEM SACRAMENTORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 5. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *art.* 8.

VIDETUR intentio minime requiri ad perfectionem Sacramenti. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 5. n. 5.] instrumentum non semper habet propriam actionem, aliam ab actione principalis agentis; instrumentum enim movet in quantum motum: sed minister in conferendo Baptismum est agens instrumentale, quia minister Dei; ergo non oportet ipsum in collatione Sacramentorum habere propriam actionem, vel propriam intentionem, aliam ab intentione principalis agentis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si intentio necessario requiretur in ministro, aut requireretur ut Sacramentum, aut ut res Sacramenti: non *primo modo:* etenim Sacramentum est sensibile signum, qualis non est intentio: nec *secundo:* nam res Sacramenti est in suscipiente Sacramentum, in quo oportet ponere intentionem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Non habens fidem potest baptizare, ut habetur *De Consec.,* dist. 4. cap. *Romanus:* sed Paganus non habens fidem non habet intentionem, quia nemo vult fieri, quod non credit posse fieri; igitur intentio non est necessaria in ministro.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Augustinus, *Homil.* 5. in *Ioannem: Non timeo,* inquit, *ebriosum in actu baptizandi:* sed perfecte ebriosus non potest habere usum rationis, nec intentionem; ergo intentio non est necessario requisita in ministro ad perfectionem Sacramentorum.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] *Magister,* 4. d. 6. lit. E: *Nam in hoc* (Baptismate) *et in aliis Sacramentis sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda;* est igitur necessaria intentio ministri ad perfectionem Sacramentorum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 2.] ad Sacramentorum perfectionem esse necessariam intentionem in ministro illa conferente, in tantum ut nisi ea adsit, Sacramenta non conficiantur. Intelligendum est tamen, *dupliciter* dici posse ministrum habere intentionem: nam vel intendit ipsum actum quem exercet; vel finem propter quem talis actus est exercendus. *Et primo modo* loquendo de intentione dicendum est, [*Oxon.* ib. n. 3.] ad validam Sacramentorum confectionem oportere ministrum huiusmodi intentionem habere; etenim talis intentio exigitur in quocumque homine exercente aliquem actum humanum causatum per intellectum et voluntatem, et non fortuito: actus autem quem minister Sacramentorum debet exercere non potest esse casualis vel fortuitus, sed humanus; ergo debet esse ab ipso intentus. *Patet minor:* quia ad illum actum Deus obligavit suscipientem et conferentem respective: super fortuitum autem non cadit obligatio; igitur debet esse humanus, et ita intentus.

Verum amplius rem hanc declarantes dicimus, [*Oxon.* ib.] oportere ministrum habere intentionem finis, propter quem actus exercetur. Et is quidem finis *duplex* est: alius nempe *principalis* et remotus; alius

minus principalis et proximus. *Exemplum prioris:* ut Baptizatus nimirum fiat filius regni, qualis fieri non potest sine gratia, qua est dignus vita. *Posterioris,* ut scilicet Baptizatus fiat Christianus, sive membrum Ecclesiae militantis. Et uterque finis potest a ministro intendi in universali vel in particulari. At ministrum non oportere intendere finem principalem et remotum, *declaratur:* [*Oxon.* ib. n. 4.] quia Paganus baptizans non intendit ordinare baptizatum ad vitam aeternam, quam non putat esse nec credit: et nihilominus si intendat ordinare baptizatum ad legem Christianorum servandam, vel facere quod Christiani solent eo actu exequi et praestare, vere confert Sacramentum; non est ergo necessaria ad perfectionem Sacramentorum intentio finis principalis, sed magis finis non principalis et proximi.

Sed quare magis in ministro est necessaria intentio finis minus principalis, quam principalis? *Respondeo* [*Oxon.* ib.] id esse, quia Deus instituens illum actum non voluit esse tantum, ut est talis actus in natura, quia tunc non distingueretur a quacumque alia ablutione, etiam cum aliis verbis peracta; sed voluit esse actum humanum in ministro ipsum exercente, tamquam signum impositum a Deo: habens autem actum humanum intendit finem illius actus, ut est sibi actus humanus; ergo minister intendit finem proximum istius actus, ut est sibi impositus: finis autem ille principalis et ultimus, ordinare nempe istum ad vitam aeternam, non est finis huius actus, ut est actus humanus, ad quem scilicet oportet actum istum ordinare, ut est actus humanus; nam eo fine circumscripto superest ratio actus humani; ergo ad Sacramentorum perfectionem satis est intentio finis minus principalis. *Exemplum:* [*Oxon.* ib. n. 5.] princeps instituens tactum manus esse signum practicum amicitiae in Republica, utique ille actus non esset tale signum ut est actus in natura, sed quatenus institutus a Principe. Illum ergo exercentes et intendentes finem ad quem est institutus, est is actus verum signum amicitiae, esto non cogitent de fine ulteriori intento a Principe, qui posset esse, ut sibi hac via innotescerent quinam inter se amici sint, et qui inimicitias mutuo exercent; atque ita iis quae in reipublicae detrimentum videntur cessura commode prospiciat, atque ita regnum sibi conservet.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 6. seqq.] respondeo, ministrum respectu ablutionis, quatenus etiam Sacramentalis est, non esse instrumentum, sed causam secundam agentem una cum causa prima, quemadmodum est causa secunda agens cum prima respectu scriptionis; siquidem ipse minister vere abluit, et verba profert ut signa sunt; respectu igitur ablutionis Sacramentalis oportet ipsum habere intentionem, et respectu actus, quia agens a proposito est, et respectu finis actus, ut nempe facere intendat quod coetus Christianorum intendit in illo actu. Sed tamen concedo, ipsum esse instrumentum respectu effectus principalis, quia est gratia, qua adipiscimur vitam aeternam; et consequenter concedo, non oportere ipsum habere intentionem qua intendat hunc finem.

Ad secundum dico, [*Oxon.* ib. n. 9.] *assumptum* procedere de iis quae sunt intrinseca Sacramento. Et revera nihil est intrinsecum Sacramento Baptismi in quantum tale nisi audibile, et visibile, verba, et ablutio in aqua. Sed praeterea ad Sacramenti perfectionem requiruntur quaedam extrinseca, inter quae est intentio ministri. Sicuti enim ad ipsum Sacramentum necessario requiritur causa extrinseca, ita et illud quod est

quasi principium agendi tali causae effectivae; principium enim determinans agens intellectuale ad agendum est intentio, quia tale agens per imperium voluntatis est causa activa motiva aliarum potentiarum, quae subiacent imperio voluntatis.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib. n. 10.] probari non esse necessariam intentionem respectu finis principalis, quod concedo. — *Et cum infertur,* perinde non requiri intentionem circa finem minus principalem; *falsum est,* ut supra extitit declaratum. Non habens itaque fidem de fine ultimo, non intendit ordinare suscipientem Sacramenta ad ipsum; oportet tamen ut talis credat posse aliquem per Baptismum adscribit Sectae Christianorum; seu credat Sectam illam esse veram, sive non, potest intendere adscribere baptizandum illi Sectae. Vel generalius potest intendere facere quod Christiani intendunt per Baptismi collationem. *Exemplum:* credens Iudaeos distingui ab aliis per Circumcisionem, esto non credat Circumcisionem valere ad salutem, posset intendere circumcidendo parvulum Iudaeorum Sectae illum adscribere, et facere circa eum quod Iudaei facere intendunt circa suos circumcisos. Quo pacto aliquis bonae fidei posset proferre verba quibus utuntur Magi incantantes, intendens in generali facere, et ad eum finem ad quem proferuntur ab illis, etsi ignoret ad quem effectum principaliter signandum ipsa instituta sint.

AD QUARTUM dicendum, [*Oxon.* ib.] ebriosum eum esse, qui est assuetus ad ebrietatem; at hunc non semper esse ebrium, quia non semper impeditus ab usu rationis. Cum igitur dicit Augustinus, *Non timeo ebriosum,* est intelligendus de assueto ad ebrietatem, a quo si Baptismus conferatur, validus est, quia mala illa consuetudo non facit Baptismum irritum. At si conferatur quando est perfecte ebrius, cuius scilicet ratio vino obruta sui compos non sit, Baptismus ex defectu intentionis est nullus, et iterandus.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM IN MINISTRO SACRAMENTORUM REQUIRATUR INTENTIO ACTUALIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 6. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 64. *a.* 8. Ad tertium.

VIDETUR in ministro requiri intentio actualis. Etenim [*Oxon.* 4. d. 6. q.6. n.1.] ab actu primo non procedit effectus nisi mediante actu secundo: intentio autem habitualis est sicut actus primus; ergo ab ea non procedit effectus, sine intentione actuali quae teneat locum actus secundi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. q. 5. n. 3.] Iuxta dicta *art. praec.* ad hoc ut valide conferatur Sacramentum Baptismi, opus est ut actus ille sit humanus, et non fortuitus, idest, intendens aliquem finem: sed nisi actu quis intendat finem necessarium, qui est adscribere baptizatum Sectae Christianorum, foret huiusmodi actus fortuitus; igitur oportet intentionem esse actualem in ministro, ad hoc ut valide dicatur conferre Christi Sacramenta.

CONTRA. [*Oxon.* ib. q. 6. n. 1.] Ad merendum non est necessaria intentio actualis, sed sufficit virtualis; ergo multo magis virtualis intentio

sufficiet ad rite conficienda Sacramenta. *Patet consequentia:* quia in merito requiritur bonus motus voluntatis ipsius merentis: ut autem Sacramenta habeant effectum suum, non requiritur bonus motus voluntatis in aliquo, sed satis est, si non ponatur obex. *Probatur antecedens:* [*Oxon.* ib. n. 2.] nam Martyres exquisitissimis tormentis affectos, verisimile est non habuisse semper usum rationis, quae solet huiusmodi in cruciatibus obrui et absorberi; et tamen nemo negaverit talia perferentes non meruisse, non ex intentione actuali perferendi quam, non habebant, sed ob virtualem; quia nempe patiebantur virtute intentionis illius, qua actu ob Christi fidem voluerunt se exponere et pati cruciatus illos.

RESPONDEO dicendum: [*Oxon.* ib.] ad perfectionem Sacramentorum non sufficere intentionem habitualem, nec esse necessariam actualem, sed sufficere virtualem. Et intentionem quidem habitualem appello, qua habens habitum potest intendere secundum illum, ut habens fidem dicitur habitualiter credere quando dormit; virtualem vero, cuius virtute sunt omnes alii actus quos exercet agens ex intentione, virtute nimirum alterius intentionis actualis prius habitae. Illum denique intelligo habere actualem intentionem, qui habet actum elicitum respectu eius quod intendit. Etsi igitur praestaret ministrum semper habere in collatione Sacramentorum actualem intentionem, non esse tamen ad eorumdem perfectionem necessariam, ex eo constat quia [*Oxon.* 4. ib. n. 3.] Deus non obligavit hominem ad impossibile vel nimis difficile, cuiusmodi est non distrahi, seu semper habere actualem intentionem circa aliquid; secundum enim Augustinum, 3. *De lib. arb. Non est in potestate nostra quin visis tangamur.* — *Deinde,* in confectione Eucharistiae, quod est excellentissimum Sacramentorum, Deus non obligavit ministrum ad intentionem actualem; ergo neque in aliis. *Probatur assumptum:* [*Oxon.* ib. n. 2.] minister intendens prius celebrâre, licet in proferendo verba Sacramentalia distractus sit, vere nihilominus conficit; ergo pariter caetera Sacramenta poterunt habere propriam perfectionem sine intentione actuali.

Quod vero non sufficiat intentio habitualis declaratur; nam ex *articulo praecedenti* patet, ministrum sic oportere intendere Sacramentum quod confert, ut vere habeat actum humanum: sed cum intentione habituali respectu alicuius actus stat actum huiusmodi esse casualem, fortuitum, et non humanum; ergo cum intentione habituali non stat perfectio Sacramentorum. *Probatur minor:* [*Oxon.* ib. n. 3.] si aliquis habens intentionem habitualem de sanitate procuranda, deinde per ludum et animi gratia currat, si ex eo cursu sequitur sanitas, ipsa erit fortuita et casualis, quia non intenta per cursum ex quo sequuta est; currens enim non intendebat sanitatem currendo, sed ludum; igitur cum ex intentione habituali ut talis non procedat actus humanus, manifestum est non sufficere ad Sacramentorum perfectionem, quemadmodum nec sufficit ad meritum; nam habens intentionem habitualem dandi eleemosynam, non meretur, alioquin enim dormiens mereretur.

Superest igitur intentio virtualis, [*Oxon.* 4. ib. n. 2.] quam diximus sufficere ad rite ministranda Sacramenta, quae est media inter actualem et habitualem; et ex ea veluti ex radice proficiscuntur omnes alii actus exerciti ab illo, qui habuit actualem, quae fuit principium ordinatum ad omnes illos actus; sed illi actus debent procedere ab intentione

virtuali, sic ut non intervenerit aliquis motus voluntatis contrarius; etenim eo interveniente, non superesset intentio virtualis. Sicuti igitur talis intentio sufficit ad meritum, ita et ad Sacramentorum perfectionem; siquidem intendens peregrinari devotionis et peccatorum delendorum causa, si inter eumdum de neutro recogitet motivo, est nihilominus ea peregrinatio illi meritoria et satisfactoria. Et ita intendens baptizare per actualem intentionem non retractatam, etiam distractus in actu baptizandi, vere confert Sacramentum; quia descendit et oritur ille actus ab intentione actuali quam prius habuit.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 4. ib. n. 4.] concedo, aliquem actum requiri ad hoc ut effectus sit, eumque actum esse rationem, qua producitur effectus extra; sed nego oportere illum actum secundum necessario esse, ex eo quod effectus principaliter intentus producatur; sufficit enim si non est in se, superesse in sua virtute quando effectus est; nam virtute eius fuerunt alii actus, per quos fit talis effectus; sicuti manifestum est multos effectus actu causari quando actualis motio causae agentis per intellectum, a qua producuntur, non manet. Et potest exemplificari in naturalibus, quia proiecto lapide in aqua, primus circulus est causa secundi circuli, et sic deinceps; non tamen semper manet primus quamdiu caeteri.

Ad secundum [*Oxon.* ib. n. 3.] patet responsio *ex dictis;* quia quotiescumque actus baptizandi procedit ab intentione virtuali, semper est actus humanus; fortuitus tamen esset, si ab habituali intentione proveniret, ut explicatum est *in solutione;* quamquam non recte diceretur esse per intentionem habitualem, sed per aliam illius, qui habet intentionem habitualem.

ARTICULUS IX.

UTRUM FIDES MINISTRI SIT DE NECESSITATE SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 5. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *art.* 9.

Videtur fides ministri esse de necessitate Sacramenti. Nam [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. n. 1.] Ambrosius, *De baptizandis rudibus, Baptismus,* inquit, *perfidi non sanat, sed polluit.* Quod probat tripliciter: primo per illud Psal. 31. *In diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt:* secundo per illud Apostoli Roman., 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est:* tertio tandem, quia recipiens Sacramentum ab infideli, recipit ad iudicium, non ad salutem.

2. Praeterea. [*Oxon.* 4. ib. n. 2.] Augustinus, *De unico Baptismo,* post medium, refert, Cyprianum Martyrem gloriosum negasse esse verum Baptismum, qui conferebatur ab Haereticis vel Schismaticis. *Ex hoc arguo sic:* errans circa aliquem articulum, fidei si in illo errore decedat, procul dubio damnatur, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Heb., 11. Cyprianus sensit per ministrum Haereticum vel Schismaticum non posse conferri verum Baptisma, atque in ea sententia semper fuit, et tamen non est damnatus, imo inter Martyres gloria caelesti potitur. Ergo ista sententia non est erronea, nec contra aliquem articulum fidei: sed veritas Sacramentorum pertinet ad illum articulum, *Sanctam*

Ecclesiam Catholicam. Et de Haereticis et Schismat. Ad abolendam: *Universos qui de Sacramentis Ecclesiasticis aliter docere non metuunt aut assentire, quam Sacrosancta Romana Ecclesia docet, vinculo perpetui anathematis innodamus;* ergo sententia docens infidelis Baptismum esse validum, non est veritas pertinens ad aliquod Sacramentum: sed nihil est asserendum tamquam certum et necessarium ad Sacramentum, quod non est verum pertinens necessario ad Sacramentum; ergo fidem ministri esse necessariam ad validitatem Sacramentorum non est contra ea, quae Ecclesia statuit esse servanda de Sacramentis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. ib. n. 3.] Augustinus, *ad Orosium,* q. 59. *Quamvis unum sit Baptisma Haereticorum, qui in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizant et Ecclesiae Catholicae, tamen qui foris Ecclesiam baptizantur non sumuntur ad salutem.* Et sequitur: *Ecclesia eos non baptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 4.] fidem ministri non esse de necessitate Sacramenti, adeo ut etiamsi quis non credat in Deum, nec credat Christi Sacramentis conferri aliquid ad salutem, modo credat per Baptismum posse baptizandum adscribi Sectae Christianorum (quod est habere intentionem, seu exercere actum humanum), vere baptizat. *Probatur:* etenim Christus instituens Sacramenta noluit effectum eorum conferre suscipientibus virtute meritorum ministrantis et conferentis, sed virtute meritorum ipsius Christi; igitur non requiritur ad Sacramentorum perfectionem, ut nempe praestent gratiam, quam signant, bonus motus voluntatis conferentis, sed satis est ipsum non habere contrariam voluntatem, et quod intendat facere quod facit Ecclesia Christi; ergo pariter non requiritur fides in intellectu, qua credat in ultimum vel in Sacramentorum effectum, modo persuasum habeat (ut dictum etiam fuit *articulo* 8. *ad tertium*) eum cui confertur Baptisma adscribi Sectae Christianorum; ergo stante intentione efficiendi quod facere intendit Ecclesia, etiamsi nulla adsit sincera fides vere conferuntur et suscipiuntur Christi Sacramenta. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 5.] si in ministro Sacramentorum foret necessaria fides, essent Sacramenta magis in detrimentum viatorum, quam in salutem; etenim etsi quisque possit habere aequaliter certitudinem de se quod credat in ea quae ab Ecclesia credenda proponuntur, non potest tamen id scire de alio an credat; ac proinde si in ministro Sacramentorum esset necessaria fides, nemo esset certus se Sacramenta recepisse, ut non est certus de fide illius; ergo non essent Sacramenta instituta in maximum auxilium viatorum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico: [*Oxon.* ib. n. 6.] si perfidi et Haeretici (de quibus ibi loquitur Ambrosius) baptizent adultum ut faciant eum esse ipsorum discipulum et haereticum, sicuti magistri sunt, tunc utique baptizatum non sanari, sed pollui; si autem baptizetur ab eis parvulus secundum formam Ecclesiae, tenendum est simpliciter fuisse baptizatum, et in Christo regeneratum, et nequaquam rebaptizandum; qui si exinde adulta aetate haereticis Magistris adhaerens, evaderet et ipse haereticus, pollueretur quidem ab eo Baptismus, quia peccaret gravissime, sed tamen staret veritas Baptismi olim suscepti in eo.

AD SECUNDUM argumentum innixum sententiae B. Cypriani Martyris dicendum, [*Oxon.* ib.] aliqua esse ita de substantia fidei, ut omnes etiam simplices post aliquantulum usum rationis teneantur ea explicite

credere, ut Deum esse unum et trinum, natum, mortuum, passum, etc. de quibus sunt speciales solemnitates in Ecclesia, et quae potest populus concipere, vel quia sunt de Christo homine, vel quia imaginabilia; aliqua vero esse ita de substantia fidei, ut ad ea non teneantur omnes, sed tantum maiores in Ecclesia, ut quod Patri sit aequalis Filius, et ab eo genitus; quod Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio, et alia huiusmodi; quae distinctio potest haberi ab Augustino, 14. *De Trinit.*, cap. 1. Alia denique esse, quae necessario non sunt explicite credenda neque a maioribus Ecclesiae, neque a simplicibus, et populo; ea autem sunt illa, quae necessario includuntur in articulis fidei, sed quoadusque non fuerint per Ecclesiam declarata, et tamquam credenda proposita, nemo ad ea credenda adstringitur. Circa quae interim expedit sobrie opinari, quo paratior quisque sit ea tenere et credere pro tempore quo fuerint declarata.

Ad propositum, [*Oxon.* ib.] Baptismum esse Sacramentum novae legis necessarium ad salutem, statim erat de veritate fidei christianae, quia expressse habitum in Evangeliis; sed quod ab haeretico et infideli potuerit conferri non ita statim expressum nec explicatum ab Ecclesia fuit, imo nec tempore B. Cypriani; quapropter ad eam veritatem declarandam multum operis impendit B. Augustinus, ut est videre in libris suis *contra Donatistas, et de unico Baptismate.* Quare si Cyprianus sentiens haereticorum Baptisma nullum et irritum esse, paratus quoque erat sentire et tenere quicquid Ecclesia determinasset, in nullo erravit, nisi fortasse venialiter peccando, nimis videlicet asserendo illud pro quo nec auctoritatem, nec rationem cogentem habebat; ratio enim illa sua, quod scilicet quis non potest dare quod non habet, nulla est, quia baptizans non dat gratiam, sed Sacramentum; seu Deus Sacramentis assistens, et minister, etiamsi gratiam non habeat; habet tamen in virtute, quia habet Ordinem. Et quidem Augustinus videtur significare ipsum peccasse venialiter, cum subdit in auctoritate praeallegata ad Orosium: *Dum eos detestaretur, si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.*

ARTICULUS X.

UTRUM INTENTIO RECTA MINISTRI REQUIRATUR AD PERFECTIONEM SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 5. *q.* 1. — *d.* 6. *q.* 5. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 64. *art.* 10.

RESPONDEO dicendum, ad perfectionem Sacramentorum requiri quidem necessario ministri intentionem, at non oportere esse rectam, sed perfici etiamsi obliquissima sit. Quod patet ex dictis *art.* 5. 8. *et* 9.; etenim quis perfecte et valide parvulum baptizaret, si dumtaxat intenderet ipsum adscribere per illum actum Sectae Christianorum, esto Paganus esset, et gratia et fide infusa careret, nec putaret per ea Sacramenta aliquid suscipientibus conferri ad salutem. Igitur si cum obliqua mente et perversis dogmatibus istius staret veritas Baptismi, multo fortius, vel saltem ex aequo haberetur perfectio eiusdem, si minister credens omnibus quae

Ecclesia credenda proponit, baptizaret infantem, ut statim necaret ne deprehenderetur adulterium, vel quid simile; malitia enim illa non vitiat, nec irritam reddit intentionem primariam baptizandi, seu faciendi quod Ecclesia facit, quae rectissima est; nec pendet effectus eius a malitia vel bonitate ministri, sed habetur certissime ex meritis Christi Domini, quae fuerunt tanta, ut infallibilem Dei assistentiam meruerit, qua daretur effectus signis a se institutis. Non obstante ergo quacumque malitia ministri, pravaque eius intentione, si intendit facere quod facit una catholica Ecclesia, vere confert Baptismum.

QUAESTIO SEXAGESIMAQUINTA.

DE NUMERO SACRAMENTORUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de numero Sacramentorum.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum sint septem Sacramenta. - 2. De ordine eorum ad invicem. - 3. De comparatione eorum. - 4. Utrum omnia sint de necessitate salutis.

ARTICULUS I.

UTRUM DEBEANT ESSE SEPTEM SACRAMENTA ECCLESIAE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 2. *q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 65. *art.* 1.

VIDETUR non debere esse septem Ecclesiae Sacramenta: Sacramentum enim [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 7.] est medicina adversus morbum peccati; hinc in innocentiae statu homo nec indiguit Sacramentis, nec fuerunt instituta: peccatum autem per quod excidimus ab innocentiae statu est unum; ergo unum tantum deberet esse Sacramentum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 40. n. 7.] In veteri lege satis erant duo tantum Sacramenta, scilicet Circumcisio contra originale, et Matrimonium adversus carnis libidinem; ergo etiam in lege Evangelica sufficerent duo; vel si ponantur sacrificia, Hostiarum oblationes, purgationes et alia hujusmodi extitisse etiam Sacramenta veteris legis, pariter poni possunt legis Evangelicae Sacramenta esse Ecclesiarum consecrationes, purgationes per aquam benedictam, et alia huiusmodi, et per consequens vel plura, vel pauciora erunt.

3. PRAETEREA. Legis Evangelicae Sacramenta omnia videntur esse instituta contra peccatum, vel originale vel mortale: sed ultra talia peccata, datur quoque peccatum veniale; ergo oportet esse aliquod Sacramentum contra veniale, et consequenter non sufficiunt septem.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1. et 7.] Lex Evangelica est levior lege Mosayca, iuxta illud Salvatoris, Matthaei, 11. *Iugum meum suave est, et onus meum leve:* sed in lege veteri erat tantum unum, vel ad summum duo Sacramenta, scilicet Circumcisio et Matrimonium; ergo si in nova essent septem Sacramenta, videretur esse longe gravior lege Mosayca.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 3.] In septem Sacramentis a Christo institutis observatores legis Evangelicae habent perfectionem tam intensivam, quam extensivam, auxiliorum pro eius legis observatione necessariorum; ergo non oportet esse plura, nec pauciora septem.

RESPONDEO dicendum, catholicae Ecclesiae Sacramenta convenientissime numero septenario concludi. Pro quo declarando, sit PRIMUM DICTUM; congruum fuisse legem Evangelicam Sacramentis perfectissimis adornari et instrui; nam [*Oxon.* ib. n. 2.] ipsa est lex perfectissima omnium, quas Trinitas disposuit dare homini pro statu viae; est enim ultima, iuxta illud Matthaei, 26. *Novi et aeterni Testamenti,* idest, post quod nullum aliud est futurum: sed in processu ab imperfecto ad perfectum posteriora sunt perfectiora; istud etiam tempus, quo decurrit lex Evangelica, est proximum perfectissimo, scilicet statui finalis beatitudinis; ergo competebat homini in statu huius legis perfectissimis adiutoriis ad gratiam praeparari, cuiusmodi sunt perfectissima Sacramenta. — *Rursus,* causa meritoria, cuius intuitu Trinitas disposuit dare quaecumque adiutoria hominibus, est Christus, eiusque passionis merita: sed merita exhibita plus impetrant quam praevisa; ergo per Christi passionem exhibitam et confirmativam novae legis, congruum fuit maxima perfectissimaque adiutoria ad gratiam hominibus conferri pro observatione legis perfectissimae, sicuti est Evangelica.

Declaratur amplius legis novae Sacramenta esse perfectissima tam *intensive,* quam *extensive,* seu quoad eorum numerum. Etenim [*Oxon.* ib. n. 3.] Sacramenti perfectio consistit in perfecte significando vere, quantum ad cognitionem, et in gratiam perfectam causando; ergo Sacramenta novae legis debuerunt esse perfectissima quoad veram significationem et cognitionem, quia est lex veritatis; et quoad gratiam perfectam causandam, quia est lex gratiae. Unde Ioann., 1. scribitur: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est.*

Eorumdem perfectio *extensiva,* seu convenientissime esse nec plura nec pauciora septem, *declaratur:* [*Oxon.* ib.] quia sicuti in vita naturali *primum* est generatio, *deinde* sequitur nutritio et roboratio, et sanitatis perditae reparatio, quae quatuor pertinent ad quamlibet personam singularem, et ulterius requiritur aliquid spectans ad totam communitatem, quo non nemo constituatur in gradu necessario ad aliquem actum necessarium communitati, ita in vita spirituali ad extensivam perfectionem eius oportet esse adiutorium aliquod spectans ad generationem spiritualem, ut est Baptismus; et *secundo* aliquid pertinens ad nutritionem, et est Eucharistia; *tertio* spectans ad roborationem, estque Confirmatio; *quarto* spectans ad reparationem post lapsum, quod praestat Poenitentiae Sacramentum; praeter haec autem *quinto* requiritur aliquod adiutorium, quo exiens ex hac vita finaliter praeparetur; vita enim praesens spiritualis via quaedam est ordinans ut bene vivens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua praeparatur; idque adiutorium est Extrema Unctio. Quae omnia quinque sunt necessaria personae cuicumque per se. At praeterea ad bonum communitatis istam legem observantis et profitentis requiritur multiplicatio carnalis, quia ista praesupponitur bono spirituali, sicut natura gratiae, estque Matrimonium; et denique multiplicatio spiritualis aliquorum in ista lege, quod praestat Ordinis Sacramentum. Igitur adiutoria ista, seu Legis Evangelicae Sacramenta, perfectissima sunt et

intensive, sicut congruit perfectissimae legi, et causae meritoriae pretio iam exhibito; et extensive, quia convenientissime concluduntur septenario numero, sic ut congruum non sit nec plura esse, nec pauciora.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 1.] tametsi innocentiae statum Sacramenta non decuissent, nec propterea fuisse a Deo tunc instituta, quia nullus erat morbus per medicinam depellendus, non sequi tamen in statu naturae lapsae unum debere esse Sacramentum, in quo statu morbos invaluisse quamplures testis est homo ille Evangelicus, qui descendens ab Hierusalem in Hiericunthem a latronibus de via fuit spoliatus ac pluribus vulneribus affectus; at Samaritanus ille piissimus miserationis affectu compatiens medicinam attulit curandis eius vulneribus aptam et efficacem; congruum ergo fuit esse plura Sacramenta, licet omnia unam gratiam, sed diversimode significent; sicuti licet peccata una Dei gratia nos privent, tamen diversimode, diversisque peccatorum actibus ea nos expoliari contingit.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 10.] veteris legis purgationes, expiationes, aliaque id genus non fuisse Sacramenta proprie dicta, quae scilicet contulerint gratiam ex eorum propria virtute, seu ex opere operato, sed tantum per modum meriti, et ita esse pariter quasdam caeremonias in Ecclesia catholica. *Et concedo,* [*Oxon.* ib. q. 3. n. 8.] legis Mosaycae observatores longe pauciora habuisse vera Sacramenta, quam habeamus nos legis evangelicae cultores; et rationem esse, quia ista lex est perfectissima, et ideo requirit adiutoria perfectissima tam intensive, quam extensive; et propterea non satis fuissent huius professoribus adiutoria data iis, qui sub veteri lege vivebant.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib. d. 23. n. 2.] in lege Evangelica reperiri aliquod Sacramentum institutum adversus venialia, quod est Unctionis extremae Sacramentum, sicuti apparet ex illo Iacobi, 5. *Si in peccatis est remittuntur ei:* non intelligit autem de mortalibus, quia haec non remittuntur nisi in Baptismo vel Poenitentia; cum ergo ei sit sermo de Unctionis extremae Sacramento, istud est deletivum venialium; quod et congruum fuit, quia ista non remissa essent impedimento gloriae consequendae.

AD ULTIMUM *concedo,* legem Evangelicam esse leviorem Mosayca. — *Et cum dicitur:* si habeat septem Sacramenta erit gravior; *nego* hoc; nam non sunt omnia necessaria ad salutem, sed tantum Baptisma et Poenitentia post lapsum; quae etiamsi essent necessaria, tamen ipsa faciunt legem Evangelicam levem, quatenus habet plura adiutoria gratiae, quam lex vetus, ipsaque gratia abundantius tribuitur per Sacramenta a Christo instituta, quia pretium iam exhibitum est, quam daretur per Sacramenta veteris legis.

ARTICULUS II.

UTRUM SACRAMENTA CONVENIENTER ORDINENTUR SECUNDUM MODUM PRAEDICTUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 2. *q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 65. *art.* 2.

VIDENTUR Sacramenta haud recte disponi ordine *art. praec.* digesto. Siquidem Magister, 4. *d.* 2. *cap.* 1. ita ea ordinat: *Baptismus, Confirmatio,*

Eucharistia, etc.; igitur Eucharistiae Sacramentum non debet sequi ad Baptismum, sed magis ordinari post Sacramentum Confirmationis.

2. PRAETEREA. Eucharistia est spirituale nutrimentum, Confirmatio autem comparatur augmento: sed nutrimentum non praecedit augmentum, sed etiam subsequitur ad ipsum, tamquam conservativum hominis in perfecta quantitate et virtute; ergo perinde potest ordinari et disponi Eucharistia ante Confirmationem, ast Confirmatio ante Eucharistiam.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 3.] Ut quis sit idoneus, vel necessarius dispensator Sacramentorum, ab Ordinis Sacramento est; Sacerdos enim solus Eucharistiam conficit, et ex officio baptizat, et Poenitentiam administrat, et sic de aliis, quorum ipse, vel Episcopus, est solus minister; igitur convenientius Ordinis Sacramentum aliis omnibus anteponeretur.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3. n. 1.] Ex Apostolo, 1. *ad Corinth.*, cap. 15. *Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale:* igitur prius oportet nasci carnaliter, quam spiritualiter renasci; sed per Matrimonium nascimur secundum carnem, et per Baptismum secundum spiritum; ergo Baptismus debet subsequi ad Matrimonium in dispositione et coordinatione Sacramentorum.

AD OPPOSITUM est resolutio *praecedentis articuli.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 3.] convenienter Sacramenta disposita et ordinata esse intelliguntur eo ordine quo *art. praec.* digessimus, uti ibi explicatum fuit, et rursus breviter declaratur: quia enim Baptismus pertinet ad generationem spiritualem, in tantum ut illum suscipientes renascantur in Christo, fiantque Filii Dei adoptivi per gratiam, quae per ipsum confertur, necessario primo loco ponitur, sicuti generatio in natura est caeteris omnibus quae ipsam sequuntur anteponenda. Et quoniam ad naturalem generationem immediate sequitur nutritio, qua sine nuper natus homo diu non subsisteret, ita post Baptismum est immediate ponendum Eucharistiae Sacramentum, veluti necessaria ad spiritualem nutritionem; ex nutritione autem in vita carnali sensim acquiritur robur; hinc et in vita spirituali post Eucharistiam ordinatur Confirmationis Sacramentum, quo acquiritur robur ad defensionem fidei, quam in Baptismate profitemur; et quia interim in via inter eumdum passim offendimus et labimur, ordine congruo quarto loco ponitur Poenitentiae Sacramentum, quo lapsi rursus stabiliuntur, ac in gratiam cum Deo revertuntur quotquot post peccata et vulnera inflicta animae ad ipsum tamquam ad secundam tabulam post naufragium recurrunt. Quinto deinde loco recte collocatur Extrema Unctio, quae spectat ad finalem praeparationem eorum, qui usus rationis compotes facti, potuerunt in peccata saltem venialia incidisse. Haec igitur quinque Sacramenta congruunt cuicumque personae singulari. Et quoniam prius est singulare, quam communitas conflata ex illis, convenienter primo ponuntur Sacramenta spectantia ad singulares personas, quam ad ipsam Christianorum communitatem. Haec autem sunt duo, scilicet Matrimonium, et Ordo; illo enim habetur multiplicatio in esse naturae et carnali, isto in esse gratiae et spirituali. Et quia esse naturae praesupponitur gratiae, sexto loco ponitur Matrimonium; septimo tandem recte Ordo collocatur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, utique Magistro visum esse sic Sacramenta inter se ordinare, ut primo esset Baptismus, secundo Confirmatio, tertio Eucharistia, quarto Poenitentia, quinto Unctio Extrema.

sextum locum teneret Ordo, et ultimum Matrimonium. At nobis convenientius videntur disponi modo *in solutione* relato, ob eas, quas subiecimus congruentias.

AD SECUNDUM dico, Magistrum, 4. d. 7. c. 1. non comparare Confirmationem augmento, sed robori, *ut baptizatus,* inquit, *roboretur per Spiritum Sanctum ad praedicandum aliis illud, quod ipse iam consequutus est:* istud autem robur spirituale convenientius ponitur esse sequela nutritionis spiritualis, quae est per Eucharistiam.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 2.] Baptismum oportere esse omnium Sacramentorum primum, quia per ipsum intramus in familiam Christi, ac Legem Evangelicam profitemur; nemo ergo potest fieri Sacerdos nisi prius acceperit characterem Christi per Baptismi susceptionem, sitque confirmatus, et aliorum capax Sacramentorum, quae concernunt et spectant ad unumquemque, ut quaedam persona particularis.

AD QUARTUM *est responsio* dicentium, nedum conveniens non fuisse collocari Matrimonii Sacramentum in primo loco, sed ultro omnium ultimum esse debuisse; quia secundum quod est Sacramentum minimum habet de spiritualitate. — *Contra,* Apostolus vocat Matrimonium Sacramentum magnum; ergo non videtur continere minorem spiritualitatem, quam caetera alia ab Eucharistia; praesertim cum datur gratia ad levamen, et fortiter ferenda onera Matrimonii, quae utique quemadmodum levia non sunt, ita requiritur magna gratia, ne iis coniuges succumbant. — *Dico* ergo priori loco esse collocanda ea Sacramenta, quae spectant ad singulas personas singulares, et postea quae concernunt et attinent ad fidelium Communitatem, sicuti sunt Matrimonium et Ordo; illud autem recte Ordini praeponitur, quia (*ut dictum est art. praec.*) multiplicatio carnalis praesupponitur bono spirituali, sicuti natura praecedit gratiam.

ARTICULUS III.

UTRUM SACRAMENTUM EUCHARISTIAE SIT POTISSIMUM INTER SACRAMENTA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 65. *art.* 3.

VIDETUR Eucharistia non esse potissimum Sacramentorum. Nam tale Sacramentum illud magis censendum est, in quo potissimum habetur finis Sacramentorum; finis autem est, ut sit medicina salubris contra peccatum originale et actuale: sed ille finis magis habetur in Baptismate et Poenitentia, ut patet; ergo illa sunt caeteris praeferenda.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 3.] Baptismi tanta est excellentia, ut deleat ab anima omnem culpam, quaecumque tandem ea sit, atque etiam omnem poenam: sed Eucharistiae non attribuitur iste singularissimus effectus; ergo Eucharistiae Sacramento videtur Baptismus praeferendus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. q. 1. et 3.] Confirmationis, atque Ordinis minister nequit esse alius, quam Episcopus: sed Eucharistiam potest conficere quilibet simplex Sacerdos; ergo praefata Sacramenta videntur esse praestantiora Eucharistiae Sacramento.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1.] Iuxta dicta *art.* 1. *et* 2. quaedam Sacramenta pertinent ad bonum Communitatis Christianorum, et quaedam sunt necessaria cuicumque particulari personae: sed praestantiora videntur ea Sacramenta, quae intersunt Communitatis fidelium, illis, quae congruunt particulari personae; ergo Eucharistiae videntur praeferenda Ordinis et Matrimonii Sacramenta, quae attinent ad ipsam Sectam Christianorum.

CONTRA. Omnia Sacramenta videntur ordinari ad Eucharistiam; ergo istud est omnium excellentissimum.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 5.] Eucharistiae Sacramentum esse excellentissimum Sacramentorum, idque multiplici ex capite declaratur: *primum* quia alia Sacramenta significant gratiam accidentalem inesse animae virtute Sacramenti suscepti; Sacramentum autem Eucharistiae significat gratiam essentialem, scilicet Christum verum, qui est caput omnis gratiae, ipsumque veraciter continet, et non continet gratiam accidentalem virtute Sacramenti, nisi per modum meriti; digne enim se praeparans ad susceptionem Eucharistiae recipit gratiam accidentalem ab illa gratia essentiali, quae hic virtute Sacramenti veraciter et inseparabiliter continetur. — *Deinde,* [ib. n. 4.] Eucharistiae Sacramentum est veracissimum in significando, non solum quantum est ex parte sui, ut reliqua Sacramenta, quae sunt signa verissima gratiae inhaerentis, nisi indispositio obstet suscipientis; sed omni ex parte continet verum Corpus Christi sub illis speciebus post consecrationem, quamdiu illae species manent, etiamsi minister sit fictus, vel praecisus, vel qualitercumque malus, servata tamen forma consecrationis Ecclesiae, et debita consecrandi intentione. Hinc Eucharistiae Sacramentum semper infallibiliter habet secum suum signatum; non ita in aliis Sacramentis, quae etiamsi semper habeant quod figurant, scilicet gratiam accidentalem, quantum est ex parte eorum, tamen non semper illam continent, nec causant, indispositione ex parte suscipientis obstante et impediente eorumdem proprium effectum. — *Tertio,* quia alia Sacramenta significant gratiam accidentalem inhaerentem suscipienti: at Eucharistiae Sacramentum significat gratiam subsistentem, scilicet verum Corpus Christi ibi existens. — *Denique,* omnia alia Sacramenta consistunt in usu et fieri, ita quod idem est ibi Sacramentum et perceptio Sacramenti, sicut Baptismus est perceptio Baptismi, nec cessante eius susceptione superest aliquid quod sit Sacramentum; at Eucharistiae Sacramentum est quoddam permanens etiam ante usum. — *Accedit,* [*Oxon.* ib. n. 3.] quod reliqua omnia Sacramenta sunt quodammodo ordinata ad istud; nam nisi Corpus Christi esset in Eucharistia, parum curaretur de aliis Sacramentis, et periret omnis devotio in Ecclesia. Omnis enim ferme fidelium devotio est in ordine ad Eucharistiae Sacramentum. Propter hoc enim clericus cum maiori diligentia persolvit Officium divinum, in ordine scilicet ad Missam; propter hoc etiam populus devotius audit Missam, quam aliquod aliud officium Ecclesiasticum; propter hoc denique singuli cum maiori diligentia confitentur, quando iuxta Ecclesiae praeceptum intendunt saltem semel in anno communicare; quod si ipsis faciendum non esset, parum curarent homines de Confessione.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, eo non probari excellentiam, sed necessitatem, quod concedo; nam Eucharistia non est omnibus necessaria ad salutem, si absit contemptus.

AD SECUNDUM respondeo, propterea quod suscipientes Baptismum induunt Christum, in quo spiritualiter renascuntur, habere effectum purificationis animae ab omnibus peccatorum sordibus, et ab aliis etiam quae ad peccata consequuntur. Porro Eucharistiam esse Sacramentum vivorum, idcirco peccata non delere; sed magis ex facto eiusmodi communicantes indigne iudicium sibi sumere; ex hoc autem non licere deducere Baptismum esse Eucharistiae praeferendum, ob dicta *in solutione*, nisi fortasse *secundum quid*.

AD TERTIUM respondeo per idem, nempe respective ad ministros *secundum quid* videri potiora Sacramenta Ordinis et Confirmationis; at simpliciter esse imperfectiora Eucharistiae Sacramento.

AD QUARTUM dico, [*Oxon.* 3. d. 40.] per hoc quod praedicta duo Sacramenta spectent ad fidelium Communitatem non obligari singulas personas ad eorum susceptionem, sicuti obstringuntur ad suscipiendam Eucharistiam, saltem quandoque. Verumtamen Ordinis Sacramentum ad ipsam Eucharistiam ordinari ut ad finem, manifestum est. Quoniam ergo Ordo est Matrimonii Sacramento praeferendus, multo magis et Matrimonio praeferri debet Eucharistia, cui conficiendae potissimum Christus dedit potestatem Apostolis, atque in illis caeteris Sacerdotibus, iuxta claves Ecclesiae ordinatis.

ARTICULUS IV.

UTRUM OMNIA SACRAMENTA SINT DE NECESSITATE SALUTIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 40. — 4. *d.* 7. *q.* 2. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 65. *art.* 4.

RESPONDEO breviter dicendum, Septem Ecclesiae Sacramenta non esse omnibus Christianis ad salutem necessaria; nam non omnes recipiunt Ordines, nec omnes contrahunt Matrimonium. Sed pro delendo peccato originali necessarius est Baptismus, et post Baptismum in peccatum mortale labentibus necessarium est Poenitentiae Sacramentum. Confirmatio enim, Unctio Extrema, et Eucharistia, si non adsit facultas suscipiendi ea Sacramenta, et non contemnantur, non impediunt consequutionem aeternae salutis. Huc faciunt dicta supra, *q.* 61. *quae est de necessitate Sacramentorum.*

QUAESTIO SEXAGESIMASEXTA.

DE PERTINENTIBUS AD SACRAMENTUM BAPTISMI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de singulis Sacramentis in speciali; et *primo*, de Baptismo: *secundo*, de Confirmatione: *tertio*, de Eucharistia: *quarto*, de Poenitentia: *quinto*, de Extrema Unctione: *sexto*, de Ordine; *septimo*, de Matrimonio.

Circa *primum* occurrit duplex consideratio: *prima*, de ipso Baptismo: *secunda*, de praeparatoriis ad ipsum Baptismum.

Circa *primum* quatuor consideranda occurrunt: *primo*, de his quae pertinent ad Sacramentum Baptismi: *secundo*, de ministro huius Sacramenti: *tertio*, de recipientibus hoc Sacramentum: *quarto*, de effectu huius Sacramenti.

Circa primum quaeruntur duodecim.

1. Quid sit Baptismus, utrum scilicet sit ablutio. - 2. De institutione huius Sacramenti. - 3. Utrum aqua sit propria materia huius Sacramenti. - 4. Utrum requiratur aqua simplex. - 5. Utrum haec sit conveniens forma huius Sacramenti, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. - 6. Utrum sub hac forma possit aliquis baptizari, *Ego te baptizo in nomine Christi*. - 7. Utrum immersio sit de necessitate Baptismi. - 8. Utrum requiratur trina immersio. - 9. Utrum Baptismus possit iterari. - 10. De ritu Baptismi. - 11. De distinctione Baptismatum. - 12. De comparatione Baptismatum.

ARTICULUS I.

UTRUM BAPTISMUS SIT IPSA ABLUTIO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *a.* 1.

VIDETUR Baptismus non esse ipsa ablutio. Etenim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 1. n. 1.] pars non praedicatur de suo toto: sed exterior ablutio est pars Sacramenti Baptismatis, quia secundum Augustinum, homil. 8. in Ioannem, *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum;* ergo sicuti Sacramentum non est verbum, ita nec ablutio.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 2. n. 4.] Ratio Sacramenti in communi per se dicitur de quolibet Sacramento in speciali: sed si Baptismus foret ipsa exterior ablutio corporis, non diceretur de hoc Sacramento ratio communis omnibus Sacramentis. *Et probatur:* nam Sacramentum est *signum sensibile gratiam Dei efficaciter significans ex divina institutione:* gratiam autem non significat ipsa ablutio, neque verba seorsim, sed utrumque simul; ergo si Baptismus dicatur ablutio, ipse non significabit gratiam Dei efficaciter.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Si Baptismus a Christo institutus, recte diceretur esse quaedam ablutio, profecto qui baptizabantur Baptismo Ioannis, non fuissent iterum Christi Baptismate intingendi: hoc autem est falsum, iuxta dicta *q.* 38. *art.* 6.; igitur Baptismus non est ablutio. *Probatio sequelae:* etenim et Ioannis Baptismus erat quaedam

ablutio; ergo si in ablutione et per ablutionem exprimitur ratio Baptismatis, essentialiter hi duo Baptismi iidem fuissent, et non nisi per accidentalia distingui viderentur, nempe per alia, et alia verba; quae nihilominus clauderentur in quidditate illorum, cum per definitionem exprimi non oportuisset.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Magister, 4. dist. 3. cap. 1.: *Baptismus,* inquit, *dicitur intinctio, idest ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum praes.ripta;* diserte igitur affirmat Baptismum esse ipsam ablutionem.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib.] nomine *Baptismatis* intelligimus aliquod speciale Sacramentum Ecclesiae, quod peragitur per ablutionem corporis, certis interim quibusdam verbis prolatis ab eo qui baptizat; qua exteriori ablutione significatur interna detersio animae a macula originali facta per gratiam ea in ablutione a Deo collatam. Quemadmodum igitur *q.* 60. *art.* 1. dictum fuit, Sacramentum quamvis formaliter relationem signi ad signatum importet, posse tamen habere definitionem, non propriam nimirum, qualem habent entia realia, positiva, per se una, et communia; sed eo pacto, quo secundae intentiones definiuntur, et universaliter sicuti quaecumque relationes rationis possunt habere definitionem sufficientem intellectui habenti scientiam per definitionem: ita dicendum de definitione istius Sacramenti specialis. Ratio enim illa nominis non est in se falsa aut impossibilis; nam nulla est repugnantia, aliqua sensibilia institui a Deo ad significandum efficaciter ablutionem animae a peccato. Formaliter igitur et principaliter importat relationem signi ad tale signatum, et illa est relatio signi per se una connotans suum correlativum, et fundamentum, quae in eius definitione ponuntur ut addita, sicuti subiectum additur in definitione accidentis; neque est ullum inconveniens unam, eamdemque relationem rationis fundari in quantumcumque realiter et essentialiter distinctis.

Sed quodnam est fundamentum istius relationis rationis signi ad signatum, quam dicit formaliter Baptismi Sacramentum? Magister (ut patet in argumento *ad oppositum*) dicit illud esse solam ablutionem; ideo per ablutionem ipsum Baptismum definit; solam inquam, [*Oxon.* ib. n. 2.] quatenus nihil aliud, neque ut totum fundamentum, neque ut pars fundamenti ipsam relationem fundat. Sed tamen ita sentiens non exclusit quaecumque alia concomitantia, quae requiruntur ad hoc, ut ipsam relationem fundet: ea autem sunt verba, et quod ablutio sit a tali ministro facere intendente quod est faciendum in subiecto capaci aliqualiter consentiente; relationem ergo illam signi fundatam in ablutione praecedent aliae habitudines, nempe tum ad verba concomitantia, cum ad personam suscipientem, ac denique ad ipsum abluentem. Ratio igitur Baptismi haec esse videtur, [*Oxon.* ib. n. 3.] *ablutio hominis aliqualiter consentientis facta ab alio in aqua, simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione divina ablutionem animae a peccato.*

Verius tamen [*Oxon.* ib.] ad fundamentum illius relationis pertinere censetur tum ipsa ablutio, tum verba simul; adeo ut id super quod fundatur ille respectus coalescat ex utrisque, ex quo una rationis relatio fundari queat in diversis sensibilibus, ut dictum est; et tunc cum in definitione accidentis in concreto ponatur totum suum subiectum, et non

pars eius, sicuti nec ipsum in concreto praedicatur de parte sui subiecti, sed de toto, non esset Baptismus ablutio, sed ablutio et verba simul, et e converso; ablutio et verba esset Baptismus, et non aliquid ex ipsis seorsim. — Sed declaratur, verba ad fundamentum istius relationis essentialiter pertinere: nam nisi verba spectarent per se ad fundamentum istius relationis, ipsa non viderentur simpliciter necessaria; quod non est dicendum. Sed probatur; nam ablutio exterior habet de se sufficientem proportionem cum ablutione interiori animae; ergo illa interior recte potest significari per solam exteriorem sine verbis, sicuti sola Circumcisio in carne significabat cordis circumcisionem, ex institutione divina; et per consequens verba adiuncta non specificant, neque determinant ablutionem ad maiorem et specialiorem significationem internae ablutionis animae; ergo debent spectare essentialiter ad integritatem ipsius signi. *Probatur minor:* quia τὸ *ego te baptizo,* denotat ipsam actionem *in fieri.* Invocatio autem Trinitatis denotat auctoritatem et potestatem eius, per quem fit ablutio, et redundantiam in animam ex ipsa.

Ponendo igitur et ablutionem et verba ex aequo pertinere ad integritatem fundamenti istius relationis signi, potest describi hoc Sacramentum sic: [*Oxon.* ib.] *Baptismus est Sacramentum ablutionis animae a peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, et in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita forma prolatis.* Qualiter autem sint necessariae particulae positae in utraque descriptione, patebit ex sequentibus.

Ad Argumenta. Ad primum, [*Oxon.* ib. n. 5.] patet qualiter tenentes posteriorem modum dicendi (qui verior videtur) non oportet respondere. Sed in sententia Magistri dico, quoniam nihil ponitur in concreto in definitione accidentis concreti, nisi illud de quo accidens praedicatur in concreto, et nullum accidens praedicatur de parte sui subiecti, ablutio non est pars fundamenti relationis signi istius ad signatum, sed est totum fundamentum, non quidem proximum, sed remotum. Inter ipsam enim ablutionem et relationem signi, quam Baptismus formaliter importat mediant quaedam relationes rationis, ut explicatum est.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib.] dictum esse *in solutione* qualiter Magister, definiens Baptismum per ablutionem, non intendit excludere alias habitudines, scilicet ad verba et ad ipsum conferentem Sacramentum, imo includere, atque ex his omnibus integrari rationem signi efficaciter signantis internam animae ablutionem a peccato originali.

Ad tertium patet *ex dictis,* quia illi duo Baptismi nonnisi materialiter conveniebant, nempe in exteriori ablutione; at distinguebantur essentialiter, quia Ioannis Baptisma non signabat, nec causabat gratiam ex opere operato, sicuti Christi Baptismus; qui porro tale signum erat non ut tantum ablutione perficiebatur, sed quatenus ea ablutio dicebat habitudinem ad determinata illa verba, in quibus tenemus consistere formam, vel partem potiorem fundamenti signi ad gratiam signatam.

ARTICULUS II.

UTRUM BAPTISMUS FUERIT INSTITUTUS POST CHRISTI PASSIONEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 2. *q.* 1. — *d.* 3. *q.* 4. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 66. *a.* 2.

VIDETUR Baptisma institui debuisse, et institutum esse post Christi passionem. Siquidem Baptismus est Sacramentorum novae legis efficacissimum; eo enim renascimur in Christo ab omni peccatorum sorde emundati; ergo institui debuit eo tempore quo maiorem efficaciam potuit accepisse: sed Sacramenta maiorem efficaciam habuerunt passione Christi exhibita, quam ante illam; ergo Baptismus debuit institui post passionem Christi, ac subinde ita factum esse sentiendum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 4.] Praeceptum de suscipiendo Baptismate non habetur nisi *Matthaei ultimo,* cum Salvator praecepit Discipulis suis, ut euntes in mundum universum baptizarent omnes gentes *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti:* sed id evenit post Christi passionem et resurrectionem; ergo tunc videtur Baptisma institutum fuisse.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2.] Ex verbis Christi ad Nicodemum Ioann., 3. evincitur, Baptismi institutionem evenisse post illius passionem; nam ipse absolute protulit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Caelorum:* sed ante Christi passionem poterant Israëlitae salvari per Circumcisionem, et Gentes etiam sine Circumcisione; ergo tunc non erat institutus Baptismus; quia sine illius susceptione nequivissent homines aeternam consequi salutem.

CONTRA. Ioann., 3. et 4. diserte habetur, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2.] Christum vel eius Discipulos baptizasse: non baptizabant autem Baptismo Ioannis; igitur oportuit tunc Christi Baptisma institutum fuisse.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] Baptismum fuisse institutum ante Christi passionem, sed de praeciso tempore institutionis non constare. Et quidem Baptismum institutum fuisse in Lege Evangelica convincitur ex compluribus auctoritatibus Christi et Apostolorum in novo Testamento, clare testantium Baptismi necessitatem. Id autem nullo modo esset si Baptismus in Lege Evangelica non fuisset a Christo institutus. — Sed quod hoc Sacramentum instituerit *ante suam passionem* manifestum est ex Evangelio Ioannis., ubi cap. 3. scribitur de Discipulis Ioannis Baptistae: *Rabbi cui testimonium perhibuisti, ecce ipse baptizat, et omnes veniunt ad eum.* Et sequitur cap. sequenti: *Quamquam Iesus non baptizaret, sed Discipuli eius.* Tempus igitur institutionis Baptismi fuit ante illud tempus, quo discipuli Christi baptizabant.

Quod autem [*Oxon.*ib.] nesciatur praecise ex evangelio quodnam illud tempus, in quo instituebatur, fuerit, *declaratur:* siquidem id non fuit quando Christus a Ioanne baptizatus est, (ut quidam existimaverunt). Nam ille non fuit Baptismus Christi, sed Ioannis; idest non conferebatur in forma qua Christus instituit suum Baptisma conferendum, sed in forma, qua utebatur Ioannes; igitur etsi eo facto Christus ex contactu suae mun-

dissimae carnis dedicaverit aquam tamquam materiam suo Baptismo idoneam, atque usum aquae in seipso legislatore confirmaverit, tamen suum Baptisma tunc non instituit.

Neque [*Oxon.* 4. ib. n. 2. — *Report.* 4. d. 2. q. 1. n. 3.] institutus est Baptismus cum Nicomedus accedens ad Iesum de nocte audiit ab ipso: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Caelorum,* Ioann., 3. Etenim verisimile non est adeo necessarium Sacramentum in conclavi coram persona privata institutum fuisse; praesertim cum Nicodemus eo tempore non fuerit Christi discipulus, nec debuerit esse praeco institutionis illius. Cum igitur neque quando Christus baptizatus est, neque quando cum Nicodemo disseruit de Baptismi necessitate, neque quando erat iamiam ascensurus in Caelum, *Matthaei ultimo,* (cum ante id temporis constet discipulos eo usos fuisse) ipsum instituisse convincatur, manifestum est, de praeciso tempore eius institutionis non constare ex Evangelio. Verisimilius est, institutum fuisse quando vocans discipulos suos, *Matthaei decimo,* [*Report.* loc. cit.] *Euntes,* inquit, *praedicate dicentes: appropinquavit Regnum Caelorum :* et dedit eis potestatem curandi infirmos, mortuos suscitandi, leprosos mundandi, daemones eiiciendi, verisimile, inquam, est tunc pariter dedisse eis potestatem baptizandi.

Quam vero convenientissime [*Oxon.* 4. ib. n. 3.] hoc Baptismi Sacramentum a Christo institutum fuerit, ex eo patet, quia principale Sacramentum Legis Evangelicae, per quod scilicet intratur in eius observantiam, debuit esse novum et proprium illi legi; debuit etiam tale Sacramentum esse evidens in significatione, quia lex nova est lex veritatis legis veteris completiva; et debuit esse copiosum in gratiae collatione, quia est lex gratiae; *Gratia enim et veritas per Iesum Christum facta est,* Ioann., 1.; debuit etiam esse facile, quia *iugum Christi suave est, et onus eius leve,* Matthaei, 11.; et denique debuit esse commune; nam Deus ut ad Legem Moysi elegit tantum unum populum, ita ad novam legem totum mundum. Quae omnia optime inveniuntur in uno Baptismate, seu in exteriori corporis ablutione, peracta cum certis verbis. Ea siquidem evidenter significatur interior ablutio animae a sordibus peccatorum. Datur etiam in eo gratia copiose; unde in Psal. appellatur aqua refectionis: *Super aquam refectionis educavit me.* Estque facilis, quia sine ullo periculo confertur; quando Circumcisio erat parvulis obnoxia, per eam enim non pauci moriebantur. Et tandem communis est omni sexui et aetati.

Ad Argumenta. Ad primum concedo iuxta dicta *q.* 62. *art.* 5. post Christi passionem exhibitam, Sacramenta ab eo instituta maiorem efficaciam habuisse quam antea; nego tamen, pro eo tempore omnia institui debuisse, quia non fuerunt instituta pro tunc, sed quatenus post passionem habitura principalem efficaciam ac virtutem, praesertim cum Baptismus non mox ac institutus est fuerit sub praecepto, sed procedente tempore et post Christi Ascensionem.

Ad secundum respondeo, etsi praeceptum de Baptismo suscipiendo latum non sit a Salvatore, nisi cum iamiam esset in Caelum rediturus, nihil tamen impedit fuisse prius institutum, et postea mandatum, ut eo omnes uterentur ad salutem; sed nec tunc ea lex ligavit, verum post eius promulgationem.

AD TERTIUM respondeo, eo discursu probari quod prius dictum fuit, scilicet Baptismum non statim ac institutus est obligasse ad sui susceptionem; prius enim propositus fuit sub consilio, quo tempore Israëlitae utiliter, licet non necessario subiiciebant seipsos Circumcisioni; sed non exinde debet inferri pro tunc non fuisse institutum Baptisma, cum in Scriptura habeatur, Christi discipulos baptizasse, ut notatum est in argumento *ad oppositum*. Sed de Baptismi obligatione, et Circumcisionis evacuatione legendus *articulus sequens*.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM INSTITUTIO BAPTISMI EVACUAVERIT CIRCUMCISIONEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *a.* 2.

Ad secundum.

VIDETUR per Baptismi institutionem haud evacuatam fuisse Circumcisionem. Nam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 1.] Matthaei, 5. *Non veni,* inquit Salvator, *solvere legem, sed adimplere:* sed Circumcisio erat praecepta in lege, *Gen.*, 17; igitur Christus instituendo Baptismum, non videtur eam effectu vacuam reddere debuisse, nec subinde id factum esse.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Circumcisio data fuit Abrahae in foedus sempiternum, *Gen.*, 17: ergo ea loquutione videtur expressum semper esse permansuram, alioquin non fuisset appellanda foedus sempiternum; igitur numquam evacuanda, nec proinde evacuata.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Nullus inferior habet auctoritatem revocandi legem institutam a superiori: sed certum est, Deum instituisse Legem Mosaicam et Circumcisionem; nec legitur ne in Testamento quidem novo eam aliquando abrogatam esse per Legislatorem, imo potius invenitur Christum illam legem observassse ac Circumcisioni se subiecisse; igitur Baptismus minime Circumcisionem evacuasse dicendum est.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Ad Galatas, 5. *Si circumcidamini, nihil Christus vobis prodest.* Item Ioann., 3.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Caelorum.* Ergo Baptismus post sui institutionem erat simpliciter necessarius ad salutem; igitur Circumcisio est evacuata; quia non simul concurrunt duo remedia necessaria contra eumdem morbum, alterum enim superflueret.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib n. 4. seqq.] Baptismi institutione evacuatam fuisse Circumcisionem. Verumtamen intelligendum, quod quemadmodum ad hoc ut lex positiva obliget, est necessaria authentica eius promulgatio, qua constet de mente legislatoris; ita post Baptismi institutionem, eiusque promulgationem, non fuit statim de praecepto, sed aliquamdiu sub consilio erat. Et sicuti quamdiu eius susceptio fuit de consilio obligabat omnes ad non contemnendum (nam contemnens consilium divinum, contemnit Deum consulentem), ita ubi primum fuit de praecepto, obligavit omnes ad suscipiendum eum, ad quos legitime eius cognitio pervenerat.

At vero [*Oxon.* ib. n. 5. seqq.] conveniens fuit non statim Baptismum proponi de praecepto; quia Lex Evangelica, utpote perfectissima, non debuit praecipitanter imponi, sed decebat ipsam prius proponi tamquam

consilium, et deinde hominibus in ea aliqualiter exercitatis imponi de praecepto. — *Deinde,* quoniam lex vetus non erat mala ut idololatria, non debuit repente abrogari; sed sensim repelli, quo Synagoga cum aliquo honore sepeliretur, et una significaretur bonam fuisse pro tempore suo. — Sed qualiter distinguenda sunt ista tempora Evangelii cadentis sub consilio, et sub praecepto? *Dico,* Evangelium fuisse sub consilio ex quo praedicabatur per Christum eiusque Apostolos usque ad praedicationem solemnem et authenticam eorumdem post Christi Ascensionem; sed Baptismum sub praecepto esse incoepisse in die Pentecostes, quando nempe Apostoli in Hierusalem induti virtute ex alto, iuxta promissum Salvatoris Lucae, 24. solemniter et authentice praedicaverunt Evangelium et Baptismum, et apposita sunt illo die circiter tria millia et baptizati sunt *Act.* 2.

Ad propositum, [*Oxon.* ib.] sicuti Circumcisio ante Baptismi institutionem eiusque omnimodam promulgationem erat Israëlitis necessaria, ita mox atque notitia de Baptismo instituto apud eos increbuit, Circumcisio utilis quidem erat, quia delebat originale, sed minime necessaria, quia uti potuissent Baptismo, ad quem per Salvatorem eiusque Apostolos hortabantur, ita quod liberum erat Iudaeis tunc uti uno aut altero remedio, sed non utroque simul. Postquam autem susceptio Baptismi fuit de praecepto imposita ac debite promulgata Gentibus ad fidem conversis, Circumcisio omnino illicita et exitialis extitit. Ut enim habetur, *Act.* 10. decretum fuit *in* 3. *Concilio* Hierosolymis habito, non esse praecipiendum Gentibus ad fidem conversis Legis Mosaicae observantiam, sed tantum ut abstinerent a suffocato et sanguine, idque contigit 14. *vel* 15. anno a Christi passione.

Porro Iudaeis, [*Oxon.* 4. ib. n. 10.] stante authentica promulgatione Baptismi et Evangelii, extitit aliquamdiu licita Circumcisio, licet nec utilis nec necessaria fuerit eis; nam licite Paulus diu post tertium Concilium servavit legalia inter Iudaeos, purificando se cum esset ascensurus in Templum secundum patrium morem; sed et circumcidit Timotheum, *Act.* 16. *et* 21. — Quando igitur fuit Iudaeis conversis Circumcisio simpliciter illicita? *Respondeo,* de tempore illo praeciso in Scriptura nihil haberi, quia forte eius historia non pervenit ad illud tempus; trigesimo enim anno, ad quem Canonici Scriptores pervenere, Iudaei conversi observabant legem, quod eis licuit. Itaque dicendum videtur, Deum per Apostolos vel eorum successores determinato tempore prohibuisse legalia servari, et licet id non sit expressum in Scriptura, Ecclesia tamen tenet haeresim esse dicere legalia currere cum Lege Evangelica, ut habetur *De Baptis. et eius eff.*, cap. *Maiores: Absit ut in illam damnatam haeresim incidamus, quae perperam affirmabat Legem cum Evangelio, et Circumcisionem cum Baptismo servandam.*

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 19.] dictum Christi esse simpliciter verum, non solum de Decalogo, quod manet idem et perfectius explicatum quam Iudaei intelligerent, ut patet Matthaei, 5. sed etiam de iudicialibus et caeremonialibus. Illa quidem non manent in se, sed in suo aequipollenti quantum ad finem; finis enim illorum erat pax et pacifica cohabitatio hominum in Republica, ad quam profecto plus conducunt mores Evangelici; magis enim servatur pax, si remittas illatas iniurias, quam si eas persequaris lege talionis. At caeremonialia nunc in se non manent, sed in suis significatis, quia illa umbrae erant

futurorum, et umbra iam transiit et veritas successit; quantum igitur ad finem ob quem erat Circumcisio instituta minime evacuata fuit, imo adimpleta faciliori et valentiori remedio loco eius instituto, ut dictum fuit, *art. antecedenti.*

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 20.] esse exponendum *foedus sempiternum,* ut sit tale in se vel in suo aequivalente; vel fuisse foedus sempiternum inter Deum et Abraham eiusque semen, nec ullum aliud signum speciale fuit inter Deum et genus illud; atque ita videtur fuisse sempiternum cui aliud non erat successurum. Sed tamen erat futurum illud signum inter Deum et totum genus humanum, et melius erat semini Abrahae transire in illud foedus commune, quam remanere sub signo foederis specialis, quia melius est partem esse in toto, cui simpliciter bene est, quam esse distinctam a caeteris partibus, ut sibi aliqualiter bene sit et aliis male.

AD TERTIUM patet *ex dictis,* [*Oxon.* ib.] quia quantum ad Gentiles conversos praeceptum de Circumcisione fuit revocatum in tertio Concilio auctoritate Petri et Iacobi, imo Spiritus Sancti, quia ait Petrus: *Visum est nobis et Spiritui Sancto.* Act. 15. Quantum autem ad Iudaeos, supponendum est aliquando fuisse revocatam, licet id temporis non fuerit explicite notatum in Scriptura, quia non fuit eousque protracta.

ARTICULUS III.

UTRUM AQUA SIT PROPRIA MATERIA BAPTISMI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *a.* 3.

VIDETUR aqua non esse propria materia Baptismi. Nam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 1.] si esset, maxime quia ex latere Christi fluxit aqua, in qua institutus est Baptismus, iuxta illud *De celebrat. Missarum,* cap. *In quadam:* sed quod fluxit ex latere Christi non potuit fuisse aqua elementaris, sed flegma; in corpore enim mortuo non statim est aliquis humor qui sit aqua elementaris; neque per inflictum vulnus potuit inde exisse aliquis humor, nisi qui tunc reperiebatur in corpore: in corpore autem tunc non erat aqua pura elementaris; ergo neque haec erit propria materia Baptismi.

2. PRAETEREA. Si aqua esset propria materia Baptismi, praecipue id esset ex eo quia Christus in ea baptizari voluit a Ioanne in Iordane: sed caeterae aquae naturales nihil habent commune cum aqua Iordanis; igitur etsi propterea illa fuisset materia Baptismi, non tamen omnes aquae ubicumque repertae, quia non omnes cum illa communicant.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2.] Baptista praedicans Christi Baptismum ait, Messiae Baptismum futurum *in Spiritu Sancto, et igni,* Matthaei, 3; igitur propria materia Baptismi esse oportuisset ignis, et non aqua, si Ioannem vera, ut Prophetam decuit, praedixisse fateamur.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 1.] Ioannis, 3.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Caelorum;* ergo tunc Baptismus prodest ad salutem, cum confertur in aqua.

RESPONDEO dicendum, aquam esse propriam Baptismi materiam,

Illud autem intelligimus nomine *materiae,* quod est ab alio determinabile; *formae* vero quod est alterius determinativum. Et licet in toto sensibili Baptismatis, quod ex rebus et verbis conflatur, sit ratio *determinabilis,* quatenus totum est in potentia ad respectum formalem signi ad signatum, tamen in ipso etiam est ratio materiae et formae, quia verba sunt determinativa rerum, et magis significativa, ut supra dictum est, *q.* 60. *art.* 6. — *Rursus,* [*Oxon.* ib. n. 2.] hoc *determinabile* per verba duplex est, proximum scilicet et remotum. Proximum est ipsa ablutio sacramentalis, idest non ipsa ablutio formalis, qua corpus dicitur aqua ablui; sed quatenus intelligitur proficisci a ministro et terminari ad Baptisma suscipientem; ipse enim contactus corporis ab aqua, quae est formalis ablutio, non est instituta tamquam signum vel pars eius ad significandam animae ablutionem a peccato, sed quatenus provenit a ministro et terminatur ad suscipientem Sacramentum. Ablutio igitur est proxima materia; sed aqua est materia remota, cuius non est alia ratio a priori, nisi quia sic institutum fuit a Christo Domino, ut patet *Ioann.*, 3. et *Matthaei,* 3. — *Verumtamen,* [*Oxon.* ib. n. 2.] sunt congruentiae cur potius in aqua quam in aliquo alio liquore fuerit Baptismi Sacramentum institutum. Aqua siquidem est frigida, fluida, lucida, necessaria, et communis; quae proprietates apprime congruunt Sacramento Baptismatis; et ideo convenientissimum fuit in aqua institui; etenim Baptismo reprimitur aestus concupiscentiae, quod recte per frigiditatem aquae significatur; flectitur rigor inobedientiae, et idipsum fluiditate exprimitur; illustratur fidei claritas, et per diaphaneitatem aquae declaratur; introducimur in viam salutis, et per aquae necessitatem symbolizatur. Et denique Baptisma est omnibus commune, quemadmodum aqua facillimo negotio paratur. Ob aquae igitur proprietates, quae mire Baptismi effectibus congruunt, convenientissime non in aliquo alio liquore, sed in ipsa aqua institutus fuit.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 7.] respondet Innocentius *ibi,* et vult aquam illam, quae de latere fluxit Salvatoris, non flegma, sed veram aquam fuisse, quod ab illo declaratur multipliciter: *primo,* ex verbis Evangelistae: *Et qui vidit testimonium perhibuit veritati.* Is itaque non aquam, sed flegma se inde exire vidisse diceret, si flegma, et non vera aqua fuisset .— *Rursus,* idipsum declarat a posteriori per materiam Sacramenti Baptismi, *nec in hoc* inquit, *verum regenerationis Sacramentum fuisset ostensum, cum per Sacramentum Baptismi non regenerentur in flegmate, sed in aqua.* Probat etiam per aquam miscendam Sacramento Eucharistiae. *Et denique* etiam probat ex figura, quae praecessit de hoc mysterio in veteri testamento, quando Moyses percutiens silicem non flegma, sed vera aqua inde manavit. — *Ad probationem* respondet ibidem dicens, illam aquam vel fuisse tunc de novo per miraculum creatam, vel de componentibus resolutam. — At quidquid dicatur de aqua lateris Christi, quia fluxit sicut sibi placuit, non propter hoc exinde Sacramenta susceperunt efficaciam, ut supra dictum fuit, *q.* 62. *art.* 5., sed tantum ob quamdam similitudinem expressiorem ad Baptismum et Eucharistiam dicuntur inde emanasse. Illud quod pro certo tenere debemus est, Baptismum nonnisi in aqua usuali rite posse conferri, quia ita Christo instituenti placuit.

Ad secundum dicendum, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1.] (quidquid sit de com-

municatione aliarum aquarum cum Iordane) Christum tactu mundissimae carnis suae, quando voluit a Ioanne baptizari, totam aquam consecrasse, idest, dedicasse in Baptismi usum, ideo omnem aquam ubicumque repertam et acceptam, modo elementaris et usualis sit (de quo *articulo sequenti*), esse materiam aptam atque idoneam, remotam tamen, pro Baptismi Sacramenti legitima administratione.

AD TERTIUM respondeo, Baptistam non intellexisse Christi Baptismum institutum iri in igne materiali; ea siquidem materia nequisset commode adhiberi; sed significare voluisse illud Baptisma futurum in veritate lavacrum animarum a sordibus peccatorum, respectu cuius Baptisma, quo ipse ad se accedentes abluebat, non erat in veritate; gratiam enim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. — d. 7. q 3.] de se non conferebat, sed aliud non erat, nisi umbra vel dispositio quaedam ad ipsius Christi Baptisma. Unde spiritus in quo confertur est Spiritus veritatis qui et in linguis igneis visibiliter apparere dignatus est.

ARTICULUS IV.

UTRUM AD BAPTISMA REQUIRATUR AQUA SIMPLEX.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *a.* 4.

VIDETUR non necessario requiri ad Baptismum aqua simplex, vel naturalis pura. Nam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 1.] aqua artificialis habet eadem accidentia quae naturalis; est enim et illa humida, frigida perspicua, et fluida; igitur et ipsa poterit adhiberi ad Baptismi collationem, quandoquidem et eamdem substantiam cum naturali videtur habere; ex iisdem enim accidentibus eadem substantia recte concluditur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Mixtum est grossius aqua elementari; sed aqua artificialis est subtilior, vel saltem non grossior aqua elementari; ergo non mixtum, sed potius elementum aquae videtur esse, et per consequens idonea ad Baptismum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] *Primo De generat.*, text. com. 28. miscibilia possunt separari a mixto; igitur per debitam applicationem activorum ad passiva potest fieri talis separatio; ergo aqua per artem a mixto expressa potest esse materia apta ad Baptismum, quia elementaris. Quod confirmatur *ex Exodi*, 3; ubi habetur arte daemonum Pharaonis magos ex aquis ranas produxisse; igitur cum resolutio sit facilior, quam generatio, per eamdem artem poterit aqua elementaris separari a mixto.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quoad id quod ponitur de aqua simplici vel pura, arguitur, quia aqua, qua communiter utimur, non est pura, imo ex 2. *Meteor.*, cap. 1. elementaris est subtilior usuali, quod et constat per experientiam; quia per decoctionem separatur pars terrestris, quae subsidet in fundo vasis: sed ista aqua usualis est materia apta ad Baptismum; igitur non oportet esse simplicem vel puram.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Ioann., 3.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Caelorum.* Item, per Avicennam: *Sciant artifices alchimiae species per artem permutari non posse.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 3.] Baptismi materiam oportere esse aquam simplicem, vel naturalem puram. Et naturalem quidem, seu elementarem, seu usualem voco ad exclusionem omnis aquae artificialis; nulla enim talis est materia Baptismo conferendo idonea; quia nonnisi aequivoce est aqua, de quo infra *responsione ad primum.* Quod vero debeat esse aqua simplex vel pura, est id declarandum ex opposito; nam *dupliciter* potest intelligi esse aqua impura, *vel mixta,* [*Oxon.* ib. n. 4.] nempe vel propter mixtionem secundum iuxta positionem, ut aqua lutuosa; vel ob mixtionem alterantem a specie, sicut humor mixtus dicitur non esse aqua pura. Et prima quidem impuritas non prohibet aquam esse materiam Baptismi, modo ipsa quamtumvis lutuosa apta sit ad abluendum. Quotiescumque ergo aqua abluendo corpore idonea non est, ubicumque reperitur, ut in spisso luto, vel farina, vel spongia, dum ibidem reperitur non est apta materia Baptismi, nisi exinde extrahatur. Quia etsi possit tangere corpus, illud tamen non abluit, nec ille contactus est ablutio. Quod si aqua alterata sit, ut evaserit glacies, nix, vel grando, quoniam tunc per ipsam non potest fieri ablutio, nec erit materia Baptismi, nisi redeat ad pristinam qualitatem, fiatque fluida, et ita corpori abluendo apta. Hae igitur alterationes non constituunt alteratum in altera specie, sicut aliae, ut patet de humoribus resolutis per digestionem, ut saliva, urina, et huiusmodi, in quibus certum est non posse Baptismum conferri; sed decoctionibus non ita manifestum est, quia non apparet evidenter esse speciem aquae mutatam, ut in brodio, farinata, cervisia, et medone; non est enim manifestum esse ibi aliquod activum corrumpens speciem aquae; licet id determinare non sit Theologi, qui tantum habet declarare ex Canone Bibliae, quaenam sit Baptismi materia; neque Canonistae determinantis duntaxat conditiones materiae, prout determinantur ab Ecclesia decretis et ordinationibus. Pertinet igitur ad Philosophum naturalem discutere quaenam alteratio transferat aquam a specie sua, et quae non.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 6.] quamvis aqua artificialis habeat quaedam accidentia similia aquae naturali, ipsam tamen corpus quoddam mixtum esse; nec aliqua ratione esse aut dici posse aquam, nisi aequivoce; nam ex qualitatibus consequentibus totam speciem, una qualitas similis non concludit identitatem substantiae, sed una dissimilis in tota specie concludit diversitatem specificam substantiae. Aquae autem artificiales habent a tota specie aliquam qualitatem dissimilem aquae elementari. Natura etiam [*Oxon.* 4. d. 43. q. 3. n. 20.] non valet aliquid producere nisi iuxta ordinem ab eius Conditore praefixum, et per media determinata; unde tota natura creata non posset generare ex aceto vinum statim, sed oportet redire ad materiam primam communem eis, estque aqua, quae attracta in stipite vitis, tandem ex uva convertitur in vinum. Istae autem aquae artificiales, ex quocumque sint, fiunt non servato processu naturae per media a Conditore statuta; nam universae fiunt per actionem ignis decoquentis et resolventis: ignis autem non videtur esse sufficiens in virtute activa ad convertendum quaecumque mixta in aquam elementarem; et ideo absolute tenendum est huiusmodi aquas artificiales non esse materiam Baptismi idoneam.

AD SECUNDUM dicendum, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 6.] subtilitatem, qua videtur praedita interdum artificialis aqua, magis quam elementaris, quia

magis penetrativa, non esse subtilitatem simplicitatis, qua pollet aqua naturalis elementaris, sed magis spectare ad virtutem activam; quo pacto vinum est aqua subtilius, quia magis activum, non tamen simplex est vinum ut aqua, quia corpus mixtum est, elementis constans, ut caetera mixta.

AD TERTIUM [*Oxon.* ib.] concedendum est fieri posse ut a mixtis per artem extrahatur aqua elementaris; ea enim ars praecise applicaret activa passivis, quae exinde per mutuam actionem resolverentur et fieret illa separatio. Et ita in productione ranarum factum fuisse putandum est; idest, applicata fuisse activa passivis, et ita a natura productas fuisse, et ita pariter Angelus bonus vel malus posset illa activa applicare pro extractione aquae elementaris a mixtis. At per ignem ea resolutio fieri non potest, ita quod per tale agens fiat immediate resolutio in aquam elementarem, licet applicetur diversis mixtis et passis: [*Report.* 4. d. 3. q. 3. n. 3.] quia illud idem agens non habet virtutem absque formis intermediis, quas natura in resolvendo mixta producit aquam, attingendo aquam elementarem, quae nonnisi servato ordine ab Auctore naturae praefixo potest a mixtis extrahi, ut dictum est *in solutione primi.*

AD QUARTUM dicendum, aquam usualem habere vim abluendi, quae quoniam non impeditur per illam mixtionem seu impuritatem quam habet, erit materia idonea; qualiter enim debeat esse, simplex vel pura, dictum fuit *in solutione.*

ARTICULUS V.

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA BAPTISMI, *EGO TE BAPTIZO IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.*

Doct., Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *a.* 5.

VIDETUR praefata oratio haud esse conveniens forma Baptismi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 1.] cuiuscumque habentis materiam et formam, forma eius est in materia: sed ea verba non sunt in aqua, nec in ablutione, tamquam in subiecto, ut manifestum est; igitur illa verba esse nequeunt conveniens forma Baptismatis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Christus, Matthaei ultimo, traditurus Ecclesiae formam qua uti deberent ministri in collatione Baptismi, sub aliis terminis, seu non eamdem de qua quaeritur expressit: sed eius est praescribere formam Sacramentorum ad quem spectat ea instituere; ergo ea oratione non exprimitur conveniens forma Baptismi.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si in illa oratione consisteret conveniens et necessaria forma Baptismi; igitur aut quatenus est oratio vera, aut inquantum falsa: non ut falsa, quia nihil falsitatis est in Sacramentis veritatis: sed nec ut vera; et probatur: veritas eius sequitur ordine naturae collationem Sacramenti Baptismi: veritas enim orationis sequitur *esse* ipsius quod significatur per illam. Ista autem oratio significat collationem Sacramenti Baptismi; forma autem eo quod forma sit non est posterior eo, cuius est forma naturaliter, sed prior, 7. *Metaph.*, text. com. 7. Ergo forma conveniens non traditur in praefata oratione.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] *De Baptismo et eius eff.*, cap. *Si quis: Qui*

in baptizando non dixerit, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen, non est puer baptizatus.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 3. seqq.] forma potest accipi dupliciter: *proprie* nimirum et *appropriate. Primo modo,* forma *est illud quo unumquodque formaliter et essentialiter est id quod est.* Ita igitur loquendo de forma, dicendum, Baptismi formam esse relationem rationis, ut signum efficax veraciter demonstrans et significans ablutionem animae a peccato, tamquam suum proprium correlativum, et signatum; eius autem relationis fundamentum completum esse omnia de necessitate concurrentia ad Baptismum, nempe aquam, verba, suscipientem, et ministrum; non magis igitur hoc sensu verba, quam res sunt forma, cum omnia illa ex aequo unam integrare materiam recte dicenda sint. At loquendo de forma appropriate, ipsis verbis rectius ratio formae potest attribui, propterea quod verba sunt principaliora in significando et actualiora; ut enim dicit Augustinus, 2. *De doctr. Christ.*, cap. 1. *Verba inter homines obtinuerunt principatum in significando.* Ipsa quoque determinant ablutionem ut sit Sacramentalis, et non mere naturalis et physica; convenienter igitur verbis appropriatur et attribuitur ratio formae.

Suntne igitur forma Baptismi verba illa in titulo notata? Pro solutione sciendum, [*Oxon.* ib. n. 5.] in Sacramentis aliquod esse necessarium simpliciter, sic nimirum, ut eo non posito Sacramentum non conficiatur. Aliquid vero esse necessarium aliqualiter, nempe ex parte ministri, adeo ut sine eo adhuc Sacramentum habeat suam perfectionem, sed tamen ex illius defectu minister peccat. — *Respondeo* nunc dicendum, ministro in tota Ecclesia Romana esse necessario servandam illam formam de qua quaeritur, et hoc loquendo de ministro, cui competit ex officio baptizare, ut si sit Parochus, vel cui sit commissum baptizandi munus. Et probatur: etenim quilibet minister in Ecclesia Romana tenetur necessario eam formam servare, quam talis Ecclesia imposuit ministris: sed talis est illa de qua exuscitatur quaestio, ut patet in argumento *ad oppositum.* Neque huiusmodi ministros ignorantia excusat, quia tenentur scire illa quae intersunt muneris, cui ex officio deputantur. Igitur non servantes illam per omnia peccant. De ministro autem in Ecclesia Graeca dictum fuit *q.* 60. *art.* 7.

Quantum autem attinet ad necessaria ex parte Sacramenti, dicendum, [*Oxon.* ib. n. 7.] non esse necessaria illa omnia; nam etiamsi omittatur pronomen *Ego,* adhuc Baptismus habet suam perfectionem. Insuper in Ecclesia Graeca, (ut dictum fuit *loco statim cit.*) habetur verum Baptisma, et nihilominus Graeci utuntur hac forma. *Baptizetur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti:* ac proinde ad Sacramenti necessitatem praecise requiritur ut exprimatur actus baptizandi, et suscipiens, cum invocatione Sanctissimae Trinitatis, nam in forma quam tradidit Salvator ascensurus in Caelum, *Matthaei ultimo,* ista praecise experimuntur, nempe actus, suscipiens, et sanctissimae Trinitatis invocatio; ergo ista sunt Sacramento Baptismi necessaria. — Quod vero exprimantur actus, et suscipiens diversis modis, et personis grammaticalibus in Ecclesia Latina, et Graeca, non est de necessitate Sacramenti. — De variationibus autem, quae possunt formae accidere, scilicet secundum substantiam, quantitatem, qualitatem, et ubi, dictum fuit *q.* 60.

art. 8. quia non solum Baptismatis forma potest illis variationibus subesse, sed etiam caeterorum Sacramentorum formae, quae verbis et rebus conflantur et perficiuntur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 3.] dicendum, concludere de forma proprie accepta, non de forma illa, cui appropriate, ex aliqua scilicet metaphorica similitudine, seu analogia, attribuitur ratio formae; sicuti sunt verba respectu rerum in Sacramentis; revera tamen omnia sunt materia una completa respectu relationis signi.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. n. 14.] patet *ex dictis:* quia Christus solummodo expressit ea, quae Baptismo erant essentialia, committens potestati Ecclesiae determinare tempus, personam, et modum exprimendi actum baptizandi, et suscipientis. Et Latina quidem Ecclesia decrevit exprimendum actum indicativo modo, et suscipientem in secunda persona, ut notaret ministrum vere conferre Sacramentum. Graeca autem Ecclesia elegit formam supranotatam, et rationabiliter, ut dictum fuit *q.* 60. *art.* 7. *cit.*

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib. n. 14. — *Report.* 4. d. 3. q. 2. n. 9.] eam orationem pro toto tempore prolationis verborum neque esse veram, neque falsam, sed neutram, habituram scilicet veritatem suam in ultimo instanti prolationis eorum verborum; de qua re iterum reddibit sermo in materia de Eucharistia. — *Et cum arguitur:* ut vera est, sequitur actum rei; *concedo,* consequi ipsam ablutionem, quae exprimitur et importatur hoc verbo *baptizo:* at tunc non esse sensum *baptizo,* idest Sacramentum Baptismi confero, sed baptizo, hoc est abluo. — *Potest etiam responderi,* divisionem non esse sufficientem, quia fieri potest, ut aliqua verba materialiter sumpta sint forma in aliquo Sacramento, imo potuit Deus instituisse aliqua verba non significativa pro forma.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM OPORTEAT BAPTIZANTEM ESSE PERSONALITER DISTINCTUM A BAPTIZATO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 4. — *Report. ib. q.* 3.
S. Thom. 3. *p. q.* 66. *a.* 5.

VIDETUR baptizantem non oportere personaliter distingui a baptizato. Sacerdos enim [*Oxon.* 4. d. 6. q. 4. n. 1.] potest sibi ipsi dare Eucharistiam, ut patet in Missa; ergo sicut potest recipere Sacramentum illud a seipso, ita pariter et Baptismi Sacramentum potest sibi ipsi conferre et a seipso ministrante suscipere.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] *De Baptismo et eius effect.,* cap. *Debitum,* ubi Papa determinat esse rebaptizandum quemdam, qui a seipso baptizatus fuit.

EST ERGO hic [*Oxon.* ib. n. 2.] veritas expresse per Ecclesiam declarata, *in capite praeallegato.* Ubi et ponitur eius rei figura, auctoritas, et congruentiae ratio. Figura quidem, quia Christus non seipsum baptizavit, sed a Ioanne baptizari voluit; eo facto innuens baptizantem oportere esse personaliter distinctum a baptizato. Auctoritas autem col-

ligitur ex verbis Domini dicentis Apostolis, Matthaei ult.: *Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Ubi discipulos exprimit in secunda persona, et baptizandos in tertia, veluti hypostatice distinctos. Ratio congruentiae denique est ista: quia in Baptismo celebratur illa spiritualis generatio, de qua Veritas dicit, Ioann., 3. *Oportet nos nasci denuo.* Sicut ergo in carnali generatione alius est qui gignit, et alius qui generatur, ita et in Sacramentali generatione alius debet esse qui spiritualiter generat, et alius qui spiritualiter generatur.

Ad Argumentum, [*Oxon.* ib. n. 3.] nego Eucharistiae sumptionem esse Sacramentum, quae solum est commestio, seu perceptio sacramentalis; at Baptismus est Sacramentum. — *Contra* Sacerdos ministrat sibi Sacramentum Eucharistiae; ergo pariter poterit et sibi Baptismi Sacramentum conferre. *Respondeo,* ministrare Eucharistiae Sacramentum non est Sacramentum, quia hoc Sacramentum non consistit in usu; at ministrare Sacramentum Baptismi est ipsum Sacramentum Baptismatis, quod in usu essentialiter consistit; non est enim aqua Sacramentum Baptismi, sed ablutio facta in aqua cum certis verbis; Eucharistia autem est quoddam permanens distinctum ab usu Sacramenti; quamvis igitur aliquis posset esse in usu Sacramenti permanentis minister et suscipiens illum usum, non sequitur tamen id posse in Sacramento, quod essentialiter consistit in usu.

ARTICULUS VI.

UTRUM IN NOMINE CHRISTI POSSIT DARI BAPTISMUS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *art.* 6.

Videtur in nomine solius Christi, non expressa Trinitate Personarum, Baptisma minime posse conferri. Quia [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 9.] legem superioris nullus inferior potest revocare, nec simpliciter, nec ad tempus: sed lex de baptizando in ista forma communi, *In nomine Patris,* etc. promulgata fuit a Christo, Matthaei, ult.; ergo eam pro tempore, pro quo eam Christus non revocavit, nullus alius potest revocare. Et licet dispensaverit pro tempore primitivae Ecclesiae in illa lege, quia fuit tunc ratio dispensandi, ut nempe nomen Christi divulgaretur et fieret gloriosum, quod apud Iudaeos contemptibile erat, tamen illa ratione cessante, non dispensavit; ergo nullus inferior pro tempore posteriori ab illa lege absolvitur, adeo ut si aliter facit, contra legem et perperam facere dicatur.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib. n. 10.] Forma communiter tradita semper manet forma, nisi per eiusdem formae institutorem pro aliquo tempore fiat aliqua dispensatio: sed forma non fuit dispensative tradita, nisi pro tempore pro quo fuit dispensandi ratio, scilicet in Ecclesia primitiva, ut nomen Christi fieret honorabile inter Gentes et Iudaeos; ergo tempore illius dispensationis cessante, forma illa sola manet, quae fuit forma ex institutione; et per consequens Baptisma per aliam formam collatum nullum est.

3. Praeterea. [*Oxon.* ib. n. 2.] *De Baptismo et eius effectu: Si*

quis puerum ter in aqua merserit, et non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti amen, non est puer baptizatus; igitur per invocationem nominis Christi sine distincta expressione Trinitatis non conficitur nec subsistit Baptisma, iuxta hanc Ecclesiae declarationem.

CONTRA. *De Consecrat.,* d. 4. cap. *A quodam: Si in nomine Trinitatis vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, rebaptizari non debent:* igitur validum est Baptisma collatum in nomine Christi, alioquin denuo conferendum esset.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 8.] certum est in primitiva Ecclesia Apostolos in nomine Christi verum Baptisma contulisse, ut legitur Actuum 2. 8. 10. et 19.; in Christi enim nomine, ut exponit Ambrosius, lib. 1. *De Spiritu Sancto,* cap. 3. tota Trinitas intelligitur. Intelligitur siquidem cum Christum dicis et Pater a quo unctus est, et ipse qui unctus est, et Spiritum Sanctum per quem unctus est. — Sed an validus esset Baptismus nunc in nomine Christi collatus dubium est; nam [*Oxon.* ib. n. 10.] quoniam non legitur illam dispensationem, qua usi sunt Apostoli in primitiva Ecclesia, fuisse revocatam, non audeo affirmare Baptisma in nomine Christi datum esse invalidum. Et quoniam causa illius dispensationis videtur cessasse, et Christus instituit Baptismum esse conferendum sub invocatione Personarum Trinitatis, non audeo affirmare vere suscepisse Baptismi Sacramentum qui in solo Christi nomine esset baptizatus. Illud tamen constat, ministrum conferentem hoc Sacramentum sub alia forma ac sibi iniunctum est ab Ecclesia, peccare mortaliter.

Quod si quis inveniretur de quo dubium esset an renatus in Christo foret per Baptismi susceptionem, baptizandus est sub conditione sic expressa, *Si baptizatus es, non baptizo te, sed si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris,* etc. Et in universum in omnibus dubiis quantum ad materiam et formam Sacramentorum Christi sunt tres maximae: prima est ita: *Si possibilitas adest, via tutissima est eligienda;* secunda; *Si non adest possibilitas, viae tutissimae proxima est eligenda;* tertia autem est: *Cessante impossibilitate, caute est supplendum, quod impossibilitas prohibet.*

AD ARGUMENTA, [*Report.* 4. d. 3. q. 2. n. 8.] fateor ipsa reddere partem negativam probabilem, et fortasse probabiliorem affirmativa; ex quo tamen eius non legimus expressam revocationem, non videtur praeiudicandum auctoritati Ambrosii, Nicolai Papae, Magistri, et Hugonis id asserentium. Quantum autem attinet ad Canonum contrarietatem, et super diversitate opinionum, magis videtur fundata, quam in dogmatibus fidei, in quibus nulla potest esse contrarietas aut diversitas. Ergo neutra ex illis opinionibus, utrum scilicet Baptisma *in nomine Christi* collatum etiamnum validum sit, est ad praesentem diem per Ecclesiam decisa, nec ut dogma credendum proposita.

ARTICULUS VII.

UTRUM IMMERSIO IN AQUA SIT DE NECESSITATE BAPTISMI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 1. *et* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *art.* 7.

RESPONDEO ex dictis, *art.* 1. Baptismus vel ipsa ablutio hominis viatoris facta ab alio in aqua proferente quaedam certa verba, vel est Sacramentum ablutionis animae a peccato. Quomodocumque autem dicatur de ipsa ablutione, seu quod sit totum fundamentum ipsius relationis signi ad signatum, seu pars ipsius fundamenti integrati ea ex ablutione, et verbis ad hoc a Christo institutis, certum est Baptismum essentialiter includere ipsam corporis ablutionem factam ab alio per aquam. Quomodocumque [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 2.] igitur quis baptizetur, seu quomodolibet baptizans active faciat corpus eius, qui abluitur contingi ab aqua, modo verba requisita proferat, vere baptizabit. Quoniam igitur fieri et contingere id potest vel per motionem corporis ad aquam, immergendo ipsum corpus in aquam, vel per motionem aquae in corpus eius, nempe perfundendo, vel aspergendo illud aqua, (utroque enim modo vere corpus per aquam abluitur, estque in eo ablutionis ratio) manifestum est, non oportere, nec requiri ad Baptismi necessitatem corpus baptizati immergi in aqua.

ARTICULUS VIII.

UTRUM TRINA IMMERSIO SIT DE NECESSITATE BAPTISMI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 11. — *d.* 3. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *art.* 8.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 11.] trinam immersionem in aqua non esse de necessitate Sacramenti Baptismi; interesse nihilominus Ministrorum eum modum baptizandi servare in ea Ecclesia, ubi ita fieri fuerit institutum. Etenim ex *art. antec.* ad perfectionem in Baptismi satis est corpus ablui aqua elementari cum debita formae applicatione; est enim Baptismus ablutio, vel Sacramentum ablutionis; et quoniam ablutio formaliter habetur, seu corpus aquae immergatur, seu perfundatur vel aspergatur aqua, ideo perfectio istius Sacramenti haberi potest seu uno, seu altero modo ex praedictis quis utatur. Ita pariter seu ter, seu semel quis baptizandum aquae immergat vel aspergat, veritas Sacramenti salvatur unica et in trina immersione vel aspersione; si in trina aspersione vel immersione servetur debitus modus proferendi formam. Igitur trina immersio nullatenus esse potest de necessitate Sacramenti Baptismi.

At quoniam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 6.] quilibet minister tenetur servare modum Ecclesiae, in qua baptizat, stante permissione Ecclesiae Romanae permittentis alicubi fieri unam, alicubi fieri trinam immersionem, Minister in cuius Ecclesia consueta est trina immersio, si eam sine rationabili causa contemnat, peccat; nam de necessitate Ministri est praeceptum et modum suae Ecclesiae servare; et ita nemo potest licite in re gravissima transgredi et contemnere Maiorum instituta.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM ALIQUIS DEBEAT MINISTRARE SACRAMENTUM BAPTISMI, QUANDO PRAESUMITUR VERGERE IN PERICULUM ILLIUS, CUI MINISTRATUR.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 5. *q.* 3. — *Report. ib.* — *Richar., ib. q.* 4. *art.* 3. *Suarez, tom.* 3. *disp.* 20. *sect.* 5.

RESPONDEO: [*Oxon.*4.d.5.q.3.n.1.seqq.] aut talis praesumptio est certa ex signis certis, ut si quis non habens aquam ad manus qua abluat puerum, oporteret eum de ponte in fluentem proiicere, aut in altum puteum, certum est exinde mortem sequuturam, quia proiectus submergeretur. Quo in casu, dicendum non teneri aliquem ad eum sic proiiciendum, ut baptizet, quia peccaret mortaliter hominem occidendo: quilibet autem tenetur magis vitare peccatum mortale in seipso, quam quaerere salutem proximi; nam ordinata charitas magis est ad seipsum. — Sed numquid taliter in fluvium proiectus esset baptizatus? Dicitur, non esse; quia baptismus est ablutio ordinata ad vitam ipsius baptizati: ea autem ablutio afferret certam mortem ipsi abluto; ergo non esset baptizatus. — Sive tamen vere esset baptizatus, sive non, absolute non est proiiciendus; quia id non potest fieri sine gravi peccato ministri. Eo igitur in casu si non adsit vas quo hauriatur aqua, esset aliquis pannus in aquam dimittendus, ex quo deinde humore expresso, legitime baptizandus ablui posset. Quod si neque hac via liceat succurri in extremis constituto, et priusquam aqua habeatur e vita discedat, et vitam aeternam non consequatur, nulli culpae Minister obnoxius foret.

Si autem [*Oxon.* 4. d. 5. q. 3. n. 2.] praesumptio illa de morte imminenti vel acceleranda propter Baptismum non sit certa, sed levis et forte irrationabilis, ut si parvulus vel adultus est in mortis periculo constitutus, dico tunc, esse conscientiam erroneam in eo qui timet talem baptizare, ne peccet; nam si nullus alius adsit qui Sacramentum Baptismi ministret est perplexus: in lege autem divina nemo est perplexus nisi ex conscientia erronea; ergo talem conscientiam tunc ille habet; esse enim tunc ita metuentem, patet; nam si ille decedat sine Baptismo, damnatur; ergo ille tenetur de necessitate salutis eum baptizare; si enim peccaret non subveniendo illi in casu necessitatis quoad vitam temporalem, multo gravius peccat si eius culpa amittat vitam aeternam, et cum magis teneatur illam diligere, quam vitam eius temporalem: et altera ex parte, stante conscientia erronea de acceleratione mortis eius per Baptismi collationem, conferendo, peccat quoque mortaliter, quia secundum conscientiam suam homicida est.

Oportet ergo ea [*Oxon.* ib.] in perplexitate constitutum dimittere conscientiam erroneam, quia nulla alia est via evitandi peccatum mortale. Apparet etiam rationabiliter illam praesumptionem esse fatuam et irrationabilem, quia non admodum noceret etiam graviter infirmo, puerum aspergi aqua in capite; et si forsitan aqua frigida nocet, saltem tepida non noceret, quia parvuli tenerrimi in levamen et pro remedio balneo aquae tepidae immerguntur.

Sed numquid baptizans cum ista conscientia erronea est irregularis si post mors sequatur? *Respondeo* non esse irregularem; quia nulla lex ecclesiastica reddit irregularem, nisi vere homicidam: iste autem secundum veritatem non est homicida. Tamen post mortem illius baptizati stante erronea conscientia, tenetur se habere tamquam irregularem, quia se habet tamquam homicidam; at ea conscientia cessante non oportet dispensationem quaerere, quia numquam fuit vere irregularis.

Et si quaeras, [*Oxon.* ib.] cui magis sit cavendum, clerico an laico baptizare infirmum constitutum in articulo mortis? *Respondeo,* neutri esse cavendum, quia neuter transgreditur praeceptum divinum de non occidendo, nec clericus poenam aliquam repellentem ipsum a clericatu incurrit. Si tamen uterque poneretur habere conscientiam erroneam, simpliciter neuter posset baptizare, quia praeceptum divinum utrumque ligat ex aequo, et contra illud uterque secundum suam conscientiam faceret baptizando; clericus tamen secundum opinionem suam falsam crederet se incurrere aliam poenam ultra peccatum mortale, et ideo ipse habet plura retractiva in casu illo, quam laicus.

ARTICULUS IX.

UTRUM BAPTISMUS POSSIT ITERARI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 7. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *art.* 9.

VIDETUR Baptisma esse iterabile. Etenim [*Oxon.* 4. d. 6. q. 7. n. 1.] Eucharistia est Sacramentum iterabile; ergo pariter et Baptismus est iterabilis. *Probatio consequentiae:* nam non alia ratione Baptismus foret non iterabilis, nisi ob sui excellentiam: Eucharistia autem est Sacramentorum excellentissimum; ergo si hoc est iterabile, pariter et Baptismus.

2. PRAETEREA. Poenitentia est toties iterabilis, quoties peccato fiunt homines obnoxii: sed Baptismus efficacius abstergit animam et mundat a peccatis, quam fieri queat per poenitentiam; nedum enim Baptisma culpam delet ab anima, sed etiam culpae ipsius condignam poenam; ergo magis convenit iterari Baptismum quam Poenitentiam; ac proinde si haec sit iterabilis, et ille debet adhiberi cum relabimur in peccata.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 8.] Non raro inveniuntur pueri expositi de quibus ignoratur utrum sint baptizati: hi ergo aut sunt baptizandi, aut non, ne forte Baptisma iteretur. Si sunt aqua baptismali abluendi, fieri potest ut baptizati sint, et tunc Baptismus iteratur; si hac de causa non eis Baptismus conferendus, igitur cum facile sit non esse renatos in Christo, tunc exponerentur periculo aeternae damnationis.

4. PRAETEREA [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2.] Quos Ioannis baptizavit denuo baptizari oportuit, eo quod illius Baptisma non fuerit Baptisma Christi: sed quos baptizant haeretici non videntur initiati Baptismo Christi, ad cuius Ecclesiam non spectant errores haereticorum; igitur et hi sunt rebaptizandi, ac proinde non videtur Baptismus non iterabilis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 7. n. 1.] Augustinus, *ad Maximinum,* et ponitur, *De Consecrat,* d. 4. *Rebaptizare haereticum, qui hoc sanctitatis signum percepit, omnino peccatum est: Catholicum vero immanissimum scelus est.* Item idem q. 15. *ad Orosium: Ideo Ecclesia eos* (baptizatos ab haereticis) *non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis sunt baptizati.*

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 2.] Baptismi Sacramentum esse initerabile, nec si iteretur effectum ullum habere, certum de fide est. *Adducuntur* nihilominus ad hoc persuasiones. *Prima,* quia Baptismus virtutem habet ex passione Christi, iuxta illud Apostoli, *in mortem ipsius baptizati sumus:* sed Christus semel est mortuus; ergo semel quoque Baptisma est conferendum et suscipiendum. — *Sed haec ratio non concludit:* quia et poenitentiae Sacramentum virtutem habet a passione Christi; etenim prima gratia vel absolutio a culpa non datur inimico, nisi per meritum Mediatoris acceptissimi: et nihilominus Poenitentiae Sacramentum iteratur, et quaedam alia Sacramenta, quae pariter efficaciam a morte Christi habent. — *Alia ratio est:* in Baptismo imprimitur character, qui est indelebilis; igitur semel tantum potest imprimi. — *Caeterum* hac ratione probatur manifestius per minus manifestum. A principio enim quo Baptismus est institutus, fuit Ecclesiae manifestum non licuisse Baptismum iterari; sed ex prima eius institutione non erat notum characterem imprimi, imo nec ex sacra Scriptura, nec ex dictis Sanctorum, sed tantum ex Ecclesiae determinatione id didicimus, ut dictum fuit in materia de charactere, *q.* 63. *art.* 1.

Dicendum est ergo, [*Oxon.* ib. n. 3.] Baptismum esse initerabilem ex institutione divina, cuius non est aliqua causa prior nisi voluntas eius; ac proinde oppositum potuit institutum fuisse; adesse tamen huiusmodi institutionis rationabiles congruentias: *prima,* quia morbus adversus quem fuit Baptismus institutus est originale peccatum: originale autem peccatum unicum est in singulis hominibus, nec iterari potest; igitur congruit quoque remedium esse unicum et initerabile; *secunda,* quia per Baptismi collationem largitur suscipienti plena remissio poenae et culpae: si autem in potestate hominis esset uti frequenter hoc remedio, foret sibi magnum incentivum delinquendi; et alia subinde remedia contemnerentur, uno facillimo atque efficacissimo adhibito; illud enim quod est institutum in remedium relabentium, scilicet Poenitentia, non est sine magna poena solvenda pro peccatis; *tertia denique,* quia per Baptismum intramus in legem Christianam et adscribimur familiae Christi, et computamur inter membra Ecclesiae militantis. Ut autem haec omnia quis obtineat satis est semel Baptismum suscepisse.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 3.] respondeo, prolationem verborum quibus Eucharistia consecratur non esse Sacramentum, sed sacramentalem consecrationem, quam non licet bis iterari super eamdem materiam; quia frustra pronunciaretur, et non sine gravi peccato. Perceptio etiam Sacramenti non est Sacramentum. Etsi igitur possit eadem persona frequenter recipere Eucharistiam, non tamen super eamdem materiam possunt frequenter proferri verba consecrationis Eucharistiae, ne sic Eucharistia possit iterari.

AD SECUNDUM respondeo *ex dictis,* utique fieri et institui potuisse ut pro deletione peccatorum post Baptismum commissorum, Baptismo uterentur homines ad plenam conscientiae emundationem; sed Deo aliter disponere placuisse, ne nimia veniae consequendae facilitate relaxaretur fraenum ad peccata perpetranda, et homines satis proni ad malum ea ratione fierent peiores. Igitur saluberrime in remedium peccatorum poenitentia post Baptismum instituta est, in qua etsi paratum sit remedium salutis, obligatione tamen poenae persolvendae pro ratione et mensura

peccatorum coercentur facinora et peccata, redditi iam certiores omnium quae patravissemus debere nos ad salutem serio poenitere, ac condignas poenas persolvere.

AD TERTIUM respondeo sic: [*Oxon.* 4. d. 4. q. 8.] aut in parvulo exposito inveniuntur certa signa innuentia ipsum non esse baptizatum, quemadmodum mulierculae consueverunt cum exposito apponere sal, sicuti fit cum deportandis ad Baptismum; et tunc dico, inventum puerum absque ulla haesitatione esse baptizandum absolute; aut non inveniuntur cum exposito illa vel consimilia signa, nec de eo potest haberi aliquod indicium, nec testimonium fide dignum, quod fuerit baptizatus; et tunc dico pariter baptizandum esse. Tutius tamen videri si eo in casu minister illa forma utatur quae ponitur *De Baptismo et eius effect.*, cap. *De quibus*, scilicet, *si tu es baptizatus non baptizo te, sed si non es baptizatus, baptizo te in nomine Patris*, etc. De quo casu loquens Leo Papa, *De Consecrat.*, 4. cap. *De quibus, quando*, ait, *nulla extant indicia inter propinquos et vicinos quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.* Ex hoc igitur casu non sequitur Baptismum esse iterandum, aut aliquando evenire ut iteretur.

AD QUARTUM dico, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2.] utique fuisse denuo baptizandos quos Ioannes suo Baptismo abluisse constabat, quia ille non erat Baptismus Christi, sine quo nemo introire potest in regnum Caelorum; at si haeretici, aut quivis alius minister baptizaverit servata forma Ecclesiae, cum vere collatum sit eo facto Baptisma Christi (iuxta dicta supra *q.* 38. *art.* 6.), non est iterum id Sacramentum conferendum: quod si constaret servatam non esse formam Ecclesiae traditam a Christo, nec expressam fuisse Trinitatem Personarum et Essentiae unitatem, ut evenit cum dicitur, *Ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, quoniam perfectio Sacramenti non subsisteret, equidem foret Baptismus denuo conferendus.

ARTICULUS INCIDENS.

QUAENAM SIT POENA ITERANTIUM BAPTISMA.

Doct., Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 8. — *Report. ib.* — *Suarez.* 3. *p. t.* 3. *d.* 31. *sect.* 6.

RESPONDEO: [*Oxon.* 4. d. 6. q. 8. n. 1. — *Report.* ib.] iterari potest Baptisma vel iterum conferendo, vel iterum ipsum suscipiendo, idque contingere potest aut *scienter* aut *ignoranter*. Quod si ignoranter suscipiatur aut conferatur iterum, ea ignorantia potest esse iuris vel facti. Quibus suppositis, sit PRIMUM DICTUM: ignorantia iuris non excusat, quin conferentes iterum et suscipientes Baptisma sint ipso facto irregulares, ut habetur *De Apost.* cap. *Ex literarum.* Sed probatur iuris ignorantia tales non excusari: nam *aut* intelligitur de ignorantia iuris Divini prohibentis iterari Baptisma, *aut* de ignorantia iuris Canonici infligentis poenam. Et prior quidem ignorantia non excusat a peccato, nec a poena infligenda a Deo ob peccatum, ut patet: sed nec secunda; quando enim ut magis servetur praeceptum divinum additur poena Canonica pro transgredientibus, ut incurratur statuta poena non est necessarium transgredientes habere scien-

tiam iuris Canonici, sed satis eos scivisse, vel scire debuisse praeceptum divinum. *Exemplum,* ignorans Canones si percutiat Clericum, aut si hominem interficiat, adhuc excommunicatus ob percussionem Clerici, aut irregularis ob homicidium erit, quia contra praecepta divina facit, quae debet scire et exequi; qui si forte ea nesciat debet consulere maiores Ecclesiae, qui ex officio tenentur instruere ignorantes de necessariis ad salutem, et ita abstinere ab iis quorum causa salus impeditur; ergo pariter in omnibus aliis ignorantia iuris Canonici non excusat, quin transgredientes incidant in poenam in eis statutam, quando ius Canonicum coincidit cum iure divino.

Iterantes igitur [*Oxon.* ib. n. 2.] Baptisma, seu sit conferens seu suscipiens, irregulares erunt, ut traditur in *Canone supra cit.* Ex quo etiam habetur si Baptismi iteratio publice fiat, solummodo Papam posse ab ea dispensare; at si privatim res gesta sit, posse super eam de Episcopi auctoritate dispensari; quae omnia de absoluta huius Sacramenti iteratione intelligenda sunt, quia si quis prudenter dubitet se non esse baptizatum, aut ipse conferens rationabiliter dubitat de valida collatione Baptismi non incurreretur tunc poena irregularitatis.

SECUNDUM DICTUM: ignorantia facti, si dolosa, aut crassa non sit, sed probabilis et prudens, excusat ab irregularitatis poena, non solum conferentem iterum Baptisma, sed etiam suscipientem; quia poena Canonica non incurritur nisi inferatur a conditore Canonis; ergo ubi ex vi verborum non invenitur inflicta, nulla est ibi pertimescenda; eo vel magis, quod verba constitutionum poenalium non sunt amplianda, sed restringenda, ut est *inter regulas iuris in* 6.

Nihilominus [*Oxon.* ib.] videtur aliquibus facti ignorantiam utique conferentem excusare ne incidisse dicatur in irregularitatis poenam, sed nequaquam suscipientem iterato Baptismo initiatum, quod accipiunt *ex* cap. *Qui bis, De consecrat., d.* 4. ubi dicitur: *qui bis ignoranter* baptizati sunt non indigent pro eo poenitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna necessitas cogat. Et patet *eo in capitulo* esse de ignorantia facti sermonem, quia si loqueretur de ignorantia iuris, oporteret poenitere.

At puto [*Oxon.* ib. n. 2.] non esse huic sententiae adhaerendum, sed magis standum in praemissa *solutione*: quia non videtur maior ratio in hoc de Baptizante, quam de baptizato: sed ignorans aliquem esse baptizatum, si baptizet iterum, non incidit in irregularitatem; quia quilibet Sacerdos non tenetur facere diligentissimam inquisitionem, an vetula aliqua baptizaverit parvulum domi; imo videtur supponendum regulariter non esse baptizatum nisi aliqua specialis suscipio per aliqua indicia de hoc suboriretur. Minus autem videtur puniendus qui secundo baptizatur ex ignorantia facti, quam qui secundo baptizat; quia ille quaerit propriam salutem, ne ob Baptismi omissionem exponat se periculo damnationis; igitur si baptizans ex ignorantia facti non incurrit irregularitatem, minus videtur de baptizato.

Neque auctoritas [*Oxon.* ib.] cit. Canonis apparet satis certa; quia nullus potest infligere irregularitatem toti Ecclesiae nisi caput Ecclesiae: illud autem caput, *Qui bis,* ut patet ex titulo, accipitur ex Poenitentiali Theodori, qui fuit Episcopus Cantuariae. Igitur inquantum est huius Auctoris, nullum habet robur infligendi irregularitatem. Ergo vel omnia de-

creta reperta in iure Canonico compilato a Gratiano sunt confirmata per Papam, vel multa capitula ibi posita non ligant totam Ecclesiam. Et primum quidem non est manifestum, sicut constat de iis quae reperiuntur in *Decretalibus* Gregorii Noni, et in 6. compilato per Bonifacium Octavum, ut est videre in *in Proemiis eorum* librorum.

ARTICULUS X.

UTRUM RITUS QUO ECCLESIA IN BAPTIZANDO UTITUR SIT CONVENIENS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 17. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *art.* 10.

VIDENTUR minus convenienter dispositi ritus quibus utitur Ecclesia in conferendo Baptismate. Nam [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] cum Christus a Ioanne baptizari voluit, tunc fuerunt aquae consecratae in usum Baptismi: igitur conveniens fuisset institutum ut eodem tempore initiarentur Baptismate sectatores Christi, quam tempore Paschae aut Pentecostes.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 7. n. 2.] Teste Apostolo ad Romanos, 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus:* igitur convenientius Baptisma Christi conferretur eo tempore, quo ille mortuus est, aut in monumento positus; cum ergo ritus Ecclesiae sit diversus, minus convenire videtur mysterio nobis per Apostolum declarato.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. — d. 2. q. 1. — d. 23.] Aqua ipsa naturalis adeo est propria Baptismi materia, ut si in alio liquore eius eum conferre tentaverit, nulliter et perperam id faciat; verumtamen admodum apposite ob aquae proprietates mire exprimentes gratiae effectus quae in Baptismate confertur; sic quoque propria materia confirmationis est *Chrisma,* et Unctionis Extremae *Oleum:* igitur inconveniens est uno in Baptismi Sacramento adhiberi et istorum duorum materiam, quemadmodum uniuscuiusque Sacramenti gratia in ratione effectus differt a gratia habituali, ut dictum est *q.* 62. *art.* 2.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 17. n. 4.] Ecclesia Catholica ultra ius divinum, positivum quod continetur in Scriptura, statuit multa, tum propter observantiam honestiorem in moribus, tum propter reverentiam maiorem in suscipiendis et dispensandis Sacramentis: Ecclesia autem catholica dirigitur a Spiritu veritatis; ergo nihil spectans ad mores et ad Sacramenta potest inordinatum in ea reperiri.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 1. d. 10. q. 1.] caeremonias et ritus quibus in Baptizando utitur Ecclesia catholica esse convenientissime ordinatos et dispositos; quamquam enim Christus non docuerit omnia pertinentia ad dispensationem Sacramentorum a se institutorum, iuxta illud Ioann., 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem:* multa tamen [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 15. — d. 17. n. 4.] docuit eos Spiritus Sanctus, quae non sunt scripta in Evangelio, quorum quaedam per Scripturam, quaedam vero per consuetudinem tradiderunt; quae autem fuerunt ab eis tradita circa Sacramenta, Ecclesia eodem Spiritu veritatis edocta non potuit non rectissime ac convenientissime instituisse quae-

cumque circa Baptismi institutionem et ministerium statuit servanda; tum propter maiorem reverentiam Sacramentorum ipsorum, tum propter mysteria significanda et repraesentanda. Quoniam igitur per Baptisma in Christo renascimur, de qua spirituali generatione Veritas dicit, *Oportet vos renasci denuo,* Ioann., 3. et ad novam vitam resurgimus, recte Ecclesia sancivit in Christi resurrectione Baptisma esse solemniter conferendum; et quia [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 2. — d. 3. q. 4. n. 11.] Christi Baptismus non erat in aqua tantum, ut ille Ioannis Baptistae, sed in aqua et igne, scilicet in Spiritu et veritate, ad id significandum voluit catholica Ecclesia in vigilia ipsius Pentecostes Cathecumenos Baptismo initiari, quia tunc descendit Spiritus super Apostolos in igne.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, aquas in Baptismi usum consecratas fuisse cum Christi sanctissimum corpus tetigerunt per Ioannis Baptisma, quod in se Salvator admittere est dignatus. Verumtamen ille Baptismus non erat Christi vel Legis Evangelicae, sed Ioannis baptizantis; ideoque non oportuit in Ecclesia institutum esse, ut tunc initientur Baptismate sectatores Christi, cum ipse a Ioanne baptizari voluit, sed magis in Paschatis et Pentecostes solemnitatibus, quia id apprime congruit mysterio regenerationis spiritualis, per quam de morte ad vitam resurgimus: et quoniam iuxta promissa Ioannis baptizantur fideles in *Spiritu Sancto et igni,* recte quoque tunc solemniter confertur Baptisma cum Spiritus visibiliter in igne apparere dignatus est.

AD SECUNDUM patet *ex dictis,* cur magis congruat Baptisma Christi resurrectionis mysterio, quam morti et sepulturae eius. Utique enim morte sua ille nobis promeruit gratiam, qua ad vitam resurgimus spiritualem, et quia verissime haec gratia in Baptismate confertur, convenientissime quoque in Christi resurrectione, solemni ritu ut Baptismus conferretur fuit institutum.

AD TERTIUM concedo, tum aquam, tum Chrisma atque Oleum esse praefatorum Sacramentorum respective propriam materiam; non adhibentur ergo in Baptismi collatione tamquam propria eius Sacramenti materia, quae sola aqua elementaris est, sed ob mysteria quae declarat Innocentius III, *De sac. Unctio.* § *Quia vero Christus: In pectore,* inquiens, *baptizandus inungitur, ut per Sancti spiritus donum abiiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam. Inter scapulas vero ungitur, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam et torporem. In vertice vero baptizatus inungitur, ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem, quia per caput intelligitur mens,* etc.; et plura alia subdit, quibus egregie declarat mysteria, quae eo facto Catholica Ecclesia significare intendit.

ARTICULUS XI.

UTRUM CONVENIENTER DESCRIBANTUR TRIA BAPTISMATA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *a.* 11.

VIDENTUR minus convenienter poni tria Baptismata, scilicet *aquae, sanguinis,* et *flaminis.* Nam Salvator condens et ferens Legem Evangelicam unum tantum (qui est aquae) praescripsit, ac suscipiendum omni-

bus mandavit; igitur nulla alia sunt Legis Evangelicae Baptismata. *Assumptum* patet ex Ioannis, 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Caelorum.* Et Matthaei, ultimo: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris,* etc.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 1.] Si Baptismus flaminis (ut vocant) supplere posset et causare in anima effectum Baptismi, qui per aquam confertur; igitur qui iam iustificatus est non teneretur amplius ad Baptismi susceptionem: hoc autem est falsum; quia praeceptum de Baptismo suscipiendo obligat ex aequo omnes viatores; nisi enim quis renatus fuerit per aquam nequit introire in regnum Caelorum; igitur ille Baptismus non supplet, nec confert effectum Baptismi fluminis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 1.] Baptismus vel est ablutio, vel Sacramentum est ablutionis: sed in veteri lege fuerunt multiplices oblationes figurativae ablutionum fiendarum in nova; ergo in Evangelica Lege convenientius institutae fuissent plures ablutiones et Baptismata.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. nn. 2.-4.] Sacramenta oportuit esse instituta post lapsum primi hominis, ut forent signa efficacia gratiae collatae per illa, iuxta dicta *q.* 61. *art.* 2. *et* 3. *et q.* 62. *art.* 1. 3. *et* 4. Sed si foret admittendus Baptismus flaminis, in eo non salvaretur ratio Sacramenti, quia nullum esset ibi signum sensibile et efficax gratiae; ergo non potest esse certus homo sibi adhibitam fuisse necessariam medicinam adversus morbum originalis peccati, ac proinde minus convenienter ponitur iste Baptismus flaminis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis, adeo ut sine eorum usu signorum nequeat causare effectum Sacramentorum; igitur ultra aquae Baptismum possunt esse quoque alia duo, nempe gratiae et sanguinis.

RESPONDEO dicendum: [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. — d. 7. q. 1. n. 3.] etsi pro statu praesentis viae quilibet viator teneatur de necessitate medii suscipere Baptismum fluminis ex illo Christi generali praecepto Ioann., 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* nihilominus quia Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis, taliter ut nemo nisi per hanc viam possit salutem aeternam adipisci, ultra Baptismum in aqua, qui dicitur Baptismus fluminis, dantur alia Baptismata, scilicet flaminis et sanguinis, quibus purgantur baptizati et a peccato originali et ab actualibus si insint. Et quidem [*Report.* 4. d. 4. q. 3.] Baptismo flaminis mundatum fuisse Hieremiam constat ex cap. 1. *Prophetiae eius,* et ex cap. 1. Lucae, *De Ioanne Baptista,* qui etiam in ventre matris iustificatus fuit, antequam nimirum posset circumcidi, aut aqua baptizari; sed et de Beatissima Matre Christi id tenet firmiter Ecclesia. Dicitur etiam idem factum esse cum B. Anna. Est ergo admittendus quoque Baptismus flaminis, quo gratia Spiritus Sancti absque ullo signo exteriori mundantur, qui eo Baptismo baptizantur. — De Baptismate autem sanguinis est argumentum evidens in iis, qui ante susceptum Baptismum fluminis pro Christo et iustitia occiduntur, uti factum esse cum multis Martyribus ex Ecclesiastica Historia constat. Sed et Matthaei, 2. narratur, Herodem regem impiissimum, ut Christum recenter natum neci traderet, interfecisse omnes pueros Bethlehemitas, a bimatu et infra: eos autem catholica Ecclesia inter martyres colit; igitur proprio sanguine baptizati, atque macula originali abluti, regnum Cae-

lorum obtinuerunt. Convenienter igitur Baptismi Sacramentum in fluminis, flaminis et sanguinis Baptisma describitur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, ex eo tantum sequi unumquemque viatorum teneri de necessitate medii ad susceptionem Baptismi per aquam conferendi, quia etsi iustificatus sit, nihilominus tenetur parere divino mandato, cui adimplendo si facultas adsit, et quis nolit, utique contemneret, et ab iustitia excideret; ex hoc igitur non sequitur suppleri non posse Baptismi effectum per alia duo Baptismata, cum reipsa et in effectu suscipi non potest ille qui confertur per aquam.

AD SECUNDUM [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] patet ex statim dictis; quia quilibet quamtumvis iustus teneretur affectu recipere Baptismum fluminis si nequiret in effectu, nisi fortassis specialiter sit dispensatus sub lege illa universali, uti non est improbabile evenisse cum Beatissima Virgine Maria, eo quod in conceptione Filii sui pervenit ad illam plenitudinem gratiae ad quam puram creaturam Dei Matrem conveniebat pervenire.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] utique eas ablutiones et Baptismata, quae peragebantur in veteri lege, significasse purificationem et ablutionem animae a peccato repraesentandam per gratiam faciendam abundanter per Iesum Christum in nova lege; quae cum iam facta sit umbris illis successit veritas. Unicam igitur satis est fuisse institutam ablutionem in Lege Evangelica, quia per illam emundabatur efficacissime anima; quam si quis in casu nequeat recipere, non praecluditur sibi proinde via salutis, quia effectum illius consequi valet per alia duo Baptismata, ut dictum est.

AD QUARTUM respondeo, iam declaratum fuisse qualiter iustificati adhuc tenentur parere divino mandato et submittere seipsos illis signis sensibilibus quibus signatur efficaciter interna animae ablutio, idque vel quoad affectum, si aliter fieri non possit, vel in effectu, si facultas adsit. Quod si cum aliquo Dominus dispensavit, ille certissimus erat se effectum Baptismi vel Circumcisionis recepisse. Unde Hieremias ipse fassus est se fuisse mundatum a peccato originali cum adhuc esset in ventre matris suae. *Hierem.*, 1.

ARTICULUS XII.

UTRUM BAPTISMUS SANGUINIS SIT POTISSIMUS INTER ALIA BAPTISMATA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 6. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 66. *a.* 12.

VIDETUR sanguinis Baptisma non esse potissimum caeterorum Baptismatum. Etenim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1.] Aquae Baptismus est novae legis Sacramentum a Christo institutum: Baptismum autem sanguinis nemo vocaverit Sacramentum; ergo sanguinis Baptismus non videtur recte praeferendus Aquae Baptismati.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] Qui sanguinis Baptismum susceperunt, si remaneant nobiscum viatores tenentur initiari Baptismo aquae; igitur manifeste sanguinis Baptismus est longe inferioris ordinis ab aquae Baptismate, cum iste sine Baptismo sanguinis sufficiat, non autem ille sine Baptismo fluminis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3. n. 2.] Parvulus existens in utero matris nequit suscipere Baptismum fluminis, quia nec ablui potest; nihilominus Baptismo sanguinis baptizari potest, si mater una cum ipso pro iustitia, vel fide moriatur; ergo sanguinis Baptismus praestat caeteris omnibus. Quod et scribitur Augustino, *De Consecrat.*, 4. can. 32.: *Baptismi vicem aliquando impleri passionem de latrone illo, cui non baptizato dictum est: hodie mecum eris in Paradiso, B. Cyprianus non leve documentum assumpsit.*

RESPONDEO, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6.] Sanguinis Baptismum inter alia Baptismata esse potissimum. *Declaratio:* etenim qui proprio sanguine baptizantur ob Christi fidem et iustitiam, necessario habent Baptismum flaminis; alioquin enim sanguinis Baptisma nihil illis prodesset, iuxta doctrinam Apostoli, 1. *ad Corinth.*, cap. 13. *Et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Si igitur sanguinis Baptisma prodest subeunti ipsum ad salutem, profecto gratia praeveniente Spiritus Sancti oportet esse perfusum qui proprio sanguine baptizatur. Igitur sanguinis Baptismus est excellentior solo Baptismate flaminis. Qui etiam pro Christo moriuntur, esto non sint in aqua baptizati, ab eo praecepto absolvuntur, nec ipsis imputatur culpae non fuisse aliquando aqua Sacramentaliter ablutos, et interim sanguinis Baptisma praestat completum Baptismi fluminis effectum; quia mundat animam eo baptizati, taliter ut statim potiatur gloria caelesti; ergo est omnium Baptismatum praestantissimum. Quod magnifice tractatum ab Augustino et annotatum habetur, *De Consecrat.*, d. 4. cap. *Cathecumenum: In martyrio tota Baptismi Sacramenta complentur. Baptizandus confitetur fidem suam coram Sacerdote, et interrogatus respondet. Hoc et martyr coram persecutore facit, qui et confitetur fidem suam et interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua vel intingitur. Et hic vel aspergitur sanguine vel contingitur igne. Ille manus impositione Pontificis accipit Spiritum Sanctum: hic habitaculum fit Spiritus Sancti, dum non est ipse qui loquitur, sed Spiritus Patris, qui loquitur in illo. Ille communicat Eucharistiae in commemorationem mortis Domini. Hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur se mundi actibus renunciaturum: hic ipsi renunciat vitae. Illi peccata omnia remittuntur: in isto extinguuntur.* Haec ibi ex Augustino.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, sanguinis Baptismum non esse Sacramentum, ut is qui in aqua confertur iuxta Christi institutionem, secundum quam comparationem non praeferimus sanguinis Baptismum Sacramentali ablutioni, in qua etiam imprimitur character et computantur baptizati inter Ecclesiae membra, et dicuntur de familia Christi. Sed praeferentes sanguinis Baptisma caeteris, intelligimus quoad effectum. Unde et absolvitur ita baptizatus a praecepto cui obstringuntur omnes viatores de suscipiendo fluminis Baptisma, si sit martyrium consummatum.

AD SECUNDUM respondeo *ex statim dictis:* quia loquimur de Baptismo sanguinis completo; alioquin si remaneant nobiscum viatores, qui sustinuerunt pro iustitia poenas, tenentur satisfacere praecepto communi omnibus viatoribus.

QUAESTIO SEXAGESIMASEPTIMA.

DE MINISTRIS PER QUOS TRADITUR BAPTISMI SACRAMENTUM, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de Ministris per quos traditur Sacramentum Baptismi.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum ad Diaconum pertineat baptizare. - 2. Utrum pertineat ad Presbyteros, vel solum ad Episcopum. - 3. Utrum Laicus possit Sacramentum Baptismi conferre. - 4. Utrum hoc possit facere mulier. - 5. Utrum non baptizatus possit baptizare. - 6. Utrum plures possint baptizare simul unum et eumdem. - 7. Utrum necesse sit aliquem esse qui baptizatum de sacro fonte recipiat. - 8. Utrum suscipiens aliquem de sacro fonte obligetur ad eius instructionem.

ARTICULUS I.

UTRUM AD OFFICIUM DIACONI PERTINEAT BAPTIZARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 67. *art.* 1.

VIDETUR ad Diaconi officium pertinere Baptismum conferre. Nam [*Report.* 4. d. 2. q. 1. n. 3.] iuxta dicta *q.* 66. *art.* 2. tunc verisimilius Baptisma a Christo institutum videtur, cum mittens Apostolos ad filios Israël, dedit eis potestatem evangelizandi et curandi infirmos et mortuos suscitandi; tunc, *inquam,* probabile est dedisse pariter illis potestatem baptizandi: sed Diaconorum est Evangelium in Ecclesia legere ac populo declarare; ergo ad eosdem pariter spectat et baptizare.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 24 n. 7.] Diacono convenit longe perfectior actus ratione potestatis spiritualis, qua pollet, quam sit baptizare; ergo multo magis eorum gradui convenit Baptismum conferre. *Probatio assumpti:* longe perfectior actus est Eucharistiam dispensare, quam baptizare: sed ille est actus proprius Diaconi; ergo multo magis vi spiritualis suae potestatis poterit aquis Sacramentalibus intingere rite accedentes.

CONTRA. Dist. 93. cap. *Diaconus: Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant:* idest praeter auctoritatem, secundum *Glossam:* si autem muneris Diaconorum esset baptizare, non requireretur auctoritas Presbyterorum vel Episcoporum ut id praestarent, quia proprium munus exequerentur.

RESPONDEO dicendum, quamvis quodlibet suppositum intellectuale possit valide conferre Baptismum alteri si sit compos rationis, debitam habeat intentionem et usum membrorum, quibus valeat abluere extrinsecus corpus baptizandi, et verba in quibus est forma debite proferre, non esse tamen Diaconi officium conferre Baptisma; Diaconi enim proprium munus et immediatum est circa Eucharistiam dispensandam, non autem admittere extraneos in familiam Christi, quod per Baptismi collationem praestatur. Et ratio est. [*Oxon.* 4. d. 24. n.7. et 2.] quia ipse non habet simpliciter spiritualem potestatem qualem habet Sacerdos; hinc

etsi Diaconus magis congrue baptizaret, quam laicus, nihilominus si laicus baptizaret, valide baptizaret; non pertinet ergo ad Diaconi officium baptizare. Quod est intelligendum praesentibus Episcopo, vel Presbytero; his enim absentibus incumbit ex officio Diaconibus baptizare necessitate urgente, deinde Subdiaconibus, postea laicis, ut diserte tradit Isidorus, *lib.* 2. *De offic., cap.* 24.

Ad Argumenta. Ad primum dico: cum non habeatur ex Scriptura tempus determinatum institutionis Baptismi, sustineri posse tamquam probabile tunc a Christo institutum fuisse, cum dedit potestatem Apostolis praedicandi; nego tamen propterea ad munus Diaconorum pertinere admitti in Ecclesiam per Baptismum accedentes. *Primo,* [*Oxon.*4.d.24. n. 7.] quia Diaconi proprium munus non est legere Evangelium, vel illud populo declarare; sed proprius actus vel officium eius est circa Eucharistiam dispensandam. *Deinde* etsi commissum sit Apostolis ut baptizarent dum Baptismus cadebat sub consilio, cum tamen evasit praeceptum necessarium ad salutem id muneris commissum est Sacerdotibus, quorum interest ob gradum eminentem quem tenent in Ecclesia alios admittere et adscribere inter eos, qui sunt de familia Christi.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 1.] quamvis actus nobilissimus sit Eucharistiam dispensare, eo facto nihilominus non conficitur Sacramentum, ut cum confertur Baptisma. Et nihilominus eum actum non potest Diaconus ordinate exercere nisi de mandato superioris potestatis, ut diserte habetur *d.* 93. *cap. Diaconus.* Ita pariter de Baptismo dicendum est, valide utique per ipsum conferri posse, sed nequaquam ordinate, quia non interest sui officii, nisi Episcopus, vel Presbyter illi mandet, vel aliunde necessitas aliud fieri suadeat.

ARTICULUS II.

UTRUM BAPTIZARE PERTINEAT AD OFFICIUM PRESBYTERORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 1. — *Report ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 67. *a.* 2.

Videtur baptizare non pertinere ad officium Presbyterorum. Etenim iuxta dicta *art. praec.,* baptizandi munus non consequitur officium Diaconorum; ergo neque Presbyterorum. *Probatio consequentiae:* actus qui ab gradu Diaconatus proficiscitur est circa Eucharistiam dispensandam: sed qui ab ordine Presbyteratus est versatur circa Eucharistiam conficiendam; ergo sicuti ex dispensatione Eucharistiae non sequitur esse Diaconorum baptizare, ita nec ex confectione eiusdem habent Presbyteri posse baptizare.

2. Praeterea. Per Baptismi Sacramentum annumerantur Baptizati inter eos, qui nomen dederunt Christo eius legem profitentes: sed admittere in Collegium qui extra sunt, spectat ad Praesidentem et Principem eius Collegii; ergo cum Presbyteri non praesideant Collegio Christianorum, sed magis Romanus Pontifex vicarius Christi, et exinde Episcopi, horum dumtaxat erit Baptismum conferre, et non Presbyterorum.

3. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 1.] Actus consequens et annexus gradui si exequatur ab alio carens eo gradu perperam et nulliter exercetur; ergo si Sacerdotum interest baptizare, si aliquis alius eum

actum exerceret, non subsisteret Baptismi perfectio et validitas: hoc autem est falsum, ut diserte habetur dist. 4. *De consecrat.*, c. *Romanus Pontif.* Igitur baptizare non convenit nec pertinet ad officium Presbyterorum.

CONTRA. Isidorus, *De Offic.*, lib. 2. cap. 24. *Constat Baptismum solis Sacerdotibus esse traditum, eiusque ministerium, nec ipsis Diaconibus implere est licitum.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 3.] quamvis quodlibet suppositum intellectuale habens usum rationis, debitam intentionem et expeditum usum membrorum possit simpliciter baptizare, huiusmodi nihilominus Sacramenti ministerium ex officio solis congruere Sacerdotibus. *Probatur:* per Baptismum recipitur baptizatus in collegium Ecclesiae militantis: sed recipere in collegium ex officio pertinet ad Praesidentem, seu habentem auctoritatem in collegio; igitur cum Sacerdotes teneant gradum eminentem in Ecclesia, ipsorum erit extraneos in Ecclesiae collegium adsciscere, et non aliorum eam auctoritatem non habentium, nec gradum eminentem tenentium. Ex quo sequitur, per se et primo Episcoporum esse Sacramentum Baptismi conferre; hi enim maiorem auctoritatem habent in Ecclesia, et ideo ad eos magis pertinet admittere in Ecclesiae collegium, qui extra reperiuntur. Verum quia Episcopi longe pauciores sunt Sacerdotibus, et baptizandorum numerus est magnus, regulariter id munus committitur omnibus Sacerdotibus, non quod ipsis ex officio non competat, quia consequitur ipsorum dignitatem et gradum excellentem quo pollent in Ecclesia, sed quia etiam praesente Episcopo possunt et valent officium baptizandi exercere, quod Subdiaconibus et Diaconibus licitum non esse praesentibus Episcopo et Presbyteris testatur Isidorus *in auctoritate supracitata.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, longe eminentiorem gradum tenere in Ecclesia Presbyteros, quam Diaconos, tantum enim interest, atque unus praecellit alio, quantum est conficere posse ipsam Eucharistiam, et non posse. Ideo nulla est consequentia ex Diacono ad Presbyterum; is enim ratione gradus eminentem tenet locum in Ecclesia, ac propterea eius interesse admittere extraneos in collegium Christianorum.

AD SECUNDUM patet ex dictis *in solutione:* revera enim primum est Episcoporum baptizare; at quia ii non sufficerent tot centenis millibus baptizandis, recte committitur Presbyteris, tamquam post Episcopos eminentem locum prae aliis in Ecclesia tenentibus.

AD TERTIUM respondeo, actum baptizandi consequi ad gradum eminentem in Ecclesia, non ad hoc ut absolute et valide fiat, sed solummodo ut ordinate et regulariter exequatur. Hinc a quibusvis exerceatur et conferatur Baptisma, valide confertur etiamsi laicus, aut foemina sit, ut dicetur *in sequentibus;* tamen nisi necessitate premantur, temere nec sine culpa sibi arrogarent, quod regulariter a solis Presbyteris exequi debet.

ARTICULUS III.

UTRUM LAICUS POSSIT BAPTIZARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 67. *art.* 3.

VIDETUR laicus non posse baptizare. Etenim Sacramentum Baptismi conferre est aliquem adsciscere ad Ecclesiam militantem, qui mox de fa-

milia Christi reputatur: sed id tantum convenit habenti gradum eminentem in Ecclesia; igitur cum laicus tali gradu destituatur, baptizare non poterit.

2. PRAETEREA. Ex dictis *art. praec.*, baptizare est actus consequens ad gradum eminentem in Ecclesia, qualem tenent Episcopi ac Presbyteri: sed laici eo gradu destituuntur; ergo neque potestatem baptizandi habebunt.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. n. 1.] Solis Sacerdotibus data est potestas dimittendi peccata, Ioann., 20. et Matthaei, 18. Sed in Baptismate dimittuntur peccata, et quidem quoad culpam et poenam; ergo Sacerdotes dumtaxat valent Baptisma conferre.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] *De consecrat.*, dist. 4.: *Romanus Pontifex hominem non iudicat qui baptizat, sed Spiritus Sanctus subministrat gratiam Baptismi, licet paganus sit qui baptizat, multo magis vel aeque quilibet Christianus.*

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 2.] laicus modo sit compos rationis, et expeditum habeat usum membrorum, quibus abluere et debita verba proferre possit, et Baptismum simpliciter conferre valere; at licite minime id facere, nisi necessitas aliter suadeat, nec copia haberi possit eorum, quibus congrue Sacramentum Baptismi ministrare ex officio competit. Et *primum* quidem patet ex dictis *art. antec.* Quia [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] quodlibet suppositum naturae intellectualis habens praedictas conditiones simpliciter baptizare potest. Et quidem id apprime congruum fuit; nam cum Sacramentum Baptismi sit omnibus necessarium ad salutem, ut institutum fuit ministrari in aqua elementari omnibus obvia, ita congruebat, ut a quolibet homine viatore posset conferri. Nam dum quaeruntur ministri particulares, contingeret plures sine Baptismo decedere, et haereditate aeternae gloriae privari.

Quod vero laici nonnisi necessitate urgente id licite praestent habetur, 30. q. 1. cap. *Ad limina: Nam hoc baptizandi opus laicis fidelibus iuxta canonicam auctoritatem, si necesse fuerit facere libere conceditur.* Ergo si necessitas non aderit, id eis libere non conceditur, quia sibi ipsis arrogant quod Sacerdotibus ex officio congruit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patet ex statim dictis; probat enim non congruere laicis Baptismum impertiri, eo quod munus sit habentis in ecclesia gradum eminentem: si tamen id eos attentare contingat simpliciter baptizabunt, quamquam non licite, nisi casu necessitatis alicuius excusetur, uti dictum est.

AD SECUNDUM respondeo, actum baptizandi esse quidam annexum ordini Presbyterorum regulariter et de congruo, non autem absolute et simpliciter; alioquin Diaconi invalide baptizarent. Ad perfectionem ergo istius Sacramenti requiruntur ablutio in aqua elementari, formae prolatio, et intentio debita. Quodlibet ergo suppositum intellectuale illa tria potens repraesentare valide ministrat Baptismi Sacramentum.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 4.] solis Sacerdotibus datam esse potestatem dimittendi peccata in foro secretissimo conscientiae, in quo illi sunt judices potentes absolvere et ligare se in iudicio poenitentiali illis submittentes. At in Baptismate remittuntur peccata virtute ipsius Sacramenti, citra omne iudicium seu arbitrium judicis, ideo etsi nemo possit dimittere peccata in foro conscientiae, nisi is qui constitutus

est iudex a Christo, tamen Baptismi ministerium competere potest etiam his, qui non acceperunt illam potestatem iudiciariam, cuiusmodi sunt laici, et quotquot non acceperunt ordinem Sacerdotis, quamvis et hi ad rite exercendum illud iudicium opus quoque habeant ordinata iurisdictione, per quam rite dicere queant ius in subditos.

ARTICULUS IV.

UTRUM MULIER POSSIT BAPTIZARE.

Doctor; Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 67. *art.* 4.

VIDENTUR mulieres baptizare non posse. Siquidem [*Oxon.* 4. d. 25. q. 2. n. 2.] dist. 23. cap. 24. haec scribuntur: *Sacratas Deo foeminas, vel Monachas sacra vasa vel sacratas pallas contingere et incensum circa altaria deferre perlatum est ad Apostolicam Sedem, quae omnia reprehensione et vituperatione plena esse nulli recte sapienti dubium est: omne ministerium mulieris vituperio plenum est;* ergo si interdictum est mulieribus vasa sacra contingere, et incensum deferre, multo magis Baptisma conferendo operam dare; nam omne ministerium mulieris vituperio plenum est.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Aliorum Sacramentorum ministerium non convenit mulieribus; ergo multo minus officium conferendi Baptismum, quod est via ad alia Sacramenta, est illis attribuendum.

3. PRAETEREA. *De consecrat.*, d. 4. c. 18. sancitur: *Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non praesumat;* igitur diserte interdictum foeminis Baptismum conferre; videtur ergo carere hac potestate.

CONTRA. *Ad Galat.*, 3.: *In Christo Iesu non est servus, neque liber; non est masculus, neque foemina.* Sed Baptismo initiati induunt Christum; ut dicit idem Apostolus, ibidem: [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 1.] *Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis;* igitur Christus, respectu cuius gratiae non est distinctio masculi et foeminae, ex aequo acceptabit ministerium utriusque sexus in Baptismi collatione.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 3.] ex dictis *art.* 2. *et* 3. constare foeminam posse Baptisma conferre, cum suppositum intellectuale sit potens habere conditiones necessario requisitas; quod et haberi potest ex dist. 4. *De consecrat.*, cap. *Romanus Pontifex;* sed in sententia decernitur, 30. q. 3. cap. *Super quibus,* ubi Papa, *Hoc videtur,* inquit, *nobis ex sententia respondendum, ut et Baptismus sit, si instante necessitate foemina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* Et porro hoc fuit apprime conveniens, ut etiam foeminis hoc Sacramentum conferendi potestas daretur. Cum enim sit Baptisma ita necessarium, ut sine ipso nemo salutem aeternam consequi possit, innumeri parvulorum ab illo excluderentur ex defectu ministri, si tantum Sacerdotes aut masculi possent Baptisma conferre; compluribus enim imminet vitae discrimen in partu, et saepe accidit ut vir aliquis non adsit, et ideo apprime conveniens fuit et ipsimet matri deficientibus aliis factam esse potestatem adeo salubre et penitus necessarium remedium infantulo periclitanti afferendi et exhibendi. Quemadmodum enim ad legem Evangelicam totus mundus vocatus

fuit, et non unus populus, ut ad legem Mosaycam, ita conveniebat in ea institutum fuisse remedium contra morbum culpae originalis omni sexui commune, ubi Circumcisio tantum marium erat, et periculorum plena ex qua multi moriebantur. At *iugum Christi suave est et onus eius leve*, Matth., 11. Et ideo in Baptismate ablui animam ab originali voluit, quod nihil periculi habet; et sicuti ipsum omnes possunt et debent recipere, ita ab omnibus omnis sexus praedictas conditiones habentibus urgente necessitate conferri permisit et mandavit.

Ad Argumenta. Ad primum dico, mulierem esse ex institutione Ordinis Sacramenti incapacem, et quia contingere sacras pallas aut incensum deferre sunt actus ordinate descendentes de Ordinis Sacramento, recte mulieribus interdicuntur; et quidem omne ministerium mulieris circa Sacramentum Altaris vituperio plenum est, quia ab hoc excluduntur, suntque omnino incapaces. At alia omnino est ratio de Sacramento Baptismi; quia enim est summe ad salutem necessarium, congruum fuit, ut quivis valeret eius esse minister, si necessaria exequi et repraesentare potuisset.

Ad secundum respondeo sic: [*Oxon.* 4. d. 25. q. 2.] quia Baptismus est aliorum ianua Sacramentorum, magis huius, quam aliorum congruit mulierem posse esse ministrum; exinde enim etiam aperitur quanta sit Baptismi necessitas, quae in aliis Sacramentis non invenitur; sine aliis enim simpliciter quis poterit salvari; at nisi renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum caelorum.

Ad tertium respondeo, [*Oxon.* 4. d. 5. q. 2. n. 4.] Canonem illum esse intelligendum de publico Baptismate, et quando id fieri potest per magis idoneos ministros; unde dicit *in conventu:* tunc enim non est aliqua necessitas ut mulier baptizet, sed debet id relinquere aliis; sicuti enim ubi est copia Sacerdotis debet ipse baptizare, et non laicus, esto hic bonus et Sacerdos malus sit, quia Sacerdotis officium est praeferendum bonitati laici, ita ubi est vir, si urgeat necessitas ipse et non mulier debet baptizare; quia is actus magis convenit eminentiori, et mulier post lapsum ex sententia divina non tenet gradum eminentem in specie humana. Unde dictum est ei: [*Oxon.* 4. d. 25. q. 2. n. 3.] *Et sub viri potestate eris.* Ideo ubi est vir, ille, et non mulier, debet Baptismum conferre. Accedit etiam quod citatus Canon in prohibitione illa excludit casum necessitatis, dicens: *Mulier aliqua baptizare non praesumat, nisi necessitate mortis urgente;* quo significatum est et munus baptizandi congruere mulieribus in casu, et semper perinde valide posse baptizare, licet id illis interdicatur in circumstantiis supra memoratis.

ARTICULUS V.

UTRUM NON BAPTIZATUS POSSIT SACRAMENTUM BAPTISMI CONFERRE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 5. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 67. *art.* 5.

Videtur non baptizatus Sacramentum Baptismi conferre non posse. Nam [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. n. 1.] nemo potest alteri quidpiam tribuere, nisi prius illud habeat in sê, quae propositio prima animi conceptio est; igitur

cum non baptizatus careat Sacramento Baptismatis non poterit illud alteri conferre.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1.] Per Baptismum adscribitur suscipiens inter membra Ecclesiae militantis; igitur debet conferri per ministrum, qui sit membrum eiusdem Ecclesiae: sed non habens Baptisma non pertinet ad Ecclesiam militantem; ergo non potest talis esse minister Baptismi. *Probatur prima consequentia:* nam nemo videtur habere auctoritatem adscribendi aliquem in collegium nisi sit eius collegi, aut caput eius; et nullus diceretur conscriptus inter eos, qui sunt de familia Principis, nisi id praestans et ipse esset de eadem familia, aut a Principe specialem id praestandi accepisset potestatem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 7.] Baptismus est principium et ianua per quam intratur in legem Christianam et adscribitur quis familiae Christi, adeo ut hoc Sacramento non initiati incapaces sunt reliquorum Sacramentorum Christi: sed longe excellentius munus est Sacramentum conficere, quam recipere, ut manifestum est in omnibus aliis Sacramentis, quae possunt rite suscipi a baptizatis, non vero conferri; ergo neque competere poterit non baptizato eiusdem Baptismi collationem.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] *De Consec.*, d. 4.: *Romanus Pontifex non attendit hominem, qui baptizat, sed Deum, etsi paganus sit qui baptizat.* Igitur non baptizatus potest Baptismi Sacramentum conferre.

RESPONDEO: [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. n. 3.] veritas haec est ab Ecclesia determinata, ut patet in citato capite *Romanus.* Et rursus ibidem, cap. *A quodam Iudaeo,* et cap. *Baptismus,* ubi haec habentur. *Talis est Baptismus, qualis est ille in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur. Non exhorreat columba ministerium malorum, respicit Domini potestatem.* Effectus siquidem Sacramenti Baptismi, (ut dictum est *q.* 64. *art.* 5. *et* 9.) non pendet a bonitate vel fide ministri conferentis, sed ex meritis Christi, quae tanta extiterunt, ut promeruerint infallibilem assistentiam signis a se institutis, quicumque tandem esset eorum minister, modo facere intendat quod ipse faciendum instituit. Et licet in aliorum ministerio Sacramentorum requiratur ultra intentionem debita Ordinis potestas, pro Baptismo nihilominus conferendo cuilibet supposito intellectualis naturae pro statu viae dedit hanc potestatem, ob eius summam necessitatem, et ut omnibus summum praestantissimum ac saluberrimum remedium praesto esset, quo usi decedentes evolarent ad gloriam caelestem; non baptizatus itaque poterit simpliciter Baptismum conferre.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, suscipientes Baptismum non recipere effectum eius, eo quod talem habeat conferens, sed quia Deus assistit infallibiliter illi signo ad causandam gratiam, a quocumque tandem adhibeatur; et ideo [*Oxon.* ib. n. 4.] idem est Baptismus, seu a fideli, seu a pagano non habente Baptisma conferatur, si intelliget adscribere sectae Christianorum, vel facere quod Christiani facere eo actu intendunt; cuius rei alia non potest esse ratio a priori, nisi quia Christus ita instituit; sic autem instituisse colligit Augustinus ex illa auctoritate Ioannis Baptistae: *Supra quem videris spiritum descendentem, hic est qui baptizat.* Ioan., 1.

AD SECUNDUM concedo *assumptum.* — Et *cum infertur,* ergo debet conferri per membrum eiusdem Ecclesiae; *dico* satis esse, ut huiusmodi conferens communicet cum illa Ecclesia in intentione, intelligendo scilicet

facere, quod ipsa per talem actum praestat; et non oportere ut sit aliter membrum eiusdem Ecclesiae, nempe per fidem, aut charitatem; quia ipse non influit in signatum per Sacramentum nisi instrumentaliter, esto circa Sacramentalem ablutionem sit causa secunda. *Exemplum:* Princeps instituit tactum manus in suo regno esse benevolentiae signum, animique reconciliati; si accedit exterus ad se nihil pertinens, et signo instituto utatur animo faciendi et significandi id quod Princeps per eum significari voluit, vere tactus manus erit signum benevolentiae et animi reconciliati, quamvis qui eo signo utitur ad suum regnum non pertineat, sed alterius Principis sit subditus. Ita in Sacramento Baptismi per infidelem collato. — *Et cum dicitur in argumento:* nemo putaretur adscitus in familiam Principis nisi adsciscens esset de familia eius, aut ab illo talem potestatem accepisset; [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1.] *dico,* Christum dedisse potestatem omnibus viatoribus baptizandi, eosque proinde vere baptizare, si habeant intentionem baptizandi et in legitima materia id praestent.

Ad tertium patet ex statim dictis; Christus enim fecit potestatem omnibus suppositis intellectualis naturae Baptisma conferendi; aliorum Sacramentorum vero ministros voluit esse proprios et determinatos, quia non est in eorum susceptione tanta necessitas, quae in Baptismo reperitur.

ARTICULUS VI.

UTRUM PLURES POSSINT SIMUL UNUM BAPTIZARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 67. *a.* 6.

Videtur plures ministros non posse simul unum baptizare. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 2. n. 2.] idem effectus non potest simul esse a duabus causis totalibus; quia nihil causat, quo non existente, adhuc esset effectus; tunc enim causaret utraque causa completa, et integra non causaret: sed abluens et proferens verba ad id instituta est causa totalis in baptizando eo modo quo minister est causa; igitur non potest esse simul baptizatus ab alio pariter baptizante.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Quando agens et forma qua agit sunt aliud et aliud, et forma inducta seu effectus erit alius et alius, ex Commentatore *com.* 25. 2. *Phys.:* sed hic sunt duo agentia, ut supponimus, et alia et alia intentio in utroque; ergo alia et alia baptizandi actio: sed cuilibet actioni correspondet sua passio; ergo sunt ibi plures baptizationes passivae, et per consequens Baptismi.

Contra. [*Oxon.* ib. n. 1.] Unus idemque minister potest plures baptizare simul; ergo pariter plures eumdem baptizare. *Consequentia patet a simili. Probatur assumptum: tum* quia potest simul perfundere duos aqua, dicendo, *Ego vos baptizo in nomine Patris,* etc.; nec videtur aliquid deesse quin uterque sit baptizatus: *tum* etiam quia idem Sacerdos potest simul plures hostias consecrare; ergo et una baptizare plures.

Respondeo dicendum, [*Oxon.* ib. n. 2.] si duo concurrant ad unum eumdemque baptizandum, atque uterque abluat et proferat debitam formam, esse simpliciter suscipientem baptizatum; etenim verisimile non est collationem Baptismi unius fieri irritam et nullam per baptizationem alterius, et e converso; nam esto tantum unus baptizaret, rite et valide

baptizaret; ergo etiamsi alius simul baptizaret, factum suum tenet eritque ille valide baptizatus, licet uterque conferens graviter peccaret.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 3.] dico *assumptum* esse verum de causis principalibus per propriam formam et influxum physicum attingentibus effectum; hic autem solum Deum producere effectum signatum per Sacramentum, at ministros se habere tamquam instrumentaliter et ministerialiter, et ideo argumentum non valere. — *Contra:* quamvis ministri non causent gratiam, sed solus Deus, nihilominus aliquem effectum physice attingunt, abluunt enim baptizatum ambo Sacramentaliter; ergo idem effectus esset a duabus causis totalibus. — *Respondeo:* si uterque minister abluat neutrum in abluendo esse causam totalem, sed esse duas partiales unam totalem integrantes; si enim ablutio illa fiat immergendo, tunc recte ambo movent corpus immersi uno motu causato a virtute motiva amborum; et licet uterque seorsim possent illum motum causare, quando tamen simul movent neuter utitur tota sua virtute motiva, ut posset, quemadmodum contingit quando duo portant unum pondus, quod uterque separatim posset portare. Si vero ablutio fiat perfundendo vel aspergendo, licet tunc uterque modo faciat corpus aqua a se perfusa vel aspersa, neuter tamen madefacit corpus tota illa madefactione quae est per aspersionem amborum; sunt itaque causae partiales et non totales ablutionis. — *Contra* licet respectu eius ablutionis qua corpus abluitur duo baptizantes simul sint causae partiales, quoad prolationem tamen verborum uterque est causa totalis; uterque enim totaliter praescripta verba profert, nec in illis proferendis communicant sicuti in ablutione; quantum ergo ad unam partem effectus exterioris, qui est Sacramentum, erunt duae causae totales: id autem est ex aequo impossibile et de toto effectu et de parte eius. — *Respondeo.* hanc instantiam facere difficultatem et videtur persuadere alterius proferentis verba non spectare per se ad unum Sacramentum Baptismi; completum enim fundamentum relationis signi ad signatum videntur esse ablutio et verba; et quoniam verba ab uno prolata per se integrant illud fundamentum ut sit immediate et formaliter gratiae significativum, alterius tamen verba proferentis non possunt ad idem fundamentum spectare; ergo superfluunt. Quia nihilominus est ibi una totalis ablutio facta cum debitis verbis, vere est ibi quoque gratia baptismalis significata. — *Si dicas,* [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3.] ex divina institutione verba illa concomitante ablutione corporis significant gratiam: sed si superfluunt, erit signum illud irritum; ergo alterius verba superfluere non possunt; *dico,* semper illud signum gratiam significare nisi obstet indispositio suscipientis vel conferentis: hic autem ex parte conferentium est ut alterius non significent verba, quia praeter divinam institutionem conferunt, et ideo uterque peccat, quamvis baptizatus Baptismum eiusque effectum vere suscipiat. Vel etiam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6.] utriusque proferentis verba sunt signa vera et non irrita, quia alterius significant effectum *in facto esse,* alterius vero *in fieri.* Quatenus etiam per ipsa poneretur in esse signatum, nisi esset positum, vel poneretur per verba alterius proferentis. Sed cuius proferentis verba signant gratiam *in facto esse,* et cuius signant tantum *in fieri? Respondeo,* necessario id nos latere; sed satis nobis debet esse, et verum Baptismi Sacramentum in eo casu collatum fuisse, et utriusque proferentis verba esse signa practica vera.

AD SECUNDUM dico sic: [*Oxon.* 4. d. 6. q. 2. n. 4.] aut actio ponitur in passo, aut in agente. Si ponatur in passo, neganda est propositio Commentatoris, cuilibet actioni correspondere propriam passionem, nisi sit eius causa totalis. Quod si actio ponatur in agente, sive absolutum quid sit, seu respectus ad passum, tunc potest concedi maior. — Sed ad *minorem* dico, esse hic duo agentia totalia respectu effectus principalis, quem non attingunt physice; at respectu effectus quem attingunt per propriam virtutem esse duo agentia partialia, et unum totale, cui subinde debet una passio, seu baptizatio passiva correspondere.

Ex quo corollarie infero, [*Oxon.* ib.] Sacramentum Baptismi magis consistere in baptizatione passiva, quam in activa; quia plurificata baptizatione activa non plurificatur passiva, nec Sacramenti veritas laeditur a pluralitate ministrorum simul concurrentium. Quod rursus apparet ex eo quia Baptizatus proprie suscipit Sacramentum: suscipit autem proprie ablutionem passivam et non activam, nisi ablutio activa et passiva sint idem realiter.

ITERUM ARTICULUS VI.

UTRUM PLURES POSSINT SIMUL UNUM BAPTIZARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 67. *a.* 6.

VISO de pluribus eumdem actum abluendi exercentibus, eademque verba proferentibus, videndum de pluribus diversimode se habentibus ad unius Baptismi collationem; videntur itaque ii diversimode dispositi valide Baptisma conferre posse vereque baptizare. Etenim ad Baptismi validitatem requiritur prolatio formae dum peragitur corporis ablutio cum debita intentione: haec autem queunt recte repraesentari per plures diversimode dispositos, ut si unus valeret abluere corpus, et nequiret proferre verba in quibus consistit forma; alter vero contra loqui posset, at nequaquam corpus perfundere aqua; igitur cum omnia necessaria Baptismo adhibeantur, valide videtur tali in casu conferri.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 2. n. 1.] Quando ad unum eumdemque effectum concurrunt plura, aeque possunt illa fieri a pluribus ac ab uno. Apparet ex domo, in cuius extructione lapides perinde possunt a pluribus imponi, atque ab uno, nec diversa erit domus si a pluribus extruatur, ac si ab uno tantum artifice aedificetur, modo eadem necessaria concurrant; ergo similiter dummodo adsint in Baptismatis collatione ea in quibus Christus conferendum instituit, seu ab uno seu a duobus ea repraesententur, idem erit Baptismus valide collatus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Aeque potest una navis trahi a pluribus una trahentibus, ac ab uno habente parem virtutem plurium illorum: sed in Baptismo concurrunt plura, nempe ablutio et verborum pronunciatio; ergo perinde poterit conferri a duobus quorum uterque partem necessariam exhibet, et ab uno faciente per se et repraesentante omnia necessaria.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Minister in Baptizando repraesentat Christum: is autem unus est Mediator Dei et hominum; ergo et ministrum oportet esse unum, et sic ut ab eadem persona et abluatur corpus, et interim forma pronuncietur.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 5.] Baptismum vacuum et nullum esse, si conferatur a pluribus, quorum unus abluat corpus, et alius verba proferat. Idque non solum evenire si ex electione id fiat, verum etiam si necessario, ut si alter ministrorum esset mutus, alter usu manuum destitueretur. Cuius rei ratio a priori est Dei institutio, qui instituit ac voluit, ut quemadmodum Sacramentorum est unum agens, ita quoque in integra collatione Sacramenti esset unus dumtaxat minister. Quod etiam apparet in forma illa a Christo instituta, *Ego te Baptizo,* etc. Minister enim istius formae pronunciatione significat se abluere corpus eius quem baptizare intendit: sed si alius abluat, ipseque verba proferat, illa oratio est falsa, quia non ipse qui formam exprimit, sed alius est qui abluendo baptizare intendit; igitur nequit esse forma Sacramenti veracis: sine forma autem Sacramentum non habet suam perfectionem.

Ex forma [*Oxon.* ib. n. 5.] etiam qua utuntur Graeci in baptizando, idem constat; nam dicit Minister, *Baptizetur servus Christi,* etc. Non est arbitrandum eam orationem esse deprecatoriam; quia minister etsi instrumentum sit respectu effectus principalis vel gratiae, est tamen respectu Sacramentalis ablutionis vera causa secunda; et consequenter oratio illa est effectiva, vel sermo operatorius, ut sit sensus, *Baptizetur a me servus Christi* per hunc actum quem exerceo circa ipsum; ergo si ab alio ablueretur, falso pronunciaret et imperaret inefficaciter ut ablueretur qui ab alio aqua perfunditur; erit ergo sermo ille sine effectu, et ita nulliter conferretur eo in usu Baptisma.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patet *ex dictis.* Nondum enim ad veritatem Baptismi oportet confluere illa tria, nempe materiam, formam, et intentionem, sed ulterius opus est ut ab uno eodemque ministro sint, quia alioquin oratio qua continetur et exprimitur forma non foret vera: ablata autem veritate significationis formae, non superest perfectio Sacramenti ex Christi institutione, quia non salvatur veritas signi, et ita nequit habere efficaciam respectu gratiae significatae.

AD EXEMPLA quae subduntur de domus substructione, et de navis tractione, [*Oxon.* ib. n. 8.] *dico,* ea exempla nihil habere commune cum Baptismi Sacramento; nam quando in aliquo concurrunt plura, quorum quodlibet sine alio est aliquid in se, sicuti est aliquid in se, ita potest permanere ut sit aliquid totius, et ita est in exemplis allatis. At in proposito nec verba sine ablutione, nec ablutio sine verbis est aliquid Sacramenti Baptismi, et ideo nisi ab uno eodemque ministro utrumque proveniat, nihil fit, nec Sacramenti veritas habetur. — *Si dicas,* saltem inquantum ablutio et verba simul existunt ad Baptismum conferendum ordinantur, ergo a diversis potest esse Baptismus; *respondeo,* negando *consequentiam;* quia unitas ministri est hic necessario requisita ex divina institutione, adeo ut numquam ablutio et verba conflent unum signum certum et efficax, nisi sint ab uno eodemque ministro.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM UNUS MINISTER PLURES POSSIT SIMUL BAPTIZARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 67. *a.* 6.
Ad secundum.

VIDETUR unus minister minime posse plures simul baptizare. Etenim, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 2.] aut is minister utitur forma, quam servandam statuit Ecclesia, aut alia: si alia, palam est Sacramentum perperam et nulliter conferri, quia non servatur forma tradita a Christo per Ecclesiam; si autem forma Ecclesiae adhibeatur, ea porro est quae traditur, *De Baptismo et eius effect.*, cap. *Si quis: Ego te baptizo in nomine Patris,* etc. Veritas autem istius formae non subsistit cum unica ablutione plures simul aqua perfunduntur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Aut forma, quam praescribit Ecclesia *praeitato capitulo* est de necessitate Sacramenti, aut est de necessitate ministri: si necessaria Sacramento conficiendo sit; ergo ea non adhibita non subsistet Sacramenti validitas; si vero teneatur minister eam servare; igitur non servando peccat mortaliter: sed nemo tenetur peccare in se ut prospiciat proximorum saluti; ergo minister unus nequit simul plures baptizare, si id facere non possit, nisi peccando mortaliter.

3. PRAETEREA. Ministro una plures abluente ac dicente, *Ego baptizo vos in nomine Patris, etc.* Vel foret unum Baptisma, vel multiplex? Non unum, quia multi perhiberentur eo facto baptizati: non multiplex, quia una est forma quae pronunciata fuit; igitur ex hoc capite videtur etiam id fieri tuto non posse.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Si Minister incideret in monstrum habens duo capita, posset simul utrumque baptizare: id autem non videtur admittendum, quia fieri potest ut duabus constet personis, quarum quaelibet sit proprio Baptismatae abluenda; igitur nequit unus minister simul plures baptizare.

CONTRA. [*Oxon.*ib.] Unica consecratione possunt plures hostiae simul consecrari; ergo pariter et unica ablutione plures baptizari sub ea forma, *Ego vos baptizo in nomine Patris, etc.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 6.] unus minister plures intingens aqua, et simul proferens formam verborum in plurali dicendo, *Ego vos baptizo in nomine Patris, etc.* simpliciter omnes baptizat, quia adest et facit quicquid essentialiter requirit Baptismi Sacramentum, ad hoc ut sit verum et efficax signum ablutionis animae a peccato. Is nihilominus minister eo in facto mortaliter peccat, quia non servat formam sibi ab Ecclesia impositam; quod tamen est intelligendum nisi urgeat tanta necessitas ut aliter non possit fieri: ut si immineret baptizandis mortis discrimen, vel quando ex speciali baptizatione omnium eveniret mors alicuius priusquam baptizarentur.

Huiusmodi autem et similibus in circumstantiis [*Oxon.* ib.] rationabile est ministrum a peccato excusari, si utens forma illa in plurali plures simul baptizaret. Ex quo enim in potestate Ecclesiae fuit determinare formam traditam a Christo, *Matthaei ultimo* ad haec verba, *Baptizo te, etc.* ut Ecclesia Graecorum iustis de causis exprimi mandavit

illis verbis, *Baptizetur servus Christi, etc.* non videtur voluisse aliquem ministrorum ita praecise ad verba, seu illam formam arctare, ut exinde praecluderetur alicui via salutis: si autem in casibus praedictis non posset sine peccato mortali minister simul pluribus Baptismum conferre, morituris esset praeclusa via salutis, quia nemo debet salutem alterius procurare peccando in se mortaliter. Accedit quod Apostoli tot millia virorum ac mulierum uno die baptizantes, ut legitur *Act. Apost., cap.* 2. *et* 4. ita videntur fecisse, nempe una plures baptizasse; nam spatium unius diei haud sufficiens esse potuisset tot millibus ablutionibus in speciali exhibendis, cum tam pauci essent ministri; ex multitudine itaque baptizandorum et paucitate ministrorum rationabiliter actus baptizandi simul plures excusaretur a peccato.

Haec porro procedunt cum baptizandi sunt manifeste distincti. [*Oxon.* ib. n. 7.] Sed quid faciendum si de distinctione personarum esset dubium, ut in monstris quibusdam, de quibus non liquet an sit una vel duae personae? — *Respondeo,* si tempus haberi possit ad discernendum de eo super quo dubitatur, diligentem inquisitionem Baptismo esse praemittendam. — *Et breviter:* certissimum signum id discernendi est actus intellectus et voluntatis; si enim in eo sunt duae animae, non oportet unam scire quicquid scit alia, nec utramque idem semper obiectum velle. Si constaret ergo de scientia et ignorantia circa idem obiectum, vel quod esset in eo velle et nolle de eodem, tunc tenendum sine ambiguitate esse in eo duas animas, duabus subinde distinctis ablutionibus baptizandas, nisi quid speciale occurrat, ut dictum est supra. Verumtamen haec regula nonnisi monstro adulto potest applicari. Igitur cum de monstro recenter nato dubitatur et disquiritur, praesertim attendendum est ad partes principales corporis, ut si sit biceps, aut in eo duae spinae dorsi deprehendantur, vel esse duobus cordibus instructum appareret, quamquam id non sit de facili evidens dum vivit; nec etiam signum acceptum ex duobus capitibus omni ambiguitate careret; nam possibile est aliquam cellulam in matrice esse perforatam per totum praeter quam in parte superiori, et tunc concurrerent partes seminis cadentes in diversis incastraturis matricis pro tota parte inferiori, et interim distinguerentur in parte suprema, in qua formarentur duo capita, cum tamen reliqua materia non sufficeret nisi pro formatione unius personae.

Itaque, [*Oxon.* ib.] si constet de pluralitate personarum, singulis (ut dictum est) ablutionibus sunt baptizandae, perfundendo singillatim eas corporis partes, quas evidens est spectare ad diversas personas. Si vero certitudo haberi non possit, vel si tempus non superesse timeatur diligentiori perquisitioni faciendae, baptizandus est homo ille monstruosus saltem in illis partibus, quae principaliter spectant ad unum pronunciata forma in singulari; at secundo abluendae sunt aliae partes, quae non videntur principaliter pertinere ad illum primum, et id praestandum est cum forma, quae servanda est in illis de quibus est dubium, quae ponitur *De Baptismo et eius effec.,* cap. *De quibus: Si baptizatus es non te baptizo, si nondum baptizatus es, Ego te baptizo in nomine Patris,* etc.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, declaratum fuisse *q.* 66. *art.* 5. qualiter essentialia formae Baptismi sunt expressi actus abluendi

et suscipiens cum invocatione distincta Sanctissimae Trinitatis; reliqua ergo sunt de necessitate ministri, adeo ut si in iis sit defectus aliquis vel variatio, adhuc subsistit veritas et perfectio Sacramenti. Quoniam igitur in casu quo unica ablutione plures baptizarentur forma exprimente eum actum terminari ad plura individua, ut dicendo, *Ego baptizo vos in nomine Patris,* etc. perfectio Sacramenti haberetur, non minus ac si unus dumtaxat baptizaretur sub forma communi, etsi id praestare nequiret minister sine peccato citra casus *in solutione* relatos aut consimiles.

AD SECUNDUM dico, eam formam quoad omnes sui partes esse de necessitate ministri, qui proinde tenetur illam exacte servare, nisi urgens necessitas postulet aliter fieri, ut declaratum est *in solutione,* per quam proinde necessitatem excusari ministrum a peccato de mente Ecclesiae praefatis verbis formam perscribentis, rationabile est.

AD TERTIUM respondeo, tunc esse plura Baptismata pro numero scilicet baptizatorum: quia ex dictis supra *articulo sexto primum* Baptismi Sacramentum magis consistit in passiva baptizatione, quam in activa.— *Et instatur:* quia forma est una; ergo et unum Baptisma. *Dico,* ad plurificationem alicuius non oportere omnia, quae in ipso sunt multiplicari, sed satis esse ut unum eorum multiplicetur, ut totum multiplex sit et dicatur.—*Caeterum* ipsam formam Sacramenti non esse simpliciter unam, quia τὸ *vos* includit in se singulare pluries acceptum, aut saltem geminatum, et consimiliter [*Oxon.* ib. n. 8.] est dicendum cum unica consecratione simul plures hostiae consecrantur, nempe esse tot privatas consecrationes et Eucharistias, quot sunt hostiae.

AD QUARTUM dico, [*Oxon.* ib.] si in monstro duae personae deprehendantur, unamquamque esse propria baptizatione abluendam. Quod si una baptizarentur sub ea forma, *Ego baptizo vos,* etc. esse vere baptizatas, licet minister peccaret mortaliter, nisi urgente necessitate excusaretur, ut dictum est *supra,* ea tamen necessitas haud de facili posset occurrere in casu.

ITERUM ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM OPORTEAT SIMUL ESSE ABLUTIONEM ET PROLATIONEM VERBORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 3. — *Report. ib. q.* 4. — *Suarez* 3. *p. tom.* 3. *disput.* 3. *sess.* 2. *Gloss. cap.* Detrahe 1. *q.* 1.

VIDETUR non oportere simul esse ablutionem et prolationem verborum pro Baptismi perfectione. Eucharistia enim [*Oxon.* 4. d. 6. q. 3. n. 1.] est unum ex Sacramentis, et tamen inter verba consecrationis super panem et verba consecrationis super vinum est notabilis interpositio; quia ab illo loco: *Simili modo,* usque, *Hic est calix:* ergo pariter subsisteret Baptisma etiamsi ablutio praecedat aut sequatur formae pronunciationem.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Augustinus, Homil. 80. super Ioannem, et 1. q. 1. cap. *Detrahe: Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum;* ergo oportet illa duo esse simul.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 2.] ad perfectionem et verita-

tem Baptismi requiri ut simul sit ablutio et verba a Christo Domino instituta; cum enim ipsa aqua tantum non sit Sacramentum, neque ipsa verba sine aqua significent animae ablutionem quam signat Baptismi Sacramentum, sed ipsa aqua, vel ablutio externa corporis facta cum debita verborum prolatione, sit completum et efficax signum invisibilis gratiae, qua anima a peccato originali mundatur, manifestum est oportere prolationem verborum et ablutionem esse simul.

Quae igitur simultas est hic necessaria? [*Oxon.* ib.] Omittendo subtilitates Glossatorum canonum multa comminiscentium, dum inter alia dicunt cavendum ne Asinus bibat aquam, ne Sacramentum bibere contingat; constat enim aquam neque ante neque post prolationem verborum esse Sacramentum, cum id tantum sit actualis ablutio facta cum debita forma; haec inquam, omittendo, *dico breviter,* [*Oxon.* ib. n. 4.] talem hic simultatem requiri, qualis exigitur ad simultatem caeterorum actuum humanorum. Ut, si quis praecipiat servo in forum proficisci ad hoc vel illud negotium expediendum, et antequam compleat orationem caput vel barbam fricat, vere dicitur servo negotia illa expedire et barbam fricasse, esto nec simul incoeperit, nec finierit actum illum cum oratione. Ita ad Sacramenti Baptismi et aliorum perfectionem non est alia necessaria simultas. Et ratio est, quia non est verisimile, Christum voluisse obligare nos ad tam subtilem simultatem in necessariorum Sacramentorum negotio, quam vix posset homo percipere vel servare; nec Apostoli uno die tot millia hominum baptizantes, ut legitur *Act.* 2. adeo subtilem et mathematicam simultatem videntur servasse, ut semper oratio inceperit et desierit cum ipsa aspersione; id enim in tot millibus apparet humano modo impossibile. Itaque sive Sacerdos vel quilibet Baptismi minister prius immergat una immersione, ubi moris est loci ter immergere, et postea incipiat verba cum secunda immersione; sive prius incipiat verba dicere, et dicto *Ego te Baptizo,* immergat cum illis verbis sequentibus, est sufficiens simultas pro Sacramenti perfectione, dum tamen prolatio non finiatur ante incoeptionem ablutionis, nec ablutio compleatur ante incoeptionem prolationis; quemadmodum enim in Sacramentorum administratione, in quibus nostrae salutis negotium est repositum, cum possibilitas adest, via tutissima est eligenda, ita submovendi sunt scrupuli et anxietates, quae de eorum validitate exoriri possent, quando eorum perfectionem rationabile fundamentum suadet innixum misericordiae instituentis, cui optime nota erat imbecillitas ministrorum Sacramentorum, ideo ad nimium difficile aut pene impossibile, uti esset exacte et in omnibus ablutioni corporis verba pronuncianda ita quadrarent, ut ne tantisper quidem unum reliquum excederet et exorbitarent, existimandum, certumque tenendum haud obligare voluisse.

Ad Argumentum de Eucharistia [*Oxon.* ib.] dicendum, inter species panis et vini non esse tantam unitatem qualis est in Sacramento Baptismatis; nam illae non sunt ita partes unius Sacramenti, ut una non significet sine altera. Vere enim species panis continent Corpus Christi, etiam sine consecratione Sanguinis; sed verba in quibus est sita forma Baptismi nihil sunt eius Sacramenti sine ablutione, nec ablutio sine verbis ut frequenter dictum est.

ARTICULUS VII.

UTRUM IN BAPTISMO REQUIRATUR ALIQUIS QUI BAPTIZATUM LEVET DE SACRO FONTE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 67. *art.* 7.

VIDETUR necessario requiriri aliquis, qui baptizatum de sacro fonte levet [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 1.]. Ad validitatem enim Baptismi in adultis requiritur consensus eorum; nam nemo dixerit valide conferri Baptisma ei, qui baptizari recusat: sed in parvulis huiusmodi consensus non potest in propria persona haberi; ergo requiritur alius qui loco ipsorum consentiat, velitque Baptismum recipere. Videtur enim Baptismus conferri in virtute responsionis illius, qui ad quaestionem illam, *Vis Baptizari?* respondet, *Volo,* et subiungit Sacerdos et *Ego te baptizo,* etc. Quod enim fit sub conditione, si conditio non existat, nihil fit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 4. n. 1.] Baptismi susceptio quaedam spiritualis generatio est, de qua dicit Salvator. *Oportet nasci denuo,* Ioann., 3. Unde et hic, ut in carnali generatione, alius est qui spiritualiter generat, et alius qui spiritualiter generatur: sed in carnali generatione praeterea requiritur obstetrix vel alius gerens vicem illius qui enitentem adiuvet, alioquin male se habituram; ergo etiam in spirituali hac generatione tertia persona necessario concurrere debet, isque est qui denuo natum de sacro fonte levat.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 6.] Renunciare diabolo et pompis eius, et caetera quae praemittuntur in parvulis baptizandis in Baptismi collatione, pertinent ad eius solemnitatem; ergo non necessario requiritur aliquis qui Baptizatum de sacro fonte levet.

RESPONDEO dicendum, parvulum vere Baptismi Sacramentum recipere, etiamsi nemo adsit, qui ipsum de sacro fonte levet; nam Baptismus conferendus infantibus non dependet essentialiter nisi a forma, materia et intentione ministri; iis ergo concurrentibus simpliciter erit baptizatus; caetera igitur omnia quae ex Ecclesiae instituto laudabiliter adhibentur, si omittantur, non vitiant veram Baptismi collationem. — *Deinde,* magis est parentes positive dissentiri ac nolle filium parvulum baptizari, quam tertiam personam non adesse, qui infantem de sacro fonte levet: sed parentibus dissentientibus vere parvulus baptizatur, si caetera necessaria adsint; ergo multo magis, vel aeque si nemo pro parvulo respondeat atque assentiatur Baptismi collationi. *Patet minor:* quia sicuti non est in potestate parentum quin filius macula originali inficiatur, ita ut iustificetur per Baptismum non pendet ab ipsorum voluntate, sed a meritis Christi, quorum intuitu Deus assistit infallibiliter signis ab eo institutis, et gratiam confert iis, quibus rite fuerint adhibita.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 3.] *concedo,* in adultis requiri consensum non ex parte Sacramenti, quasi ex consensu redderetur efficax, sed ex parte subiecti, ut sit capax. Deus enim ordinavit non iustificare nisi volentes, iuxta illud Proverb., 23. *Filii, praebe mihi cor tuum.* Quia igitur in parvulis huiusmodi consensus non est possibilis, iustificantur sine ipso, si baptizentur; ac propterea Patrinus pro eo respondens non spectat nisi ad Baptismi solemnitatem.

AD SECUNDUM dico, probari tantum illa paritate maiorem rei gerendae congruitatem et solemnitatem, non vero quod omnino ita oporteat fieri; nam concurrente spiritualiter generante distincto ab eo qui gignitur stat essentialis ratio generationis spiritualis, qui est effectus signatus per ablutionem Sacramentalem.

ARTICULUS VIII.

UTRUM ILLE QUI ALIQUEM LEVAT DE SACRO FONTE TENEATUR AD EIUS INSTRUCTIONEM.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 67. *art.* 8.

VIDETUR eos qui aliquem de sacro fonte levent minime teneri ad eius instructionem. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1.] *ex dictis supra, art.* 3. nedum sacri ministri, sed etiam laici valent valide et licite et am in casu baptizare, et magis proinde aliquos de sacro fonte levare: sed regulariter laici sunt rudes et ignari doctrinarum; ergo eos nequeunt docere, quos de sacro fonte levaverunt.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 25. q. 2. n. 3.] Iuxta *solutionem art.* 4. mulieres possunt baptizare, et magis subinde respondere interroganti ministro pro pueris baptizandis: *Volo baptizari:* sed mulieribus interdictum est alios docere et instruere, 1. *Ad Timoth.*, cap. 2.; igitur hae non tenentur instruere eos quos de sacro fonte levaverunt.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 36. q. 1. n. 2.] Secundum Philosophum, 8. *Ethicor.*, cap. 11. *Filius habet a Patre esse et disciplinam.* Igitur casu quo in Christo renati non accipiant a parentibus propriis necessariam disciplinam, Patrini succedunt in obligatione, iique ut spiritualiter illis proximiores tenentur impendere quae parentes praestare debuissent.

RESPONDEO: [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 2.] quoniam per Baptismi susceptionem quis adscribitur familiae Christi fitque membrum eius et Ecclesiae militantis, eo initiatus introducitur in viam salutis aeternae. Quamquam autem Deus in suscipiente Baptisma infundat habitus theologicos fidem, spem, et charitatem, habitus ille fidei non sufficit ut quis explicite credat quae de necessitate salutis sunt credenda, quia Baptismo non initiatus si inter Christianos educetur perinde crederet illa omnia, quae baptizati credunt. Est ergo [*Oxon.* 3. d. 23.] praeterea necessaria fides acquisita, dicente Apostolos ad Romanos, 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo audient sine praedicante?* Ad hoc igitur ut baptizatus in viam salutis introductus per Baptisma, ad ipsam perveniat salutem, opus habet aliquo, qui eum de necessariis instruat; multa enim tenentur omnes explicite credere, [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. n. 6.] sicuti sunt articuli de Incarnatione, vel de Mediatore, qui iam venit, et quod fuerit natus, mortuus, de quibus sunt solemnitates in Ecclesia, et quaecumque denique valet populus concipere de Christo homine; sicut enim [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1.] fides de Creatore semper fuit et est necessaria ad salutem, ita fides erga Redemptorem vel Mediatorem semper fuit et est ad salutem necessaria. — Qui ergo debet baptizatum necessaria ad salutem docere? *Respondeo,* [*Oxon.* 3. n. 9.] onus docendi simplices fideles per se primo incumbere maioribus Ecclesiae; ex eo enim quod curam ani-

marum susceperunt, atque in statu altiori sunt in Ecclesia collocati, tenentur inferiores instruere, docere et illuminare. Quod si omittant, certum est, Deum esse requisiturum sanguinem subditorum de manibus eorum. *Deinde,* propriorum parentum interest ea impendere filiis per quae instruantur et erudiantur de necessariis ad salutem; nam [*Oxon.* 3. d. 4. q. 1. n. 3.] ideo natura videtur indidisse parentibus maiorem dilectionem erga filios quam indiderit filiis erga parentes, sicuti quisque naturaliter plus diligit opus suum, quam e converso, nimirum ut numquam eos desererent, sed et ad vitam temporalem alerent necessaria quaeque subministrando, et ad spiritualem instruerent necessariis doctrinis vel per se, vel per alios, quo sic magis propriis parentibus obligarentur. Unde obedientia filialis pertinens ad disciplinationem de lege naturae est. *Et denique,* [*Oxon.* 3. d. 20. — 4. d. 5. q. 2.] omnis proximus tenetur rudes instruere in casu necessitatis; nam si tenentur pro vita corporali, multo magis pro aeterna. Et inter proximos videntur magis obligari illi, qui baptizatos de sacro fonte levaverunt, quia exinde spiritualis cognatio exorta est; et ideo deficientibus parentibus, ipsi prae omnibus ad eorum instructionem obligantur.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, dictum esse *in solutione* qualiter omnes Christiani tenentur complura explicite credere ad salutem: ea autem supponendum est callere eos, qui alios de sacro fonte levant; illa igitur obligati sunt docere quos de sacro fonte levaverunt, deficientibus aliis quorum interest illos instruere.

Ad secundum respondeo, dictum Apostoli intelligendum esse de publico magisterio docendi, cui se immiscere mulieres prohibentur; non vero de privata et necessaria instructione, quam possunt et debent impendere eis quos de sacro fonte levaverunt, ut dictum est.

QUAESTIO SEXAGESIMAOCTAVA.

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de suscipientibus Baptismum.

Et circa hoc quaeruntur duodecim.

1. Utrum omnes teneantur ad suscipiendum Baptisma. - 2. Utrum aliquis possit salvari sine Baptismo. - 3. Utrum Baptismus sit differendus. - 4. Utrum peccatores sint baptizandi. - 5. Utrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria. - 6. Utrum requiratur confessio peccatorum. - 7. Utrum requiratur intentio ex parte baptizati. - 8. Utrum requiratur fides. - 9. Utrum pueri sint baptizandi. - 10. Utrum pueri Judaeorum sint baptizandi invitis parentibus. - 11. Utrum aliqui sint baptizandi in maternis uteris existentes. - 12. Utrum furiosi et amentes sint baptizandi.

ARTICULUS I.

UTRUM OMNES TENEANTUR AD SUSCEPTIONEM BAPTISMI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 6. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *a.* 1.

Videtur non omnes teneri ad Baptismi susceptionem. Qui enim [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 1.] baptizantur Baptismo sanguinis non tenentur

ad Baptismum fluminis; ergo nec baptizatus Baptismo flaminis tenetur ad illud. *Consequentia est evidens,* quia sanguinis et flaminis Baptismata aequivalere perhibentur Baptismo fluminis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.*ib.] Nemo tenetur recipere Sacramentum frustra, quia in operibus Dei nihil est frustra: sed si omnes ad Baptismum tenerentur, in aliquibus esset ea susceptio inanis, in illis nimirum, qui leguntur iustificati in ventre matris, ut de Ioanne Baptista legitur *Lucae,* 1.; ergo non omnes tenentur. *Minor patet:* quia effectus Baptismi est abluere animam a peccato originali: qui autem in utero materno iustificantur abluti et mundati a macula originali nascuntur: nullum igitur Baptismus in eis effectum haberet.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Nemo tenetur facere iniuriam Sacramento: sed si omnes tenerentur ad Baptismi susceptionem, aliqui Baptismi Sacramento iniuriam inferrent; ergo non omnes tenentur. *Probatur minor:* quia si iustificatus baptizaretur, quantum est ex parte sui faceret Sacramentum esse signum falsum, quia tunc non significaret in eo gratiam fieri et iustificari, cum iam supponatur iustificatus.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] *Ioann.,* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Caelorum.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 2.] postquam Baptismus fuit promulgatus per modum praecepti, quemlibet viatorem quantumvis iustificatum, et obstrictum fuisse, et teneri ad eius susceptionem. *Cuius ratio est,* quia lex universim promulgata sine ulla exceptione personarum quascumque circumstantias habentium, si sit per modum praecepti omnes universe ad eius observantiam adstringit: sed talis fuit lex de Baptismo suscipiendo, ut patet ex illo *Ioann.,* 3. *cit.*; ergo etiamsi institutus fuerit contra peccatum originale contractum in parvulis, et contra originale et actuale in adultis, ex eo quod tamen in ea nulla fiat exceptio, ex aequo omnes ligat. Et hoc quidem convenientissimum fuit, omnes nimirum de lege Christiana habere unum signum, in quo qui essent de illa lege inter se convenirent, et ab aliis distinguerentur, et potissimum signum illud per quod in observantiam talis legis ingrediuntur, atque per eius susceptionem adscribuntur illi legi, fiuntque de familia Christi. — *Rursum,* quilibet viator tenetur esse membrum Ecclesiae militantis, non solum in scientia divina, sed etiam quoad notitiam aliorum membrorum quantum in se est. In his enim quae pertinent ad Evangelii observantiam tenetur communicare cum aliis membris, ne scandalizentur: alioquin aut videretur legem contemnere, aut omnino non spectare ad eam congregationem cum qua communicare vel recusat, vel contemnit: si autem non reciperet quis in se illud signum per quod fit membrum Ecclesiae militantis secundum eius iudicium, non esset aptus communicare cum aliis membris, quia tamquam externus excluderetur ab eis, licet in scientia divina esset iustificatus. — *Denique,* potens facili negotio magnam gratiam acquirere, si negligat actum per quem de facili potest eam lucrari, videtur gratiam contemnere, et qui talem gratiae contemptorem iudicaret, non temere et sine fundamento iudicaret, quia haberet occasionem iudicandi: sed quantumcumque iustificatus per facilem Baptismi susceptionem posset magnam gratiam acquirere, quia de lege communi iustificato accedenti ad Baptismum augetur gratia; ergo talis contemnens Baptismum gratiam contemneret, eamque ut par est non appretiaretur, quo sane in facto

graviter peccaret, et a gratia et iustitia excideret. Omnes ergo tenentur ad Baptismi susceptionem affectu, si facultas non suppetat reipsa illum suscipiendi, et pro temporis opportunitate tenentur suscipere in effectu.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon* ib. n. 4.] respondeo, baptizatos Baptismo sanguinis, si remaneant nobiscum viatores, teneri ad Baptismum fluminis; quod utique est possibile, ut legitur de pluribus, qui bis fuerunt Christi confessores, pro fide et iustitia tormenta et persecutiones fortiter sustinentes. Si vero per martyrium contingat eos vita defungi, dico non teneri ad Baptismum, quia lex illa non obligat nisi viatores, quales supponimus martyres esse desiisse.

Ad secundum, [*Oxon.* ib.] nego Baptismi susceptionem futuram aliquando frustraneam, quia in eius susceptione gratia praeexistens augeretur. Quod si inveniret eam iam pervenisse ad gradum a Deo praefixum, additur tamen ibi meritum obediendo praecepto divino. Nec etiam est frustra post plenitudinem gratiae, si quis eam haberet, addere opera meritoria, quia si merenti prodesse nequeunt, sunt tamen profutura indigentibus membris corporis mystici, quod est Ecclesia.

Ad tertium dico, [*Oxon.* ib.] iustitiam suscipientis Baptismum haud efficere Sacramentum esse signum falsum; quia tunc vel aliqua gratia confertur, in quo casu est signum practicum verum, vel si non additur, quia iam invenit ad summam pervenisse, tunc significare gratiam, non quidem *in fieri,* sed iam factam esse, et consequenter tunc quoque existere signum practicum verum. — *Si dicas,* cum eo in casu Baptismus non habeat secum suum significatum, quod est ablutio a peccato, non videtur computandus inter Christi Sacramenta; *respondeo,* eam ablutionem significari vel tunc fieri, vel factam esse, vel verius, fiendam quantum est ex parte Sacramenti, nisi ex parte suscipientis vel propria indispositio obstet, vel gratiam possibilem sibi inesse inveniatur accepisse.

ITERUM ARTICULUS I.

UTRUM OMNES TENEANTUR AD SUSCEPTIONEM BAPTISMI.

Doctor et S. Thom., loc. cit., art. antec.

Videtur non omnes teneri ad Baptismi susceptionem. Nam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 1.] non legitur Apostolos, aut B. Virginem fuisse aliquando baptizatos, qui tamen in lege illa universali non fuerunt excepti: si autem non fuerunt baptizati, aliunde non potuit esse, nisi quia fuerunt per Spiritum Sanctum iustificati; igitur pariter iustificati non tenebuntur, nec tenentur ad eius legis observantiam.

2. Praeterea. [*Report.* 4. d. 4. q. 6. n. 1.] Baptizati ante passionem Christi non tenebantur ad Circumcisionem; ergo nec e converso iustificati per Circumcisionem tenebantur ad Baptismum; igitur postquam lata est lex de Baptismi susceptione non omnes ad sui observantiam obstringebantur.

Contra. [*Oxon.* ib. n. 1.] Ioann., 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Caelorum.*

Ad inductam ergo difficultatem de Apostolis et B. Virgine *respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 3.] etiamsi non habeatur expresse in Scriptura eos

fuisse baptizatos, Glossa tamen quaedam super illud Ioannis, 13. *Qui lotus est,* etc. videtur dicere Apostolos Baptisma suscepisse; quod quidem admodum probabile est; Christus enim fecit eos Sacerdotes conferens eis in coena ultima potestatem conficiendi Corpus Christi, dicens, *Quotiescumque haec feceritis in mei memoriam facietis,* ut narrat Apostolus, 1. *ad Corinth.*, cap. 11. et post resurrectionem contulit eis potestatem absolvendi a peccatis, Ioann., 20. *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis;* dedit quoque eis officium baptizandi solemniter, Matthaei ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. Atqui Ordo Sacerdotii supponit Baptismum, saltem de congruo: *De Presbyt. non bapt.*, cap. *Veniens.* Igitur valde probabile est Apostolos priusquam potestate Sacerdotali initiarentur a Christo, fuisse baptizatos.

Si dicas, cum Apostolis in hoc fuisse dispensatum; *respondeo,* [*Oxon.* ib.] dispensationem non esse comminiscendam ubi nulla apparet ratio dispensandi, aut necessitas, aut saltem ubi utilitas consequutura non speratur, sicuti est hic. Per hoc enim quod illi Baptismum non suscepissent, non propterea Deo gratiores et acceptiores fuissent, nec extitissent efficaciores Doctores in Ecclesia, imo minus efficaces, quia minus valet et est efficax magister morum, qui negligit opere implere quod docet, secundum Gregorium. Apostoli igitur praedicaturi per mundum universum Evangelium et Baptisma, si in seipsis prius illud non suscepissent, non adeo efficaciter homines a sese baptizandos induxissent, qui intelligentes tali praecepto eos non paruisse aut adimplere recusasse, exinde non levis occasio praebita esset dubitandi de veritate eorum, quae praedicabant. Hinc Christus antequam legem Baptismi aliis imponeret prius voluit in seipso Baptismum Ioannis suscipere, quia ut legitur Actuum 1. *Coepit Iesus facere et docere.*

Et amplius supponendum est B. Virginem fuisse baptizatam, [*Oxon.* ib.] nisi forsitan ab illa lege universali exempta sit. Et sane in ipsa potuit fuisse specialis ratio dispensandi, quia in conceptione Filii sui videtur habuisse illam plenitudinem gratiarum et donorum, ad quae Deus praeordinaverat ipsam perventuram. Et quemadmodum fuit excepta a lege communi de originali peccato ex praeventione divinae gratiae, ex eadem potuit pariter non obligari servandae legi de suscipiendo Baptismate, cum nec ei mandatum sit munus publice Baptismum praedicandi.

AD SECUNDUM respondeo, [*Report.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] iustificatos per Circumcisionem non fuisse adstrictos ad Baptismi susceptionem ante, vel etiam post passionem Christi, usque ad certum tempus, donec nimirum divulgaretur lex de Baptismo suscipiendo per modum praecepti; sed facta hac promulgatione, omnes ei praecepto servando obligatos fuisse et esse usque ad saeculi finem; quemque proinde de necessitate medii teneri ad subeundam Sacramentalem aquae ablutionem, vel reipsa vel in voto, si facultas id faciendi non suppetat.

ARTICULUS II.

UTRUM SINE BAPTISMO POSSIT ALIQUIS SALVARI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 6. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *a.* 2.

VIDETUR neminem posse salvari sine Baptismo. Nam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 1.] Ioann., 3. scribitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et*

Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei: introire autem in Regnum Caelorum est salute aeterna potiri; igitur nemo sine Baptismatis Sacramento salutem aeternam consequi potest.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Postquam Baptismus fuit promulgatus per modum praecepti, omnes quantumvis iustificati ei praecepto adimplendo obnoxii fuerunt, iuxta *solutionem art. praec.*; sed incidentes in transgressionem divinorum mandatorum nequeunt consequi aeternam salutem; ergo sine Baptismo non potest quis salvari.

3. PRAETEREA. Ex dictis supra, *q.* 66. *art.* 12. ii tantum qui martyrium consummant a praecepto recipiendi Baptismum in aqua absolvuntur, quia sanguinis Baptismus est omnium potissimum; igitur citra martyrium nemo potest sine Baptismo salvari.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 15.] Voluntas conditionalis satis est ad merendum, adeo ut si pauperi habenti hanc voluntatem, si haberem multas divitias omnes erogarem ad servandum Christi consilium, Deus rependat praemium, perinde ac si erogasset, si caetera adsint; ergo habens parem voluntatem circa Baptismum, idest si mihi copia esset ministri, qui me intingeret aqua secundum Christi institutionem Baptismum susciperem, iste salvatur sine Baptismi susceptione.

RESPONDEO dicendum, ex quo divulgatum fuit Christi mandatum omnibus viatoribus generale de Baptismi Sacramento suscipiendo, neminem posse salvari sine eius susceptione vel in re et effectu, vel in voto et affectu. Quod est intelligendum [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4.] de illis, ad quos sufficientem notitiam de tali praecepto pervenisse constat. Nemini enim Deus in omni statu praeclusit viam salutis, [*Oxon. Prol.* q. 1.] adeo ut sicuti filiis Adae pro omni lege dedit et exhibuit remedium, per cuius usum a peccato originali mundati, valerent salutem aeternam adipisci, ita post instituta a Christo Sacramenta si qui horum notitiam non habuerunt ad huc possunt salute aeterna potiri, si actus suos legi naturae scriptae in cordibus eorum conforment, et rationabiliter vivant; igitur multo magis illi potuerunt salvari, ad quos perveniens Legis Evangelicae notitia parati sunt Christi mandato de Baptismo suscipiendo obtemperare. Si tales ergo suscipere non possint, non ex defectu voluntatis, sed solius ministri conferentis, votum eorum habet Deus acceptum, ac intuitu meritorum Christi vitam aeternam ipsis largitur, non secus ac si fluminis baptisma suscepissent, quandoquidem erant reipsa suscepturi, si qui conferret adfuisset.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, dictum Salvatoris esse intelligendum de Baptismo fluminis aut in re, aut in voto; alioquin enim ne sanguinis quidem Baptismus satis esse posset illis, qui in aqua baptizati non sunt, quod esse falsum dictum fuit supra *q.* 66. *art.* 11. et 12.

AD SECUNDUM nego esse transgressores Christi praecepti eos, qui parati sunt baptizari, sed ex defectu solius ministri non baptizantur; imo transgressor dicendus est ille, qui potest servare idest baptizari in effectu, quia omnia necessaria adsunt, et tamen quia deest ei voluntas id faciendi, non facit; tunc enim vere putandus est aut contemnere, aut positive nolle, quod certe dici nequit de illo, qui vult, et non potest.

AD TERTIUM patet responsio ex dictis.

ARTICULUS III.

UTRUM BAPTISMUS SIT DIFFERENDUS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 42. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *art.* 3.

RESPONDEO, aut est sermo de Baptismo conferendo parvulo recenter nato, aut de conferendo adulto. Primum Baptisma dico non esse differendum; quia ex huiusmodi dilatione nulla spiritualis utilitas parvulo obventura speratur. Imo cum illa aetas admodum sit obnoxia periculis, et de facili posset in mortis discrimen incurrere, praestat omnino eius aeternam salutem in tuto collocare per Baptismi regenerationem; praesertim cum nullo ipsorum periculo parvulorum id fieri queat; casu enim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3.] quo timeretur frigida eorum saluti obfutura, posset calefieri aqua, atque in ea baptizari, quo omnis via nocendi praecluderetur. Et revera infantes solent tepidae aquae immergi et lavari.

At vero si loquamur de Baptismo conferendo adulto rationis compoti, aliter est dicendum. Instructio enim impendenda parvulis baptizatis cum in convenienti fuerint aetate constituti, sine qua non possunt ad salutem aeternam pervenire, ut dictum fuit *q.* 67. *art.* 8., est praemittenda Baptismo adultorum, ac erudiendi saltem de illis articulis, sine quorum fide explicita impossibile est aliquem adultum salvari. Unde *De cognatione spirituali C. Per Cathechismum in* 6. habetur expresse; Baptismo instructionem de articulis fidei esse praemittendam, quae praecipue (secundum Glossam) est adultis impendenda. Est igitur Baptismus differendus quoadusque baptizandus de omnibus necessariis informetur atque instruatur. — *Sed* quid faciendum si aliquis ob ingenii tarditatem esset omnis instructionis incapax? — *Respondeo,* [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1. — 4. d. 5. q. 1. n. 6. — d. 10. q. 8. n. 6. — 3. d. 25. q. 1.] si talis rationis est compos, et non plane amens, et stultus, fieri non potest quin concipiat ea, quae communiter homines rationis capaces percipiunt, sicuti est nasci, mori, atque unum alteri benefacere; ex his ergo non erit difficile baptizandum percipere per instructionem doctoris, extitisse aliquem unum generis humani, ac subinde eiusdem baptizandi adeo magnum benefactorem, qui cum esset tantum Deus (Dei autem notitiam omnibus natura indidit) nasci voluit ex foemina et fieri homo, et pro omnibus mori. Si autem baptizandus sit amens, vel furiosus, de hoc dicetur infra art. 12.

ARTICULUS IV.

UTRUM PECCATORES SINT BAPTIZANDI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 5. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *a.* 4.

VIDENTUR peccatores esse baptizandi. Nam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 1.] Baptismus expellit peccatum ab anima per gratiam quam signat: non expellit autem illud, quod iam prius expulsum et deletum fuit (quod enim non est expelli non potest); ergo expellit illud, quod tunc inest; igitur quivis peccator est Baptismi capax, et baptizandus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 1. n. 1.] *Matthaei ult.* dicit Salvator: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ut igitur quis Baptismum suscipiat ad salutem satis est eum fidem habere; sed fides stare potest cum omnibus peccatis excepta infidelitate; ergo credenti, quantumvis peccator existat, est Baptisma impertiendum.

CONTRA est illud Augustini, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 2.] *Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te.* Igitur peccator suscipiens Baptismum, et non cooperans gratiae ad illam se disponendo per dolorem anteactae vitae, sed magis habens voluntatem peccandi, non potest iustificari; ergo nec admitti ad Baptisma; Sacramento enim fieret maxima iniuria, quia non conferret suscipienti gratiam, quam signat.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 1.] peccatori habenti affectum ad peccandum, vel non atterenti, aut conterenti se de peccatis praeteritis non esse Baptismum impendendum. Huiusmodi enim peccator habens obicem ad gratiam, seu peccatum de quo sibi non displicet, sed magis complacet, nullo modo est capax recipiendi gratiam Sacramentalem; igitur non est adscribendus familiae Christi, ut novam et diversam a veteri vitam vivere incipiat, ut dicit Augustinus, *De Poenitentia,* cap. 2. et ponitur *De Consecr.,* dist. 4. cap. *Omnis: Omnis, qui iam suae voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad Sacramentum fidelium, nisi poeniteat eum veteris vitae, novam non potest inchoare.* Ex quo sequitur, peccatorem, qui de praeteritis dolet erratis ac propositum tenens servandi ea quae in Baptismo est promissurus, admittendum esse ad communionem fidelium per Baptismi collationem; quia talis vere recipit Baptismum, et effectum eius, fitque Ecclesiae membrum per novam in Christo regenerationem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 9.] Baptismum vere expellere et delere omne peccatum per gratiam, quam confert Deus rite ipsum suscipientibus. Delere autem, non quia in eodem instanti insit gratia et peccatum, sed quia gratia baptismalis expellit omne peccatum quod infuit usque ad eius infusionem. At non expellere, aut delere culpam quae tunc actu inest. vel quae tunc eo facto committitur, quia de illa nullus dolor vel displicentia a peccatore concipitur, et ideo peccatores obicem actualem ad gratiam praeseferentes effectum Baptismi non recipiunt, ac proinde ad illius susceptionem non sunt admittendi.

AD SECUNDUM respondeo, utique Baptismum recipi ad salutem a credentibus rectamque fidem habentibus. Neminem autem recte credere nisi inter alia persuasum quoque habeat, tunc sibi per Baptismum delenda esse omnia peccata, ac se idoneum Sacramento regenerationis suscipiendo cum anteactae vitae poenituerit. Scribitur enim *Sap. prim.: Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum.* Non largitur ergo Deus sua dona accedentibus ad Christi Sacramenta cum voluntate non avversa a peccatis per displicentiam. Sed videnda *quaest.* 69. *art.* 9.

ARTICULUS V.

UTRUM PECCATORIBUS BAPTIZATIS SINT IMPONENDA OPERA SATISFACTORIA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 5. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *art.* 5.

VIDENTUR opera satisfactoria esse imponenda peccatoribus baptizatis. Si aliquis enim baptizandus abstulerit rem alienam, est ipsi imponendum ut reddat iniuste ablatum reipsa, vel in voto, si ad praesens reddendi non sit facultas; ergo multo magis est ipsi imponendum ut satisfaciat pro peccatis commissis in Deum; si enim offendere non debuit proximum bona propria eiusdem auferendo, minus peccare debuit in Deum contra eius voluntatem et legem faciendo.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 8. — d. 46. q. 4. n. 10. seqq.] Secundum Boëtium, 4. *De Consol. Philosoph. Prosa,* 4. poena est ita ordinativa culpae, ut nequeat relinqui in universo aliqua culpa cui non correspondeat poena ordinativa; igitur si baptizatis non forent imponenda opera satisfactoria pro peccatis quibus obnoxii erant, eorumdem malitia peccatorum non foret per condignas poenas ordinata. Quod esse utile peccantibus in praesenti vita negat Boëtius *ibidem.*

3. PRAETEREA. *Ex articulo praecedenti,* nemo potest suscipere Baptismum ad salutem, nisi eum poeniteat anteactae vitae, si in peccatis peracta est, habeatque propositum inchoandi novam illius contrariam: sed peccatorem poenitere anteactae vitae est peccata vindicare per animi displicentiam, Deoque satisfacere; ergo si Baptismus praerequirit peccatorum ultionem et satisfactionem, multo magis admittit et reliquas eorumdem punitiones, quae ab interna displicentia valorem et virtutem accipiunt.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 7. n. 2. seqq.] Ad Roman., 6. *Quicumque baptizati sumus in Christo in morte ipsius baptizati sumus:* sed Christus per mortem suam, a qua Baptismi Sacramentum efficaciam habet, satisfecit pro omnibus mundi peccatis, ut dictum fuit *q.* 49. *art.* 3. igitur suscipientem Baptisma non oportet satisfacere pro peccatis antea commissis, quia per Baptismum facta est ei plenissima omnis poenae et culpae remissio.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. q. 4. n. 2. — d. 4. q. 6. — d. 42.] peccatori baptizato non esse imponenda opera satisfactoria pro peccatis commissis. Etenim qui Baptismate initiantur in Christo spiritualiter renascuntur, de qua spirituali generatione Veritas dicit, Ioann., 3. *Oportet vos nasci denuo.* Renati autem spiritualiter in Christo non solum evadunt per externum signum membra Ecclesiae militantis, sed etiam reipsa Christo incorporantur per charitatem, suntque membra ipsius Christi, idest, Corporis Christi mystici quod est Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, sicuti ipse Christus caput et Ecclesiae sponsus est speciosus prae filiis hominum; decet ergo renascentes per Baptismum, quantumvis peccatores, ita per gratiam Sacramentalem esse mundatos, ut nullus in eis supersit priorum peccatorum reatus poenalibus operibus delendus. Etsi igitur pro peccatis post Baptismum commissis, et in Poenitentiae Sacra-

mento a Iudice competente absolutis, impendendae sint satisfactoriae poenae, non tamen pro iis quae in Baptismo remittuntur; qui et proinde est initerabilis, ne adeo facile remedium et plenissima absolutio ab omni culpa et poena sit hominibus incentivum delinquendi.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 15. q. 2. n. 29.] utique iniungendum esse peccatoribus baptizatis ut reddant rem alienam, si reperiantur abstulisse; at id non esse proprie pro peccatis satisfacere, sed magis a peccatis desistere, et novam vitam inchoare, quod esse ipsis plane necessarium ad effectum Sacramenti suscipiendum, *art. praec.* extitit declaratum. Quemadmodum igitur tenens adulteram penes se, ipsam reddere viro suo est a peccato adulterii cessare, ita restituere domino rem ablatam iniuste est desistere ab iniusta retentione. Et sicuti si adulter restituere alienam uxorem renueret, non esset Baptismi capax, ita fur recusans reddere ablatum non est baptizandus, quia constat talem nolle novam vitam inchoare iuxta legem Christi; nec si baptizaretur effectum Sacramenti reciperet, nisi saltem votum restituendi haberet.

AD SECUNDUM concedo, [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 9.] dictum Boëtii esse absolute verum, non posse relinqui in universo culpam, cui non correspondeat poena ordinativa; ac proinde condignam punitionem exigere quodlibet peccatum commissum in acceptatione divina, ad eius delectionem vel in se, vel in aequivalenti. Cum igitur propria morte Christus pro omnibus mundi peccatis satisfecerit, ea morte, vel meritis ipsius mediante Sacramento reconciliationis, seu regenerationis, dici nequeunt peccata illa remanere impunita, vel non ordinata per poenam, cum abundanter pro illis et pro omnibus per Christum satisfactum fuerit.

AD TERTIUM respondeo, Deum non sanare nolentem, sed magis praebentem illi cor suum; qui vero non vult averti a peccatis et converti ad medicum caelestem, recusat morbum suum ab illo depelli; necessario ergo eum, qui renasci vita spirituali in Christo desiderat, oportet habere displicentiam de peccatis commissis. At semel per gratiam baptismalem ab anima deletis, non sunt aliae subeundae satisfactiones, quia superabundanter pro illis divinae iustitiae Christi passione et morte satisfactum fuit.

ARTICULUS VI.

UTRUM PECCATORES AD BAPTISMUM ACCEDENTES TENEANTUR SUA PECCATA CONFITERI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 5. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *a.* 6.

VIDETUR peccatores ad Baptismum accedentes oportere propria peccata confiteri. Nam [*Oxon.* 4. d. 16. q. 1. n. 5.] peccatores ad Baptismum accedentes, nisi veteris vitae poeniteant, non sunt digni nec idonei percipiendis Christi Sacramentis, ex Augustino, iuxta dicta supra *art.* 4. Sed confessio est Poenitentiae pars; ergo si peccatores baptizandos oportet poenitere, pariter tenentur et propria peccata confiteri.

2. PRAETEREA. Peccata post Baptismum commissa sunt omnino

confitenda ministro Poenitentiae et subiicienda clavibus Ecclesiae ad absolutionis beneficium obtinendum; ergo eidem potestati pariter videntur subiecta, quae ante Baptismum committuntur. *Probatio consequentiae:* quia utraque peccata ante et post Baptismum patrata inducunt et relinquunt in anima eamdem obligationem et ordinationem ad poenam aeternam.

3. PRAETEREA. Baptismus est institutus in remedium et medelam originalis peccati, Poenitentiae vero Sacramentum pro actualibus; ergo quemadmodum qui adhibebant Circumcisionem in deletionem culpae originalis tenebantur adhuc pro aliorum expiatione peccatorum repraesentare et adhibere instituta remedia adversus illa, ita etsi Baptismus deleat originale, actualibus tamen peccatis irretitos oportet adhibere remedium institutum contra illa, estque eorumdem peccatorum Sacramentalis confessio.

CONTRA. Magister, 4. sent. dist. 4. lit. F. *Cum Baptismum percipiunt et a peccatis mundantur, et ab exteriori satisfactione absolvuntur.* Non tenentur igitur peccata per Baptismum deleta confiteri, a qua confessione descendit externae satisfactionis impositio.

RESPONDEO dicendum, peccatores ad Baptismum accedentes non teneri ad confessionem suorum peccatorum ministro Sacramenti Poenitentiae faciendam. *Declaratio:* [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 5.] etenim Poenitentiae Sacramentum, post generis humani naufragium factum in parente primo, in quo omnes peccaverunt, est secunda tabula a Baptismate, secundum Hieronymum, ad quam nimirum debent recurrere, qui post Baptismi susceptionem in peccato relabuntur, si mortem sempiternam evitare, et ad aeternae felicitatis portum appellere velint; igitur peccata ante Baptismum patrata non sunt Sacerdoti Sacramentaliter confitenda, cum per ipsius Baptismi susceptionem plenissime remittantur omnia quoad culpam et poenam. — *Rursum,* [*Oxon.* ib. n. 9.] ad hoc ut aliquis efficiatur particeps Sacramentorum Christi, congruum saltem est eum ad familiam Christi, et ad Ecclesiam militantem, tamquam eius membrum pertinere, in cuius salutem et medicinalem usum Sacramenta fuerunt a Christo instituta. Sed per solius Baptismi susceptionem quis efficitur de familia Christi, et membrum Ecclesiae militantis; igitur priusquam quis suscipiat Baptismum, saltem non congruit uti et participare de Christi Sacramentis, et per consequens non oportet peccatores sua peccata Sacramentaliter confiteri priusquam suscipiant Baptismum. Quod vero congruum saltem sit caeteris Ecclesiasticis Sacramentis praemitti Baptisma, ubi dicitur, habetur *De Presbytero non baptizato,* cap. *Veniens;* [*Oxon.* ib. q. 6. n. 3.] ad Apostolicam Sedem fuisse delatum et expositum, qualiter quidam post sacrorum Ordinum susceptionem constiterat se Baptismo non fuisse initiatum; quem Pontifex postquam baptizandum iussisset, disputat ad utramque partem an item sit Ordinibus initiandus, et tandem, citato cuiusdam concilii decreto, mandat rursus rite ordinandum: *Quia non intelligitur,* inquiens, *iteratum quod ambigitur esse factum.* Non sunt igitur peccatores baptizandi ad Sacramentalem confessionem admittendi, sed ii solummodo, qui post baptismum susceptum in peccata prolapsi cupiunt a diaboli captivitate liberari per Sacramentalem confessionem. — *Postremo,* [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 4.] in Poenitentiae Sacramento dimittuntur peccata per

modum Iudicis, Dei auctoritate commutantis poenam aeternam delictis debitam in temporalem, ad quam confitens sub poena peccati mortalis tenetur. Atqui ex *art. praec.* non sunt imponenda peccatori baptizando opera satisfactoria, quia virtute passionis Christi Baptismali gratia deletur omnis culpa, et ab omni pariter absolvitur poena; ergo baptizandus nec debet antecedentia peccata confiteri, ex qua confessione essent ei opera satisfactoria imponenda. Et hoc est quod dicit Ambrosius [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 3.] super illud Apostoli Roman., 11. *Sine poenitentia sunt dona Dei, Gratia,* inquiens, *Dei in Baptismo non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod opus, sed gratis condonat.* Accedentem autem ad Sacramentalem poenitentiam decet plangere et gemere, quia oportet conteri et atteri, et ita Dei gratiam, ut potest, promereri.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 4. d. 14. q. 2.] respondeo, poenitentiam ad quam tenentur adulti baptizandi, si in peccatis fuerint, esse actum poenitentiae virtutis, non vero partem Sacramenti poenitentiae quod fuit a Christo institutum, ut esset secunda tabula illis, qui post Baptismi susceptionem a gratia per peccata excidissent.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 3.] omnia utique peccata contra legem Dei inducere obligationem poenae aeternae, seu ante seu post Baptismum committantur. Verumtamen quia Baptismus id habet speciale, ut per ipsum renascamur in Christo spirituali regeneratione, nisi animam ab omni peccatorum sorde mundaret, imperfecta foret ea regeneratio. Cum autem in Christi morte fuerit plenissime satisfactum pro omnibus mundi peccatis, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 7. n. 2.] quoniam *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus,* teste Apostolo *ad Roman.*, 6. per Baptismi lavacrum ablutis maculis peccatorum, et pro eorumdem satisfactione Deo acceptam habente mortem Christi, una cum culpa tollitur omnis poena. Sed videndi de his *art.* 1. *et* 2; *quaest.* 69.

Ad tertium concedo, Baptismum potissimum institutum esse in remedium originalis culpae, et Poenitentiam ut mederetur actualibus, sed post Baptismum commissis. Cum igitur per Baptismum detur ingressus in Ecclesiam, nemo potest esse particeps Sacramentorum Christi, antequam fiat de familia ipsius; non est ergo idoneus Poenitentiae Sacramento suscipiendo, qui non fuerit Baptismo initiatus. — *Cum autem dicitur:* quia Circumcisio delebat originale, et nihilominus circumciso licebat expiare alia peccata per propria a Deo remedia instituta; *respondeo* in primis, eos qui octava die ab ortu circumcidebantur non habuisse alia peccata expianda. Quae igitur procedente tempore ab eis patrabantur debebant usu sacrificiorum expiari. Quod si adulti [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4.] per Circumcisionem non absolvebantur a lege de redimendis peccatis per peculiaria Sacrificia, uti absolvuntur in Lege Evangelica per Baptismum adulti peccatores, id profecto pertinet ad eam perfectionem qua Baptismus praecellit Circumcisioni; ac proinde ex Circumcisione ad Baptismum non est deducenda consequentia.

ARTICULUS VII.

UTRUM EX PARTE BAPTIZATI REQUIRATUR INTENTIO SUSCIPIENDI SACRAMENTUM BAPTISMI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 4. *et* 5. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 68. *a.* 7.

VIDETUR ex parte baptizandi haud requiri intentio suscipiendi Sacramentum Baptismi. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 5.] intentio est conditio determinativa agentis a proposito ad agendum: sed suscipiens nihil agit, nec aliquid sibi praescribitur agendum, sed tantum recipiendum quod sibi ab agente et exhibetur et confertur; ergo ex parte ipsius non requiritur intentio suscipiendi Baptismi Sacramentum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 5.] Intentio suscipiendi Baptismum ex parte suscipientis manifeste in pueris nec requiritur nec potest rationabiliter exigi. Sed neque in adultis. *Et probatur:* nam non oportet eos habere intentionem actualem, cum haec ne in conferente quidem necessaria sit; neque virtualem: haec enim est necessaria in ministro, ut dicatur habere et exercere actum humanum: recipiens autem Baptisma non exequitur actum ullum humanum, sed eius actionis est dumtaxat terminus; ergo non oportet suscipientem Baptisma habere intentionem virtualem. Et multo minus habitalem, cuius virtute minister haud valide Baptismum conferret, iuxta dicta *q.* 64. *art.* 4. *in incid.*

3. PRAETEREA. Quoniam ex parte ministri necessaria est intentio saltem virtualis, non contingit valide Baptisma conferri, nisi ex praevia actuali intentione conferatur; ergo si pariter ex parte suscipientis id necessario requireretur, nemo valide Baptismo initiari posset, nisi intentionem illum suscipiendi haberet: hoc autem est manifeste falsum in pueris, et amentibus, qui valide Baptismum suscipiunt citra omnem ipsorum intentionem recipiendi tale Sacramentum.

CONTRA. Ecclesiae consuetudinis est non conferre alicui adultorum Baptisma, nisi prius significaverit velle se baptizari, in tantum ut pueris nequeuntibus id exprimere, nec concipere, alios substituat qui eum defectum suppleant; ergo ex parte recipientis est necessario requisita voluntas et intentio recipiendi quod sibi eo actu confertur.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 3.] ex parte baptizati adulti, si compos sit rationis, requiri intentionem suscipiendi Sacramentum Baptismi, in tantum ut sine ea intentione Sacramenti perfectio minime subsistat. Nam si baptizandus non intendat suscipere quod Minister eo actu sibi vult conferre; aut igitur dissentitur, aut certe nec assentitur, nec dissentitur, idest, vel habet nolitionem, vel nec nolitionem, nec volitionem permittendi se Baptismo initiari. Et quidem si positive nolit, non iusticatur per Sacramentum, quia Deus non iustificat nolentem; unde apposite dicebat Augustinus, [*Oxon.* ib. q. 5. n. 2.]: *Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te;* imo nec characterem Baptismi recipit, dicente Deo per Salomonem: *Filii praebe mihi cor tuum.* Proverb. 13. Non vult igitur Deus aliquem invitum adscribi familiae suae: per Baptismum autem quis incipit esse de familia Christi; renuens igitur adscribi positiva

nolitione, quamvis aquis sacramentaliter perfundatur, nihil Sacramenti recipit, ac proinde non est connumerandus inter eos, qui spectant ad familiam Christi. Etsi plurimum intersit, utrum facto reclamaverit, an reticuerit sola voluntate contranitente, de quo infra *art.* 12. *in incid.* Quod si ponatur eum nec positive velle, nec item positive nolle; igitur is Sacramentum Baptismi non recipit; imo nec illius est capax. Ex quo enim est rationis compos, ex quo captu sufficienter instructus de Baptismi effectibus, et nullo interiori actu, vel devotionis effectu erga tam salubre ac necessarium Sacramentum moveatur, manifeste constat Baptisma, et gratiam per illud conferendam, contemni. Ut ergo adulti rationis usum habentes valide baptizentur, oportet eos cum intentione suscipiendi Baptisma accedere: non actuali quidem, quia Deus ad nimium difficile, uti est non distrahi, nos minime obligavit; sed virtuali, aut saltem habituali, per quam quis dicatur habitualiter consentire, velleque recipere regenerationis Sacramentum. Etsi enim haec habitualis intentio non sufficiat Ministro conferenti, quia per eam non dicitur quis exercere actum humanum, ut declaratum fuit *q.* 64. *art.* 8. *in incid.,* nihilominus satis est suscepturo Baptismum eam habere; nam recte et vere dicitur consentire, si per contrariam voluntatem non sit (ut supponimus) olim elicita suscipiendi volitio revocata, quia non videtur propter aliquam conditionem minus capax, si utatur ratione, quam si antea usus, non utatur nunc. In eo autem qui caret usu rationis, quo prius pollebat, satis est habitualis consensus; ergo etiam in eo qui habet usum rationis non interruptum sufficit ad validitatem Sacramenti eadem habitualis voluntas, seu intentio et consensus.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 5.] adultum suscipientem Baptismi Sacramentum non esse quidcumque patiens, sed patiens volens. Etsi igitur intentio non sit per se suscipientis, inquantum suscipiens est (quia tunc nulli posset conferri Baptisma, nisi ipsum suscipere intenderet), nihilominus suscipere volentem oportet omnino velle sibi conferri quod per talem actum, cui se voluntarie subiicit, minister illi dare intendit. Ablata ergo ab eo, qui Sacramentum recipit, ea volitione, consensu aut intentione, iam non intelligitur suscipiens volens, adeoque valide non confertur Sacramentum ei, sicuti iis, qui praecise sunt suscipientes, et non volentes, ut pueri et amentes.

Ad secundum: [*Oxon.* ib]. *cum dicitur:* recipiens Baptisma non exequitur actum humanum, sed solummodo est eius terminus; *respondeo,* concedendo non includi intentionem in suscipiente, ut suscipiens est, sed tantum esse terminum per se actus rite Sacramentum conferentis, ac propterea valide conferri Baptisma pueris et amentibus intentionem rectam habere nequeuntibus; sed in casu suscipientem, eo quod adultus compos rationis sit, esse debere volentem suscipere, alioquin aut non susciperet, si contrariam voluntatem haberet, aut contemnere Sacramentum probaretur, si indifferens foret; oportet ergo habeat voluntatem et intentionem saltem habitualem modo iam explicato.

Ad tertium respondeo ex iam dictis, non in omnibus suscipientibus esse necessariam intentionem, sed dumtaxat in iis, qui eam habendi sunt habiles et capaces, uti sunt adulti, pollentes usu rationis.

ARTICULUS VIII.

UTRUM FIDES REQUIRATUR EX PARTE BAPTIZATI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 4. — *d.* 5. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 8.

VIDETUR fides esse necessaria ex parte baptizandi causa recipiendi effectum Sacramenti. Etenim [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. n. 1.] *ad Romanos,* 14. scribitur, *Omne quod non est ex fide peccatum est;* igitur si suscepturus Baptisma caret recta fide in Christum eiusque Sacramenta, nec iustificari, nec Sacramentum recipere sentiendum est.

2. PRAETEREA. Per Baptismi Sacramentum suscipientes Christo incorporantur, atque in eo spiritualiter renascuntur: sed sine recta fide id fieri non potest; ergo oportet baptizandos tenere fidem rectam. *Probatur minor:* quia corpus Christi mysticum est unum per fidem sinceram et charitatem; unde dicitur [*Oxon.* ib.] Hebraeor, 11. *Sine fide impossibile est placere Deo;* ergo fide carens non potest spectare ad Christi corpus. nec Deo placere, et consequenter nequit Baptismi veritatem recipere.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 1. n. 2.] Salvator, *Matthaei ultimo,* tradita Apostolis forma, in qua statuit conferendum esse Baptisma, subdidit: *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;* igitur adulti veram fidem habere valentes non recipiunt Baptismum ad salutem nisi credant; ergo est necessaria fides ex parte baptizandi.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. q. 4.] *Ex art. praeced.* quamvis parvulis, furiosis, et amentibus valide conferatur Baptisma sine ulla eorum intentione, nihilominus adulti rationis compotes non fiunt Sacramenti veraciter participes citra intentionem et volitionem suscipiendi illud; ergo licet Sacramenti perfectio subsistat in parvulis credere nequeuntibus, tamen in adultis videtur necessaria sincera fides ad Baptismi validitatem et perfectionem.

CONTRA. *Ex q.* 64. *art.* 9. Fides non est necessaria ex parte conferentis Baptismi Sacramentum, quia sine illa suam perfectionem et veritatem obtinere potest; ergo neque erit necessaria ex parte baptizati, in tantum ut carens fide Baptismum recipiat, eiusque effectum, quo spectat ad familiam Christi.

RESPONDEO: Baptismi Sacramentum suscipienti regulariter duplex confertur effectus, character nimirum, et gratia baptismalis, qua mundatur anima ab omnibus culpis praeexistentibus, et simul absolvitur ab omni poena debita illis. At fidem non habenti, seu non credenti Sacramenta ad salutem valere, nequaquam Deus suam gratiam largitur, qua peccata delentur, quinimo ob infidelitatis culpam ea Sacramentalis susceptio est illi in maiorem damnationem; ad quem intellectum recte adducitur Apostoli auctoritas illa: *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Verumtamen. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5.] quamvis non credens in Sacramentorum virtute, si consentire intendat in illam ablutionem mox repraesentandam, et recipere per eam quicquid Ecclesia conferre vult, stante sua infidelitate, vere recipit Baptismi Sacramentum eiusque effectum, qui est character, atque subinde efficitur de familia Christi, licet Christum per

charitatem et gratiam non induat. — *Exemplum:* non credens ad verba incantationis aliquem sequuturum effectum, tamen permittit et assentitur incantanti ut ea verba super se pronunciet ea intentione, qua solet ea proferre, is vere diceretur incantatus, et si talis incantatio super aliquem diceretur consecratio diabolo, ille super quem essent illa verba pronunciata diceretur et esset diaboli servituti addictus, sive consecratus. Ita in casu quo Baptisma confertur non credenti virtutem illius, quamquam ob infidelitatem non reciperet gratiam Sacramentalem, recipit tamen Christi characterem, eo quod assentiatur illi actui faciendo, ea intentione, qua solet in Ecclesia fieri, ac proinde ad Ecclesiam militantem ille spectaret, a qua posset et deberet compelli ad servandam legem Evangelicam, quam in Baptismi susceptione visus est observandam suscepisse, ut diserte habetur *De Baptismo et eius effect.*, cap. *Maiores.*

Ex quibus patet ad INDUCTA ARGUMENTA; tria enim priora aliud non probant, nisi non credentem haud recipere gratiam in Baptismatis susceptione, qua spiritualiter renascuntur qui pie et fideliter accedunt, ideoque fatendum est, eiusmodi peccare, et gravissime; unde magis Deo odibiles evadunt. Sed alium nihilominus eius Sacramenti effectum consequuntur, qui est character Christi, per quem ad Ecclesiam militantem spectant, tamquam membra eius, modo habeant intentionem recipiendi quod minister conferre intendit, modo declarato *art. praec.*

AD ULTIMUM respondeo, aliud exinde deduci non posse, nisi quod in adultis sit necessarius consensus in Baptismi susceptione, sine quo nullum eius Sacramenti effectum recipiunt, ut *art. antec.* fuit declaratum; at fides non praeexigitur nisi ad hoc, ut baptizato conferatur per Sacramentum ultimus eius effectus, qui est gratia.

ARTICULUS IX.

UTRUM PUERI SINT BAPTIZANDI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *art.* 9.

VIDENTUR pueri haud esse baptizandi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 4. q. 1.] Baptismus institutus fuit, ut esset remedium contra peccatum: sed pueri non habent peccatum, quia nec usum rationis vel voluntatis, et secundum Augustinum, *De vera Religione: Peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium non est peccatum:* ergo cum pueri omni careant peccato, Baptismi suscipiendi sunt incapaces.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] *Qui non crediderit condemnabitur,* ait Salvator, *Matthaei,* ult.: sed pueri habere nequeunt actum credendi; ergo etiamsi baptizentur, Baptismus tamen nihil illis prodesse potest.

3. PRAETEREA. Impossibile videtur perfici posse Sacramentum sine ulla suscipientis intentione, cum nequaquam valide conferatur nisi ex intentione actus conferentis procedat: sed parvuli incapaces sunt habendi intentionem ut oporteret; ergo parvuli non sunt baptizandi donec ad aetatem perveniant in qua intelligere queant quid necessarium sit ad salutem.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1. — *Report.* 4. ib.] Fulgentius, *De Fide ad Petrum,* cap. 27. et habetur, *De Consec.*, d. 4. c. 3.: *Firmissime tene*

parvulos qui vel in utero matrum vivere incipiunt, et sine Sacramento Baptismi de hoc saeculo transeunt aeterno supplicio puniendos, quia originale peccatum in carnali conceptione contraxerunt. Cum igitur Baptismus praesertim sit remedium culpae originalis et medicina, oppido est pueris applicanda.

RESPONDEO dicendum, parvulos esse baptizandos. Scriptura enim et fides [*Oxon.* ib. n. 2.] docent, omnes per naturalem propagationem descendentes de Adam nasci peccato originali obnoxios, in tantum ut haeresis Pelagiana sit, dicere parvulos peccato originali carere. Quoniam ergo pro legis Evangelicae tempore, Baptismus institutus est in remedium contra culpam originalem, uti erat Circumcisio pro lege Mosayca, sequitur pro aeterna salute consequenda parvulos esse aquis baptismalibus intingendos.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, [*Oxon.* ib.] Augustini dictum intelligi debere de actuali peccato, sicuti actuale peccatum in Adamo fuit voluntarium, quod est in nobis originale, quia ex eo ortum traxit. Quia enim acceperat a Deo iustitiam non tantum pro se, sed etiam pro omnibus ab ipso descensuris via communis propagationis, peccando actualiter amisit illam, et pro se, et pro omnibus eius posteris, et ideo nascimur filii irae, et incapaces Regni caelestis, nisi renascamur in Christo per Baptismum.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] ex Evangelio Matthaei, respondeo non esse id intelligendum de parvulis actum fidei habere nequeuntibus, sed de adultis, qui credere possunt; quod etiam convincitur per illa verba quae praemittuntur, *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.* Baptizari ergo credendo, tantum adultorum est. — *Potest etiam dici aliter sic:* qui non crediderit nec actu, nec habitu, nec in se, nec in alio, concedo hunc condemnatum iri; ut qui confessionem fidei nec per actum interiorem, nec exteriorem, nec habitum fidei in se, vel in parentibus ad ipsum relatum habuerit, quia *sine fide* (hoc aut illo modo) *impossibile est placere Deo.*

AD TERTIUM dico, omnium quae credimus non posse nos rationem exactam reddere, sed satis est id nobis ab Ecclesia credendum proponi, uti est Baptisma parvulorum usum rationis non habentium, nec subinde recipere intendentium quod ipsis per Ecclesiae ministros praestatur. Verumtamen [*Oxon.* 3. d. 19. — 4. d. 2. q. 4. — d. 4. q. 3.] esse hoc ipsum valde rationabile ex eo constat, quia quemadmodum nulla eorum propria voluntate factum est ut peccato infecti nascerentur, ita convenientissimum fuit, ut etiam citra eorum intentionem iustitiae redditi inveniantur, cum longe acceptabiliora fuerint merita Christi Trinitati, quam illi Adae offensa displicuerit. Unde dicit Apostolus, *Ad Roman.*, cap. 5. *Ubi abundavit delictum superabundavit et gratia.* Videndus *art.* 12. infra § *Ad primum.*

ARTICULUS X.

UTRUM PUERI IUDAEORUM, VEL ALIORUM INFIDELIUM, SINT INVITIS PARENTIBUS BAPTIZANDI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 9. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *art.* 10.

VIDENTUR parvuli Iudaeorum, aliorumque Infidelium invitis parentibus minime baptizandi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 4. q. 9. n. 1.] post susceptum Baptisma aut parvuli illi redderentur propriis parentibus, aut non redderentur. *Si primum,* ea Baptismi susceptio cederet in contumeliam fidei Christianae, quia procul dubio eorum parentes educarent et instruerent eosdem in erroribus suarum sectarum. Si autem non redderentur, fieret eis maxima iniuria; nam parentes ius habent in filios quousque sunt parvuli.

2. PRAETEREA. *Dist.* 45. *can.* 5. ita statuitur: *De Iudaeis autem praecipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiae.* Igitur Potestates saeculares cogentes ad Baptisma infideles, et eorumdem filios, contra Ecclesiae statuta committunt; igitur inordinate faciunt; non est ergo id attendendum.

3. PRAETEREA. Parvuli carentes usu rationis, iure naturali sub cura parentum sunt; igitur contra iustitiam naturalem esset eos pueros invitis parentibus baptismo admovere. Imo periculo res non careret, quia ob naturalem affectum ad parentes de facili ad infidelitatem redirent; non sunt ergo invitis parentibus ii baptizandi.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Si liceret hos aut illos parvulos Iudaeorum baptizare contra ipsorum parentum voluntatem; igitur eadem ratione licitum esset omnes penitus Iudaeos ad Baptismum cogere: sed hoc videtur esse contra illam Isaiae prophetiam ab Apostolo, 9. *Ad Roman.* relatam: *Reliquiae Israël convertentur in finem:* ergo licitum non est Iudaeorum parvulos reluctantibus eorum parentibus baptizare.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Augustinus, *De verbis Domini,* Homil. 6.: *Si illud iubet potestas, quod non debes facere, hic sane contemne potestatem timendo potestatem maiorem.* Quod declarat exemplo de Proconsule, Imperatore, et Deo. Etenim subditis magis attendendum dandaque opera ut serventur mandata Imperatoris, quam Proconsulis, et magis Dei, quam Imperatoris, si unum alteri repugnet, minimeque inter se cohaereant. Cum igitur sit Dei mandatum generale de suscipiendo Baptismatae, si parentes nolint filium parvulum baptizari, non solum videtur licere, sed etiam debere Principes pro servandis praeceptis Dei satagere ut filii infidelium, etiam parentibus invitis, baptizentur.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 1. seq.] bene facturos Principes si compellant Iudaeorum et infidelium filios suscipere Baptisma, etiam ipsis invitis et renuentibus. Nam in parvulos illos, et quoslibet alios Deus habet maius ius, quam proprii parentes; ergo maior est ex parte eorum obligatio obtemperandi Deo praecipienti Baptismi susceptionem, quam obediendi parentibus nolentibus illum suscipi a filiis, siquidem in potestatibus ordinatis potestas inferior non obligat in iis quae sunt

contra superioris potestatis mandata expresse praecipientis contrarium eius, quod fieri mandat inferior potestas. Igitur cum parvuli per seipsos non possint Deo obtemperare in Christo renascendo per Baptismum, debent Principes, qui in administranda Republica Dei ministri sunt, zelare pro dominio servando supremi Domini, cuius sunt Vicarii in Republica gerenda; et per consequens religiose et pie faceret qui tales ad Baptismi susceptionem compelleret. — Eo tamen in facto debitae essent adhibendae cautelae. *Primo,* [*Oxon.* ib. n. 2.] ne parentes id futurum praesentientes pueros suos neci traderent priusquam a Principibus raperentur ad Baptismum. *Deinde,* Principibus curandum esset, ut taliter Baptizati religiose et pie educarentur, ac in fide catholica de necessariis ad salutem instruerentur.

Videtur etiam [*Oxon.* ib. n. 3.] pie ac religiose facturos Principes, si ipsos Hebraeos, caeterosque infideles in ipsorum Regnis degentes minis et terroribus urgerent et congerent ad Baptismum suscipiendum, non quidem minis quibus ipsis mors, aut mutilatio membrorum intentaretur, sed exilia, iactura temporalium bonorum edicto proposito, quo significaretur velle eos et iubere in suis regnis fidem catholicam ab omnibus servari, ideoque recusantibus Baptismum suscipere denunciare exilium, et omnium bonorum iacturam, quomodo gestum fuisse temporibus Regis Assembuti narrat *Concilium IV. Tolet.,* cap. 56. uti habetur, dist. 45. cap. *De Iudaeis,* quem proinde Concilium pium et Religiosum Principem vocat. Nam etsi ea de causa, ne scilicet cogerentur solum vertere, aut fortunis omnibus expoliari, inducerentur ad Baptismi susceptionem, atque ita plerique non essent ex animo fideles, nihilominus minus malum esset, non posse iuxta eorum damnatam et illicitam sectam vivere, quam posse libere servare palamque profiteri. Ad haec, quamquam ipsi non essent vere fideles, nec tales etiam futuri, filii tamen et nepotes eorum in tertia et in quarta progenie evaderent vere fideles, ut alii Catholici, ob educationem in lege Evangelica et communionem cum caeteris Christi fidelibus.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 1.] post Baptismum non esse reddendos parentibus infidelibus parvulos suos in Christo renatos; ne sequerentur quae ab argumento inducuntur inconvenientia, imo nisi haec cautela adhibeatur, non esse omnino baptizandos; et quoniam nulla privata persona posset, de facili eam conditionem adimplere, imo nec iuste filios parvulos a suis parentibus abstrahere, non foret licitum talibus eos ad Baptismum compellere. — *Et cum dicitur:* si non reddantur violatur ius quod parentes habent in parvulos suos; *respondeo,* eos potiori iure ad Deum pertinere, quam ad proprios parentes, et ideo non violari ius inferioris, ut servetur ius et mandatum supremi Domini, Principes satagant avellere eos a propriis parentibus, ut faciant Baptismo initiari.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib.] Canonem citatum interdicere ne compellantur Iudaei ad Baptismi susceptionem cum adhiberi non possunt praedictae cautelae; at iis servatis, quod non esset Principibus admodum difficile circa proprios subditos, quibuscumque voluntatibus, et iuribus humanis praeferenda esse Dei mandata, quando simul cohaerere non possunt, nemo negaverit.

Ad tertium *concedo,* nihil faciendum esse contra naturalem iusti-

tiam, quando haec non impedit quin adimpleatur mandatum superioris Domini, cuius altiori iure sunt ea, inter quae versatur humana iustitia. Quoties itaque parentes vetant filios suos baptizari, et adimpleri divinum mandatum ad omnes omnino viatores spectans, qui praecavere potest, ne ex adimpletione eius legis sequatur malum, uti esset mors parvuli, aut Baptismi contemptus, si cooperetur legi Dei observandae etiam in praeiudicium humanae iustitiae, quae in casu iniustitia verius appellanda est, pie et religiose videtur facturus.

AD QUARTUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 2.] dubitari non posse quin reliquiae Israël convertendae sint in fine. Adhaesuri sunt enim Iudaei Antichristo a quo pervertentur, ut eis praedixit Salvator, *Ioan.*, 5.: *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis.* Et quamvis post eversionem Antichristi, qui illi adhaeserunt convertendi sint, tamen valde modicus ex eis fructus redundabit in Ecclesiam. Quamobrem praestaret non permittere tot myriades Iudaeorum toto Orbe tamdiu in lege iam a Deo abrogata impune vivere, cum pauci ex illis aliquam insulam incolentes satis essent ut praedictio Isaiae verificaretur. Sed haec magis in voto, quam in magisterio sunt.

ARTICULUS XI.

UTRUM PUERI IN MATERNIS UTERIS POSITI SINT BAPTIZANDI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *a.* 11.

VIDENTUR pueri intra uteros maternos constituti fore baptizandi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3. n. 1.] perfectius atque efficacius est donum Dei, quam Adae peccatum, ut patet ex 5. cap. *Ad Roman.*: sed parvulus in utero matris infici potest peccato; ergo et perfici poterit dono Dei in Sacramento Baptismi viatoribus exhibito.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Parvulus in utero materno existens potest liberari a servitute temporali; si enim mater servituti obnoxia manumittatur, et ipse manumissus censetur, ita ut non servus, sed liber nascatur; ergo pariter si baptizetur in ventre matris, immunis esse poterit a servitute spirituali, qua servit peccato originali.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Roman., 11. *Si radix sancta, et rami:* mater sancta arbori comparatur; ramus autem dicitur proles in utero; ergo potest puer utero reclusus materno sanctificari, quum mater per regenerationis lavacrum sancta efficitur.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Apostolus, 1. *ad Corinth.*, c. 15. *Non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Unde Isidorus, *De summo bono: Qui natus,* inquit, *secundum carnem non est, renasci per Baptismum non potest.*

RESPONDEO, praesentis *quaesiti* solutio est certa, nempe parvulum in utero materno constitutum baptizari non posse, iuxta statim allegatas auctoritates, et talis est Ecclesiae universalis et sensus et praxis. Eam nihilominus [*Oxon.* ib. n. 2.] veritatem *aliqui* hac ratione comprobari, ac declarari putant: parvulus in utero matris existens coniunctus est causae suae corruptionis; igitur quoadusque ita coniunctus reperitur mun-

dari non potest a culpa originali. Ut ergo spiritualiter renascatur in Christo, necesse est, ut nascendo secundum carnem, a causa unde infectionem contraxit separetur. — *Verumtamen* ad certam conclusionis declarationem, non est adducenda ratio dubia, aut etiam falsa, ut haec videtur; nam *in primis* caro matris non est causa infectionis parvuli, nisi mediata; siquidem immediata ac proxima ratio, cur anima infantis infecta sit macula originali, est caro ipsa pueri; eam enim statim ac anima informat, fit homo filius Adae; illico ergo est obnoxius peccato, quia expers invenitur iustitiae originalis, quam in Adamo accepit; ergo si propterea puer nequit in utero materno a peccato per lavacrum regenerationis liberari, quia coniungitur causae mediatae eius infectionis, multo minus poterit expiari inde egressus et separatus a matre, cum causae immediatae maculae originalis unitus reperiatur; quod est contra fidem. — *Deinde,* [*Oxon.* ib.] quamvis puer in utero materno constitutus matri sit coniunctus localiter, ab ea tamen est personaliter distinctus; habet enim aliud corpus, et aliam pariter animam, ex quibus est alia omnino persona: atqui distinctio personalis satis est, ut distincta iustitia, aut peccatum insit; non enim iustitia et peccatum sequuntur hanc, aut illam personam, quia in tali loco, sed quatenus sunt tales personae; ergo non obstante illa locali coniunctione, propter personarum distinctionem potest parvulus esse iustus, seu mater eius pariter sit iusta, seu in peccato. — *Denique,* [*Oxon.* ib.] non obstante coniunctione locali parvuli cum matre, potest in utero manens parvulus flaminis, vel sanguinis baptismo a culpa originali expiari; ergo si non sit capax regenerari per aquam in Christo in ventre matris existens, non est propter talem coniunctionem cum matre. *Patet consequentia:* si enim stante eadem coniunctione, potest culpa originalis per alia Baptismata deleri, nulla est repugnantia pariter expelli aquis Baptismatis. *Assumptum probatur;* nam *Hierem.*, 1. et *Lucae,* 1. scribitur Prophetam illum, et Ioannem Baptistam fuisse sanctificatos priusquam in lucem ederentur. Et de Virgine Maria idipsum Ecclesia firmiter tenet. *Quoad baptismum sanguinis declaratur:* nam si mater gravida ob Christi fidem occidatur, eadem de causa necaretur et filius eius, sicuti persequens matrem uterum gerentem persequitur et quem gestat in utero. Et si puer extra uterum ob iustitiam neci tradatur, utique proprio in sanguine baptizatus censetur; igitur etiam in utero existens, si eadem de causa extingueretur, rationabile videtur sentire, Deum illum non contemnere, sed inter sanguinis baptismate mundatos apud ipsum computari.

Nostra itaque solutio est ista: [*Oxon.* ib. n. 3.] aut puer penitus in utero materno latet, aut secundum aliquam sui partem extra uterum apparet. *Quoad primum* dicimus, puerum haud posse baptizari; nam Baptismus est exterior ablutio corporis facta in aqua: puer nullam sui corporis partem extra uterum ostentans ablui minime potest, nec immediate tangi ab aqua; ergo incapax est recipiendi Sacramentum Baptismi; Minister enim pronuncians illa verba, *Ego te baptizo,* etc. falsum diceret, nec certo signaret animae ablutionem gratia Christi repraesentatam, quae nulla esset, non subsistente necessaria applicatione formae ad materiam. — *Quod si aliqua pueri pars extra uterum appareat:* aut ea est pars principalis, ut caput, in quo vigent omnes sensus humani, potest in tali parte baptizari, et simpliciter esset baptizatus, ac proinde si

totus de ventre materno exiret, non foret iterum baptizandus. Si vero pars sit minus principalis, ut manus vel pes, adhuc aqua baptismatis est perfundenda pars apparens, quia licet in illa sensus omnes non vigeant ut in capite, est nihilominus vera pars hominis, in qua est tota anima intellectiva. Credendum est enim Deum tali in actu ex sua misericordia suppleturum, quod instans necessitas perfici non permittit. Et ideo si mortuus ederetur, esset in terra benedicta sepeliendus. At si vivus nasci contingat, sub conditione foret rebaptizandus, ut dicitur *De Baptismo et eius effect.*, cap. *De quibus: Si es baptizatus, non te baptizo. Sed si non es baptizatus, ego te baptizo,* etc.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 4.] concedo, Deum posse iustificare puerum in materno utero latentem, ut fecisse cum quibusdam Scriptura commemorat; sed non per Baptismi Sacramentum. Ex quo enim Christus instituit usum eius esse debere per corporis externam ablutionem, dum quis est in utero matris non est eius Sacramenti capax, quia nec aqua tangi potest ut abluatur.

Ad secundum [*Oxon.* ib.] dicendum, puerum in ventre matris clausum efficere unam eamdemque servitutem respectu dominii temporalis, ac proinde manumissa matre, simul manumittitur et filius. Verum quia est a matre personaliter distinctus, capax est distincti peccati originalis, a quo non mundatur anima, nisi corpus regenerationis lavacro rite abluatur.

Ad tertium concedo, [*Oxon.* ib.] fructum inquantum est aliquid arboris sequi conditionem illius; attamen ut est aliquid in se fieri posse ut praeseferat contrarias omnino conditiones. Quapropter fructus esse potest dulcis et mollis, arbor vero dura et amara. Et in proposito, quoniam iustitia et iniustitia respiciunt personam in se, non ut coniunctam aut divisam localiter ab alia, ideo proles esse potest iusta, quamquam non mater, et e converso.

ARTICULUS XII.

UTRUM FURIOSI ET AMENTES DEBEANT BAPTIZARI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 68. *a.* 12.

Videntur furiosi et amentes non esse baptizandi. Nam huiusmodi non sunt capaces assentiendi Baptismatis susceptioni: sed nisi facto assentiantur, veritatem Sacramenti non recipiunt; ergo non sunt baptizandi. *Probatur minor,* [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 1.] quia nullus dissentiens, vel non consentiens contrahit matrimonium carnale; ergo nec spirituale, sicuti in Baptismo contrahitur, in quo anima desponsatur Deo. *Probatur consequentia:* quia in matrimonio spirituali non minus, imo magis requiritur consensus spiritualis.

2. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 5. seqq.] In Baptizante, ad hoc ut valide baptizet, requiritur et intentio, et consensus, quo illi actui conferendo assentiatur; ergo pariter ex parte baptizandorum eadem requiruntur; et per consequens quum amentes et furiosi neque intentionem, neque consensum praestare et habere possint, profecto baptizandi non erunt.

3. Praeterea. Si furiosi et amentes ponerentur Baptismi capaces,

Sacramentum hoc exponeretur iniuriae et contemptui; ergo sentiendum videtur huiusmodi homines non esse idoneos Baptismo suscipiendo. *Probatio sequelae:* nam eorum nequit explorari intentio, utrum scilicet assentiatur Sacramenti collationi, necne. Sed fieri potest ut priusquam in insaniam inciderint, actum nolendi suscipere Baptismum habuerint; ergo cum tali actu non retractato per assensum, Sacramenti perfectio non subsistat, baptizando amentes et furiosos exponitur Baptismus iniuriae et contemptui.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1-4.] *De Baptismo, et eius effect.*, cap. *Maiores:* quilibet non invitus recipit effectum Baptismi. Et ratio subditur *ibidem,* quia Baptismus semper suscipitur quando obex contrariae voluntatis non invenitur; ergo furiosi et amentes baptizati durante eorum insania vere recipiunt Baptismi effectum, licet ipsum non intendant, nec susceptioni assentiantur, et si ad sanam mentem revertantur, cogendi sunt vivere secundum legem Christianorum.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 2.] furiosus et amens aut non utitur nunc ratione, nec aliquando fuit eius compos, ut si talis extitit a nativitate; aut non utitur nunc ratione qua olim pollebat. Hac distinctione praemissa, dicendum, si amens non fuit usus aliquando ratione, nihil obstare quominus statim baptizari queat; nam is perinde se habet ut parvulus, hoc tantum discrimine, quod si speratur ipsum ad sanam mentem reversurum, et ab insania curandum, expectandum est tempus illud ut maiori cum reverentia suscipiat Sacramentum, nisi forsitan ex aliqua ingruente necessitate expediat aliud consilium capere, et illico baptizare. Si autem nulla sit spes de eius curatione, et malum videatur insanabile, statim est illi Sacramentum Baptismi conferendum, quia nemini Deus praeclusit viam ad salutem.

Quod [*Oxon.* ib.] si postquam usus fuit ratione in amentiam incidit, et hoc distinguendum est: nam vel cum erat rationis compos animum gerebat suscipiendi Baptismum, vel nolebat eo initiari. Et si illius susceptioni assentiebatur, et nullo habito contrario actu, amens effectus sit, est baptizandus, quia est habitualiter consentiens; quandoquidem numquam suscipiendi Baptisma actum retractasse supponitur. Si vero antequam insaniret dissentiebatur, et eo actu non revocato, amens evasit, non est baptizandus, quia iudicandus est simpliciter dissentiens, perinde ac si actu dissentiret, quia cum usu rationis excidit actum dissentiendi habebat. Et si contingeret hunc baptizari, quoniam revera Sacramentum non suscipit, si ad sanam mentem reverteretur, esset iterum baptizandus, contraria nolitione per oppositum actum prius retractata. — Sed expedit ne huiusmodi furiosos baptizari? [*Oxon.* ib.] Multa enim licent quae non expediunt, ait Apostolus, 1. *Corinth.*, c. 6. — *Respondeo,* si spes aliqua sit furiosum rediturum ad sanam mentem, expedit id temporis expectare. Sicuti si dormiens foret baptizandus, expediret tempus vigiliae praestolari. Et si furiosus habeat quaedam lucida intervalla, ea momenta sunt attendenda, atque tunc baptizandus. At si nulla supersit sanitatis spes, expedit talem baptizare, si alias sit Baptismi capax, scilicet si immediate antequam insaniret positivum dissensum non habuit erga Baptismi susceptionem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo ex dictis; quia si baptizandus a nativitate insaniit, est Baptismi capax, ut parvuli. Si aliquando habuit

rationis usum, et voluit baptizari, censendus est habitualiter consentiens. Si secus contigerit, dictum est non esse baptizandum, tamquam Baptismi incapacem. Sed propter duo priora membra, *respondeo ad probationem, et dico,* [*Oxon.* ib. n. 6.] Baptismum magis proprie esse adoptionem in filium quam matrimonium, quia parvulus dici non potest proprie matrimonium contrahere, cum non utatur ratione, cuius usus necessario requiritur ad omnem contractum; et in adoptione sufficit solus actus adoptantis, quamvis nullum actum habeat adoptatus.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 6. — d. 6. q. 6.] si furiosus baptizandus habuit interdum rationis usum, ipsum debere esse habitualiter consentientem; sed si numquam eo usu potitus est, non esse necessarium ex parte eius assensum aut intentionem, ut nec in parvulis. — *Et cum dicitur,* sunt illa necessaria ministro; ergo etiam suscipientibus. *Ad hoc dictum* fuit supra *art.* 7. et respondeo etiam nunc, quando ad actum humanum concurrunt plures causae, ipsam quoque causam secundam seu minus principalem oportere praeditam esse iis omnibus, quae per se pertinent ad rationem agentis; inter ea autem est quoque intentio, qua ad agendum tale agens determinatur. At *intendere* non est quid necessario requisitum ex parte suscipientis inquantum tale, et ideo universaliter in suscipiente Baptismum non requiritur intentio ut in ministro. Sed si in aliquibus requiritur, ut in adultis ratione utentibus, est quia Deus nolentes non vult iustificare, ne hominibus contemptui sit gratia Dei.

AD TERTIUM dictum est, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 2.] neminem debere Baptisma conferre amentibus et furiosis, si prius persuasum habeant sibi ipsis non esse recipiendum Baptismum, quia eo actu non retractato, perperam et nulliter daretur Baptismus, eique fieret maxima iniuria, et minister graviter peccaret. Si constat ergo de tali actu, non potest conferri, nisi notum sit illum iam per contrarium retractatum fuisse. Quod si non constet elicitum esse ab eis actum nolendi recipere dum erant sanae mentis, sentiendum est talem voluntatem eos numquam habuisse, et secundum hanc persuasionem minister potest illis Baptisma conferre, nec errabit etiamsi revera amens fuerit in sententia non suscipiendi Baptismum, quam revera suo damno immedicabilique iactura non susciperet; sed minister interim erit a culpa immunis, cum illum quem indignum non esse novit dignum debeat aestimare. *De scrut. in ord. sac.,* cap. unico.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM ADULTUS RATIONIS COMPOS, NEC CONSENTIENS POSSIT RECIPERE EFFECTUM BAPTISMI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 4. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 12. in solutione.

VIDETUR invitus, seu recusans baptizari haud suscipere effectum Baptismi. Nam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 1.] in Baptismo emittitur votum saltem implicite abrenunciandi satanae, et adhaerendi Deo: sed nemo

invitus vel renuens emittit votum, nec si emittat ad eius observantiam obligatur; ergo non consentiens non recipit effectum Baptismi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Ex Augustino, *De Bapt. contra Donatistas,* lib. 4. cap. 22. sicut patrinus respondet pro parvulo, ita adultus respondet pro seipso: sed si patrinus non consentiat, parvulus pro quo respondet non baptizatur; ergo nec adultus renuens baptizari Sacramentum Baptismi recipere potest.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Magis videtur baptizando nocere propria malitia, quam ministri baptizantis: sed si baptizans non intendit Sacramentum conferre, non subsistit Sacramenti perfectio; ergo multo magis requiritur ad Baptismi validitatem, ut recipiens assentiatur; ac per consequens non consentiens minime recipit effectum Baptismi.

CONTRA, [*Oxon.* ib.] *De Bapt., et eius effect.* cap. *Maiores: Qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat Baptismi suscipit Sacramentum, talis (sicut et is qui ficte ad Baptismum accedit) characterem suscipit Christianitatis impressum, et ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observationem fidei Christianae;* ergo absolute non volens recipit Sacramentum Baptismi.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 3.] aliquem non consentire susceptioni Baptismi posse intelligi vel *contrarie,* vel *negative.* Sicuti enim aliud est nolle, aliud non velle, ita vel potest habere actualem dissensum vel contrariam volitionem susceptioni ipsi, vel tantum non habere actualem assensum. *Contrarie* igitur non consentiens, aut dissentit *simpliciter,* aut *secundum quid,* quemadmodum proiiciens merces in mari ut evadat incolumis simpliciter volens proiicit, quia voluntas tantum a seipsa determinatur; et secundum quid est nolens, quia nollet proiicere, si alia via posset evadere. *Tunc dico,* [*Oxon.* ib.] *contrarie* non consentientem, et simpliciter nolentem Baptismum, non recipere effectum eius, si vi baptizetur, quia Deus non vult aliquem omnino invitum adscribi familiae suae, cum dicat per Sapientem, *Proverb.* 23.: *Filii praebe mihi cor tuum.* Per Baptismum autem adscribimur familiae Christi; ergo simpliciter nolens inter Christianos computari revera Christi Sacramentum non suscipit. Intelligendum est autem, quod si huiusmodi simpliciter nolens prodat suam voluntatem signis exterioribus, reclametque Baptismi collationi, non potest per Ecclesiam cogi ad Evangelii observantiam, quam se nolle amplecti protestatus est. At si non reclamet, et simpliciter dissentiat, esto Baptismi effectum non recipiat, foretque rebaptizandus, si novam voluntatem induret, nihilominus potest ab Ecclesia compelli ad observanda ea, quae in Baptismo visus est se servaturum promisisse. Neque subinde est Ecclesia culpanda quod huic inferat vim et iniuriam; quia cum eius iudicium sit de manifestis, et iste non reclamaverit, videtur assensum praebuisse. Et alioquin minus malum est sibi, ut invitus servet legem Christianam, quam sibi impune permitti agere contra eam; minus enim malum est vel invitum aliqua benefacere, et mala devitare, quam libere et impune mala agere, et bona dimittere.

Verum [*Oxon.* ib. n. 4.] si simpliciter assentiatur Baptismatis collationi, intendatque recipere quod eo in actu praestat Ecclesia, quamvis *secundum quid* dissentiat, nempe ut redimat molestias, vel ut evitet

exilium, vel bonorum iacturam, simpliciter talis est baptizatus, et cessante illa nolitione *secundum quid,* non est iterum baptizandus, quia simpliciter Baptismum suscipere voluit, et ideo suscepit. Et de his loquitur Concil. Tol. IV. quod allegatur c. *Maiores, De Bapt. et eius effect.: Illi,* inquiens, *qui iampridem ad Christianitatem coacti sunt, quia iam constat Sacramentis divinis associatos, oportet ut fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides quam susceperunt contemptibilis habeatur.* Qualiter autem possit quis consentire in illam ablutionem ut ab Ecclesia confertur ad vexationes effugiendas, et tamen nolle, quia non credit quicquam valere ad salutem, dictum est supra *art.* 10. *et q.* 64. *art.* 8.

Haec dicta sunt de non consentiente *contrarie.* [*Oxon.* ib.] Sed quid si non consentiat tantum *negative,* non habens scilicet consensum actualem? *Dico,* hunc recipere Sacramentum si virtualiter consentiat; ut enim fuit declaratum supra *q.* 64. *art.* 8. *in incid.* Deus non obligavit hominem ad impossibile vel ad nimium difficile, sicuti est non distrahi, cum non sit in nostra potestate quin visis tangamur, secundum Augustinum, 3. *De lib. arb.*; ergo verisimile non est voluisse obligare hominem in susceptione Baptismi sub ista conditione, ut actu intendat illum suscipere; ergo sine actuali consensu, modo virtualiter consentiat, quis recipit Baptismi perfectionem et veritatem, sicuti illa virtualis intentio satis est ad aliorum perfectionem Sacramentorum. Utrum autem valide conferatur Baptisma habitualiter tantum consentienti, declaratum fuit supra *art.* 7.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 6.] respondeo, vota illa quae emittunt adulti in susceptione Baptismatis spectare ad eius solemnitatem, non necessitatem; ad hoc autem ut quis ad voti observantiam obligetur sufficit libertas simpliciter, licet sit coactio *secundum quid.* Caeterum voluntas assentiendi collationi Baptismatis, et intendendi accipere quod per illum actum Ecclesia vult conferre, satis est ut veritas eius Sacramenti habeatur.

Ad secundum, [*Oxon.* ib.] concedo, Ecclesiae Catholicae consuetudinem esse laudabilem, quatenus non confert Baptismum adultis utentibus ratione nisi verbis exprimant se velle baptizari, et recipere quod ipsa dare intendit. Caeterum si non respondeant, simpliciter nihilominus Baptisma conferri potest, ut dictum est de parvulis, amentibus, et dormientibus, et etiam si quisque nolit respondere, modo non prodat se non habere assensum, ipsa Ecclesia habet talem pro baptizato, recteque ad Evangelii observantiam compellit.

Ad tertium respondeo: [*Oxon.* ib.] in ministro potest intelligi duplex malitia: vel quatenus minister est non intendens facere quod Ecclesia eo in actu facit; vel malitia concomitans, ut quia est in peccato mortali. *Prior malitia* impedit perfectionem Sacramenti, sed posterior non impedit. In eo autem qui Baptismum suscepturus est, si adultus sit et compos rationis, non requiritur consensus actualis, nec necessarius virtualis, sed sufficit habitualis, ut expositum est *in solutione,* quia intentio et consensus non est per se suscipientis inquantum huiusmodi, ideo non pares conditiones exigit suscipiens, quas requirit perfectio ministri.

QUAESTIO SEXAGESIMANONA.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectibus Baptismi.

Et circa hoc quaeruntur decem.

1. Utrum per Baptisma auferantur omnia peccata. - 2. Utrum per Baptismum liberetur homo ab omni poena. - 3. Utrum Baptismus auferat poenalitates huius vitae. - 4. Utrum per Baptismum conferantur homini gratia et virtutes. - 5. De effectibus virtutum, qui per Baptismum conferuntur. - 6. Utrum etiam parvuli in Baptismo gratiam et virtutes accipiant. - 7. Utrum per Baptismum aperiatur baptizatis ianua regni caelestis. - 8. Utrum Baptismus aequalem effectum habeat in omnibus baptizatis. - 9. Utrum fictio impediat effectum Baptismi. - 10. Utrum recedente fictione baptismus obtineat suum effectum.

ARTICULUS I.

UTRUM PER BAPTISMUM TOLLANTUR OMNIA PECCATA.

Doctor, Oxon. 4. *d* 4. *q.* 5. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *art.* 1.

¶ VIDETUR per Baptismum haud tolli omnia peccata. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3.] instrumentum non operatur ultra intentionem agentis principalis, instituentis, et utentis eo: sed Baptismus est quoddam instrumentum institutum a Deo in statu naturae lapsae in remedium peccati originalis, sicuti erat Circumcisio in Lege Mosaica, cui Baptismus successit; ergo tantum peccatum originale delet, non vero actualia si inveniat.

2. PRAETEREA. Aliud est peccatum originale, aliud actuale; illud enim contrahimus per naturalem propagationem, absque ullo propriae voluntatis motu; hoc vero committimus per motum voluntatis avertentis se a Deo et convertentis ad creaturam: sed diversorum morborum aliae et aliae sunt medicinae; ergo non delentur omnia peccata per Baptismum, sed actualium medicina est Poenitentiae Sacramentum ad hoc a Deo institutum et provisum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 3.] Ambrosius super cap. 11. *Ad Roman.*. *Gratia,* inquit, *Dei in Baptismo non requirit gemitum vel planctum, vel aliquod opus, sed omnia gratis condonat:* igitur tollit omnia prorsus peccata, quae in anima invenit.

RESPONDEO ergo, dicendum in suscipiente Baptismum deleri omnia omnino peccata quae insunt, per gratiam quam largitur Deus iis, qui rite utuntur eo signo ab se instituto. Etenim dicit Apostolus *ad Galat.,* 3. [*Oxon.* ib. n. 1.] *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis:* Christum autem induere est ipsi per charitatem incorporari, fierique membrum eius. Et quia Christum pariter induunt quicumque post Baptismum peccantes cum ipso in gratiam redeunt per Poenitentiae Sacramentum, aliter induere Christum, qui Baptismum suscipiunt declarat idem Apostolus *ad Roman.,* 6. *Quicumque,* inquiens, *baptizati*

sumus in Christo in morte ipsius baptizati sumus. Quia enim ipse per mortem suam satisfecit pro peccatis totius mundi, suscipientes Baptisma commoriuntur cum Christo secundum vitam veterem, et novam vitam vivere incipiunt cum Christo, in quo per Baptismi regenerationem spiritualiter sunt renati. Si autem aliquid priorum peccatorum in nova vita retinuissent, non perfecte Christo commortui et consepulti essent: quod [*Oxon.* 4. d. 6. q. 7. n. 2.] si *in morte ipsius baptizati sumus,* quicquid erat ante regenerationem per Baptismum mortuum est, et consequenter per Baptismi gratiam omnia priora peccata deleta sunt, quae ad priorem attinebant vitam, nihil commune habentem cum regeneratione spiritualis vitae. Et hoc est quod dicit Augustinus, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 2. n. 2.] *Enchirid.,* cap. 34.: *A parvulo recenter nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur a Baptismo, ita nullus est qui non moriatur peccato in Baptismo.*

Ad Argumenta. Ad primum concedo, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2.] per se et primo Baptismum institutum fuisse in Lege Evangelica adversus peccatum originale, ut Circumcisio erat in Lege Moysis; verum quia Lex Evangelica est pro toto mundo lata, et subinde Baptismus est suscipiendus ab omni sexu et aetate, in adultis peccata actualia habentibus, si tantum originale delevisset, tunc simul in eodem fuissent gratia et peccatum, quod de lege ordinaria Dei non est possibile. Debuit ergo delevisse omnia peccata, quae inessent, ut ita ingredientes in Evangelicam Legem perfecte renascerentur in Christo, cum id abunde ipse promeruit per dirissimam passionem et mortem suam. — *Si dicas,* caetera peccata posse deleri in adultis per Poenitentiam, ergo non sequitur illatum absurdum; *Respondeo,* adulti rationis compotes ante Baptismum non sunt capaces aliorum Sacramentorum, ut dictum est *quaest. antec. a. 6.* licet requiratur bonus motus voluntatis in eis, quo vitam veterem detestentur, novamque incipere velint secundum Legem Christi. Sed etiamsi hoc in ipsis possibile esset, nihilominus in iis, qui insania laborant post usum rationis, et dormientibus est impossibile; et nihilominus si habitualiter consentiant, sunt Baptismi capaces, ut dictum est *quaest. anteced. art. ult.* — *Si iterum dicas,* per hoc quod habitualiter consentiunt sunt baptizati Baptismo flaminis, et ita actualia sunt deleta per motum proprie voluntatis; *respondeo* fieri posse, ut aliquis baptizatus baptismo flaminis, post in aliquod peccatum prolabatur, et demum insaniat, iste quoniam non revocavit propositum suscipiendi Baptismum est habitualiter consentiens, et Baptismi capax. Si ergo baptizaretur, simul esset gratia et peccatum, nisi per gratiam baptismalem omnia omnino tollerentur peccata.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 5.] adversus actualia esse utique institutum Poenitentiae Sacramentum, non absolute et simpliciter, sed pro iis peccatis quae post Baptismum committuntur. Pro talibus ergo est paratum remedium et auxilium in Sacramento Poenitentiae, veluti secunda tabula post naufragium, per quam ad portum delati, salvi fiant.

ARTICULUS II.

UTRUM PER BAPTISMUM LIBERETUR HOMO AB OMNI REATU PECCATI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 5. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *art.* 2.

VIDETUR per Baptismum non liberari homo ab omni reatu peccati. Nam [*Oxon.* 4. d. 46. q. 4. n. 8.] malum culpae ordinatur per malum poenae, unde dicit Boëtius, 4. *Prosa*, 4. *De Consol.: Infeliciores sunt improbi iniusta impunitate donati, quam iusta punitione puniti*, nempe quia deest illis tunc bonum reformans culpam, quod est poena. Si igitur per Baptismum auferretur omnis peccati reatus, privarentur baptizati ea bonitate, quae est, cum culpa per poenam ordinatur, quia nulla superesset poena infligenda, et culpa per poenam tantum emendari et corrigi potest.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 1. — q. 3. n. 2. — d. 4. q. 5.] Ablutio exterior significat purgationem animae a peccato originali, et etiam (si mavis) a peccatis actualibus: non significat autem liberationem ab omni peccati reatu; ergo non debet talis effectus Baptismo attribui. *Probatur consequentia:* quia effectus Sacramentorum invisibilis habet aliquam similitudinem, vel analogiam cum effectu visibili; sed effectus ablutionis extrinsecus non habet aliquam convenientiam cum liberatione ab omni reatu peccati; ergo non videtur id Sacramento regenerationis adscribendum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 3.] Ambrosius, super cap. 11. *ad Roman.: Gratia Dei in Baptismo non requirit gemitum vel planctum, vel aliquod opus, sed et omnia gratis condonat.* Quod exponens *Magister*, 4. d. 4. *lit.* F.; ait: *quod quidem de exteriori gemitu vel planctu accipiendum est; nam sine interiore nemo adultus renovatur; sed exteriores satisfactiones, et afflictiones, scilicet sordes poenitentium ibi dimittuntur.* Haec ille. Si nulla igitur accepta gratia baptismali, est necessaria exterior satisfactio, profecto nullus superest in baptizatis emundandus peccati reatus.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 9.] per Baptismum hominem liberari ab omni reatu peccati. Nam (ut dictum fuit *q.* 68. *art.* 5. *et* 6.) suscipientes Baptisma ita Christo incorporantur, ut vitam novam vivere incipiant, spectentque ad corpus mysticum eius, quod est Ecclesia, nullam habens maculam purgandam, quippe quae abluta sit in sanguine Sponsi sui, adeo ut noviter baptizatis, quantumvis peccatorum pondere gravatis, nulla sint opera satisfactoria imponenda, neque oporteat eos sua peccata Sacramentaliter confiteri. Quod si nulla opera satisfactoria ipsis sunt imponenda, profecto per Baptismum ab omni reatu peccati sunt liberati; quandoquidem peccatoribus nonnisi ut a reatu peccati absolvantur opera satisfactoria imponuntur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, *assumptum* esse verum, ubi culpa aut eius reatus reperitur, tunc enim revera ipsa est ordinanda et reformanda per poenam. At si alicubi nulla sit culpa, nec culpae reatus, nullus esse potest poenae locus. *Exemplum:* ad peccati originalis rea-

tum iuste sequitur mors, et rebellio partium inferiorum ad superiores: at si ex speciali privilegio non sit in aliquo filio Adae tale peccatum, nec eius reatus, non oportet in eo esse mortem in poenam, aut illam rebellionem, uti tenet Ecclesia de B. Virgine illo privilegio donata; cum igitur in Baptismate sepeliantur per Christi merita omnia peccata, sic ut baptizati perfecte renascantur ad novam vitam in Christo, nullus quoque superest eorum reatus peccatorum, qui sit inde delendus per poenas. — *Et cum dicitur* in argumento: culpa nonnisi per poenam ordinari et deleri potest; *respondeo,* Christum passum fuisse pro nobis, et sustinuisse illas poenas, quae nostris debebantur peccatis, et ideo meruisse ut in his, qui in ipso per Baptismum renascuntur, nullus remaneat reatus delendus mediantibus poenis.

AD SECUNDUM respondeo, ex dictis *q.* 66. *art.* 3. aquam non solum pollere ea proprietate qua significatur interior ablutio animae a peccato; sed etiam aliis, quibus reliqui subinde Baptismi effectus exprimuntur. Itaque abluit quidem corpus exterius, sed quia etiam suapte natura frigida est, ea qualitate veluti per symbolum significari, virtute Baptismi reprimi et coerceri carnis concupiscientiam, atque gratiam eo signo animae a Deo infusam esse sibi refrigerio, nec subituram poenas quas eius errata meruissent, sed alium, nempe Christum Dominum, qui gratiam nobis promeruit, in passione nostris reatibus debitas poenas persolvisse.

ARTICULUS III.

UTRUM PER BAPTISMUM DEBEANT AUFERRI POENALITATES PRAESENTIS VITAE.

Doctor, Oxon. 2. *d.* 19. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *a.* 3.

VIDETUR per Baptismum deberi auferri poenalitates praesentis vitae. Nam ex dictis *art.* 1. *et* 2. per Baptismum non solum delentur omnia peccata, originale scilicet et actualia, sed etiam liberamur a reatibus peccatorum, quibus peccantes ordinantur ad iuste persolvendas poenas pro culparum mensura; igitur nulla causa superest in baptizatis subeundi poenalitates praesentis vitae, adeoque per Baptismum debent auferri. Quod [*Oxon.* 2. d. 19. n. 1.] vero per peccata incidamus in poenalitates, patet ex illo *ad Roman.,* 3. *Per unum hominem intravit mors in omnes,* et c. 8. *Corpus propter peccatum mortuum est:* igitur per Baptismum liberamur a praesentis vitae poenalitatibus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 3. n. 1.] Donum Dei, seu gratia per Christum promerita maior est, quam Adae peccatum, ut patet *ad Rom.,* c. 5.: sed per Adae peccatum subivimus praesentis vitae poenalitates; ergo debuimus ab his liberari per Christi gratiam, praesertim in Baptismo collatam, qua liberamur a peccatis et a reatibus peccatorum.

CONTRA. [*Oxon.* 3. d. 18. — d. 20. n. 10. — d. 21. n. 1.] Christus caput nostrum pro nobis pertulit passionem et mortem; ergo debuimus easdem passiones et mortem pro nobis ipsis persolvere.

RESPONDEO dicendum, per Baptismum praesentis vitae poenalitates non debuisse auferri, etsi in habentibus quaevis peccata etiam ipsorum

deleat reatus. Nam quia vita aeterna corona est et praemium, reddi non potest nisi certantibus, vincentibus, et merentibus ipsam: meritum autem in arduo et difficili consistit post lapsum; quia enim Dei lex secundum affectionem iustitiae est, volentibus iuxta illam vivere nitendum est contra affectionem commodi, et contraria operari illorum, quae ipsa dictat et fieri cupit: [*Oxon.* 3. d. 18. n. 4.] semper autem haec cupit repraesentari quae sibi maxime congruunt, sicuti sunt quae spectant ad concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae, et ideo in hac vita contra illa perpetuo annitendum et progrediendum est humiliationibus, ieiuniis, vigiliis, et orationibus, quae et similia contra affectionem commodi sunt, in quibus et Salvator, [*Oxon* 4. d. 15. q. 1.] ut pro nobis mereretur, suo exemplo praeivit; non debuerunt ergo per Baptismum a nobis hae poenalitates auferri, ne materia sublata merendi, vel praemium aeternum amitteremus, vel cupiditatibus praesentis vitae intenti segniores ad vitam perpetuam desiderandam redderemur; quo et respexit Augustinus, 13. *De Civit. Dei,* c. 4. et ex ipso Magister sent. *loc. cit.: Si a poena,* inquiens, *homines per Baptismum liberarentur, ipsam putarent Baptismi praetium, non regnum aeternum.*

Ad Argumenta. Ad primum dico, eo bene probari posse non esse immunes a praesentibus incommodis per Christi gratiam, sicuti fuissemus si status innocentiae perstitisset, in quo ne in mortem quidem incidissemus; sed stante praesenti statu naturae lapsae, in quo liberati a peccatis et redempti sumus per Christi passionem et mortem, nec expediens nobis fuisset ab his poenalitatibus esse immunes, nec conveniens. *Non expediens,* quia nimia felicitate non solum subtracta esset materia merendi, sed etiam natura humana depravata pronior esset ad malum, et pene aeternae felicitatis oblivisceretur. *Nec conveniens* demum id fuit, quia cum iustus pro iniustis et malis tot tormenta et mortem sustinuisset, magis decebat et conveniebat hominibus ea tolerare. — *Et cum dicitur,* per peccatum nos incidisse in mortem et poenalitates; ergo eo ablato debent et ea quae illud consequuntur auferri; *respondeo* [*Oxon.* 4. d. 21. q. 1. n. 13.] (ut dictum fuit quoque *q.* 49. *art.* 3.) mortem voluntarie acceptam posse esse plurimum meritoriam, si principium merendi, quod est charitas, adsit, et non oportuisse nos ab ea liberari; fecisse igitur nobiscum Deum ut sapientes medici solent qui aegrotis subtrahunt quae praevidentur nocitura, et sinunt eos uti quae prodesse possunt eius praecepta servare volentibus.

Ex quibus patet ad secundum; probat enim Deum per Christi gratiam, quae sufficientissima fuit, potuisse nos eripere a praesentis vitae incommodis, quod verissimum est; at non probat factum fuisse, nempe quia nec nobis expediebat, nec conveniebat.

ARTICULUS IV.

UTRUM PER BAPTISMUM CONFERANTUR HOMINI GRATIA ET VIRTUTES.

Doct., Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *a.* 4.

Videtur per Baptismum non conferri homini suscipienti gratiam, et virtutes. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5. — d. 3. q. 1. n. 1.] Sacramenta id

efficiunt quod figurant: sed Baptismus figurat quidem ablutionem animae a peccato, non autem infundi gratiam et virtutes suscipientibus; igitur ille solum est effectus eius. — *Probatur minor,* quia etsi per externam corporis ablutionem significetur interius animam mundari a peccatis, non tamen ea datur intelligi aliqua infusio habituum spiritualium.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5.] Aliquis potest esse iustus sine Baptismate, ut legitur in Scriptura de Hieremia, et Ioanne Baptista. Et si aliquis ignoraret legem de Baptismate suscipiendo et recte viveret, is esset iustus; haberet ergo gratiam, et virtutes; igitur si postea ad Baptismum accederet, non acquireret gratiam et virtutes, quibus iam praeditum esse supponimus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 2. n. 2.] Habitus dat habenti prompte, delectabiliter, et faciliter operari: sed Baptismo initiatus parem difficultatem experitur in exequendis actibus virtutum, ac prius quum Baptismi gratia carebat; ergo nulli habitus supernaturales hoc Sacramentum suscipienti infunduntur.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Augustinus in *Enchirid.,* cap. 34. *A parvulo recenter nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur a Baptismo, ita nullus est, qui non moriatur peccato in Baptismo:* sed nullus moritur peccato nisi recipiat gratiam: gratia autem non stat sine caeteris virtutibus; ergo in Baptismo conferuntur homini gratia, et virtutes.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 3.] in Baptismate infundi suscipienti gratiam et virtutes. Etenim ex dictis *art.* 1. qui rite baptizantur ita Christo incorporantur, et fiunt membra eius, ut in ipso renascantur, incoepturi novam vitam secundum Legem Evangelicam. Corpus autem mysticum Christi, cuius sunt membra regenerati per Baptismum, est compactum et unitum cum capite Christo per fidem, spem, et charitatem; igitur nisi baptizatis infunderentur gratia et virtutes, non possent esse huius corporis membra, nec Christo capiti connecterentur: cum autem revera familiae Christi tales adscribantur, atque ad ipsum tamquam ad novae vitae auctorem pertineant, consequens est, ut recipiant gratiam et virtutes.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 2.] utique Sacramenta suo modo efficere quod significant, sed nego Baptismi Sacramentum praecise significare animae ablutionem; imo ultra alias proprietates, aqua, cum sit etiam lucida, recte significari intelligimus animae interius ablutae decorem et splendorem, qui inest ei ex infusione spiritualium habituum; quia [*Oxon.* 3. d. 36.] Deus ut in Baptismo facit animam Regni Caelestis haeredem infundendo gratiam, ita totam perficit et decorat per habitus supernaturales fidei et spei.

AD SECUNDUM respondeo sic: qui iustificatus accedit ad Baptismum accepit iam gratiam et virtutes per Baptismum flaminis, qui includit votum suscipiendi Baptismum fluminis, in cuius susceptione gratia prius accepta augetur. — Et cum *adducitur* casus nescientis legem de Baptismo suscipiendo; *dico,* hunc habere votum de Baptismo implicite, quia debet velle observare quaecumque Deus ei ostenderit servanda, et consequenter legem de Baptismo latam in Evangelio. Constat ergo hunc iustificari per merita passionis Christi, et ad Baptismi Sacramentum accedens, gratiam et virtutes per Sacramentum augentur. Quae si for-

tasse ad terminum pervenisse inveniantur, adhuc haberet meritum obediendo praecepto divino.

AD TERTIUM dico, tantum probare non posse nos ostendere, nec experiri ex ullis actibus inesse nobis habitus infusos, sed nonnisi nos id fide tenere, quae docet Deum nobis illos largiri in Baptismate, quia baptizati Christo incorporantur ac fiunt filii Dei adoptivi, et haeredes Regni, et Deus quos sanat et perfecit, perfecte et complete sanat, perficitque; et ideo tunc infundit quoque caeteros habitus supernaturales. Sed de hoc argumento iterum redibit sermo infra *art.* 6.

ARTICULUS V.

UTRUM CONVENIENTER ATTRIBUANTUR BAPTISMO QUIDAM ACTUS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 3. *q.* 3. — *d.* 4. *q.* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *a.* 5.

VIDENTUR minus convenienter attribui Baptismo quidam actus virtutum, sicuti est incorporatio ad Christum, illuminatio, et foecunditas. Siquidem [*Oxon.* 4. d. 4. q. 1. n. 2.] Baptismus ex praecepto Christi, ut patet *Matthaei ultimo,* non est conferendus adultis nisi credant; dicit enim: *qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit;* igitur oportet adultum prius credere credenda, et deinde est baptizandus: sed habens fidem est membrum Christi; igitur non est effectus proprius Baptismi incorporatio ad Christum, cum idem effectus per fidem obtineatur.

2. PRAETEREA. Ex dictis *q.* 68. *art.* 3. in adultis Baptismus est differendus quoadusque instruantur et illuminentur per doctrinam; ergo accedentes ad Baptismum iam sunt de credendis illuminati et instructi; igitur non illuminantur per Baptismi susceptionem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 4.] Per Baptismi susceptionem quisquis in Christo renascitur, ut vivere incipiat novam vitam ad praescriptum Legis Evangelicae: foecunditas autem non spectat ad passivam, sed ad activam generationem; igitur non videtur foecunditas Baptismo attribuenda.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9.] Baptismum suscipientes accipiunt signaculum Christi, et gratiam subinde qua revera anima a peccatis mundata, ut per externam ablutionem significatur, exinde secundum Christi mundata operetur. Sed et illuminationem Baptismo Dionysius attribuit cap. 2. *Eccl. Hierarch.,* part. 6.

RESPONDEO dicendum, omnino supradictos actus esse Baptismo attribuendos. Cum enim (ut frequenter dictum est) Baptismum suscipientes in Christo per charitatem renascantur, ipsumque induant, ut ait Apostolus, per consequens ipsi incorporantur, ac de plenitudine eius supernaturalia bona accipientes, ut membra corporis a capite, exinde novam vitam agunt, secundum spiritus novitatem. Qui ergo vivebant vitam veterem, secundum concupiscentiam ambulantes, per Baptismum foecundati, pariunt opera per gratiam susceptam, quibus operibus vita aeterna debetur; quare lumine divino se ostendunt perfusos, quia abiicientes opera tenebrarum, secundum lumen Evangelicae veritatis ambulant. Per Baptismum ergo, suscipientes Christo incorporantur, foecundantur, et illuminantur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, adultum ratione utentem priusquam baptizetur credere oportere. Sed si hic iam iustificatus est per habitus infusos, ac revera in se habet perfectos Baptismi effectus, dico accepisse eos ex voto, et desiderio suscipiendi Baptismum. Quod si tantum habeat fidem acquisitam, tunc Baptismi collatione conferri sibi a Deo et habitus supernaturales, sine quibus nihil dignum vita aeterna operari potest, et simul illuminari ad deserenda peccata, et amplectendas virtutes.

AD SECUNDUM respondeo sic: nulla prodest illuminatio exterior doctrinae nisi pariter interno lumine initiati illustrentur, quod fit per gratiam baptismalem, qua mediante et inclinante deserunt tenebras veteris vitae, et incipiunt vivere secundum lumen ostensum a Christo in Lege Evangelica.

AD TERTIUM patet ex dictis, quia foecunditas quae Baptismo attribuitur est respectu bonorum operum, quae in tantum bona sunt, et Deo accepta, quatenus procedunt a voluntate praedita charitate, in Baptismi susceptione sibi infusa.

ARTICULUS VI.

UTRUM PUERI IN BAPTISMO CONSEQUANTUR GRATIAM ET VIRTUTES.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *a.* 6.

VIDENTUR parvuli non consequi in Baptismi susceptione gratiam et virtutes. Gratia enim [*Oxon.* 4. d. 4. q. 2. n. 1.] non infunditur sine fide, *quia sine fide impossibile est placere a Deo,* Hebr., 5.: sed parvuli non recipiunt fidem. Quod *probatur primo* ex auctoritate Apostoli *ad Roman.,* 10. *Fides est ex auditu:* parvuli autem nequeunt ex auditu fidem concipere. *Secundo ratione:* habens habitum potest uti eo cum voluerit, modo non impediatur: parvulus baptizatus cum pervenerit ad usum rationis non potest uti habitu fidei; nequit enim exire in actum credendi articulos fidei; imo perinde se habet quoad hunc usum baptizatus et non baptizatus, et qui Baptismo est initiatus si inter infideles ageret eadem facilitate essentiretur eorum erroribus, qua non baptizatus, inter fideles tamen edoctus, atque instructus assentiretur dogmatibus fidei; ergo non acquiritur habitus fidei in Baptismi susceptione.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Ex habitu est facilitas et delectatio operandi iuxta illius inclinationem et influxum, ex 2. Ethic. adeo ut nemo facilius et delectabilius operetur contra habitum suum, quam iuxta inclinationem illius: sed parvulus baptizatus postquam fuerit adultus maiori facilitate et promptitudine dissentitur iis, quae Ecclesia credenda proponit, quam assentiatur illis, ut experimur; ergo habitum fidei non videtur habere.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Nemo recipit gratiam a Deo nisi aliquo modo sibi coniungatur; nam actualiter averso, et omnino indisposito Deus non dat gratiam: sed prima coniunctio ad Deum fit per fidem; ergo non habenti illam non datur gratia: parvulus ante Baptismum non habet fidem; ergo non datur ei gratia in Baptismo, et consequenter caeterae virtutes, *quia Dei perfecta sunt opera.* Deut., 23.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] August. in *Enchir.*, c. 33. *a parvulo recenter nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur a Baptismo, ita nullus est qui non moriatur peccato in Baptismo:* sed nullus moritur peccato nisi recipiat gratiam; ergo cum gratia non stet sine caeteris virtutibus infusis, non infunditur gratia a Deo in Baptismo sine illis.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 3. — d. 1. q. 6. n. 4.] pueros in Baptismo consequi gratiam et virtutes; at id esse tantum creditum, et nulla ratione naturali posse demonstrari, sicut nec ostendi potest habitus supernaturales animae inesse. Ut igitur est creditum in Baptismo peccatum originale dimitti, ita et creditum est gratiam infundi. Et quamquam absque ulla repugnantia possent peccata dimitti absque ullius gratiae infusione, quia tamen Deus de potentia ordinata statuit se nulli peccatum remissurum nisi quem acceptasset in filium, haeredemque regni effecisset, ideo neminem sibi reconciliat dimittendo peccatum nisi iustificando, et conferendo gratiam: nulli autem confert gratiam, nisi etiam infundat fidem, et spem, quia totum hominem decorat, et perficit, si sibi adoptet in filium; ideo quandoquidem certum sit ipsum dare gratiam suscipientibus Baptisma, nisi eorum indispositio obstet, et quoniam nulla talis occurrere potest in parvulis, fatendum est, eos in Baptismo gratiam et virtutes recipere.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 3.] etsi Deus posset infundere gratiam sine fide, de facto tamen non infundere parvulis gratiam sine habitibus fidei et spei. — Et *cum instatur* contra habitum fidei; *respondeo,* utique ea instantia, et ratione sequenti ex Philosopho probari minime nos ostendere posse eos habitus nobis inesse. Ad quod autem ii ponantur, et quomodo se habeant ad actus, dictum fuit 1. 2. *q.* 62. Breviter tamen dico nunc, etsi non probetur ex ullis conditionibus actus, sive generalibus, sive particularibus, habitus supernaturales nobis infusos fuisse; eos tamen dari docet fides, atque ita in Baptismo infundi credendum est.

AD ULTIMUM *dicitur,* [*Oxon.* ib. n. 4.] parvulum coniungi Deo per fidem parentum. *Ista responsio* non potest sustineri, quia si parentes essent haeretici, vel infideles, parvuli nihilominus eorum vere susciperent Sacramentum Christi, si rite baptizarentur. — *Sed respondent,* in eo casu coniungi baptizatum Deo per fidem Ecclesiae. *Contra* hoc, si per possibile, vel impossibile poneretur nullum fidelem reperiri in Ecclesia militante, et minister in conferendo Baptismate intenderet facere quod faciendum instituit Christus, vere baptizaret, et parvulus reciperet gratiam et virtutes.

Respondeo igitur ad argumentum, [*Oxon.* ib. — d. 2. q. 1.] de facto nulli dari gratiam, nisi per aliquam causam meritoriam, quae meretur coniunctionem eius primam cum Deo, eam autem causam meritoriam esse Christum, ultra quam non esse quaerendam, nec dari oportere aliam intrinsecam in ipso recipiente gratiam, qua coniungatur Deo priusquam habitus supernaturales recipiat.

ARTICULUS VII.

UTRUM EFFECTUS BAPTISMI SIT APERITIO IANUAE REGNI CAELESTIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 6. — *Report. ib. q.* 5. *prope finem S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *art.* 7.

VIDETUR aperitio ianuae caelestis non esse Baptismi effectus. Etenim ianuam regni caelestis aperuit nobis Christi passio exhibita, ex dictis supra *q.* 49. *art.* 5.; igitur non est Baptismi effectus ianuae caelestis aperitio. *Prob. consequentiae:* Baptismum instituit Salvator ante passionem suam, ut fuit determinatum *q.* 66. *art.* 2., quo subinde multos fuisse initiatos priusquam Christus pateretur verisimile est: sed si illi post Baptismum perceptum decessissent, non continuo potiti essent gloria caelesti; ergo ad Baptismum non sequitur aperitio ianuae regni caelorum, veluti eius effectus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6.] Ianuam regni caelorum clausit peccatum originale, quod in Adamo extitit actuale: peccatum autem originale perinde delebat Circumcisio in Lege Mosayca, ac deleat Baptismus in Lege Evangelica; igitur si Baptismo foret attribuenda aperitio ianuae regni caelorum, pariter et Circumcisioni esset attribuenda tamquam eius effectus.

CONTRA. Cum Salvator a Ioanne baptizaretur caeli aperti sunt; quo facto symbolice significatum fuit quid erat futurum in susceptione Baptismatis Christi, iuxta dicta *q.* 39. *art.* 5.; igitur effectus Baptismi Christi est aperitio ianuae regni caelestis; nam figurae veritas successit.

RESPONDEO, *q.* 49. *art.* 5. dictum fuisse Christum veluti causam omnimodam aperuisse nobis ianuam regni caelestis; ad id enim praestandum nemo sibi cooperari potuit. Sed ex divina ordinatione tantum pretium nostrae redemptionis persolutum, et exhibitum valuit. Illud autem Christus repraesentavit seipsum offerendo Patri in ara Crucis pro humano genere. Caeterum [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4.] arbitrandum non est, ingredi in regnum caeleste ita effectum Baptismi esse, ut nemo omnino illud potuerit ingredi, nisi per Baptismi Sacramenti susceptionem. Etenim post Christi mortem, et reditum ad Patrem in caelum, circumcisis in gratia decedentibus aperta erat ianua gloriae caelestis. Etsi pro tempore quo Circumcisio cum Baptismo cucurrit, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 13.] priusquam scilicet lex de Circumcisione fuisset abrogata, (ut dictum fuit, *q.* 66. *art.* 2. *incidenti*) Iudaeis licitum fuit circumcidi, quo facto delebatur eorum culpa originalis, et parvuli ita ex vita abeuntes salute potiebantur per merita exhibita Christi, nec obstaculum inveniebant ullum, quominus ad claram Dei visionem pervenirent. E converso vero si post Baptismi institutionem ante Christi mortem aliquis baptizatus decessisset, non continuo ipsi ianua regni patuisset, quia obstaculum hactenus non fuerat amotum, sed erat praecise tollendum per Christi mortem exhibitam, et mortis victor prior omnibus illuc ingredi debebat. In tantum igitur reclusio ianuae regni caelorum attribuitur potius Baptismati quam Circumcisioni, quatenus Baptismus cucurrit pro tempore quo ianua aperta est per Christi passionem

repraesentatam; Circumcisio autem non ita, sed tempus suum proprium fuit ante Baptismi institutionem, quamvis pro modico aliquo tempore simul cucurrerint, ut utrumque remedium adversus originale peccatum fuerit salubre, ut declaratum fuit *q.* 66. *loc. cit.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, utique sua passione et morte Christum nobis ianuae caelestis reclusionem promeruisse. Sed quia id profuturum non erat nisi illius merita nobis applicarentur, instituta sunt Sacramenta veracia, per quae descendant in rite suscipientes dona supernaturalia. Inter ea autem Sacramenta ad salutem necessaria Baptismus est praecipuum, sine quo non datur ingressus in regnum caelorum, ideo recte huic Sacramento attribuitur ille effectus, praesertim cum ab eo mundetur anima ab omni culpa et poena. Unde baptizatis statim fuit ianua regni caelorum aperta, cum in ipsis per Baptismum sublatum sit quicquid alias celerem gloriae consequutionem impediret.

AD SECUNDUM patet responsio ex dictis, cur magis Baptismo, quam Circumcisioni attribuendus sit iste effectus aperitionis ianuae caelestis; nam etsi medio Sacramento Circumcisionis applicabantur filiis Abrahae merita passionis Christi in deletionem culpae originalis, non secus ac per Baptismum, nihilominus hoc Sacramentum habet efficaciam a passione Christi exhibita, Circumcisio autem ab eadem ut praevisa.

ARTICULUS VIII.

UTRUM BAPTISMUS HABEAT IN OMNIBUS AEQUALEM EFFECTUM.

Doct., Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 7. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *a.* 8.

VIDETUR Baptismus non praestare omnibus suscipientibus aequalem effectum. Nam (ut dictum fuit *art.* 1.) Baptismus delet omnia peccata, quae in suscipiente invenit: sed in pueris est tantum originale, in adultis vero reperit etiam actualia, eaque ab anima depellit; igitur disparem in his Baptismus causat effectum. — *Et si dicatur* id esse, quia ex divina ordinatione gratia est incompossibilis cum peccato, et ideo minima gratia satis erat delendis omnibus mundi peccatis; sed non sequi, effectum, qui est gratia, esse inaequalem, quia fieri potest ut sit aequalis in omnibus; *contra,* hoc admisso, effectus est penitus aequalis in omnibus quod non videtur verisimile. — *Sed probatur sequela:* [*Oxon.* 4. d. 4. q. 7. n. 1.] effectus universim magis dependet a causa efficiente, quam a materia: et in proposito est ratio specialis; quia in ministro requiritur intentio, quae non est necessaria suscipienti: sed ministrorum inaequalitas nihil facit ad inaequalitatem effectus Baptismi, cum aequaliter conferant illum boni et mali, fideles et infideles, viri et mulieres; igitur multo minus ex inaequalitate suscipientium concludi potest inaequalitas effectus Baptismi in ipsis, si ea non sit attendenda ex maiori, vel minori numero peccatorum a Baptismi effectu delendorum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Baptismus confertur parvulis, et adultis: sed adulti necessario debent consentire actui collationis Baptismi, alioquin baptizandi non sunt: consentiendo autem, bonumque motum voluntatis habendo, merentur, ac subinde uberior gratia eis confertur; igitur in his Baptismus inaequalem habet effectum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Evenire potest ut adultus toto tempore quo sibi confertur Baptisma venialiter peccet: parvulus autem eius peccati est incapax; igitur intuitu Baptismi, Deus maiorem gratiam infunderet parvulo non peccanti, quam adulto, qui eo in actu venialiter peccat; igitur tali in casu inaequalem effectum Baptismi reciperet.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] 2. *De Anima*, text. com. 24. actus activorum sunt in patiente et disposito; igitur in magis disposito perfectior recipitur effectus, quam in minus disposito.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 5.] quoniam aequalitas vel inaequalitas effectus Baptismi potest attendi *vel ex parte ipsius Dei,* qui est causa principalis gratiae, *vel ex parte causae meritoriae* de condigno, qui est Christus, *vel denique ex parte ipsius suscipientis* Baptismum, de omnibus est videndum. Quantum igitur attinet ad suscipientes *dicendum:* qui Baptismo initiantur aut sunt *parvuli,* aut *adulti.* Et comparando parvulum ad parvulum, ex parte ipsorum nulla potest esse inaequalitas respectu gratiae suscipiendae. Quia regulariter nullum illi habent, vel habere possunt motum propriae voluntatis, quo magis vel minus valeant se ad gratiam disponere et praeparare; igitur in istis gratia baptismalis ex parte ipsorum erit aequalis. Fieri tamen potest ut in parentibus unius parvuli, vel in aliis ministrantibus, vel assistentibus, sit maior motus propriae voluntatis, cuius intuitu Deus conferat huic parvulo maiorem gratiam quam alii, non virtute quidem Sacramneti, sed ob merita parentum, vel ministrorum Sacramenti. Quo pacto forsan parentes S. Nicolai impetrarunt a Deo tantam gratiam, quae etiam in parvulo mirabiliter eluxit, qui duobus diebus in hebdomada unica tantum lactatione contentus erat. Quapropter optandum est, puerum baptizari a bono Sacerdote. Orationes etiam boni Sacerdotis quas praemittit Baptismo, et post eius collationem fundit ad Deum, exaudiuntur, et prosunt ei, pro quo fiunt. — Verumtamen quatenus adultis Baptisma confertur, quoniam isti per motum propriae voluntatis possunt esse inaequaliter dispositi, et in Sacramento Deus gratiam elargitur iuxta proportionem dispositionis in suscipiente, sequitur inaequalitas effectus. — Sic quoque inaequalis est Baptismi effectus si parvulus cum adulto comparetur. Quia enim parvuli nullum habent proprium meritum, adultus quantumcumque tenuem habeat voluntatem, dum tamen consentiat recipere Sacramentum, nec ponat obicem, aliquod videtur habere proprium meritum, et ita prae parvulo magis dispositus ad gratiam recipiendam; est ergo inter eos inaequalitas.

Postremo de causa principali et meritoria, quae sunt Deus, et merita Christi, videndum est an sit aequalis Baptismi effectus. Quantum igitur ad causam principalem sit PRIMUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 3.] *Ex parte causae principalis effectus qui confertur virtute Baptismi est regulariter aequalis;* nam Deus determinavit se cooperaturum isti signo, et collaturum gratiam rite Sacramentum suscipientibus; decrevit ergo se largiturum in aliquo determinato gradu, adeo ut nulli esset daturus minorem virtute illius signi; quatenus est efficax et certum. Quemadmodum igitur determinatio illa universalis quantum ad istum gradum est uniformis, ita et effectus aequalis in omnibus qui Baptismum iuxta Christi institutionem suscipere voluissent.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* ib.] quoniam ante determinationem illius signi per quod Deus confert gratiam illud in seipsis adhibentibus vel su-

scipientibus, fuit praedestinatio electorum ad diversos gradus gloriae, ordinato ad maiorem gloriam rationabiliter posset conferri maior gratia in Baptismi susceptione; nam potuit Deus in determinando veritatem et certitudinem huius signi disposuisse conferre alicui suscipienti praecise illam gratiam, quae requiritur ad certitudinem signi, et alteri maiorem, quem ad altiorem gloriam praedestinavit, ut esset sibi medium consequendi gloriam in gradu altiori. At ille ulterior gradus non conferretur virtute Baptismi, sed de speciali benevolentia divina; quae enim confertur virtute Baptismi est aequalis, sicuti est uniformis determinatio illius signi, per quod confert certum gradum determinatum gratiae, ita ut nemini det minorem gradum; igitur ille ulterior gradus esset ex speciali Dei determinatione, et etiam ex opere operato, et ita virtute Sacramenti, ut super ipsum fertur voluntas Dei specialis, qua praedestinatus est ad eum gloriae gradum.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 4.] ex parte causae meritoriae potest esse inaequalitas gratiae in suscipientibus Baptisma, tum respectu ipsius offerentis sua merita Deo pro praedestinatis, tum etiam quoad ipsam rem oblatam penes aliam et aliam applicationem eius. *Primum declaratur:* quia intellectus animae Christi communiter ponitur nosse omnia quae scit Deus scientia visionis; novit igitur futuritionem omnium electorum, et gradum gloriae, ad quem fuerunt a Deo praeordinati; ergo pro praedestinatis ad maiorem gloriam potuit plenius et efficacius obtulisse passionem suam, quam pro aliis minorem gloriam adepturis, praesertim cum obtulerit Patri passionem suam, ut de eis adimpleretur divina praedestinatio. — Ex parte autem ipsius passionis oblatae esse gratiae inaequalitatem, *declaratur:* [*Oxon.* ib.] nam illa passio efficacius cooperatur nobis in Lege Evangelica, quam cooperata sit Patribus in Lege Mosayca; quia obsequium praestitum magis acceptatur pro retributione amplioris boni, quam ut est tantum praevisum, uti praevisa erat Christi passio in Lege Moysi, quae modo est exhibita; igitur uberior et largior gratia datur suscipientibus Baptisma, quam data sit Israëlitis in Circumcisione; et consequenter ob aliam et aliam applicationem eiusdem causae meritoriae, vel meritorum eius est inaequalitas gratiae in illis, quibus diversimode applicatur. Et forsan eadem de causa maior gratia confertur suscipientibus Baptismum post Christi passionem, ac fuerit data illis, qui usi sunt eo Sacramento priusquam Christus pateretur.

QUARTUM DICTUM: [*Oxon.* ib.] etsi (ut ostensum fuit) possibile, et valde rationabile sit Christum obtulisse passionem suam efficacius et plenius pro praedestinatis ad maiorem gloriam, ex qua oblatione collata sit ipsis uberior gratia in Baptismatis susceptione, ita tamen reipsa factum esse, dubium est.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 1.-5.] concedo praemissam responsionem. — *Et cum impugnatur;* quia si non pendet inaequalitas a ministro, minus haberi ea potest a suscipiente; *respondeo,* Sacramentum magis pendere a ministro, ad hoc ut sit validum, quia in eo est necessaria intentio, qualis non est necessaria in suscipiente, qui non habet usum rationis. At vero ut Sacramenti effectus sit magis vel minus intensus plus dependet a baptizato, in quo potest esse maior vel minor ad gratiam dispositio.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. n. 5.] concedo esse inaequalem effectum

Baptismi in comparatione parvuli cum adulto ficte non recipiente Baptismum, ut *in solutione* extitit declaratum.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib.] peccatum veniale non prohibere gratiam infundi, nec efficere quin actus sit meritorius; quia tamen anima non potest pluribus actibus esse simul aeque perfecte intenta, actus bonus cum quo concurrit veniale est minus intensus, et ideo minus meritorius, quam foret sine illo veniali. Etsi igitur adultus habeat veniale, simul habet nihilominus actum meritorium quo in Baptismum movetur, qualis esse nequit in parvulis, et ideo ille maiorem recipit gratiam.

ARTICULUS IX.

UTRUM FICTIO IMPEDIAT EFFECTUM BAPTISMI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 5. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *a.* 9.

VIDETUR fictio non impedire effectum Baptismi. Nam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 1.] cap. 2. *ad Galat.* scribitur, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis:* sed nullus induit Christum nisi accipiendo gratiam, qua fit Christo conformis; igitur etiam ficte accedentes ad Baptismum recipiunt gratiam, quae est effectus Baptismi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si fictus non recipit gratiam, quoniam sine gratia baptismali nemo consequitur salutem, recedente fictione foret iterum baptizandus: hoc autem non admittitur, imo Ecclesiae praxis est ad oppositum; ergo fictio non impedit effectum Baptismi. *Probatio sequelae:* ficte accedens ad Poenitentiae Sacramentum tenetur ad poenitendum vere de eisdem peccatis; ergo pariter ficte accedens ad Sacramentum Baptismi esset iterum baptizandus, si effectum eius non reciperet.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Baptismus delet omnia peccata: sed fictio est grande peccatum; quia quis exhibet se tamquam idoneum suscipiendo Baptismo, cum revera sit indispositus; non enim huic displicet ante acta vita; ergo hoc pariter peccatum una cum aliis delebitur, aut Baptismus non emundat animam ab omnibus peccatis.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Augustinus, *De Poenit.*, cap. 2. *Omnis qui iam suae voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad Sacramentum fidelium, nisi poeniteat eum veteris vitae, novam non potest inchoare;* igitur stante fictione non recipit gratiam suscipiens Baptismum, per quem solummodo quis potest novam vitam in Christo inchoare.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 2.] cum fictus ille dicatur qui aliud ostendit exterius, aliud sentit et tenet in corde, aliquis in suscipiendo Baptismum potest esse *dupliciter* fictus. *Uno modo* si ostendat se velle recipere illam ablutionem eo modo, quo Ecclesia intendit conferre, et oppositum interim habet in animo; et talis, quia est simpliciter nolens, non recipit Sacramentum, ac propterea cessante fictione foret rebaptizandus. Quamquam Ecclesia iudicaret ipsum assensum praebuisse, eumque ad observantiam Legis Evangelicae compelleret, sicut cogeret ad assensum matrimonialem eum, qui dissentiens ei contractui, attentavit uxorem ficte ductam cognoscere. *Alio modo* quis dicitur ficte ad Baptismum accedere, qui simulans se esse dispositum, interius tamen indispositus est, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale in actu, vel

praeteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur. Et de ista fictione communiter loquuntur Sancti et Doctores de ficte baptizato disserentes. Dicendum est ergo, tali pacto ficte accedentem non recipere gratiam, qui est Baptismi effectus, quia habet actualem obicem ad gratiam, sicuti est infidelitas, aut aliud grave peccatum, cuius ipse non poenitet, et ideo est incapax recipiendi gratiam, qua incipiat novam vitam, ut dicit Augustinus *loco praeallegato*. Etsi ergo iste Baptismum Christi recipiat, per quod adscribitur familiae Christi, eiusque signaculo et charactere ornetur, propter quod non est iterum aqua baptismali intingendus, non recipit tamen gratiam per quam Christo incorporetur, ut membrum eius, fiatque habitaculum Spiritus Sancti, quia, ut scribitur Sapient. 1. *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum.*

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 9.] dicendum, quemlibet baptizatum induere Christum, quantum ad hoc quod Christi familiae adscribitur; at non semper induere Christum per charitatem. Et primum quidem indumentum potest dici commune omnibus de familia; at secundum est indumentum tantummodo filiorum Dei, et haeredum regni caelestis. Potest etiam dici, fictum secundo modo non esse baptizatum in Christo, sed in Christi nomine, quia non virtute Christi interius baptizantis.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 3.] accedentem ficte ad Baptismum ob indispositionem obstantem ne sibi gratia infundatur non esse rebaptizandum, quia Deus instituit Baptismum initerabilem, ne ob remissionem plenam, quae in eo fit et poenae et culpae, esset occasio hominibus saepius delinquendi. Quia tamen Deus nulli quotiescumque et qualitercumque labenti praeclusit viam salutis, oportet tunc eum suae fictionis serio poenitere, et accedere ad Sacramentum Poenitentiae. Quod remedium ut secundam tabulam post naufragium instituit Deus pro labentibus in quaecumque peccata post Baptismum. Quaerenti enim Petro (Matthaei, 18.) quoties dimitteret fratri peccatum, usque septies? Respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies,* imo secundum Augustinum, *usque millies millies.* Patet igitur huic via salutis per veram poenitentiam de ista fictione. Unde Augustinus, et ponitur *De Consecr.*, dist. 4. Canone 40.: *Tunc incipit valere Baptismus ad salutem cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae corde in malitia perseverante peccatorum ablutionem non sinebat fieri.*

Ad tertium dico, [*Oxon.* ib. n. 9.] Baptismum delere omnia peccata quae insunt toto illo tempore ante instans quo datur gratia per Baptismum; sed ficte accedenti non conferri, quia cum ex Dei dispositione non possint esse simul gratia et peccatum, ubi est peccatum et voluntas ad peccandum, ut in ficte accedente, est obex ad gratiam.

ARTICULUS X.

UTRUM FICTIONE RECEDENTE BAPTISMUS SUUM EFFECTUM CONSEQUATUR.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 4. *q.* 5. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 69. *art.* 10.

Videtur Baptismus non obtinere suum effectum recedente fictione in ficte baptizato. Siquidem Baptismus regulariter delet et abluit omnia

peccata quae invenit in suscipiente; non autem delet futura quae hactenus non insunt: sed si ficte accedens post Baptismi susceptionem committat alia peccata, illa non delentur per baptismalem gratiam, quia tunc per Baptismum non solummodo tollerentur quae insunt, sed etiam futura; igitur cum gratia et peccatum simul inesse non possint, recedente fictione Baptismus non obtinet suum effectum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. n. 5] Qui ficte Baptismo se subiecit, si postea accedat ad Poenitentiam, eo Sacramento deletur fictio: sed non potest deleri unum peccatum mortale quin omnia deleantur; quia secundum Augustinum, *impium est a Deo dimidiam sperare veniam:* ergo per Poenitentiam delentur omnia peccata quae invenerit in eo, qui ficte baptizatus est; ergo ea quae Baptismum praecesserunt non delet gratia baptismalis, sed Poenitentiae Sacramentum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 4.] Nullum peccatum mortale quod inest post Baptismum potest deleri sine Poenitentia: sed in casu quo quis pluribus irretitus sit peccatis de quibus omnibus habet attritionem, uno excepto, quod est sibi causa fictionis, illa quorum poenituit supersunt post Baptismum susceptum; ergo non delentur nisi per Poenitentiam; non igitur per gratiam baptismalem.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Augustinus, lib. 1. cap. 12. *De Bapt. contra Donatist.*: *Tunc valere incipit Baptismus ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae corde in malitia perseverante ablutionem non sinebat fieri peccatorum.*

RESPONDEO: veritas hic est certa; nam quicumque indispositus, vel tum actuali, vel habituali voluntate ad aliquod peccatum, Baptismi Sacramento initiari praesumpserit, characterem quidem recipit Christianitatis, at gratiam nequaquam; eam autem recipere potest, si de sua dolens fictione, ad Sacramentum Poenitentiae accesserit.

Sed difficultas non modica hic est, *quomodo recedente fictione valeat, et quid conferat Baptismus?* Numquid confert solummodo remissionem peccatorum fictionem antecedentium, an etiam gratiam baptismalem?

Et ponatur casus [*Oxon.* ib. n. 4.] quod ficte baptizatus habeat septem peccata mortalia, attritionem autem de sex, de septimo vero non atteratur, sibi complacens in illo; istud igitur fuit causa ficte suscipiendi Baptismum; oportet ergo talem vere poenitere de septimo, et in se (si singula peccata exigant proprium dolorem), et in quantum fuit causa eius fictionis. Eo igitur in casu videtur dicendum, septimum deleri peccatum per Poenitentiam, qua adhibita Deum causare gratiam baptismalem, non mediante iam impresso charactere, sed quatenus assistit infallibiliter signo a se instituto. Et sicut si fictio non obstitisset a principio delevisset omnia peccata, et eorum poenam remisisset per infusionem gratiae baptismalis, ita facere nunc eo quod fictionis impedimentum sit amotum. Et quemadmodum illa sex peccata ante Baptismum non cadebant sub Poenitentiae Sacramento, sed satis erat aversio ab illis, et dolor internus, ita nec cadere sub Poenitentia postquam fictio recessit, nec fortasse requirere novam attritionem praeter illam, quam supponimus habuisse ante Baptismum ficte baptizatum.

Secundo [*Oxon.* ib. n. 7.] potest res ita declarari dicendo, poenitentem de fictione recipere gratiam baptismalem, non quidem in se, sed in aequivalenti, pro quanto in Poenitentia infunditur sibi perfectior gratia,

quam esset illa, quae per solam Poenitentiam sibi daretur, adeo ut ea includat in se perfectionem utriusque gratiae, et baptismalis et poenitentialis, quia praestat utrumque effectum, quatenus delet antecedentia peccata ad Baptismum, et insuper ea quae in Baptismo infuerunt. Tunc itaque Baptismus nihil ex opere operato praestaret ficto, sed tantum esset in eo aliqua dispositio praevia, ob quam, recedente fictione, amplior sibi daretur gratia, quam si rite Baptismum suscepisset, et post de consimili commisso peccato poenituisset. Neque [*Oxon.* ib. n. 8.] ex eo quod gratia illi infusa aequivaleret quoque baptismali reportaret commodum ex sua fictione; nullum enim commodum inde ei obvenit, imo maximum detrimentum, quia tempore Baptismi, et sequenti usque ad Poenitentiam est filius gehennae, et omnia eius opera mortua sunt; quod sane sibi non accidisset, si in susceptione Baptismi fictio abfuisset.

Tertio tandem [*Oxon.* ib. n. 8.] posset propositum declarari, ponendo poenitentem de fictione recipere tantum gratiam virtute Poenitentiae, ac subinde non maiorem, quam si non ficte ad Baptismum accessisset, et post Poenitentiam resurgeret. Nam non videtur verisimile quod aeque poenitenti et de peccato aequali, vel minori non detur aequalis gratia: lapsus autem post Baptismum, licet quoad aliquid gravius peccaverit, quam fictus, tamen fictus quoad aliquid gravius peccavit, quia intulit iniuriam Sacramento.

At si ita res se haberet, quomodo salvarentur dicta Sanctorum dicentium, Baptismum habere suum effectum recedente fictione a qua impediebatur? — *Respondeo,* [*Oxon.* ib.] non oportere id ita intelligere quasi poenitens de fictione gratiam baptismalem recipiat; nam susceptio eius Sacramenti mortua fuit, et mortuus reviviscere non potest; sed quod talis suscipiens absolutus sit a praecepto de Baptismo suscipiendo, quia illud iam implevit, licet ea adimpletio minime sibi profuerit ad salutem ante Poenitentiam, ad quam ut accesserit evadit filius regni, et non obligatur amplius ad Baptismi susceptionem ut talis fiat. *Ex quo corollarie* infertur, posse quemadmodum adimplere praeceptum affirmativum, esto in tali actu vel in alio mortaliter peccet ut in casu, et in Sacramento confirmationis.

Ad Argumenta. Ad primum patet ex dictis; quia de peccatis post Baptismum commissis oportet quemque poenitere, ac satisfacere pro illis, quia proprium obiectum Poenitentiae sunt, et non delentur nisi per ipsam vel in voto vel in effectu repraesentatam.

Ad secundum [*Oxon.* ib. n. 5.] (quod directe fuit contra primum modum declarandi hanc difficultatem) *respondent aliqui;* utique Poenitentiam quantum est de se posse delere omnia peccata; tamen quando praevenitur ab aliqua causa potentiori non delet illa, quemadmodum in casu accidit; quia gratia baptismalis praevenit Poenitentiam quoad illa sex peccata, et ideo non delentur per gratiam poenitentialem, sed magis per baptismalem. — *Quae responsio non videtur rationabilis;* quia prius naturaliter tollitur fictio, quam per Baptismum aliquid causetur: in illo autem priori oportet fictum baptizatum habere veram poenitentiam, secundum Augustinum supra allegatum: vera autem poenitentia plene reconciliat Deo; ergo Baptismus non potest praevenire effectum Poenitentiae quoad delenda peccata, imo Poenitentia antecedit, ac praevenit Baptismum quantum ad omnia. — *Aliter potest dici:* [*Oxon.* ib. n. 6.]

utique perfecte vera Poenitentia reconciliat Deo, ac subinde nullum peccatum relinquit; sed tamen non omne peccatum quod infuit per se curat, sed tantum illud quod est poenitentiae ipsius obiectum, de quo nempe poenitens poenitet. Et quidem si omnia peccata sint commissa post Baptisma, omnia sunt Poenitentiae obiectum; at si secus accidat, ut in casu, non omnia sub Poenitentia cadunt. Dimittuntur ergo omnia peccata, sed partim per Poenitentiam, partim per Baptismum, et sic non dimidiata venia peccatorum, sed totalis habetur a Deo simul utramque gratiam infundente, et non prius unam quam aliam. Quando enim duae causae simul concurrunt, et una dependet ab alia respectu sui effectus, neutra prius causat, sed utraque simul. Et hic est huiusmodi dependentia, quia sicut dependet Poenitentia a Baptismo ratione peccatorum ipsum praecedentium, ita Baptismus a Poenitentia ratione fictionis; adhibito ergo signo externo Poenitentiae, seu prolata a Iudice sententia, in eodem instanti Deus causat utramque gratiam, et Baptismalem, qua delentur omnia peccata Baptismum antecedentia quoad culpam et poenam, adeo ut non oporteat de eis habere novam attritionem, nec confessionem, nec satisfactionem, et per Poenitentiam deletur fictio ob quam est satisfaciendum poenitenti.

Ad tertium potest dici, [*Oxon.* ib. n. 5.] peccata quorum poenituit, quia non deleta, post Baptismum ficte susceptum, infuisse; sed quoniam ea non fuerunt causa quin gratia infunderetur, sed tantum unum ex eis a quo fuit fictio, ideo congruum esse ut Baptismus, fictione recedente, suum effectum habeat respectu illorum quae essent deleta si fictio non adfuisset, et non respectu fictionis quae formaliter impedivit Sacramenti effectum; et tunc illa propositio: *Peccatum mortale post Baptismum non deletur nisi per Poenitentiam,* debet intelligi de peccato commisso post Baptismum, vel quod fuerit actualiter commissum in Baptismi susceptione, vel quod de ipso nulla fuerit antecedenter attritio.

QUAESTIO SEPTUAGESIMA.

DE CIRCUMCISIONE, QUAE PRAECESSIT BAPTISMUM, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de praeparatoriis ad Baptismum. Et *primo,* de praeparatorio quod praecessit Baptismum, idest de Circumcisione: *secundo,* de praeparatoriis quae concurrunt simul cum Baptismo, scilicet de Cathechismo, et Exorcismo.

Et circa primum quaeruntur quatuor.

1. Utrum Circumcisio fuerit praeparatoria et figurativa Baptismi. - 2. De institutione ipsius. - 3. De ritu eius. - 4. De effectu ipsius.

ARTICULUS I.

UTRUM CIRCUMCISIO FUERIT PRAEPARATORIA ET FIGURATIVA BAPTISMI.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 70. *art.* 1.

VIDETUR Circumcisio haud fuisse praeparatoria et figurativa Baptismi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2.] Christi Baptismatis fuit dispositio praevia ablutio Ioannis cum ad se accedentes baptizaret; igitur Circumcisio non potuit extitisse eiusdem praeparatoria, quia tunc Ioannes superflue baptizare instituisset; nam sufficienter per Circumcisionem homines Baptismo suscipiendo essent praeparati.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] Figurae Baptismi Legis Evangelicae magis videntur extitisse purificationes quamplures institutae a Moyse in Lege sua, quam Circumcisio; nam illae recte praefigurasse dici possunt purgationem perfectam animae a peccato per Baptismum repraesentandam; igitur non Circumcisio, sed legis veteris purificationes Baptismi Evangelicae Legis erant et figurativae et praeparatoriae.

3. PRAETEREA. Quaecumque praeparant, disponunt, et praefigurant, adveniente quod praefiguratum est, evacuantur atque evanescunt, ut figura cessat, cum facta fuerit veritas praefigurata: sed adveniente Baptismi veritate (in qua Christum baptizaturum praedixerat Ioannes. *Ioan.*, 1.) non cessavit Circumcisio; imo ipsi Discipuli et Apostoli Christi etiam post eius Ascensionem aliquando Circumcisionem adhibuisse leguntur in Actibus Apostolorum; igitur Circumcisio vere dici nequit fuisse Baptismi figura.

CONTRA. [*Miscell.* q. 6. n. 3. — *Report.* 4. d. 3. q. 4. n. 15.] *Lex paedagogus noster fuit in Christo,* Galat., 3.: fundamentum autem legis erat Circumcisionis Sacramentum, sicuti Baptismus est fundamentum Evangelii: per ipsum enim intratur in familiam Christi, fitque professio Legis Christianorum: sed lex extitit dispositio et praeparatio ad Evangelium, quo illa perficienda erat; ergo etiam Circumcisio fuit praeparatoria et figurativa Baptismi.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 1.] Circumcisionem fuisse praeparatoriam et figurativam Baptismi. Nam, ut ait Apostolus, 4. *ad Roman.: Et signum accepit* (Abraham) *Circumcisionis signaculum iustitiae fidei.* Quod signaculum [*Oxon.* ib. n. 2.] etsi fuerit datum Patribus ante Legem Mosaycam annis quadringentis, ex eo tantum habetur Deum voluisse Circumcisionem esse remedium contra culpam originalem, etiam ante legem latam in monte Sinai, in qua Lege Circumcisio confirmata fuit. Delebatur ergo in his qui circumcidebantur originale peccatum, et simul eam adhibentes profitebantur credere se in Mediatorem et Salvatorem venturum, a quo tamquam a causa meritoria erat ut Circumcisio prodesset ad salutem, quatenus Deus circumcidenti se conferebat gratiam propter Mediatorem venturum. Et hoc vult Apostolus cum dicit accepisse Abraham *signaculum iustitiae fidei*, quia per fidem quam protestabantur recipientes gratiam, iusti efficiebantur. Atqui pariter qui Baptismo initiantur protestantur se credere in eumdem Mediatorem quatenus venit, si sint adulti, aut si sint parvuli eum actum habere interpretatur Ecclesia, et elicere tenentur cum ad usum rationis pervenerint. Hinc consuetudinis Ecclesiae est Patrinos in Baptismo parvulorum adhibere, qui pro illis respondeant, ac profiteantur se credere in ea, quae a Ministro proponuntur. Sicut autem ipse Mediator unus est, ita et fides de ipso unica esse potest. Cum igitur Circumcisio protestatio fidei fuerit, et eiusdem fidei, quam nos in Baptismo profitemur, atque sicuti in Circumcisione gratia conferebatur, ita et in Baptismō confertur intuitu Mediatoris, qui eam promeruit; consequens est ut Circumcisio praeparatoria et dispositiva ad Baptismum extiterit, utpote posterius, et novissimum, ac perfectissimum remedium, ultra quod non est aliud expectandum in praesenti vita pro curando vulnere peccati originalis, et etiam aliorum, si sananda seu pellenda repererit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, quemadmodum citra omne inconveniens ad eamdem formam plures praecedere possunt dispositiones, ita idipsum posse pluribus figuris praesignari. Et porro emundatio animae a peccato facienda per Christi adventum, eiusque Legis Sacramenta non unica figura praesignata fuit, sicuti et ipsius Christi immolatio in Cruce. Ioannis ergo [*Oxon.* ib.] Baptisma praeparabat ad suscipiendam externam corporis ablutionem Circumcisio vero disponebat ad credendam internam animae ablutionem; ab originali, et a quavis alia macula, quae infuisset. Cui enim persuasum erat virtute Circumcisionis dimitti culpam originalem, de facili quoque credebat potiora dona in Baptismo a Deo conferri, quia priori remedio succedebat; quod quidem conveniens erat, veluti illius perfectio et complementum.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. et 6.] concedendo eas legales purificationes praesignasse purificationem animae a peccatis faciendam in lege nova per Christi Sacramenta, et praesertim mediante Baptismatis lavacro. Sed tamen excellentius id figuratum fuisse in Circumcisione, quae extitit legis Mosaycae proprie Sacramentum, non item aliae caeremoniae legales diversis peragendae purificationibus. Ideo propria Baptismi figura fuit Circumcisio, sicuti imperfectius recte potest dici et esse perfectioris figura.

AD TERTIUM respondeo ex dictis, *q.* 62. *art.* 2. *in incidenti*, haud decuisse Circumcisionem abrogari statim ac Baptismus institutus est, quia

debebat Synagoga cum honore sepeliri, et ut ostenderetur legem Mosaycam bonam extitisse pro tempore suo.

ARTICULUS II.

UTRUM CIRCUMCISIO FUERIT CONVENIENTER INSTITUTA.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 70. *a.* 2.

VIDETUR Circumcisio minus convenienter fuisse instituta. Nam [*Oxon.* 3. d. 25. n. 9.] (ut patet *art. praeced.*) Circumcisionem subeuntes profitebantur credere se in Mediatorem venturum, de cuius mediatione fiebat ut a peccato originali curarentur: sed pro omni tempore et statu post lapsum fuit necessaria ad salutem fides in Mediatorem, sicuti necessaria fuit fides in Deum Creatorem; ergo convenientius instituta fuisset statim post lapsum Adae, quam tempore Abrahae, vel cum data fuit lex Moysi.

2. PRAETEREA. Circumcisio erat Baptismi praeparatoria et figurativa: sed Baptismus est pro omnibus indifferenter nationibus; ergo pariter Circumcisio debuit extitisse omnibus communis; igitur aut non fuit Baptismi figura, contra id quod dictum est *art. praeced.*, aut non erit convenienter instituta.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 2.] In Circumcisione profitebatur legis Mosaycae observantiam, iuxta illud ad Galat., 5.: *Testificor rursus omni circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae,* sicuti in Baptismo profitemur Evangelium observare, cuius Baptismus est Sacramentum; ergo non debuit Circumcisio institui annis quadringentis ante legem, sed in ipsa lege, sicuti Baptismus tempore legis Evangelicae institutus fuit.

CONTRA. Circumcisio data fuit a Deo Abrahae, et confirmata in lege Moysi, ex *art. anteced.*; ergo convenienter instituta.

RESPONDEO, [*Oxon.* 3. d. 38. n. 12.] convenientissime Circumcisionem datam fuisse Abrahae. Cum enim sit Circumcisio professio fidei in Mediatorem, ut patuit *art. praeced.*, et ad Abraham facta fuerit repromissio de Christo venturo, et nascituro de semine eius, *in Isaac,* inquit, *vocabitur tibi semen, et in semine tuo benedicentur omnes gentes terrae, Genes.,* 21. 22.; hinc ut significaretur eo signaculo Mediatorem de progenie eius nasciturum, atque ad eos potissimum spectare fidem habere in illum, Abrahae primum datum fuit praeceptum de subeunda Circumcisione, non tamquam in ipso desitura, sed duratura in posteris eius in sempiternum, nempe quoadusque perfectius institueretur remedium, profuturum non filiis Abrahae tantum, sed etiam universo generi humano, quod est Baptismus Christi, primum in lege Evangelica Sacramentum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7.] concedo, pro quovis statu et tempore fuisse necessariam fidem in Mediatorem. Exinde autem sequitur, pro quovis statu exhibitum a Deo fuisse aliquod remedium ad salutem generi humano, quod etiam concedo. Nam in lege naturae videntur Patres eam fidem professi in sacrificiis quibusdam, quae credendum est eos iussu divino instituisse, quandoquidem Scriptura

dicat Deum illorum sacrificia gratanter acceptasse, ut patet *Genes.*, 4. 8. et 14. Illis igitur Sacrificiis emundabantur ab originali adulti, et parvuli eorum per fidem in Sacrificiis professam. Verum quia ad eos non fuit a Deo facta revelatio de Messia venturo ex semine ipsorum, sed Abraham primum id a Deo accepit, hinc convenientius in Abrahamo, quam in aliquo antecedentium Patrum latum fuit praeceptum de Circumcisione.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 2. seqq.] eo probari excellentiam Baptismi prae Circumcisione, ut legis Evangelicae respectu legis Mosaycae; sed non concludi Circumcisionem aut non fuisse Baptismi praefigurativam, aut minus convenienter esse institutam. Nam quia Evangelium est lex gratiae et lenitatis, quod et dicit Salvator, Matthaei, 11. *Iugum meum suave est, et onus meum leve,* non debuit pro gente aliqua determinata ferri, ut lex Mosayca data fuit iis, qui de Abraham trahebant originem, quos subinde, et non alios obligabat; sed magis totum genus humanum complecti, atque ita continere Sacramentum, in quo ederetur professio legis istius lenis et gratiae, omnibus commune facile et periculorum expers, ne qui difficultatibus deterrerentur se subiicere legi Christianorum. Id Sacramentum Baptismus est, quia tanta facilitate conferri, et suscipi potest citra omne periculum, quale concomitabatur Circumcisionem. Verumtamen quia de stirpe eorum quibus erat iniunctum ut circumciderentur, nasciturus erat Christus, convenientissime fidem venturi Mediatoris sese Circumcisioni subiicientes prae aliis profitebantur.

Ad tertium dico, quia Baptismi institutio ad omnes mundi pertinebat nationes, quibus lex Evangelica annuncianda erat, conveniens fuit in ipsius Evangelii primordiis institui; iam enim orbis abundabat hominibus, ad quos lex illa, eiusque Sacramenta erant perventura. Sed quando fuit data Abrahae Circumcisio ipse solus, filiusque eius Ismaël et vernaculi domus ipsius et quidam emptitii domum Abrahae conflabant, Isaac adhuc in expectatione erat. *Gen.*, 17. propterea expectandum congruum tempus fuit, quo multiplicati iuxta Dei promissionem essent qui legem acciperent, et servarent, et ideo nec expectanda erat lex pro Circumcisione, nec Circumcisio differenda pro lege.

ARTICULUS III.

UTRUM RITUS CIRCUMCISIONIS FUERIT CONVENIENS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 70. *a.* 3.

Videtur Circumcisionis ritus non fuisse conveniens. Etenim [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 1.] pro circumcidendo puero erant expectandi dies octo, ut patet Lucae, 2. *Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer:* sed priusquam transirent dies octo ab ortu puerorum multi peribant, et ab aeterna salute excludebantur; igitur eiusmodi ritus minus congruebat fini a Deo intento in institutione Circumcisionis.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib.] Ille ritus est conveniens institutioni Sacramenti, per quem repraesentatur ut in signo Sacramenti proprius effectus: sed ex ritu Circumcisionis hoc non habetur; ergo non est tali

Sacramento conveniens. *Probatio minoris:* Circumcisio tantum signat ablationem, et non aliquid positivum animae collatum; non est enim tali in facto nisi ablatio partis a toto.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Cum daretur Circumcisio Abrahae, et confirmaretur in lege, instituta est per abscissionem carnis praeputii, *Genes.*, 17. et 4. ad Roman. Ritus hic abscindendi carnem praeputii non videtur probandus; unde et nihil tale iussit Salvator fieri in lege Evangelica; ergo non est conveniens.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Augustinus, lib. 2. *De Nup. et Concup.*, cap. 11.: *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei, ad purgationem huius peccati veteris, valebat magnis et parvulis, sicut Baptismus valere coepit ex quo institutus est;* ergo ritus circumcidendi filios Abrahae congruebat effectui, ad quem repraesentandum Deus tale Sacramentum instituit.

RESPONDEO dicendum, [*Report.* 4. d. 3. q. 4. n. 9.] dubitari non posse, quin Deus auctor Sacramentorum veteris et novae legis modo convenientissimo, tum iis pro quibus instituebatur, tum significandae rei, quam efficiebant, ea instituerit. — *Declaratio:* quamvis ritus Circumcisionis ad solos spectaret masculos Hebraeorum, nec foeminae tenerentur ad eius legis observantiam, cum tamen Baptismi tam mares, quam foeminae sint capaces, atque hoc novae legis Sacramentum in materia confertur communiori, uti est aqua, et citra omne vitae discrimen, quando Circumcisio fieri non poterat sine magno dolore circumcisi patientis abscissionem carnis praeputii sui; ac denique uberior gratia confertur in Baptismatis lavacro, quam in Circumcisione, propterea quod merita Christi exhibita praestantiorem tribuant Sacramentis novae legis efficaciam, quam eadem praevisa; haec nihilominus omnia declarant excellentiam Baptismi supra Circumcisionem; sed exinde nihil detrahitur illius perfectioni, et ritus convenientiae quo gerebatur, quod magis patebit ex solutione obiectorum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 1.] respondeo, propterea Deum mandasse, ut post dies octo circumcideretur puer, ne recenter nati periculo mortis exponerentur, uti evenisset si mox carnis praeputii praecisionem pati debuissent. In Baptismate autem abest omne tale discrimen; si enim timeatur ne recenter natis frigida noceat, tepida aqua ablui queunt. Quod vero passi Circumcisionem multo dolore afficiantur, argumento est, quod Deus noluit Israëlitas per desertum aberrantes circumcidi, ne forte in procintu movendorum Castrorum dolore pressi ab itinere retardarentur. Atque eadem de causa filii Iacob, ob stuprum illatum Dinae sorori eorum a Principe Sichimitarum, cum Sichimitis per dolum persuasissent ut circumciderentur, quo connubia mutuo iniri possent, tertia die Circumcisionis, quando gravissimus vulnerum est dolor, aggressi, omnes masculos contrucidarunt, urbemque exciderunt. *Genes.*, 34.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* ib. n. 13.] ipsa in collatione Baptismi, quoad actum exteriorem, non significari nisi quamdam deletionem immunditiae corporalis; et tamen negari non posse, alium praeterea esse effectum eius positivum. Ita etiam in Circumcisione sentiendum, nempe alterius effectus in anima causam extitisse, esto ipsa aliud non fuerit, quam ablatio partis a toto, iuxta ritum a Deo institutum.

AD TERTIUM dicendum, [*Oxon.* ib. n. 1. — 3. d. 25. n. 9. — d. 38. n. 1.] propterea Deum instituisse Circumcisionem fieri per ablationem carnis praeputii, ut foret *signaculum iustitiae fidei,* ut ait Apostolus, 4. ad Roman. Nam quoniam revelaverat Abrahamo de semine eius nasciturum Christum, in quo benedicendae erant omnes gentes, ideo praeputium voluit id signaculum praeseferre, per quod Circumcisis persuasum esset teneri magis explicite, quam caeterae nationes ad credendum adventum Mediatoris ex genere Abrahami nascituri. Atque etiam per ipsam Circumcisionem deleri originale peccatum quod contrahitur per naturalem propagationem.

ARTICULUS IV.

UTRUM CIRCUMCISIO CONTINEBAT GRATIAM IUSTIFICANTEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 6. — *Report. ib. q.* 5.
S. Thom. 3. *p. q.* 70. *a.* 4.

VIDETUR Circumcisio non contulisse gratiam sanctificantem, ut conferunt Sacramenta, ex opere scilicet operato. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 1.] Augustinus *super tit.* Psal., 37.: *Ut quid Deus repulisti in finem. Illa,* inquit, de Sacramentis veteris legis, *tantum promittebant, et signabant; haec autem* (scilicet Sacramenta novae legis) *dant salutem;* igitur non conferebant gratiam iustificantem. Et idem videtur dicere Glossa super illud ad Roman., 4.: *Signaculum accepit Circumcisionis; peccata,* inquiens, *ibi solum dimittebantur, sed gratia ad bene operandum adiutrix non praestabatur.*

2. PRAETEREA. Sacramentum non causat nisi quod signat: sed Circumcisio tantum signat ablationem partis a toto, et non aliquid positivum; ergo nec causat.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Augustinus, lib. 2. *De Nuptiis, et Concup.,* c. 11. et lib. 4. contra *Donat.,* cap. 24.: *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei ad purgationem huius peccati veteris, valebat magnis et parvis, sicut Baptismus valere coepit ex quo institutus est.* Quod profecto non esset, nisi in ea collata fuisset gratia. Item Beda super illud Lucae, 2. *Postquam consummati sunt dies octo. Idem,* inquit, *salutiferae curationis auxilium Circumcisio in lege agebat, quod Baptismus tempore gratiae agere consuevit.*

RESPONDEO dicendum, Deum in Circumcisione gratiam contulisse sanctificantem ex opere operato. Etenim, [*Oxon.* ib. n. 2.] ut constat ex auctoritatibus Sanctorum, in Circumcisione delebatur culpa originalis, sicuti deletur in lege Evangelica per Baptismum. Ut enim non baptizati non possunt introire in regnum Dei, ita dictum fuit de filiis Abrahae, *Genes.,* 17. *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quae comminatio numquam ponitur nisi ad designandam transgressionem peccati mortalis. Et id quidem convenientissimum fuit; quia Deus nullo tempore reliquit genus humanum sine remedio necessario ad salutem: non potest autem quisque ad salutem pertingere cum peccato originali; ergo decuit Deum instituisse aliquod remedium contra

ipsum in lege Mosayca: talis autem fuit Circumcisio. Etsi Deus voluerit etiam illud remedium valere ante legem Moysi, quia Circumcisionem dedit Abrahae ante legem in monte Sinai latam. Sed ex hoc sequitur, Deum infudisse gratiam sanctificantem in Circumcisione. — *Et probatur:* [*Oxon.* ib. n. 4. seqq. — n. 9.] quia tametsi potentiae absolutae Dei non repugnet remittere peccatum, et non infundere gratiam, iuxta leges tamen a divina sapientia praescriptas, ipse non potest culpam remittere nisi gratiam elargiatur illi, cui peccata dimittit; quia decrevit post lapsum Adae nullum esse medium inter gratum, qui est filius regni munere gratiae sanctificantis, et peccatorem, qui est filius carceris; igitur neminem liberat a culpa, nisi cui dat gratiam: liberavit autem ab originali utentes Circumcisione a se instituta; ergo infundebat gratiam; quam principalius ipse intendebat. Agens autem secundum rectam rationem principalius intendit perfectionem, quam carentiam defectus, quae sequitur ex collata perfectione.

Pro auctoritatibus Sanctorum, [*Oxon.* 4. d. 1. n. 10. seq.] quae adductae sunt, et adduci possunt in contrarium, dico, Sacramentum posse *dupliciter* accipi, *proprie* scilicet, et *improprie*. Et multa quidem Sacramenta improprie dicta fuisse in lege Mosayca patet ex tot purgationibus, expiationibus, et oblationibus hostiarum in ea descriptis, edito mandato ut servarentur, quae omnia proprie caeremoniae erant, at improprie Sacramenta, idest non causabant gratiam in exercentibus sese in illis ex opere operato, sed per modum meriti; sicuti enim eas caeremonias negligentes peccabant, et nonnumquam mortaliter iuxta illas comminationes, Num. 15. et 19. *Qui praeterierit lustrari se de aqua praedicta, peribit anima illa de populo suo;* ita religiose Deo obtemperantes merebant gratiae augmentum si ex charitate operabantur. At Sacramentum proprie dictum illud intelligitur, quo confertur gratia ex opere operato, nec requiritur in suscipiente bonus motus interior, quo gratiam quis promereatur, sed satis est si suscipiens non ponat obicem ad gratiam. Huiusmodi erat Circumcisio, quae delebat originale, et iustificabat circumcisos, et ideo erat proprie Sacramentum. Sancti ergo qui id negasse visi sunt, intelligebant de Sacramentis improprie acceptis.

Quod si qui eorum de Circumcisione hoc etiam expresse negarunt, *respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 11.] intellexisse comparative ad Baptismum, ad quem sane comparando Circumcisionem videri potest gratiam non contulisse, quia modicam conferebat. *Vel dico,* gratiam non causasse, quia non dabatur tunc ut immediata dispositio ad gloriam, qualis est baptismalis, cui statim aperitur ianua regni, licet id non fuerit ex defectu Circumcisionis, ut dictum fuit, *quaest. antec. art.* 7. — *Vel tandem* dico, non contulisse gratiam, quia non universaliter cuicumque suscipienti. Fortasse enim determinabatur ex sui institutione ad certum gradum gratiae, ultra quem aliam producere non poterat. Unde si invenisset iustificatos iam pertigisse ad illum gradum gratiae, fuisset quidem Circumcisio signaculum exterius, at nihil interius operari potuisset. Et ita fortasse evenit Abrahae insigniter Sancto cum iussus fuit circumcidi, quia [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 4.] gratia quam habebat transcenderat illum gradum, quam ex opere operato ipsi Circumcisio contulisset; nam negari non potest ipsum eo actu obedientiae non meruisse gratiae augmentum, sed non ex vi Circumcisionis, sed per modum

meriti. At in Baptismi susceptione semper augetur gratia ex virtute Sacramenti, nisi pervenerit ad terminum, ut videtur pervenisse in B. Virgine in conceptione Filii sui, et tunc quoque additur meritum, praecepto divino ex charitate obediendo.

AD INDUCTAM RATIONEM *respondeo,* [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 13.] ipsum etiam Baptismum quoad actum exteriorem non significare nisi quamdam deletionem immunditiae corporalis; non propterea tamen negandum esse habere alium effectum positivum, scilicet gratiam baptismalem; ita et de Circumcisione dicendum. Effectus itaque gratiae collatae in Baptismo et in Circumcisione proprie est ablutio animae a peccato, ex quo sequitur alius, qui est acceptatio ad aeternam vitam.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAPRIMA.

DE PRAEPARATORIIS QUAE SIMUL CONCURRUNT CUM BAPTISMO, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de praeparatoriis, quae simul concurrunt cum Baptismo.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Catechismus debeat praecedere Baptismum. - 2. Utrum Baptismum debeat praecedere Exorcismus. - 3. Utrum ea quae aguntur in Catechismo et Exorcismo aliquid efficiant, vel solum significent. - 4. Utrum baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per Sacerdotes.

CIRCA *hos quatuor Articulos nihil speciale occurrit adnotandum ex Doctore; sed circa solutionem* art. 1. *videnda quae dicta sunt* quaest. 68. art. 3. *Quia sicut parvuli erudiendi sunt cum ad usum rationis pervenerint de iis, quae sunt necessaria ad salutem, primo per Ecclesiae Pastores, qui id muneris sibi desumpserunt, deinde per proprios parentes, et tandem in horum defectu per eos, qui parvulos de sacro fonte levarunt, ita si baptizandi sunt adulti, eorum Baptismati est necessario praemittendus Catechismus, quo saltem de potioribus Christianae religionis, quam professuri sunt, necessariis, pro eorum captu imbuantur.*

Circa tertium vero articulum fatendum est in Ecclesia catholica esse veram et realem potestatem exorcizandi et expellendi daemones, et ideo quae geruntur ab Exorcista non solum significare, sed etiam efficere quod facere intendit.

Ad quartum quod attinet, videnda quaest. 67. art. 2.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASECUNDA.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de Sacramento Confirmationis.

Et circa hoc quaeruntur duodecim.

1. Utrum Confirmatio sit Sacramentum. - 2. De materia eius. - 3. Utrum sit de necessitate Sacramenti, quod Chrisma fuerit prius per Episcopum consecratum. - 4. De forma ipsius. - 5. Utrum imprimat characterem. - 6. Utrum character Confirmationis praesupponat characterem Baptismi. - 7. Utrum conferat gratiam. - 8. Cui competat recipere hoc Sacramentum. - 9. In qua parte. - 10. Utrum requiratur aliquis qui teneat confirmatum. - 11. Utrum hoc Sacramentum per solos Episcopos detur. - 12. De ritu eius.

ARTICULUS I.

UTRUM CONFIRMATIO SIT SACRAMENTUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *a.* 1.

VIDETUR Confirmatio non esse Sacramentum, signum scilicet sensibile efficaciter significans gratiam ex institutione divina. Nam non legitur in sacra Scriptura Christum huiusmodi Confirmationis Sacramentum instituisse, seu ut institueretur Apostolis, aut quibusvis aliis mandasse; reputari igitur debet hominum, vel Ecclesiae inventum, et per consequens efficaciter et infallibiliter non significare gratiam; quia tunc tantum signum est efficax et infallibile, cum eius institutor potest illi unire significatum: nemo autem potest gratiam causare nisi Deus; ergo Confirmatio non est Sacramentum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 2.] Sacramenta instituta a Deo ordinantur ad salutem hominum viatorum: sed sine Confirmatione quisque potest adipisci salutem; nam, ut scribitur Matthaei ultimo: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;* ergo Confirmatio non est Sacramentum.

CONTRA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] *De Consec.*, dist. 5. cap. 1.: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post Baptismum Spiritum Sanctum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur;* igitur Confirmatio est unum ex Ecclesiae Sacramentis, quo Christo configuramur, pleneque Christiani efficimur.

RESPONDEO, Confirmationem esse Sacramentum, significans nempe efficaciter gratiam, eamque causans ex opere operato. Cum enim tanto lex Evangelica sit lege Mosayca perfectior, quanto veritas ipsa manifestata est excellentior umbris et figuris ipsam praesignantibus (*Gratia etenim et veritas per Iesum Christum facta est*), consequenter homo pro observanda lege ista perfectissima maximis adiutoriis indigebat, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] et quoad gratiae ipsius abundantiam, qua

adiuvaretur et perficeretur et inclinaretur ad obtemperandum mandatis eius legis, et quoad pluralitatem et multiplicitatem huiusmodi auxiliorum. Quemadmodum igitur indigebat adiutorio gratiae, quo abiecta vetustate veteris vitae, renasceretur in Christo, victurus iuxta eius legis mandata, quod fieri in Baptismate declaratum fuit *in antecedentibus,* ita opus habebat alio adiutorio, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 12.] quo roboraretur in Evangelii perfectione, quove se vitam Christianorum agere non erubesceret modo, sed etiam ipsam defendere et tueri contra impugnantes et extraneos valeret. Et istud adiutorium est Confirmationis Sacramentum, quo confertur gratia rite suscipientibus, et robur ad fortiter, et constanter confitendam fidem, quam in Baptismate susceperunt. Et potest hoc Sacramentum ita describi: [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 1. — *Report.* ib.] Confirmatio *est unctio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio numquam usi, facta in fronte in figura Crucis cum chrismate sanctificato, et hoc a ministro idoneo, simul cum intentione debita inungente, et verba certa proferente, significans efficaciter ex institutione divina unctionem animae per gratiam roborantem ad confitendam cum constantia fidem Christi.* Cuius descriptionis particulae patent ex dictis de Baptismatis ratione. Hic enim [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 2.] pariter potest distingui de materia proxima et remota: haec siquidem est *chrisma* compositum ex oleo olivae et balsamo, et sanctificato specialiter ab Episcopo, vel alio idoneo ministro. Proxima vero est *unctio* facta in fronte in figura Crucis cum chrismate sanctificato. Forma autem est ista: *signo, vel consigno te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, vel sanctificationis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Suscipiens* est homo viator aliqualiter consentiens, si sit rationis compos, at secundum determinatam partem, nempe *in fronte.* Minister est *Episcopus,* vel aliquis alius minister idoneus, qui debet simul formam verborum proferre et ungere, simultate scilicet morali, ut dictum fuit de hoc in materia de Baptismo. *Significans efficaciter* exprimit formale in isto Sacramento, cuius relationis materia est unctio cum verbis. *Unctionem denique interiorem* est correlativum eius, quod est formale in isto Sacramento.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 3.] supponendum esse hoc Sacramentum institutum fuisse a Christo; et quidem ipsum instituisse videtur, quando (ut habetur *Ioann.,* 20.), insufflavit, et dedit discipulis Spiritum Sanctum. Vel in die Pentecostes, quando misso Spiritu Sancto in linguis igneis confirmabantur. Aut dico, fuisse sane a Christo institutum, licet tempus et modus institutionis in Scriptura non legatur; forte quia Historiographi Scripturam usque ad illud tempus non produxerunt. *Vel denique* dico, verisimile esse multa Christum tradidisse auctoritative Ecclesiae per Apostolos, quae in Scripturis non leguntur, ut ait Damascenus, *lib.* 4. *cap.* 4.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] et concedo, Confirmationis Sacramentum non esse simpliciter necessarium ad salutem, quia per solum Baptismum possumus salvari, ut patet ex auctoritate praeallegata Matthaei. Verumtamen adulto est ita necessarium, ut non contemnat eius susceptionem, quia confirmari contemnens non est plene Christianus, ut ait Glossa, *De Sacra Unctione.*

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISMA SIT MATERIA CONVENIENS HUIUS SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *art.* 2.

VIDETUR Chrisma non esse conveniens materia Confirmationis. Etenim [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.—*Report.* ib. n. 2. et 4.] si Christus Sacramentum hoc instituit quando insufflavit et dedit Discipulis Spiritum Sanctum, vel quando in die Pentecostes misso visibiliter spiritu Veritatis Apostolos confirmavit, ipse certe chrismate non fuit usus; imo nec Apostoli, qui (ut legitur in *Actibus*) confirmabant, non chrismate ungentes, sed per impositionem manuum; igitur Chrisma non est materia Sacramenti Confirmationis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 3. — *Report.* ib.] Confirmationis Sacramentum quodammodo Baptismum perficit; roborat enim et confirmat baptizatos, ut fidem quam professi sunt valeant propugnare et confiteri; igitur debet Baptismati conformari, sicut perfectivum suo perfectibili: sed Baptismi materia est sola aqua naturalis et simplex, nulli alterius naturae liquori immista; ergo materia Confirmationis non est convenienter composita ex oleo olivarum et balsamo, ut dictum fuit *art. antec.*

3. PRAETEREA. Balsamum difficillime invenitur, quia tantum uni terrae Iudeae concessum; ergo minus convenienter fuit hoc Sacramentum in Chrismate institutum, in sui compositione balsamum requirente; ob difficultatem enim illud inveniendi posset eius Sacramenti in Ecclesia cessare usus.

CONTRA. *De sacra Unctione,* cap. un. § *Scire: Ad exhibendam autem exteriorem, et visibilem unctionem, benedicitur oleum, et conficitur Chrisma, quod ex oleo fit et balsamo, mistica ratione. Per oleum enim nitor conscientiae designatur; per balsamum odor famae exprimitur;* igitur Chrisma est conveniens huius Sacramenti materia.

RESPONDEO dicendum, convenientissime in Chrismate Confirmationis Sacramentum institutum fuisse. — *Declaratio:* tunc Sacramentum censendum est convenienter institutum esse, cum sensibile signum significat, et habet analogiam cum invisibili effectu, quem Deus ad positionem signi in suscipiente causat: Confirmationis autem Sacramentum est ad confessionem, et confirmationem fidei; qui actus necessario refertur ad illos, coram quibus fides debet confiteri, confirmari, et tueri. Ad quem effectum Chrisma appositam habet convenientiam. Chrisma quidem componitur ex oleo et balsamo. Oleum autem [*Oxon.* 4. d. 23. n. 5. — d. 7. q. 1. n. 8. — *Report.* ib. n. 3.] non solum nitidum est, verum etiam caeteris supereminet liquoribus, estque materia proxima incendii. Nitore itaque significatur castitas et munditia. Per hoc autem quod supereminet aliis liquoribus, et de facili flammam concipit, exprimit gratiam et charitatem, quae est principalis huius Sacramenti effectus, per quam confirmatus debet ardere amore Dei et proximi. Balsamum autem mire odoriferum significat famam bonam, iuxta illud 2. *ad Corinth.*, 2.: *Christi bonus odor sumus Deo.* Balsamo etiam corpora mortuorum condiuntur, ne putrefiant; ideo significat quoque incorruptionem. Complete igitur Chrismate significatur debere confirmatum pollere munditia, et

charitate, bonaque fama apud omnes nitescere, quia sine istis non est multum authentica confirmatio et professio vitae christianae, quae ludibrio magis haberetur, si professores eius et praedicatores et defensores factis repugnarent illis, quae ipse docet, aliisque persuadere nititur. Ex quibus patet quam convenientissime in Chrismate ex oleo et balsamo composito Sacramentum Confirmationis sit institutum.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3. — *Report.* ib. n. 4.] Christum non alligasse potentiam suam in Sacramentis, et ideo sive in terris agentem, sive post Ascensionem in caelum, potuisse confirmare Apostolos, idest, tribuere ipsis Confirmationis effectum, non adhibitis eius Sacramenti materia et forma. In primitiva etiam Ecclesia potuit cum Apostolis iuxta de causa quoad hoc dispensasse, praesertim cum in Confirmatione quam impertiebantur occurrebant signa quaedam sensibilia divinitus facta, sicuti erat descensus Spiritus Sancti super confirmatos in forma ignis, aut aliis modis, et donum linguarum. Sed nihilominus cessantibus talibus miraculis, Ministri, de Sacramenti huius necessitate, debuerunt et debent suam materiam et formam servare. Certissime enim in hac materia et forma fuit a Christo institutum, esto tempus et locus eius institutionis ignoretur. De quo etiam dictum fuit *art. antec.*

Ad secundum nego *consequentiam;* quia [*Oxon.* 4. d. 6. q. 4.] enim Baptismus est spiritualis in Christo regeneratio, et apprime necessarius, congruum fuit in simplici aqua institui, quo scilicet parabilior esset, et subveniri posset de aeterna salute periclitantibus, et quia egregie significatur per ablutionem externam, animae mundatio a sordibus peccatorum. At quia Confirmationis Sacramentum est ad confessionem et confirmationem fidei, quod [*Report.* 4. d. 7. q. 2.] publice, et coram quibuscumque est faciendum, quoties id necessitas exegerit, non solum oportebat per signum sensibile significari sanctificationem animae confirmati per gratiam signatam, sed etiam in eo exprimi multiformis virtus Spiritus Sancti, chrismatum per gratiam inhabitantis, et praebentis robur, vitae candorem, et innocentiam, et fidei catholicae zelum; et ideo ad significandum multiplicem effectum, multiplex, et non simplex debuit esse huius Sacramenti materia.

Ad tertium dicendum, balsamum inveniri etiam apud indos, eius generis arbusculum ferente solo. Inde igitur ad nos deportatur. Accedit, quod nec uvarum ex quibus exprimitur vinum est ferax omnis tellus, nec propterea quis negaverit vinum esse convenientem Sacrificii incruenti materiam. Satis est ergo balsamum aliunde posse afferri eo ubi non nascitur, praesertim cum modica portio huic Sacramento sufficiat, nec Confirmatio paris sit necessitatis, ac Baptismus.

ARTICULUS III.

UTRUM SIT DE NECESSITATE HUIUS SACRAMENTI, QUOD CHRISMA FUERIT PRIUS PER EPISCOPUM CONSECRATUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *a.* 3.

Videtur non oportere Chrisma prius per Episcopum consecrari. Nam [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] aqua est Baptismi materia, sicuti Chrisma Con-

firmationis: sed aqua absque ulla praevia consecratione est sufficiens Baptismi materia; ergo etiam Chrisma non consecratum erit sufficiens materia Sacramenti Confirmationis, et ita non de necessitate Sacramenti Chrisma per Episcopum consecratur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 2. n. 1.] Secundum Augustinum, *Homil.*, 81. super Ioann. *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum;* ergo per verba a Christo instituta sanctificatur materia, quae assumitur pro confectione Sacramenti; ergo materiae Sacramenti opus non est alia sanctificatione, quae superflua videretur.

CONTRA. Stat communis sententia Patrum Antiquorum asserentium. Chrisma illud debere esse per Episcopum consecratum; ex quo recte infertur id esse de necessitate Sacramenti. Nam Dionysius, c. 5. *De Eccles. Hierarch.: Divini confectionem,* inquit, *ungenti* (divinum vocat consecratum) *et sanctam Altaris consecrationem, divinorum Pontificum efficacibus facultatibus, divina institutio attribuit.* Tertullianus, *De Bapt.*, c. 7.: *Egressi,* inquit, *de lavacro inungimur benedicta Unctione.* Idem Cyprianus asserit Serm. *De Unctione Chrismatis,* et Epist. 70. Sed et Gregorius, lib. 9. *Epistolar.*, Epist. 6. aliique passim.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] Christum consecrasse suae mundissimae carnis contactu omnem aquam in usum Baptismi, quemadmodum et omnem panem et vinum in usum Eucharistiae, cum divinissimum illud Sacramentum ipsemet conficiendo, eamque materiam pertractando instituit, aptam materiam eius declarasse omnem panem et vinum. Cum autem non usus aliquando fuerit materia illa Confirmationis, ut materia eius Sacramenti est, quia non constat illud in praedicta materia et forma contulisse, ideo iure requiritur in ipsa specialis consecratio, prius quam apta et idonea materia Sacramenti sit. Accedit etiam valde rationabilis congruentia. Cum enim Baptismus sit simpliciter necessarium Sacramentum, ut ea de causa voluerit Deus a quovis ministro debitam habentem intentionem posse conferri, si requireretur aqua consecrata, cum haud faciliter posset haberi, nec esse communis, ut minister, profecto salus multorum periclitaretur, et ea de causa multi sine Baptismo decederent, et perirent.

AD SECUNDUM patet ex dictis. Quia enim Christus auctor Sacramentorum huius Sacramenti materiam non consecravit, iussit id perfici per principes Ecclesiae, quales sunt Episcopi, ut est Apostolica traditio perpetuo in Ecclesia servata.

ARTICULUS IV.

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA HUIUS SACRAMENTI *CONSIGNO TE SIGNO CRUCIS.*

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *a.* 4.

VIDETUR non esse conveniens forma. Quamquam enim [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3.] Christus, qui non alligavit potentiam suam signis illis sensibilibus ab se institutis, potuerit tribuere quibus volebat Confirmationis effectum, Spiritum scilicet Sanctum, a quo acciperent robur et constantiam profitendi et defendendi fidem in Baptismo susceptam; nihilominus Apostoli debuissent eam servare in hoc Sacramento administrando, sicuti ser-

vasse constat in Baptismi collatione, et Eucharistiae confectione: Sed illi hac forma usi non sunt; siquidem Scriptura pluries testatur in Actibus, eos confirmasse baptizatos manuum impositione; igitur illa non est conveniens huius Sacramenti forma.

2. PRAETEREA. Ex dictis *art.* 1. Confirmationis Sacramenti effectus est tribuere robur baptizatis profitendi, ac propugnandi fortiter fidem, quam in Baptismo susceperunt; igitur forma huius Sacramenti convenientius instituta esset iuxta formam Sacramenti Baptismatis, cuius est perfectio completiva: hoc autem factum non fuisse constat, plurimum inter se formis horum Sacramentorum distantibus; ergo Confirmationis forma est minus convenienter instituta.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 14.] *De Haereticis,* cap. *Ad abolendam* anathematizantur quotquot de Christi Sacramentis aliter docere ac sentire praesumunt, quam sentit et docet Sancta Romana Ecclesia, quam constat in Sacramentorum doctrina errare non posse: sed Ecclesia Romana sentit et docet eam esse veram et essentialem Confirmationis formam; igitur, etc.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 2. — *Report.* ib.] hanc, *signo vel consigno te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti,* esse formam convenientem Sacramenti Confirmationis. Quemadmodum enim in naturalibus a forma est rei essentiae constitutio et distinctio, ita in moralibus illa tenenda est conveniens alicuius Sacramenti forma, quae exprimit specificum effectum eius, distinguit ab aliis, et in esse illo specifico constituit. Dictum est autem in antecedentibus, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9.] Confirmationis Sacramentum esse ad confessionem et confirmationem fidei, ut confirmatus censendus sit recepisse ordinem militiae spiritualis, ad fidei christianae defensionem, quam in Baptismo suscepit; oportet igitur ut confirmatus novum spirituale robur accipiat, quo possit fortiter resistere et pugnare; etenim [*Oxon.* 4. d. 7. q. 4.] per illud Sacramentum instituitur aliquis in determinato gradu Ecclesiae, scilicet in gradu bellatoris. Haec autem omnia apte exprimuntur in illa forma; et causa quidem principalis accepti roboris est Sancta Trinitas distincte nominata. *Confirmo te Chrismate salutis,* designatur et exprimitur interior Spiritus Sancti unctio, et gratia ipsum fortem reddens. *Consigno denique te signo Crucis,* exprimitur et causa meritoria Sacramenti, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1.] quae est passio Christi, et genus militiae, cui adscriptus est, quia ad defendendum Evangelium Christi, quod per mortem et Crucem ipsius fuit confirmatum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, Deum in primitiva Ecclesia in hoc cum Apostolis dispensasse, ut licuerit eis aliter, nempe manuum impositione hoc Sacramentum conferre. Et porro [*Report.* loc. cit. n. 4.] huius dispensationis causam extitisse, quia tunc dabatur Spiritus Sanctus confirmatis in signo sensibili, ut in linguis igneis, et statim intelligebant diversas linguas, et loquebantur. Et ita cum Deus signis adeo mirabilibus soleret manifestare effectum Confirmationis invisibilem, dispensavit in materia et forma huius Sacramenti. Quandoquidem aliis signis sensibiltbus idem effectus significatur, qui aptus erat significari per Chrisma, et verbis supra allegatis. Quod si forte etiam dum ipsi viverent cessavit donum linguarum vel alia de Caelo non fiebant, tunc dicendum est ipsos usos fuisse forma et materia a Christo institutis pro huius Sacramenti collatione.

AD SECUNDUM respondeo: quia Sacramentum Confirmationis est ad confessionem et confirmationem fidei, necessario actus eius refertur ad illos, coram quibus est confitenda et tuenda fides Christiana, ut dictum fuit *art.* 2. Baptismus autem [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 1. — d. 2. q. 1.] est institutus, ut quisque in Christo renasceretur per spiritualem regenerationem, adeoque ad personam suscipientem Baptisma eius forma praecise terminatur; necessario proinde horum formae Sacramentorum debuerunt esse diversae et disparatae. Caeterum de comparatione Confirmationis ad Baptismum dicetur infra *art.* 6. *et* 11. *in incid.*

ARTICULUS V.

UTRUM SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS IMPRIMAT CHARACTEREM.

Doct., Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 10. — *d.* 7. *q.* 4. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 72. *a.* 5.

VIDETUR hoc Confirmationis Sacramentum non imprimere characterem. Character enim [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 2.] est signum distinctivum ab non habentibus, et assimilativum aliis eumdem praeseferentibus: per Confirmationem autem fideles non distinguuntur ab infidelibus, quia ab iis distingui debent per Baptismum, in quo christianam fidem protestantur. Sed nec distinguuntur suscipientes Confirmationem a fidelibus qui non receperunt; nam per hoc Sacramentum quis habet confiteri, et defendere Christi fidem: sed hoc convenit omnibus omnino fidelibus; per hoc enim quod quis Baptismum suscepit, tenetur Christi fidem confiteri et defendere; ergo id sibi non praescribitur per Sacramentum Confirmationis.

2. PRAETEREA. In Circumcisione, quae est character quidam carni impressus, non imprimebatur character in anima: sed in Sacramento Confirmationis imprimitur quidam character corporalis, dum homo chrismate signatur signo Crucis in fronte; non ergo imprimitur in hoc Sacramento character spiritualis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 4.] Sacramentum Confirmationis suscipiens constituitur in determinato gradu in Ecclesia, scilicet in gradu bellatoris spiritualis pugnae, et ita non iteratur, ut Baptismus, et Ordo: sed Sacramenta quae non iterantur imprimunt characterem; igitur et Confirmatio.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 12.] hoc Confirmationis Sacramentum imprimere characterem in anima. Quia ita sentit Ecclesia Catholica Romana, quam in Sacramentorum doctrina errare non posse certum est. Sed eius rei *congruentia* praeterea est, quia sicuti in Baptismate, quo recipiuntur suscipientes in familiam Christi, et in Ordine, quo quis constituitur in pastorem et patrem ad introducendum alios in Ecclesiam, et ad instruendum eos, eo quod constituantur ii in gradibus determinatis in congregatione fidelium imprimunt ea Sacramenta animae characterem, nec sunt iterabilia, quia satis est semel aliquem esse admissum in familiam, et esse praefectum aliis in eamdem introducendis; ita pariter quoniam per Confirmationis Sacramenti susceptionem constituitur quis in gradu militiae spiritualis in Ecclesia ad fidei defensionem et confessionem, congruum est et istud Sacramentum imprimere characterem.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM concedo, per Baptismum distingui fideles ab infidelibus. Sed per Confirmationem dico, distingui Confirmatos fideles ab aliis, qui non sunt confirmati. — *Et cum arguitur:* quia quilibet baptizatus tenetur confiteri, et defendere fidem, quam in Baptismo suscepit; *respondeo,* [*Oxon.* ib. — d. 7. q. 4.] sicuti per Baptismum renascimur in Christo secundum legem eius victuri, ita virtute eius Sacramenti praecise tenemur vivere nobis secundum illam legem, et hoc satis est ad salutem, ut corde credamus ad iustitiam, et quod credimus reipsa effectu compleamus. Sed quia lex Christi defendenda est adversus impugnatores et infidos, opus est Christianis alio adiutorio, quo constitutus in gradu fidem defendendi, fortiter possit pugnare, et confiteri ipsam fidem. In Baptismo ergo quasi initiative contraximus debitum defendendi fidem Christi coram aliis et adversus hostes, quia sicuti per generationem naturalem proprie vivimus nobis, ita per spiritualem in Baptismate accipimus gratiam qua salutem assequamur nos: sed Confirmationis gratia, quia est robur et virtus Spiritus Sancti fidem Christi defendendi, subinde alios involvit coram quibus, et cum quibus certamen incundum est.

AD SECUNDUM respondentes quidam Doctores concedunt, per Circumcisionem Deum non impressisse aliquem characterem in anima, eo quod Circumcisio fuerit Sacramentum veteris legis. Contra vero imprimi in Confirmatione, quia tale Sacramentum ad novam legem pertineat. — *Quae responsio non videtur probanda*; nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 21.] quamvis Circumcisio fuerit veteris legis Sacramentum, ipsa nihilominus delebat originale ab anima, perinde ac Baptismus, ac propterea Deus tali in facto infundebat gratiam ex opere operato, qua delebatur macula originalis, ut dictum fuit *quaest.* 70. *art.* 4. Quare concedimus, in Circumcisione Deum infudisse characterem ut in Baptismo; quia ita Circumcisio fuit ianua prima salutis in Lege Mosayca, uti Baptismus est ianua per quam intratur in Legem Christianorum ac proinde Christianos pariter praeseferre proprium characterem, quo constituuntur in Ecclesia in gradu bellandi adversus infideles, et propugnandi fidem, quam in Baptismate susceperunt.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM POSSIT ITERARI, ET QUAENAM SIT POENA ITERANTIUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 4. *et.* 5. — *Report. ib.*
Suarez 3. *p. t.* 3. *disp.* 34. *sect.* 1.

VIDETUR Confirmationis Sacramentum posse iterari. Etenim [*Oxon.* 4. d. 7. q. 4. — *Report.* ib.] revertente morbo in viatore adversus quem est institutum hoc Sacramentum, oportet iterato applicare medelam: morbus autem, quem in nobis Confirmatio depellit, est pusillanimitas publice confitendi fidem Christi; ergo cum contigerit hominem fieri pusillanimem, ut non audeat publice fidem confiteri, debet rursus confirmari et roborari in fide, quam in Baptismate suscepit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib. q. 5.] Iterantes hoc Sacramentum, de sententia quorumdam Iuristarum, incidunt in irregularitatis poenam,

paritate ducta ex his, qui iterato Baptismum conferunt, aut consulto suscipiunt, super qua re extat cap. *Qui his, De Cons.*, d. 4.

CONTRA. [*Oxon.* et *Report.* ib. q. 4] *De Cons.*, d. 5. cap. *Dictum* ubi scribitur: *Visum est nobis eamdem Confirmationem, sicut nec Baptisma iterari minime debere.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] Confirmationis Sacramentum esse initerabile, adeo ut iterans peccet mortaliter, nec Sacramentum suum sortiatur effectum. Cuius rei ratio a priori est divina institutio, qua volitum fuit Baptismatis et Confirmationis Sacramenta esse initerabilia. At *congruentia* est, quia Confirmatio constituit determinatum gradum in Ecclesia, ac proinde imprimit characterem, ut dictum fuit *art. praec.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Report.* d. 2. q. 5. n. 4.] respondeo, non sequi ex morbi iterabilitate esse iterandam medicinam; quia in prima medelae susceptione imprimitur et relinquitur in suscipiente aliquid, per quod habet medelam interiorem contra morbum futurum, quoties poenituerit. Vel potest dici non iterari morbum contra quem hoc Sacramentum est institutum. Est enim ad depellendam pusillanimitatem contractam ex peccato originali, qua semel per huius Sacramenti susceptionem depulsa, amplius non redit, ut nec ipsum originale revertitur in anima semel ab illo emundata.

AD SECUNDUM dicimus [*Oxon.* et *Report.* ib. q. 5.] seu recipientes, seu conferentes bis hoc Sacramentum non incidere in poenam irregularitatis. Nam regula generalis est mihi, irregularitatem non incurri nisi in casu a Iure canonico expresso, atque a summo Pontifice subinde condito, ita ut nemo sub Papa possit hanc poenam statuere, ut dictum fuit *De Baptismum iterantibus, q.* 66. *art.* 9. *in incid.* Unde Dominus Innocentius condens librum suum super Ius Canonicum, cum postea Pontifex electus interrogatus fuisset quale robur vellet habere, respondit, esse accipiendum velut opus magistrale, et non continens statuta et Canones Ecclesiae; igitur multo minus caeteri Doctores, et Glossatores Canonum possunt poenas pro tota Ecclesia statuere. Unde omnia argumenta quae faciunt a simili, vel a contrariis pro iterantibus hoc Sacramentum, non concludunt poenam irregularitatis, nisi inveniatur in Canone expressa. Nec sane invenitur. Et cum Dominus Papa potuerit ita expresse intulisse hanc poenam Confirmationem iterantibus, sicuti et Baptismum, si voluisset, quoniam tamen non fecisse constet, sequitur non incurri, sicuti invenitur in iterantibus Baptismum, praesertim cum secundum maximam Iuristarum, gratiae et favores sint ampliandi, et odia et poenae restringendae. Nec forte frequenter iterans hoc Sacramentum ignorans ipsum esse initerabile peccaret, sicuti si aliqua vetula frequenter id reciperet propter devotionem, quia ibi ignorantia excusaret.

ARTICULUS VI.

UTRUM CHARACTER CONFIRMATIONIS PRAESUPPONAT CHARACTEREM BAPTISMI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *a.* 6.

VIDETUR character Confirmationis non praesupponere necessario characterem Baptismi. Nam [*Oxon* 4. d. 4. q. 6. n. 1.] B. Virgo, et Apo-

stoli non leguntur fuisse baptizati, quos tamen recepisse Confirmationis Sacramentum in die Pentecostes narrat Scriptura *Act.* 2.; igitur pariter quivis non baptizatus posset confirmari.

2. PRAETEREA. Multi Martyres antequam Baptismum susciperent, Christi fidem fortiter confitentes, ac mortem quoque subeuntes, salutem aeternam adepti sunt; igitur in fidei confessione constantes fuerunt per donum Confirmationis; id enim praestari ab hoc Sacramento dictum fuit frequenter *in antec.;* igitur Confirmationis character non praesupponit necessario Baptismi characterem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 4.] Ordinis character de congruo praesupponit characterem Baptismi, sic ut qui sine Baptismate ordinaretur non rite quidem id Sacramentum susciperet, valide tamen; ergo pariter qui sine Baptismate confirmaretur; et per consequens Baptismi character non est requisitus necessario a Confirmatione.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 2.] *De Consecr.,* d. 5. cap. 1.: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent.* Character igitur Confirmationis necessario praesupponit Baptismi characterem.

RESPONDEO dicendum [*Oxon.* 4. d. 7. q. 3. et 4]. Confirmationis characterem de necessitate praesupponere characterem Baptismi, taliter ut si quis ante Baptismum confirmaretur, hoc Sacramentum non reciperet. Siquidem Confirmatio de sua ratione essentiali constituit recipientes in gradu bellatoris in Ecclesia, quo nimirum valeant defendere, et publice confiteri fidem, quam in Baptismi susceptione professi sunt. Qui autem Baptismum non receperunt non sunt professi Christi fidem, quam deinde habeant confiteri et propugnare; igitur [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. — d. 2. q. 1.] si huiusmodi confirmarentur, non haberet Confirmatio suum effectum, et per consequens non essent confirmati; igitur ad hoc ut istud Sacramentum suum sortiatur effectum, de necessitate praesupponit effectum Baptismi, seu eius characterem. Nam quemadmodum nisi quis prius in se natus sit, ac incoeperit in seipso vitam agere, non est aptus et idoneus ad habendum aliquos actus respectu aliorum in Republica, ita nisi quis prius renatus sit in Christo per Baptismum, est incapax recipiendi aliquod munus in Republica christiana quoad alios, sicuti est publice et fortiter confiteri fidem Christi, eamque ut Christi bellator propugnare.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo sic: quemadmodum Deus sine Baptismatis Sacramento posset conferre eius effectum, et iustificare quos vult, ut fecisse legitur cum pluribus, et praesertim cum Beatissima Matre eius, [*Oxon.* 3. d. 3. q. 1. — 4. d. 4. q. 3. n. 4.] quia potentiam suam non alligavit Sacramentis, taliter ut sine illis signis operari non possit, ita et potest et valet confirmare quos vult, idest effectum Confirmationis tribuere sine hoc Sacramento. Et sicut illi non dicerentur suscepisse Sacramentum Baptismi, sed eius effectum, ita et isti. Et ita factum fuisse cum B. Virgine, et Apostolis fatendum est, seu fuerint, seu non fuerint baptizati; confirmati sunt enim in die Pentecostes, misso de Caelo Spiritu Sancto, non adhibito Confirmationis Sacramento. Sed nihilominus huius effectus reperit in illis effectum Baptismi, quomodolibet tandem illum a Deo habuerint, quod satis est pro praesenti resolutione.

Et per hoc respondeo AD SECUNDUM, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 4.] quod Martyrium subeuntes, antequam aqua intingerentur baptismali, si iusti erant, et porro fuisse certum est, utique erant baptizati Baptismo flaminis, quod involvit desiderium, et votum Baptismi fluminis, sine quo iusti esse nequivissent, et consequenter numquam Deus alicui tribuit Confirmationis effectum, nisi habeat effectum Baptismi, et ita nunquam infundit huius characterem Sacramenti in eo qui suscipit, nisi prius Baptismi characterem habuerit.

AD TERTIUM respondeo, *assumptum* esse falsum; quia *De Presbyt. non baptiz.*, cap. *Veniens,* mandat Pontifex iterum ordinari eum qui post Ordines susceptos deprehendit se non fuisse baptizatum; qui si valide ordinatus esset, solummodo baptizari mandavisset; et eius rei dans rationem subdit: *quia non intelligitur iteratum quod ambigitur esse factum: nec male de Sacramento sentitur, cum illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit.* Pariter igitur qui sine Baptismo confirmaretur, Baptismo suscepto foret iterum confirmandus.

ARTICULUS VII.

UTRUM PER SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS CONFERATUR GRATIA GRATUM FACIENS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 2. — *d.* 2. *q.* 1. — *d.* 7. *q.* 1. — *Report. ib.* *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *art.* 7.

VIDETUR per Sacramentum Confirmationis non conferri gratia gratum faciens. Nam ex dictis *art. antec.* non est Confirmatio conferenda nisi baptizatis: qui autem Baptismum susceperunt iam sanctificati sunt per gratiam sanctificantem; ergo haec non datur per Confirmationem. — Quod si ponatur baptizatus iam a gratia excidisse per peccatum; *contra,* huiusmodi lapsis non datur gratia per Confirmationem, sed per Poenitentiae Sacramentum. — *Et si dicas,* dari augmentum gratiae illi qui eam habet; *contra,* tale augmentum est per modum meriti, seu ex opere operantis, non virtute Sacramenti, et ex opere operato; igitur Confirmatio non confert gratiam sanctificantem.

2. PRAETEREA. Diversis Sacramentis non est attribuendus idem effectus: sed gratiae sanctificantis effectus est depellere ab anima culpas peccatorum, Deoque gratos reddere eos, quibus gratiam largitur; ergo cum hunc effectum tribuant Baptismus et Poenitentia lapsis post spiritualem regenerationem, non est Confirmationi tribuendus.

CONTRA. Sacramentum [*Oxon.* 4. d. 1. q. 2. n. 9.] *est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum eius gratuitum, ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris:* sed Confirmatio est Sacramentum ex *primo art.*; ergo significat efficaciter Dei gratiam, eamque subinde rite suscipientibus confert.

RESPONDEO dicendum, in Confirmationis Sacramento conferri gratiam gratum facientem, nisi obex ponatur. Nam, ut dictum est *q.* 62. *art.* 2. gratia Sacramentalis differt ab habituali in ratione effectus, idest unumquodque Sacramentum [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 3. seqq.] confert gra-

tiam suscipienti ad aliquem effectum specialem sic ordinatum, ut si inveniat suscipientes Sacramenta iam sanctificatos, quatenus signa efficacia sunt, et vere producunt in illos proprium effectum; et non solum augent gratiam inventam, sed etiam disponunt, facilitant, et suo modo impellunt ad exeundum in eos effectus, ad quos Sacramenta sunt ex divina institutione ordinata. Quia igitur Confirmatio est a Deo instituta, [*Oxon.* ib. d. 7. q. 4.] et per eam tribuatur chrismato gratia roboris et constantiae, apprime bellatoribus congrua, qua audacter ac fortiter quis profiteatur ac defendat fidem in Baptismate protestatam, utique indispositum non iustificat, quia id non est sibi attributum, imo nec congruit. Nam quemadmodum firmitas et robur corporis processu temporis acquiritur ab iis qui vivunt vita corporali, ita istud Spiritus Sancti robur non congruit tribui, nisi iis qui Deo vivunt, et sunt per gratiam Christo incorporati. Non iustificat itaque iniustos, sed iustis addit gratiam, redditque idoneos bellatores bellorum Christi.

Ad Argumenta. Ad primum dico, licet qui confirmantur sint per Baptismum iustificati, recipiendo novum Sacramentum in ipsis gratia augetur, et tribuitur specialis effectus, ad quem est tale Sacramentum institutum. — *Et cum dicitur;* id videtur fieri per modum meriti; *respondeo,* si accedens ad Sacramentum sit compos rationis, et debite dispositus, dubium non est eo in actu mereri per hoc quod obtemperet divino mandato; sed et recipere praeterea gratiam sanctificantem virtute Sacramenti ex opere operato, quod est Confirmationi, et caeteris Sacramentis commune.

Ad secundum respondeo sic: [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 13.] Sacramentum magis proprie significat illum effectum in anima ad quem confertur gratia in Sacramento, quam signet ipsam gratiam. Unde gratia existente una in anima, Sacramenta tamen diversa distinguntur penes diversa significata propria, quae sunt diversi effectus eiusdem gratiae; effectus itaque proprius Baptismi est quidem ablutio animae a peccato, quem alius comitatur, estque acceptatio ad vitam aeternam. Et Poenitentiae specifica ratio est reconciliare Deo peccatorem, quae reconciliatio aliter quam per gratiam medicinalem fieri non potest, iuxta praesentis providentiae dispositionem. Hi autem effectus proprii istorum Sacramentorum differunt omnino ab effectu, ad quem causandum fuit a Christo Confirmatio instituta. Quare etsi habeat commune cum aliis signare efficaciter gratiam sanctificantem, effectus tamen, quem causat ut tale Sacramentum, est sibi proprius, et ab nullo altero Sacramentorum praestatur.

ARTICULUS VIII.

UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT OMNIBUS EXHIBENDUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 2. *et* 3. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 72. *a.* 8.

Respondeo dicendum, Confirmationis Sacramentum esse omnibus exhibendum. Cum enim omnes Baptisma recipere teneantur ad salutem, et Confirmationis Sacramentum Baptismum ipsum quodammodo compleat et perficiat, sicuti perfecta aetas, quam sequitur personae robur, constantia,

et fortitudo, complet et perficit puerilem aetatem, in qua omnes nascimur secundum carnem, ita ad hanc perfectionem, et spirituale complementum ut omnes perveniant, omnibus est Confirmationis sacramentum exhibendum postquam in Christo fuerint renati. Siquidem in eius institutione Deus, cuius perfecta sunt opera, hanc perfectionem vitae spiritualis intendit. Et hoc est quod dicitur, *De Consecr.*, dist. 5.: [*Oxon.* 4. d. 7. q. 2.] *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post Baptismum Spiritum Sanctum suscipere debent, ut pleni Christiani invenianturur.* Rationem quoque huius habes *art. seq.*

ARTICULUS IX.

UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT CONFERENDUM HOMINI IN FRONTE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 1. — *Report ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *a.* 9.

RESPONDEO, Sacramentum Confirmationis esse conferendum homini in fronte, ut dictum est *articulo* 1.. ita ut alteri corporis parti exhibito, eaque loco frontis inuncta, effectum non sit habiturum; quod diserte docetur, et fieri praescribitur, *De Sacra Unctione,* cap. unico his verbis: *In fronte baptizatus ungitur, ut libere confiteatur quod credit, quia corde creditur ad iustitiam, ore vero fit confessio ad salutem.* Et infra: *per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur, et robur.* Idipsum prius dixerat Cyrillus Jerosol. *Catechis.* 3. Et August. in *Psal.* 141. *Quaedam,* inquiens, *Sacramenta aliter atque aliter accipimus, quaedam ore, quaedam per totum corpus, quia vero in fronte erubescitur, ille qui dixit, qui erubuerit me coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo, ipsam ignominiam,* (idest Crucem, quae signatione frontis per Chrisma fit) *in loco pudoris instituit.* Et Eugenius denique IV. in decreto Fidei rationem eius rei pulchre edisserens, *Ideo in fronte,* inquit, *ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, et praecipue Crucem eius, quae Iudaeis est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundum Apostolum, propter quod Crucis signo signatur.*

Quam vero convenientissime eo ritu Sacramentum hoc conferatur, chrismandis fronti impresso et quasi insculto per Sacram unctionem Crucis signo, ex eo constat, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. — d. 7. q. 4.] quia mox ac quis huius Sacramenti particeps efficitur, illico constituitur ut miles et bellator ad strenue tuendam contra hostes fidem Christi, eamque audacter, et fortiter confitendam coram quibuscumque, et quomodocumque oportuerit. Quemadmodum igitur milites Imperatoris, cui nomen dedere, et sub cuius auspiciis bellum gerunt, in loco patenti et conspicuo signum portant, quo eius ductu militare se ostendant, et ab aliis distingui queant, ita Christi milites, qui quum Baptismatis Sacramento initiarentur illius vexillum sequi spoponderunt, in Confirmatione signo ornantur, Cruce nimirum, quod est vexillum summi Regis. Decuit ergo in loco omnibus noto atque eminenti statui et infigi, qualis est frons in corpore. Quod si militiae et signi pudeat, vel ob ignaviam strenue pu-

gnare pro gloria Ducis detrectaverint, tales inter transfugas computat summus Imperator, et negaturum eos protestatur coram Patre suo in Caelis.

ARTICULUS X.

UTRUM ILLE QUI CONFIRMATUR DEBEAT TENERI AB ALIO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 9. — *d.* 7. *q.* 4. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 10.

RESPONDEO dicendum eum, qui Confirmationem est suscepturus, non de Sacramenti necessitate (uti diximus de baptizandis *q.* 67. *art.* 7.) et simpliciter, sed de congruo et convenienter esse ab alio tenendum. Cum enim tales adsciscantur in militiam Christi, pro eius fide et vexillo Crucis pugnaturi, convenienter attribuitur illis aliquis, qui eam militiam, virtute Confirmationis Sacramenti plene edoctus, eius qui signum Christianitatis per Confirmationem accipit, instructioni incumbat. Et ita pariter evenit in militia terrena, in qua tyrones et qui recenter nomen dederunt instruuntur ad militiam, et certamina per milites veteranos, qui iam militarem artem callentes certamina, et pugnas fortiter inire, experientia militari firmati non reformidant. Et talem profecto fuisse antiquum Ecclesiae morem docemur ex cap. 30. q. 4. c. 3. ubi haec habentur: *si quis ex uno coniugio filium, aut filiam alterius de Sacro fonte susceperit, aut ad Chrisma tenuerit,* etc. Sicuti igitur baptizandos qui de sacro fonte susciperent, ita et qui confirmandos tenerent Ecclesia Catholica adhibuit.

ARTICULUS XI.

UTRUM SOLUS EPISCOPUS HOC SACRAMENTUM CONFERRE POSSIT.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 72. *art.* 11.

VIDETUR non solos Episcopos hoc Sacramentum conferre posse. Nam [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3. — *Report.* ib. n. 6.] Gregorius scribens Ianuario Episcopo (et ponitur dist. 95. cap. 1.) *Pervenit,* inquit, *ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.* Si de necessitate autem huius Sacramenti esset ab solis Episcopis conferri, nequivisset Summus Pontifex concedere, ut etiam a Presbyteris conferretur; igitur non solus Episcopus Confirmationem impertiri potest.

CONTRA. *De Consec.,* dist. 5. cap. 4.: *Manus quoque impositionis Sacramentum ab aliis perfici non potest nisi a Summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis, quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum esse: nec ab aliis, quam ab illis, qui eorum tenent locum, unquam perfici potest, aut debet. Nam si aliter praesumptum*

fuerit, irritum habeatur et vacuum, et inter Ecclesiastica numquam reputabitur Sacramenta.

RESPONDEO dicendum, ordinarium ministrum Sacramenti Confirmationis esse solum Episcopum; posse tamen ex dispensatione summi Hierarchae committi etiam Presbyteris, et tunc eos id Sacramentum valide ministrare. Quod totum exprimitur a statim citato *Canone;* sed qualiter valide et licite iustis de causis possit et confirmandi munus committi Presbyteris, ultra Gregorii factum, comprobatur ex praxi Orientalis Ecclesiae, de qua Auctor qq. Veteris et Novi testamenti, q. 101. *In Alexandria,* inquit, *et per totam Aegyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter* (1). Adeo ut [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1 n. 8.] potestas haec in Presbyteris ratione ordinis remota sit; et non tantum, uti est potestas administrandi Poenitentiam, quia haec ex parte eorum proxima est, et tantum remota ex defectu subditorum, quos propterea sibi debent ab Ordinario assignari; verum etiam ex parte ipsius ordinis, quatenus ex divina institutione actus confirmandi, utpote Baptismi completivus, est attributus illis dumtaxat, qui eminentem gradum obtinent in Hierarchia, sicuti sunt Episcopi; et quoniam ex ordinis potestate convenit et Presbyteris habere actum excellentissimum super Corpus Christi verum, exinde etiam habent potentiam remotam, et inchoatam recipiendi auctoritatem, ut exequi valeant actum illum confirmandi, qui ex sui natura, divinaque institutione natus est competere solummodo tenentibus gradum eminentem in Ecclesia, uti sunt Episcopi. Sicuti igitur remota potestas, quam habent Presbyteri respectu Poenitentiae, nisi per superiorem reducta sit ad proximam, non habet actum validum, ita et respectu Confirmationis. Et hoc est quod dicit expresse praecitatus Canon., *De Consecr.* De plenitudine itaque potestatis potest summus Pontifex dispensare et committere simplicibus Sacerdotibus ut valide confirmarent, sicuti et potest committere ut quosdam Ordines conferant, et tunc quantum ad istum actum facit eos Episcopos, non quoad alios actus, quia contulisset simpliciter dignitatem Episcopalem, et ratio conferendi eum actum potuit in Gregorio fuisse ob scandalum vitandum.

Nihilominus [*Oxon.* ib. n. 4.— *Report.* ib. n. 6.] diversimode declaratur factum B. Gregorii, quod tangit argumentum principale. Aliqui enim dicunt ipsum consensisse ut Presbyteri possent ungere in fronte oleo, non chrismate. — Quae expositio manifeste repugnat literae, ut patet ex verbis eius relatis. *Deinde,* id Papa concessit, eo quod ex facta illis prohibitione chrismandi quidam scandalizabantur; si igitur indulsisset fieri oleo tantum, eo facto illi arbitrarentur confirmari chrismate, fuisset simulatio contra veritatem Sacramenti; sicuti si permisisset panem benedictum tamquam Eucharistiam dispensari; quod certe opinandum non est de Romano Pontifice. — *Ideo alii dicunt,* [*Oxon.* et *Report.* ib.] concessisse quidem id Gregorium ad tempus, vel magis permisisse ob scandalum vitandum. — Quae expositio neque est recipienda, *Quia utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur,* uti scribitur *de Regulis*

(1) Et etiam constat ex dispensatione facta a Leone X. et Adriano VI. Fratribus nostri Ordinis pro conversione Indorum. de quo privilegio Rodriguez *tomo primo quaestionum Regul. quaest.* 19. *art.* 3. quam pariter dispensationem Summi Pontificis, vel Conciliorum Oecumenicorum ab eo approbatorum habuisse Orientalem Ecclesiam ambigendum non est. Idipsum indulsit Guardianis Sancti Montis Sion SS. D. N. Innocentius XIII. pro degentibus in Terra Sancta, non suppetente tamen copia Episcoporum ritus latini.

Iuris, in 6. Praeterea tali in concessione graviter peccasset Gregorius, concedendo nempe de facto, quod non poterat de iure. Et praebuisset Sacerdotibus occasionem peccandi mortaliter, faciendo scilicet in re gravissima quod ipsis facere non licebat. — *Alius denique,* [*Oxon.* ib. n. 4. seq. — *Report.* ib. n. 7.] modus dicendi est, quia; ut habetur dist. 95. c. 5., *Olim idem erat Presbyter, qui et Episcopus.* Et videtur esse Hieronymi super cap. 1. *Epist. ad Titum* (1). Ex quo sequitur, distinctionem inter Episcopos et Sacerdotes esse ex iure positivo Ecclesiae, et non ex divina institutione. Quod et confirmari potest ex Apostolo attribuente Presbytero ministerium Confirmationis, *Noli,* inquit ad Timotheum, 4., *contemnere datum donum per impositionem manus Presbyteri.* Si igitur in primitiva Ecclesia idem erat Episcopus et Presbyter, uterque eosdem actus habebat; postea tamen crescente numero Presbyterorum, subtracta fuit eis potestas quoad aliquos actus, reservata tantum maioribus Sacerdotibus, qui vocati sunt Episcopi. Tunc recte Pontifex posset iterum subtractam potestatem ipsis concedere, eosque valide et licite, confirmare. — *Et si dicas,* in primitiva Ecclesia tantum Apostoli confirmabant, igitur ex divina institutione est distinctio inter Presbyterum et Episcopum; Apostoli enim omnes erant Episcopi; *potest dici,* id tunc accidisse, quia tantum Apostoli erant Sacerdotes. Quod si alii etiam fuerunt, eum actum reservasse solis Apostolis, non quod in illum valide non possent, sed magis ob excellentiam et reverentiam Apostolorum, quibus hoc Sacramentum ministrantibus, Deus adeo mirabilia signa ostendebat.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS SIT DIGNIUS BAPTISMO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 7. *q.* 3. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 11. Ad secundum.

VIDETUR Confirmatio esse dignior Baptismo, [*Oxon.* 4. d. 7. q. 3.] ut dicit Magister, 4. *d.* 7. *cap.* 2. Confirmationis Sacramentum sicut a maioribus datur, ita est dignius Baptismo.

2. PRAETEREA. [*Report.* 4. d. 7. q. 3.] *De Consecr.,* dist. 5. c. *Novissime: Signatur baptizatus cum chrismate per Sacerdotem in capitis summitate: per Pontificem vero in fronte; ut in priori unctione significetur Spiritus Sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam, in secunda quoque ut eiusdem Spiritus Sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et scientiae et virtutis venire in hominem declaretur.* Igitur confirmatio est Baptismo perfectior.

(1) Caeterum hoc Hieronymum sensisse, nullum scilicet esse discrimen inter Episcopum et Presbyterum, constat ex dist. 93. C. *legimus. Quid facit,* inquit, *excepta ordinatione, Episcopus quod Presbyter non faciat?* Supponit ergo ex pristina, et divina ordinatione aliquid convenire Episcopo, scilicet ordinare, quod non competit simplicibus sacerdotibus. *Sed et in Dialogis adversus Luciferianos* idem significat de Confirmatione. Videndus etiam *Epist.* 48. *primi Tomi,* quae est ad Sabinianum Diaconum. Sed et post Tridentinum id est necessario sentiendum. Sess. enim 23. cap. 4.: *Sacrosancta,* inquit, *Synodus declarat praeter caeteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem etc. eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare* etc. *quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Ubi est sermo de differentia inter Episcopos et simplices Sacerdotes, quoad ea quae utrisque competunt ex propria ordinatione ex Christi institutione.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Baptismus delet culpam et poenam sine Poenitentia: Confirmatio autem hunc effectum non habet; igitur Baptismus est ei anteferendus.

RESPONDEO ergo dicendum, [*Oxon.* ib.] Baptismum esse simpliciter Confirmatione perfectiorem; et Confirmationem vero secundum quid Baptismum praecellere. *Et primum quidem patet;* quia Baptismus, ut praetactum est, confert maiorem gratiam; et porro congruum est ita fieri in Baptismo, quia magis assimilatur Passioni Christi. At *secundum quid* est eo dignior Confirmatio, propterea quod in materia digniori, in Chrismate scilicet ex oleo olivarum, et balsamo confecto, et a ministro digniori, Episcopo nimirum conferatur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib.] Magistrum intelligere de excellentia *secundum quid,* orta ex materia et ministro digniori, ut dictum est; cum hoc tamen stare posse, ut simpliciter a Baptismo excedatur quoad effectum per ipsum causatum in anima.

AD ALIUD DICO, [*Oxon.* ib.] gratiam per Sacramenta collatam reipsa unam esse. Possumus igitur loqui de gratia collata per Baptismum et Confirmationem dupliciter: vel de ipsa totaliter, quae confertur in Baptismo, et Confirmatione, et sic ista tota est amplior et maior, quam gratia baptismalis tantum, sicuti totum sua parte. Et hoc pacto intelligendo, concedendum est ampliorem gratiam et septiformem conferri per Confirmationem. Vel possumus loqui de gratia collata in sola Confirmatione, comparando ipsam ad solam gratiam baptismalem, quo modo fatendum est baptismalem esse maiorem, ut dictum fuit.

ARTICULUS XII.

UTRUM RITUS HUIUS SACRAMENTI SIT CONVENIENS.

Doctor, loc. in anteced. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 12.

HUIUS articuli resolutio patet ex dictis. Cum enim eius materia et forma sint a Christo Domino instituta, perinde ut aliorum Sacramentorum, quae omnia huius Sacramenti effectibus mirifice congruunt, ac declaratum fuerit quam convenienter et apposite ministretur per summos Sacerdotes, qui Episcopi in Ecclesia Catholica sunt, Chrismate frontem signantes, ac signo Crucis munientes, ut decet bellatores constitutos pro Christi fide, dicendum est huius Sacramenti ritus esse convenientissimos.

QUAESTIO SEPTUAGESIMATERTIA.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE SECUNDUM SE, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Consequenter considerandum est de Sacramento Eucharistiae. Et *primo* de ipso Sacramento: *secundo,* de materia: *tertio,* de forma: *quarto,* de effectibus: *quinto,* de recipientibus hoc Sacramentum: *sexto,* de ministro: *septimo,* de ritu.

Circa primum quaeruntur sex.

1. Utrum Eucharistia sit Sacramentum. - 2. Utrum sit unum, vel plura. - 3. Utrum sit de necessitate salutis. - 4. De nominibus eius. - 5. De institutione ipsius. - 6. De figura eius.

ARTICULUS I.

UTRUM EUCHARISTIA SIT SACRAMENTUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 73. *a.* 1.

VIDETUR Eucharistia non esse Sacramentum novae legis. Etenim [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. — *Report.* ib.] novae legis Sacramentum est signum gratiae collatae id Sacramentum recipienti: sed Eucharistia non est tale signum; manet enim in altari post consecrationem, et nemini per ipsam gratia confertur; igitur non est signum, uti necesse est Sacramenta legis Evangelicae aliud significare.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Sacramenta novae legis efficiunt quod significant: sed Eucharistia non efficit quod significat; siquidem significat verum Christi Corpus et Sanguinem contineri sub speciebus panis et vini: illae autem species non efficiunt verum Corpus aut Sanguinem Christi, respectu cuius nulla finita virtus potest aliquam habere causalitatem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Sacramenta novae legis requirunt et constant vel conficiuntur aliquot verbis tamquam eorum forma: sed Eucharistia huiusmodi verba, quae sint eius forma, non habet. *Et hoc probatur;* quia verba quae sunt Sacramenti forma oportet esse simul cum ipso Sacramento: sed verba quae in Eucharistia proferuntur non sunt simul: tum quia Eucharistia manet verbis non manentibus: tum quia dum verba sunt in prolatione non est Eucharistia, sed in fine prolationis eorum; igitur non sunt simul, et consequenter non sunt forma Eucharistiae.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] *De Consecr.,* dist. 2. c. 1. *In Sacramentorum oblationibus quae inter Missarum solemnia Domino offeruntur.* Est autem ibi sermo *De Eucharistia;* igitur est Sacramentum. Ibidem, c. 4. *Non oportet aliquid aliud in Sacramento offerri praeter panem et vinum.*

RESPONDEO dicendum, Eucharistiam esse Sacramentum novae legis. Eius autem ratio nominis, prout communiter de hoc Sacramento lo-

quentes Doctores intelligunt, potest esse ista: [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 2.]. *Eucharistia est Sacramentum Corporis Christi et Sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis et vini, post consecrationem factam a Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina veraciter significans Corpus Christi et Sanguinem sub eis realiter contineri.* Quae sane ratio non est in se falsa; quia nulla pars alteri repugnat. Equidem possibile est (ut declarabitur infra *q.* 75.) Corpus Christi contineri sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini. Possibile quoque est ista signa instituta esse a Deo ad signandum illa signata verissime sub eis contineri; quia quod Deus potest facere, potest per aliquod sensibile signum ei rei exprimendae impositum signare. Igitur illi rationi subest aliquod ens, cui scilicet esse non repugnat.

Verumtamen [*Oxon.* ib. n. 3.] nedum ei nominis rationi subesse ens, cui non repugnat esse, sed etiam ens reale in effectu; probatur auctoritate, quae sane est multiplex in novo Testamento, et signanter Matthaei, 26., ubi habetur Christum post coenam hoc Sacramentum instituisse, et sub panis et vini speciebus verum eius Corpus et Sanguinem veraciter contineri, ac potestatem fecisse Sacerdotibus illud conficiendi, dicens eis in Apostolis: *hoc facite in meam commemorationem.* Item habetur Lucae, 22. et 1. *ad Corinth.*, 11., ubi Apostolus diffuse determinat modum quo est percipiendum et conficiendum istud Sacramentum; quod in Ecclesia militante semper esse duraturum, et usquequo veniat Christus ad iudicandum, patet ex verbis eius ibidem dicentis: *quotiescumque panem hunc commedetis, et calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quemadmodum igitur usque ad mundi finem Ecclesia militans est duratura, ita et in ipsa Eucharistiae Sacramentum perseveraturum iuxta Christi promissum, Matthaei, ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*

Quod vero *convenientissimum fuerit* Sacramentum hoc institutum fuisse, *probatur;* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 4.] quia congruum est Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, quo magis quisque excitetur ad reverentiam et devotionem erga Christum generis humani Redemptorem; idque de facto experientia ostendit; nam quasi omnis devotio in Ecclesia est in ordine ad istud Sacramentum. Propter hoc Clericus maiori cum diligentia persolvit officium divinum, nempe in ordine ad Missam celebrandam; propter hoc etiam populus devotius Missam audit quam caetera ecclesiastica officia; propter hoc denique singuli maiori cum diligentia confitentur, quum de Ecclesiae ordinatione saltem semel in anno sumpturi sunt sacrum Christi Domini Corpus.

Congruum etiam fuit, [*Oxon.* et *Report.* ib.] post generationem spiritualem conferri etiam nobis nutrimentum spirituale, atque convenientissime dari sub similitudine nutrimenti corporalis; quod nutrimentum praecipue consistit in pane et vino. — *Congruum* etiam fuit, signum sensibile, sub quo Christus voluit nobis se dare in spirituale nutrimentum, habere ordinem ad verba quaedam ab aliquo ministro proferenda, alioquin nesciremus quando in tali signo esset Christus, atque ita non excitaremur quum oporteret ad reverentiam debitam et devotionem. — *Et congruum* denique fuit in Ecclesia statui ministrum excellentem, qualis est Sacerdos, per quem verba illa proferantur, et ex cuius ministerio Christus ita inciperet esse nobiscum.

Tunc declaro illud ens in effectu, quod subest rationi nominis Eucharistiae, esse Sacramentum. Etenim [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 5.] est signum veraciter repraesentans ex institutione divina; et quamquam non signet gratiam accidentalem, tamen effectum Dei gratuitum, scilicet *esse* Corporis Christi sub tali specie verissime significat; gratia enim significata per signum sensibile in Sacramenti definitione non tantum accipitur pro gratia accidentali, sed et pro effectu Dei gratuito; igitur Eucharistia est Sacramentum, quod quantopere aliis praecellat Sacramentis, gratiam Dei accidentalem significantibus, et manifestum est ex hoc quod gratiam ipsam substantialem contineat, significetque, ut dictum quoque fuit *quaest.* 60. *art.* 1.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 11.] patet ex dictis, quia Eucharistia non est sicut caetera Sacramenta, quae continent et significant gratiam accidentalem, continet enim ipsum Christi Corpus, seu gratiam substantialem, ex quo etiam redundat gratia accidentalis in digne ipsum suscipientes.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 6. et 12.] hanc difficultatem urgere eos qui sentiunt Sacramenta physice influere in eorum significata; sed nihil probare contra nos, qui supra, *quaest.* 62. *art.* 2. declaravimus non habere alium influxum praeter moralem. Quapropter assumpta propositio, Sacramentum efficit quod figurat, sic est intelligenda: si forma significet aliquid fieri, illud per Sacramentum, tamquam per signum efficax fit; si autem significat aliquid esse, illud per Sacramentum tamquam per signum verax est quod ibi reperiri signatur. — *Et cum dicitur:* nulla virtus finita potest agere ad *esse* Corporis Christi sub speciebus; *hoc concedendum est* proprie loquendo de actione; potest tamen aliqua virtus finita, vel aliquid virtutis finitae immediate disponere ad *esse* Corporis Christi sub speciebus, non a se, sed a Deo ponente illud corpus ibi. Et ita revera instituit istas species, ut post consecrationem assistat eis ad hanc praesentiam Corporis Christi.

Ad tertium dico, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 13.] eo probari Eucharistiam non esse Sacramentum nisi permanens, quia verba quae in eo proferuntur sunt in successione, et non permanent cum Eucharistia. At quia ipsa consecratio consistit in *fieri,* ideo requirit formam verborum; quae tamen non est forma Sacramenti, sed consecrationis Sacramenti; et ideo illa verba dici possunt Sacramentalia, quia ad Sacramentum pertinentia, tamquam forma consecrationis eius: consecratio enim est inceptio Sacramentalis; sed nequeunt dici ita Sacramentalia sicut verba Baptismi, quae sunt forma eius Sacramenti. Sacramenta igitur novae legis efficiunt quod signant, sicut dispositio efficit, et ut se habet meritum ad praemium, et corpus organicum ad creationem animae, et inductionem eius. Et sicut in aliis Sacramentis conceditur quod per ipsa, ut per dispositionem, habeatur gratia accidentalis, quam designant, ita hic est concedendum haberi verum Corpus Christi post consecrationem, ita ut τὸ *per* dicat circumstantiam causae instrumentalis.

Si quaeras, quaenam igitur est forma istius Sacramenti? — *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 7.] species ipsas visibiles esse materiam, idest, proximum fundamentum relationis signi; ipsam vero significationem esse formalem, quemadmodum et in aliis Sacramentis. In tantum autem in fundamento significationis non esse aliquid tamquam formam, ut in aliis Sacramentis,

quibus illud fundamentum integratur ex rebus et verbis, quia istud est Sacramentum permanens, et ideo nequit habere aliquid successivum, sicuti sunt verba, spectans ad eius rationem essentialem.

ARTICULUS II.

UTRUM HOC SACRAMENTUM SIT UNUM VEL PLURA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 73. *a.* 2.

VIDETUR Eucharistiae Sacramentum esse plura Sacramenta. Nam [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 1. arg. 4. — *Report.* ib.] ibi sunt plura signa sensibilia efficaciter significantia effectum Dei gratuitum; igitur sunt plura Sacramenta. *Probatur assumptum:* aliud signum est species panis, aliud signum species vini, quae signa habent aliud et aliud significatum; unius enim signi proprium significatum est Corpus, alterius autem proprium significatum est Sanguis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 7] Ex dictis *art. praeced. in fine,* proximum fundamentum et materia relationis signi huius Sacramenti sunt species ipsae sensibiles, forma vero ipsa significatio, ut in caeteris Sacramentis: atqui duae hic sunt materiae, duaeque significationes seu consecrationes; alia enim omnino ratione consecratur materia panis, alia materia vini; ergo videntur duo Sacramenta.

3. PRAETEREA. Ecclesia sic orat: *Purificent nos quaesumus, Domine, Sacramenta, quae sumpsimus:* haec autem petuntur propter Eucharistiae susceptionem; ergo non est unum Sacramentum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 3.] Eucharistiae Sacramentum est nutrimentum spirituale animae in Christo per Baptismum regeneratae; igitur esto constet pluribus signis, unum tamen complent atque efficiunt unitate integritatis. *Probatio consequentiae:* licet corpus vescatur et nutriatur pluribus, et diversarum specierum alimentis corporalibus, eius tamen perfectum nutrimentum et completum est unum ex pluribus integratum; ergo etiam et nutrimentum spirituale animae.

RESPONDEO dicendum, Eucharistiae Sacramentum esse unum, non unitate indivisibilitatis, sed unitate integritatis. Ad cuius evidentiam intelligendum, Christi Corpus posse considerari dupliciter: [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 4. — *Report.* ib. n. 6.] *primo* prout includit partes omnes animatas anima rationali, in quarum numero partium venit sanguis, qui non est formaliter animatus, licet sit in potentia propinqua ut convertatur in carnem animatam. Sic itaque corpus acceptum est aliud essentialiter a sanguine; et sicuti in se potest habere aliam definitionem, ita et proprium signum ipsius praecise significativum. *Alio modo* potest accipi corpus, ut includit omnia illa, quae pertinent ad integritatem totius corporis organici, sive sint partes animatae, sive non, ut humores, et spiritus, etc. et sic acceptum corpus plane includit sanguinem ut aliquid eius. Licet autem primo modo intelligendo corpus ipsum et sanguis sint primo signata diversa, tamen constituunt unum signatum totale, quod est corpus secundo modo consideratum, et ita signum corporis, et signum sanguinis, ut sunt primo diversa signata, confluunt in unum signum unitate integritatis, non autem indivisibilitatis: [*Oxon.* et *Report.* ib.] Et porro congruit hoc Sacramentum habere hanc unitatem integritatis, et non indivisibili-

tatis, quia est ad completam animae nutritionem, quae significatur per completam corporis nutritionem. Corporis autem completa nutritio fit ex aliquo uno unitate integritatis, non unitate indivisibilitatis, ex alimento nimirum et potu, nec unum sine altero sufficienter corpus nutrit, et ita sub duplici specie, panis nempe et vini, est unum et completum spirituale animae nutrimentum, ex corpore et sanguine Christi integratum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 13.] *est responsio aliquorum* ambas illas species esse unum signum unius rei, scilicet Corporis Christi; cum autem Christi Corpus sit vere unum, ideo vere ex diversis speciebus conflari unum signum. — *Contra,* nomina synonima, quamvis rem eamdem significent, sunt nihilominus plura signa, quia plura nomina; nomen autem est signum ad placitum illius quod est in anima. 1. *Periher., c.* 1.; ergo pariter cum hic sint aliae et aliae species significantes, erit aliud et aliud Sacramentum. — *Respondeo* igitur, (1) plures eas species habere posse rationem unius signi totalis et integralis ad placitum instituti; in eo tamen signo integrali esse, et distingui posse plura signa partialia; non est enim unum unitate indivisibilitatis, ut dictum est *in solutione.*

AD SECUNDUM patet ex statim dictis; nam signa pro libito instituentis assumpta, etsi plura atque diversa, pertinere ac ordinari possunt ad integrandum unum signum totale; et factum esse hic apprime congruum fuit, quandoquidem integrum signatum est Christi Corpus constans omnibus partibus eius. Quare aliud non sequitur, nisi hoc Sacramentum non esse unum unitate indivisibilitatis, quod et nos ultro fatemur.

AD TERTIUM respondeo, Ecclesiam in praeallegata Collecta loquitur secundum quod virtute fidei sumptio spiritualis multiplicatur in membris Ecclesiae; sic enim quodam modo loquendi multiplicatur ipsum Sacramentum, scilicet quantum ad diversos effectus secundum numerum in isto spiritualiter manducante, et in illo. Vel potest dici, quia hoc Sacramentum ex pluribus integratur, materialiter loquendo dicit *Sacramenta;* quia vero unum est formaliter, quatenus Corpus et Sanguis cedunt in unam naturam in Christo, ideo statim subdit, *et praesta, ut hoc tuum Sacramentum.*

ARTICULUS III.

UTRUM EUCHARISTIA SIT DE NECESSITATE SALUTIS.

Doctor, Oxon. 3. *d.* 40. — 4. *d.* 7. *q.* 2. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 73. *art.* 3.

VIDETUR Eucharistia esse de necessitate salutis. Etenim [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2.] Eucharistia est nutrimentum spirituale animae: sed nutrimen-

(1) Alensis ubi supra *in solutione* ita scribit: « Esto in Eucharistia sint duae species sensibiles, et duplex forma verborum, haec nihilominus, inquantum sunt de *esse* Sacramenti, unitatem habent ab institutione, effectu, et fine. Ab institutione, quia a Domino institutum est, ut haec mediante forma verborum essent Sacramenta Corporis Christi. *Corporis*, inquam, inquantum continet carnem et sanguinem; licet ergo sint diversa, ex institutione unum sunt Sacramentum, quia Sacramentum unius. Ab unitate etiam effectus, qui est existentia sive praesentia Christi secundum naturam Corporis sacramentaliter sub his speciebus. Item ab unitate finis, et hoc in significando: significant enim idem, scilicet passionem Christi, sive immolationem, repraesentant enim Christi immolationem, Lucae, 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Item hae species cum Corpore Christi contento unum sunt ab unitate finis in efficiendo, quia haec dignae susceptae unum efficiunt, scilicet animam cum corpore Ecclesiae.

tum corporale est necessarium simpliciter pro salute corporis; quippe quod sine eo cito esset interiturum et desiturum; ergo et nutrimentum spirituale est de necessitate salutis animae rationalis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 20.] In *Evangelio Ioannis,* cap. 6. legitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* manifestum est autem haec Salvatorem protulisse ac intellexisse de vita aeterna; igitur Eucharistia est de necessitate aeternae salutis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5.] Secundum Apostolum, 3. *ad Galat.: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis,* idest (ut exponit Magister., 4. dist. 4. cap. *Quaeritur*) qui in Christi conformitate baptizantur, ut moriantur vetustati peccati, sicut Christus vetustati poenae, induunt Christum, quem per gratiam inhabitantem habent. Baptismus igitur est Sacramentum Christi passionis. Sed etiam Eucharistia est Sacramentum memoriale mortis Christi, dicente Apostolo, 1. *ad Corinth.* 13. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 3.] *Quotiescumque panem hunc manducabitis, et calicem bibetis mortem Domini annunciabitis;* ergo sicuti sine Baptismo nulla est salus, ita nec quisquam salutem consequitur sine pane Eucharistico.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 2. — *Report.* ib.] Marci, ult.: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit.* Et *De Consecr.,* dist. 5. c. *Spiritus Sanctus,* expresse habetur, quemque per solum Baptismum posse salvari, licet opus quoque sit adulto caetera Sacramenta non contemnere, si facultas adsit ea cum effectu suscipiendi.

RESPONDEO ergo dicendum, [*Oxon.* 3. d. 40. n. 5.] solum Baptismum et Poenitentiam post lapsum esse Sacramenta ad salutem consequendam necessaria; et consequenter reliqua, si (ut dictum est) non contemnantur, non esse de necessitate salutis; nam sine ipsis contingit hominem ad salutem aeternam pervenire. Propter auctoritatem tamen allegatam ex *Evang. Ioannis,* intelligendum est, quemadmodum post factum praeceptum, et legem latam de Baptismo suscipiendo, omnes sine ulla exceptione obligantem, quis potest salvari si votum et desiderium habeat illum suscipiendi, et ob defectum ministri, aut alterius rei ad idem Sacramentum ministrandum necessariae, reipsa recipere non possit, ut dictum fuit *q.* 68. *art.* 2. Ita posse aliquem salvari etiam adultum, et plenam notitiam Eucharistiae habentem, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 2.] si votum et desiderium suscipiendi Eucharistiam habeat velletque recipere, et tamen aliqua infirmitate praepeditus, vel ministri copia destitutus eo Sacramento contingat privari. Iste enim tunc vere intelligeretur adimplere praeceptum Salvatoris de manducanda eius Carne, et bibendo eius Sanguine, non in effectu, sed spiritualiter; et huic convenit illud Augustini, quod ponitur *De Consecr.,* dist. 2. c. 47. *Ut quid paras dentes, et ventrem? crede et manducasti. Credere enim in eum hoc est panem vivum manducare. Qui credit in eum manducat eum, invisibiliter saginatur, quia et invisibiliter renascitur.* Talis igitur desiderans Corpus Christi manducare, et non potens, gratiam recipit Sacramenti, per quam salvatur, et in aeternum vivit, quia per eam spiritualiter renascitur et nutritur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 2.] respondeo, plurimum interesse inter cibum spiritualem et corporalem; nam cibus corporalis convertitur in nutriendum; et ideo nisi nutriens reipsa de

tali cibo sumat, necesse est ut cito contabescat, et pereat; at spiritualis cibus convertit cibatum in cibum, et ideo etiamsi in effectu non sumatur, sed tantum spiritualiter, poterit eumdem effectum sumenti praebere, et in seipsum cibatum convertere; quod et expressit Augustinus, *Tract.* 26. in Ioannem: *Crede,* inquiens, *et manducabis me: non me convertendo in te, sed tu converteris in me.* Votum igitur et desiderium percipiendae Eucharistiae potest sufficere ad salutem, si alia ratione quis particeps eius esse non possit, quod tamen solis adultis competere potest.

Ad secundum [*Oxon.* ib.] patet ex dictis *in solutione.* Salvatoris enim mandatum solos afficit adultos, qui de salutis necessitate Sacramenta quae ipsis congruunt non contemnere tenentur; caeterum si ea suscipere ob aliquam impotentiam non valeant, possunt salvari, si Christi Sacramenta votum teneant suscipiendi.

Ad tertium respondeo, utique Eucharistiam esse Sacramentum, in quo recolitur memoria passionis Christi, sed aliter ac in Baptismate. Hic enim suscipientes sacrum Lavacrum moriuntur vetustati peccati, ac in Christo novam vitam victuri spiritualiter renascuntur, sine qua nativitate ingredi nemo potest in regnum Dei. Eucharistia vero supponit iam spiritualiter renatos ac viventibus vitam gratiae tribuitur: est enim Symbolum unitatis fidelium, quae unitas est per charitatem; unde Augustinus (prout adducitur *a Magistro,* 4. d. 8. cap. *Numquid*) *Unus panis, et unum corpus Ecclesia dicitur, pro eo quod, sicut unus panis ex multis granis, et unum corpus ex multis membris componitur; sic Ecclesia ex multis fidelibus charitate copulante connectitur.* Quare ex necessitate Baptismi non licet inferre parem necessitatem Eucharistiae pro consequenda aeterna salute, modo non contemnatur, ut dictum est *in solutione.*

ARTICULUS IV.

UTRUM CONVENIENTER HOC SACRAMENTUM PLURIBUS NOMINIBUS NOMINETUR.

Doctor, loc. inf. cit. — Magist. Sentent. 4. *d.* 8. *cap.* Nunc. *S. Thom.* 3. *p. q.* 73. *a.* 4.

Respondeo, convenienter hoc Sacramentum pluribus appellari nominibus. In primis enim [*Quodlib.* q. 2. n. 23. seqq.] vocatur *Sacrificium,* tamquam signum rememorativum Christi passionis. Semel autem Christus oblatus est a seipso pro nobis, passionem suam et mortem Patri offerendo, et in memoriam eius oblationis, quam ipse obtulit in Cruce, ne excellentissimi beneficii a mente hominum excideret recordatio, hoc Sacramentum videtur specialius instituisse dicens: [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 3.] *Hoc facite in meam commemorationem.* Lucae, 22. et 1. ad Corinth., 11. Est praeterea *signum demonstrativum* rei praesentis, nempe unitatis fidelium, mystice per illas species significatae. Nam sicuti ex multis granis conficitur unus panis, et ex pluribus acinis vinum in unum confluit, sic ex multis fidelium personis unitas Ecclesiastica constat. Unde Augustinus [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3.] (estque *Gloss.* super 4. *ad Ephes.*) super illa verba, *Unus panis, et unum Corpus Christi sumus,*

Unus panis, inquit, *et unum corpus Ecclesia dicitur, pro eo quod sicut unus panis ex multis granis, et unum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia ex multis fidelibus charitate copulante connectitur.* Ac proinde [*Oxon.* 4. d. 11. q. 7.] recte appellatur *Communio,* vel *Synaxis,* quia hoc Sacramentum percipientes Christo uniuntur per fidem et charitatem. Et denique est *signum prognosticum* gloriae futurae per claram Dei visionem, et ideo recte dicitur *viaticum,* et datur illis, qui proficiscuntur ex hoc mundo, ut per ipsum ducantur ad terminum aeternae gloriae.

ARTICULUS V.

UTRUM INSTITUTIO HUIUS SACRAMENTI FUERIT CONVENIENS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 73. *a.* 5.

VIDETUR huius Sacramenti institutio minus fuisse conveniens. Nam constat Christum ipsum instituisse in ultima coena, et imminente eius passione, *Lucae,* 22. Baptismus videtur institutus fuisse non parum antea, cum ex *Ioann.,* 3. habeatur Christi Discipulos baptizasse. Tunc arguitur sic: Baptismus spectat ad spiritualem regenerationem, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 4.] et Eucharistia ad nutritionem eorum, qui in Christo sunt renati; igitur debuit statim post institutum Baptismum institui, sicuti debet recenter generatis de convenienti alimento provideri; igitur incongrue fuit expectatum tempus passionis pro eius institutione, quia interim non erat provisum in Christo renatis de spirituali alimento.

2. PRAETEREA. Per Eucharistiae Sacramentum homines Christo uniuntur ut membra capiti: sed Christus est caput omnium hominum, etiam illorum, qui ab initio mundi extiterunt; ergo non debuit huius Sacramenti institutio differri usque ad tempus imminentis passionis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 3.] Ex eo quod Christus iusserit confici in Ecclesia Eucharistiae Sacramentum in memoriam passionis suae, *Lucae,* 22. et 1. *ad Corinth.,* c. 13. dicitur, et recte, memoriale dominicae passionis: sed memoria est praeteritorum, et non futurorum; passio autem quum institueretur erat futura; ergo minus convenienter videtur fuisse institutum ante Christi passionem.

4. PRAETEREA. Per Baptismum aliquis ordinatur ad Eucharistiam, quae nonnisi baptizatis dari debet: sed Baptismus institutus fuit post Christi passionem et Resurrectionem, ut patet *Matthaei ultimo;* ergo inconvenienter hoc Sacramentum fuit ante Christi passionem institutum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 4.] Hoc Sacramentum fuit institutum a Christo in ultima coena, ut dicitur in Evangelio; igitur convenientissime.

RESPONDEO, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 3.] *art.* 1. attigimus quaedam capita convenientiae institutionis Sacramenti Eucharistiae, atque eadem rursum breviter perstringendo dicimus, convenientissime hoc Sacramentum in Lege Evangelica institutum fuisse. Per hoc enim quod Christus sub speciebus sensibilibus panis et vini nobiscum veraciter manens in Ecclesia adoretur, mire devotio fidelium et reverentia debita erga hominum Salvatorem fovetur atque augetur. Et de facto expe-

rimur praecipuam fere fidelium devotionem in Ecclesia circa Eucharistiae Sacramentum versari. — *Deinde,* apprime congruum fuit et conveniens post generationem spiritualem conferri nobis et spirituale alimentum, et quidem excellentissimum, quale est verum Christi Corpus, et praesertim sub speciebus panis et vini, quae inter corporalia nutrimenta primum locum tenent. — *Tertio* congruum fuit, ut illud signum sensibile sub quo voluit Christus nobiscum esse, et in cibum spiritualem suis fidelibus se dare, haberet ordinem ad verba quaedam ab aliquo ministro proferenda, quo certi essemus de Christi praesentia sub illis speciebus, ne ob eius rei incertitudinem periret devotio, et debita erga Christum reverentia. — *Et denique* conveniens fuit esse in Ecclesia Catholica ministrum adeo excellentem, nempe Sacerdotem, ad cuius actum ministerialem, prolatione quorumdam verborum repraesentandum, Christus Sacramentaliter inciperet esse nobiscum sub illis vini et panis speciebus. Fuit igitur istius Sacramenti convenientissima institutio.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] revera Baptismum ante Eucharistiam videtur fuisse institutum, licet officium solemniter baptizandi Apostoli post Christi resurrectionem acceperint, ut patet *Matthaei ultimo, Euntes baptizate omnes gentes,* etc. — *Cum igitur arguitur:* Eucharistiae Sacramentum debuisse statim post institutum Baptisma institui, sicuti debet mox natis de necessario cibo provideri; *respondeo,* ex eo dumtaxat probari Eucharistiae Sacramentum non esse necessarium ad salutem, ut Baptisma est necessarium, sicuti dictum fuit supra *art.* 3. ubi extitit declaratum qualiter plurimum interest inter cibum corporalem, et spiritualem, qualis est Eucharistia. Ad salvandam tamen convenientiam talis institutionis, satis fuit post spiritualem generationem provisum fuisse de spirituali alimento, licet non statim, quia sine eo poterant renati salutem adipisci, ut poterant in Lege Moysi qui subdebantur Circumcisioni. Quam [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 8.] vero convenienter a Christo expectatum fuerit tempus ultimae coenae pro eius institutione, declarat Augustinus ad inquisitiones Ianuarii, et ponitur *De Consecr.,* dist. 2. c. *liquido: nam Salvator,* inquiens, *quo vehementius commendaret mysterii huius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere in cordibus discipulorum.*

Ad secundum, etsi aliqui putent Eucharistiam institui non potuisse ante Incarnationem, quia est Sacramentum continens Christum passum, tamen huius dubitationis dilata discussione ad *art. seq., respondeo,* [*Oxon.* 3. d. 25. q. 1.] quotquot hominum salutem aeternam adepti sunt ab initio mundi, in Mediatorem credidisse, ac Deum eis gratiam contulisse propter merita ipsius praevisa, atque unitos extitisse per fidem et charitatem capiti Christo, quem venturum credebant.

Ad tertium respondeo ex dictis *ad primum.* Nam etsi ante passionem fuerit Baptismi Sacramentum institutum, nihilominus tantum post resurrectionem dedit Apostolis potestatem solemniter baptizandi dicens: *Euntes, baptizate omnes gentes,* etc.; tunc ergo Eucharistia coepit esse signum memorativum passionis exhibitae, ut ante passionem praesignabat mox futuram.

Ad ultimum *est responsio talis:* institutio respondet ordini intentionis; Sacramentum autem Eucharistiae, quamvis sit Baptismo posterius in perceptione, est tamen prius in intentione, et ideo debuit prius

institui. Vel potest dici quod Baptismus iam erat aliqualiter institutus in ipso Christi Baptismo; unde et iam aliqui ipso Christi Baptismo erant baptizati, ut legitur *Ioann.*, 3. — *Nos dicimus* neutram responsionem esse probandam. Nam isti sentiunt Christi adventus finem primarium extitisse ut deleretur peccatum originale: id autem praestitit Christus Baptismi institutione; ergo secundum hoc debuit prius hoc Sacramentum institutum esse, quam Eucharistia, quae est Sacramentum vivorum, nec per se delet peccata. *Nec secunda;* [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 1.] nam quando Christus baptizabatur a Ioanne non tradebatur Baptismus in ea forma, qua Christus voluit esse conferendum, sed in forma Ioannis; ergo tunc nullo modo erat Baptismus novae legis Sacramentum institutus. Sed de hoc actum *quaest.* 66. *art.* 2. — *Respondeo ergo ad argumentum, minorem* esse negandam, quia manifeste oppositum convincitur ex Scriptura, ut dictum est *art. statim cit.*, licet praecise hora institutionis eius in Evangelio non legatur. Unde quemadmodum Sacramentum regenerationis spiritualis ante suam passionem instituit Christus, ita pariter et alimentum animae paravit antequam pateretur; et quidem convenientissime; sicut enim prius homo nascitur et postea ad vitae necessitatem utitur alimentis, ita prius debet in Christo per Spiritum Sanctum renasci, ut Corporis et Sanguinis eius in spiritualem alimoniam fiat particeps.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM EXISTENTIA SACRAMENTALIS CORPORIS CHRISTI IN EUCHARISTIA ESSENTIALITER A NATURALI DEPENDEAT, VEL ILLAM NECESSARIO INFERAT?

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 73. *a.* 5. § Ad secundum. *Caietanus in Comment. super art.* 2. *quaest.* 76. 3. *p.* *Suarez.* 3. *p.* 3. *dist.* 48. *sect.* 2.

VIDETUR Christi Sacramentalem existentiam essentialiter naturalem praesupponere, atque ab illa pendere. Etenim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 4. n. 9. — *Report.* ib. n. 11.] quod nihil est in se, nihil quoque est ad quodcumque aliud comparetur; ergo Christus esse non poterit praesens speciebus Sacramentalibus, nisi prius existere intelligatur in suo *esse* naturali; igitur Christi Sacramentalis existentia necessario praesupponit *esse* ipsius naturale, atque ab eo essentialiter dependet.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 7.] Nisi Eucharistiae veritas dependeret essentialiter ab existentia naturali significati ipsius; igitur Christi Corpus posset incipere *esse* postquam fuit: hoc autem est plane inconveniens, quia idem bis produceretur. *Sed probatur consequentia:* nam in Incarnatione incoepisset illud corpus esse, et nihilominus prius extitisset vere, si staret veritas Eucharistiae. Consimiliter argui potest de *desinere esse;* siquidem idem corpus *esse* desineret postquam amplius non esset. Nam *esse* desinendo sub modo naturali, absolute et simpliciter non esset, et tamen stante Eucharistiae veritate, vere maneret, et subinde posset etiam desinere *esse,* quatenus in Eucharistia reperitur. — *Confirmatur:* [*Oxon.* ib. n. 9.] per corruptionem, quam natura posset inferre Corpori Christi

separaretur anima a corpore, et eodem modo secundum esse naturale et Sacramentale; quia est prior omni respectu et modo eius corporis; ergo Christi Corpore *esse* desinente sub existentia naturali, non posset interim *esse* desinere sub modo Sacramentali, et e converso.

3. PRAETEREA. Eucharistia est Sacramentum perfectum dominicae passionis, tamquam continens ipsum Christum vere passum; ergo institui et esse non potuit ante Incarnationem, quia tunc minime haberi potuisset veritas ipsius.

CONTRA. Christus existens in Caelis modo naturali, idest extenso et quantitativo, non oportet pariter esse praesentem speciebus Sacramentalibus modo inextenso et non quantitativo; nam [*Oxon.* ib. n. 4.] post generalem resurrectionem non erit amplius Eucharistia: est enim hoc Sacramentum institutum pro tempore peregrinationis Ecclesiae; tunc igitur Christus praecise est habiturus suum modum naturalem existendi. Cum ergo modus naturalis a Sacramentali essentialiter non pendeat, nec Sacramentalis Christi existentia necessario infert, nec essentialiter pendet ab existentia eius naturali.

RESPONDEO: *prima conclusio* est, Christum existere modo inextenso, et indivisibili in speciebus Eucharisticis, non essentialiter pendere, nec necessario inferre existentiam eius sub modo naturali, qui modus est quantitativus, locoque commensuratus, atque circumscriptus. *Probatio:* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 8.] quotiescumque existentia aliqua substantialis indifferens est ad duos modos, sicuti potest simpliciter esse et haberi sub uno modo, ita et sub alio: sed existentia realis et substantialis Corporis Christi est indifferens ad modum quantitativum et extensum, et Sacramentalem et inextensum; ergo simpliciter potest haberi, et substitisse sub modo Sacramentali, esto non esset sub alio modo, qui est naturalis et quantitativus in ordine ad locum. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 9.] existentia sub modo naturali non est de ratione formali existentiae subiectae modo Sacramentali, nec est eius causa; ergo modus hic Sacramentalis essentialiter non dependet ab naturali, nec illum necessario infert, nam nihil dependet essentiali dependentia ab alio, nisi spectet ad rationem formalem ipsius, aut nisi sit causa eiusdem. Non ita se habet modus naturalis; siquidem Christi Corpus speciebus Eucharisticis realiter praesens caret omnino modo naturali, imo est incompossibilis sibi existenti sacramentaliter: si ingrederetur autem essentiam eius, esse aut intelligi non posset sine illo; quod enim est aliquid destitui nequit essentia, qua sola est tale; de essentia vero modi naturalis est esse extensive; igitur et talis foret modus Sacramentalis. Etenim Deus est causa immediata existentiae corporis Christi in Sacramento; ergo corpus sub modo naturali existens non est causa immediata existentiae Corporis Christi in Sacramento. Ergo corpus sub modo naturali existens non est causa existentiae suae, quatenus sacramentalibus speciebus est realiter praesens. — *Postremo,* [*Oxon.* ib. n. 6. seqq.] Eucharistia non dependet ab eo, quod nec est Sacramentum, nec res Sacramenti, nec causa eius: sed existentia sub modo naturali non est Sacramentum, nec res Sacramenti; imo res Sacramenti est existentia sub alio prorsus modo, et penitus diverso ab illo; nec causa eius, ut extitit declaratum; ergo modus hic Sacramentalis corporis Christi non dependet essentialiter, nec necessario infert naturalem, extensum nempe et quantitativum. — *Re-*

spondeo, [*Oxon.* ib. n. 6.] rationem hanc concludere de absolutis, non vero de respectibus; nam respectus sine fundamento et termino fieri omnino non potest; Eucharistia autem involvit respectum, cuius terminus est existentia corporis sub modo naturali. — *Contra,* existentia realis et substantialis Christi, licet sit eadem sub utroque modo, naturali nimirum et Sacramentali, ut tamen in Eucharistia reperitur, relationis ad Sacramenti veritatem spectantis terminus non est existentia illa quatenus modum naturalem habens, sed magis ut est sub modo disparato, ac priori modo repugnante; nam eo modo est res contenta in Eucharistia, quo modo est primum signatum huius signi. In eo enim differt hoc Sacramentum ab aliis, quod istud realiter contineat suum primum signatum, ut est suum signatum primum: existentia autem sub modo naturali non continetur hic realiter, imo est sub alio modo penitus disparato; ergo Eucharistiae veritas vel relatio importata per ipsam non coexigit pro termino existentiam Corporis Christi sub modo naturali.

Secunda conclusio: [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 8.] ante Incarnationem potuit ita vere Eucharistia fuisse, uti et modo est, idque tam quoad rem signatam, et contentam in ipsa; et quidem id evidenter sequitur ex prima. Nam ex hypothesi iam declarata, quod nulla sit dependentia modo existendi Sacramentaliter ad modum existendi naturalem; ergo spectata Dei absoluta potentia potuit hoc Sacramentum institutum fuisse ante Incarnationem. Sed praeterea probo idipsum *a priori:* [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib.] ubicumque res temporalis habere potest veram existentiam realem, ibi postquam non fuerit, potest incipere *esse* simpliciter: sed Christi Corpus potest simpliciter habere existentiam realem sub modo existentiae Sacramentalis; ergo postquam non fuit habens existentiam realem sub tali modo, potest simpliciter incipere *esse;* cum simpliciter potuerit *esse;* ergo ad hoc ut sub modo hoc incipiat *esse,* non oportet sub alio modo pariter incipere *esse.*

Tertia conclusio: [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 10.] post Incarnationem posset Christi corpus desinere *esse* sub modo naturali et quantitativo, perstante Eucharistiae veritate, tam quoad signum, quam quoad signatum. Nam si ad hoc, quod est Corpus Christi realiter contineri in Eucharistia non necessario sequitur Corpus illud possidere existentiam sub modo naturali; ergo primum fieri potest sine secundo.

Nec iuvat respondere, [*Oxon.* ib. n. 7. · *Report.* ib. n. 10. seqq.] quum Corpus Christi incipit esse sub Eucharistia, oportere ut simul esse incipiat alibi et in se; *nam hanc responsionem* plane excludunt evasiones factae ad primam conclusionem. Si enim perinde habet existentiam realem sub uno, et non sub altero modo existendi, quoniam eadem substantialis existentia non dependet ab alio modo existendi, sequitur ipsum obtinere posse simpliciter incoeptionem sub modo Sacramentali, absque eo quod incipiat *esse* sub modo naturali.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 9.] *cum dicitur,* quod nihil est in se, nihil est in altero; *responsio:* si τὸ *in se* intelligatur interimendo, vel praescindendo omnem modum essendi in altero, falsum est Christi Corpus modo Sacramentali existens nihil esse in se. Nam ipsum Corpus aeque vere habet *esse* suum reale sub modo existendi in alio sicuti *in se.* Si autem intelligatur in se non praescindendo, sed ponendo propriam existentiam huius realem, concedo nihil esse posse in alio, quod nihil est in

se. Ex quo fit, ut si Christi Corpus tantum reperiretur in Eucharistia, etiam hac ratione esset *in se*. Siquidem ita verum *esse* habet isto modo *in se* in Eucharistia, ubi est sub signo, sicut in Caelo ubi sub signo non est, sed magis est sub modo suo naturali et quantitativo.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib. n. 11. seqq.] utramque *consequentiam* falso ex praeceptis deduci, et ideo negandam. Nam habens esse simpliciter, si incipiat sub alio modo, non incipit nisi *secundum quid;* et simpliciter manens, si desinat alicubi sub alio modo, non desinit nisi *secundum quid.* — *Ad probationem* de Incarnatione *dico,* possibile foret illud idem Corpus fuisse formatum de sanguinibus Virginis, idque sub modo essendi naturali, non obstante quod Eucharistiae veritas iam praecessisset. Sed illa formatio de sanguinibus Virginis non fuisset tunc simpliciter incoeptio corporis, quod iam *esse* accepisse per creationem supponitur; sed *esse* incoepisset *secundum quid.* Sicut modo conversio panis in Corpus non est incoeptio Corporis, nisi *secundum quid,* cuius rei ratio est, quia quod sic incipit praehabet *esse* simpliciter. — Atque eadem est responsio ad id quod *secundo infertur:* [*Oxon.* ib. n. 8.] nam desitio corporis sub modo naturali non foret desitio nisi *secundum quid,* modo praestaret idem corpus habens eamdem existentiam substantialem sub modo Sacramentali. — *Si obiicias:* fuit tunc incoeptio simpliciter in Christi conceptione; ergo pariter incoeptio simpliciter extitisset, si Eucharistiae veritas ante Incarnationem repraesentata fuisset; non enim minus verum *esse* Corporis Christi dici posset tunc sub modo naturali quam modo, et per consequens si id *esse* accepisset, non extitisset minus vera incoeptio corporis accipientis tale *esse; respondeo,* incoeptio simpliciter requirit non tantum, ut sit acceptio *esse* simpliciter eius, quod dicitur incipere, sed praeterea postulat, ut sit omnino *esse* eiusdem. In iam peracta Verbi Incarnatione non tantum fuit acceptio *esse* simpliciter corporis, sed etiam primi *esse* ipsius. Ex hypothesi quod Eucharistia Incarnationem praecessisset, extitisset quidem in Christi conceptione ex sanguinibus Virginis incoeptio *esse* simpliciter sub modo naturali, non tamen primi *esse*, quia praecessisset idem *esse* simpliciter sub alio modo; et ideo ea incoeptio tantum *secundum quid* fuisset, etsi modo simpliciter incoeptio sit, quia ex Maria Virgine primum *esse* simpliciter accepit. Quia ergo tali in casu Beata Virgo non conciperet proprie per actionem generativam *in fieri,* haud dicenda foret Mater Christi; nec enim communicaret materiam corporis formationi necessaria; esset igitur mater secundum eum modum, quo procederet ab ipsa, ac reduceretur corporis eius formatio ad nutritionem et augmentum, caeterasque dispositiones, quae consequuntur ad animationem corporis in ventre matris.

Si vero argumentum inflectatur [*Oxon.* ib. n. 9.] ad desitionem, (ut tangitur in *confirmatione*); etenim desitio sub modo naturali est desitio simpliciter, cum illa corruptio sit corruptio simpliciter, idque ubicumque; ergo si ad desitionem Christi existentis sub modo naturali non sequitur corruptio eius sub modo Sacramentali; igitur manet postquam corruptum est; *respondeo:* nulla contradictoria sunt de eodem concedenda propter distinctionem eorum modorum essendi. Si ergo sermo sit de corruptione, quae est separatio partis a parte, sicut corporis ab anima, vel formae corporeitatis a materia, si talis corruptio est existentis sub modo na-

turali est etiam eiusdem sub quocumque modo; alioquin eadem forma simul informaret, et non informaret materiam eamdem, et per consequens Corpus Christi sub modo naturali fieri posset inanime, et simul vivere sub Sacramento, et e converso, quod est impossibile. Si autem sermo fiat de corruptione partium omnimoda, idest, desitione totius existentis sub hoc aut alio modo, utique posset desinere *esse* ut *hic*, non desinendo esse alibi, et e converso; nam totum posset desinere habere unum modum suae existentiae, retinendo sibi alium modum, sub quorum modorum utroque vere tota ista existentia salvaretur.

Ex quibus patet ad subiectam *confirmationem*. Etenim [*Oxon.* ib.] per corruptionem, quam natura inducere posset in Corpus Christi separando partem a parte, necesse foret separationem fieri huius rei eodem modo et respectu cuiusque modi existendi ipsius; sed per illam desitionem quam posset Deus efficere de potentia absoluta, non quidem *esse* rei simpliciter, sed rei sub modo isto, posset, inquam, res illa non subire unum modum essendi, et interim simpliciter existere sub alio modo essendi.

AD ULTIMUM respondeo, argumentum procedere iuxta ordinem praesentis providentiae, in quo et permissum est Adae peccatum, atque in satisfactionem eius passio Christi ordinata, et Eucharistia tandem fuit instituta. Sed evidens est, spectata Dei absoluta potentia rem aliter disponi, et repraesentari potuisse.

ARTICULUS VI.

UTRUM AGNUS PASCHALIS FUERIT PRAECIPUA FIGURA HUIUS SACRAMENTI.

Doct., Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 6. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 73. *a.* 6.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4.] etsi multae figurae in veteri Testamento praecesserint hoc Eucharistiae Sacramentum praesignantes, praecipuam tamen eius figuram extitisse *Agnum Paschalem*, quem immolare tenebatur multitudo omnis filiorum Israël; et ex eo potissimum constare, quia Christus, iam sua passione imminente ultimo coenans cum discipulis suis, de Agno secundum legem comedens continuo hoc Eucharistiae Sacramentum instituit, quo facto causaliter expiravit illa legalis figura, non quidem pro tunc, sed pro tempore publicationis eius causae et Legis Evangelicae.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUARTA.

DE MATERIA EUCHARISTIAE QUANTUM AD SPECIEM, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de materia huius Sacramenti. Et *primo,* de specie materiae: *secundo,* de conversione panis et vini in Corpus Christi: *tertio,* de modo existendi Corpus Christi in hoc Sacramento: *quarto,* de accidentibus panis et vini, quae in hoc Sacramento remanent.

Circa primum quaeruntur octo.

1. Utrum panis et vinum sint materia huius Sacramenti. - 2. Utrum ad materiam huius Sacramenti requiratur determinata quantitas. - 3. Utrum materia huius Sacramenti sit panis triticeus. - 4. Utrum sit panis azymus, vel fermentatus. - 5. Utrum materia huius Sacramenti sit vinum de vite. - 6. Utrum sit admiscenda aqua. - 7. Utrum aqua sit de necessitate huius Sacramenti. - 8. De quantitate aquae quae apponitur.

ARTICULUS I.

UTRUM MATERIA HUIUS SACRAMENTI SIT PANIS ET VINUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 6. *et* 7. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *a.* 1.

VIDENTUR panis et vinum non esse materia huius Sacramenti. Istud enim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. — d. 1. q. 6.] Sacramentum est institutum ad repraesentandam Christi passionem, iuxta illud Apostoli, 1. *Corinth.,* cap. 11.: *Hoc facite in meam commemorationem:* sed Christi passionem perfectius repraesentant oblationes hostiarum, et sacrificia animalium, quam panis et vinum; siquidem in veteri Testamento ad Christi mortem prefigurandam erant sacrificia, et illae hostiarum oblationes institutae, non autem panis et vinum; igitur vel panis et vinum non erit huius Sacramenti materia, vel non erit conveniens.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. — *Quodlib.* q. 20. n. 20.] Christus Sacramentum Eucharistiae instituit in ultima coena ut esset memoriale passionis suae dicens, *Hoc facite in meam commemorationem,* Lucae, 22. et 1. *ad Corinth.,* cap. 11. Sed panis quamvis repraesentet Corpus Christi in se, non tamen quatenus passum et mortuum fuit; ergo materia huius Sacramenti Eucharistiae non debuit esse panis, si peragendum est iuxta finem intentum ab institutore ipsius. *Probatio minoris:* nam panis est repraesentativum Corporis Christi, quatenus uti panis est ex multis granis, ita Corpus Christi tum verum, tum mysticum ex multis membris; hic vero nulla involvitur, nec exprimitur circumstantia passionis Christi.

3. PRAETEREA. Ex dictis *quaest. praec. art.* 6. Agnus paschalis prae caeteris figuris, quarum fit mentio in veteri Testamento, expressius hoc Sacramentum praefigurabat; ergo convenientius institutum fuisset et mandatum, ut conficeretur in carnibus Agnorum; ergo minus congrua eius institutio videtur facta in pane triticeo, quae remotior est figura carnis ad carnem ipsam comparata et assumpta ad carnem significandam.

4. PRAETEREA. Minus convenienter videtur vinum adhibitum ad huius perfectionem Sacramenti: tum quia in pluribus terrae plagis vinum non conficitur, eo quod tellus uvas non ferat: tum quia vinum non est praebendum corpore infirmis: sed hoc Sacramentum est animae spiritualis medela et salus; ergo non congruit vinum institutioni ipsius.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 1.] *De Consecr.*, dist. 2. cap. 3.: *Scriptura dicit, quotiescumque enim ederitis panem istum, et calicem istum biberitis, mortem Domini annunciabitis quoadusque veniat. Quotiescumque ergo calicem in commemorationem Domini, et passionis eius offerimus, id quod constat Dominum fecisse, facimus.* Igitur eius Sacramenti ex Christi institutione propria materia est panis et vinum.

RESPONDEO [*Oxon.* ib. et q. 7.], Eucharistici Sacramenti materiam convenientissimam esse panem quo utimur ad vescendum, et vinum quo utimur ad potum, idque ex divina institutione, ut dicitur *De Consec.*, dist. 2. cap. 5.: *In Sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aquae mistum.* Cum enim istud Sacramentum sit signum nutrimenti spiritualis, in illis quam convenientissime institutum fuit, quae sunt signa principalis nutritionis corporalis. Sed principale nutrimentum corporis quantum ad cibum est panis ex tritico, et quantum ad potum est vinum de uvis expressum; igitur panis et vinum est huius materia Sacramenti. — *Deinde,* Eucharistia (ut dictum fuit *quaest. praec. art.* 4.) significat Corpus Christi verum, et Corpus Christi mysticum, quia per ipsum fideles Christo incorporantur, evaduntque membra eius. Sed non poterat istud convenientius significari, quam per materiam, in qua institutum fuit. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 1.] *Sicut enim* (ait Augustinus, 1. *Corinth.*, cap. 10.) *unus panis ex multis granis, et Corpus Christi ex multis membris, ita Ecclesia ex multis personis.* Et tametsi in aliis quoque segetibus potuisset haec similitudo haberi, in aliis nihilominus non fuisset inventa proprietas principalis alimenti humani, quod omnino oportuit ad exprimendum et significandum praecipuum animae alimentum, quale est Eucharistiae mysterium.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, concedendo sacrificia et oblationes hostiarum expressius signasse, et significare etiam posse Christi passionem; at in illis carnibus hostiarum non fuisse conveniens hoc sacrificium institui. Cum enim sit institutum ad communem usum viatorum, [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 20.] ut expressit Salvator, *Ioann.*, 6. dicens: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* in carnibus animalium immolatorum minus convenienter Auctor Sacramentorum habere potuisset talem usum; et minus expressisset Corpus Christi mysticum, ut sit per multa frumenti grana ad panem unum fabricandum adhibita.

AD SECUNDUM dico sic: Sacramentum (ut ait Hugo) signat ex similitudine, repraesentat autem ex institutione. Unde quamvis ex naturali similitudine panis signet corpus absolute, et sine circumstantia passionis, ex Christi nihilominus institutione signat corpus ut est relatum ad passionem; Passio enim Christi comestioni comparatur propter vehementiam passionis, et multiplicem comminutionem. — Dicimus etiam ex vi institutionis suae signare Christum passum; [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. — *Report.* ib.] panis enim est corporis repraesentativum per se et primo

et non sanguinis, et vinum sanguinem per se repraesentat, et non corpus, nisi de consequenti, adeo ut si dum in sepulchro iacebat Christi Corpus exangue, aliquis Apostolorum Eucharistiam confecisset, sub specie panis tantum corpus a Deo positum esset, et non sanguis; igitur panis consecratio repraesentat Christi passionem et mortem, quia recolitur memoria passionis, per quam sanguis et anima a corpore separata fuere.

AD TERTIUM patet responsio ex dictis *ad primum:* nam si in carne alicuius animalis institutum fuisset, non poterat esse adeo omnibus viatoribus commune, sicuti est in speciebus panis et vini, quibus omnes homines ad vitae corporalis sustentationem utuntur. Verum est igitur carnem magis exprimere carnem Christi, in quantum corpus eius caro est, sed non ut est cibus; imo quia panis est cibus generalis omnium, convenientissime, ut dictum est, fuit hoc Sacramentum in pane institutum.

AD QUARTUM quoad *primam instantiam* patet responsio ex dictis *q.* 72. *art.* 2. *ad tertium.* Ad *secundum* dicimus, hoc Sacramentum non esse mortuorum, vel infirmorum graviter laborantium, sed viventium vita gratiae: his enim tantum est praebendum ut spiritualiter vino isto laetificentur.

ARTICULUS II.

UTRUM REQUIRATUR DETERMINATA QUANTITAS PANIS ET VINI AD MATERIAM HUIUS SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *a.* 2.

VIDETUR materia huius Sacramenti esse debere determinata, ultra quam nimirum [*Oxon.* 4. d. 10. q. 2. n. 13. seqq.] minime Sacramentum conficiatur; si enim non requireretur determinata quantitas ad hoc Sacramentum conficiendum; igitur posset quantacumque materia panis et vini consecrari, sub quibus speciebus esset verum Corpus et Sanguis Christi; hoc autem est inconveniens; igitur hoc Sacramentum determinatam requirit materiae quantitatem. — *Probatur minor:* nam Deus absque ulla contradictione posset quodlibet corpus in panem et vinum convertere; si igitur panis occupans omnem locum et omne *ubi* foret apta materia huius Sacramenti, igitur idoneo ministro pronunciante verba consecrationis super illam, Christi Corpus esset ubique, et ita immensum; atqui immensum esse solius Dei est; ergo requiritur ad hoc Sacramentum determinata materia.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3.] 2. *ad Corinth.*, cap. ult. inquit Apostolus: *Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in aedificationem;* igitur Eucharistiae minister non habet potestatem conficiendi nisi in aedificationem: sed si posset consecrare materiam quamlibet illimitate abuteretur data potestate in destructionem, quia tanta panis quantitate non uterentur homines cum debita reverentia et devotione; si enim Eucharistia dispensaretur in magna quantitate potius esset ad crapulam, quam ad reverentiam debitam Sacramento.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 2. d. 2. q. 9. n. 1.] Secundum Philosophum, 2. *De Anima.* text. 41., omnium natura constantium determinata est ratio ma-

gnitudinis et augmenti, ac subinde est in eis determinata paucitas et magnitudo: sed qua ratione est status in natura versus magnitudinem et paucitatem, eadem, vel potiori status esse debet in ordine gratiae, ad quem ordinem spectat materia omnis Sacramentorum; ergo ut Sacramentum Eucharistiae perficiatur sunt verba consecrationis pronuncianda super determinatam materiae quantitatem.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] 1. q. c. *Quod quidam: Nulla causa ostenditur, cur ille, qui Baptismum non potest amittere, ius amittere possit baptizandi:* igitur a simili, qui ordinem Sacerdotalem amittere non potest, nec ius conficiendi amittere potest: sed nullus Sacerdos potest amittere potestatem sacerdotalem, quia character est indelebilis; ergo potest ea uti super qualibet idonea materia, seu determinata sit, seu indeterminata.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 3. et 6.] Eucharistiae Sacramentum ut absolute conficiatur non postulat aliquam quantitatem determinatam, taliter ut si talis non sit confici nequeat; ut enim hoc Sacramentum absolute et simpliciter perficiatur, tantum requiritur debita materia (de qua dictum fuit *art. ant.* et dicetur *art seq.*) et minister idoneus, qui ad hoc ut talis sit tres habeat oportet conditiones, scilicet ut sit Sacerdos, ut proferre queat verba consecrationis, et quod denique possit habere intentionem debitam faciendi id quod intendit facere Ecclesia, vel quod faciendum instituit Christus; quantacumque igitur materia oblata, si minister idoneus super eam consecrationis verba pronunciet cum debita intentione, erit verissime consecrata, et ita Eucharistiae Sacramentum vere confectum; igitur non requiritur hic aliqua materia determinata.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4.d. 10. q. 2. n. 14. seqq.] concedo, Christi Corpus posse reperiri Sacramentaliter ubique, si omne *ubi* occuparet materia Eucharistiae, et super illam proferret necessaria verba idoneus minister. — *Et cum arguitur* contra, quia esse ubique est proprium Dei; *respondeo,* Deum ex sua immensitate esse ubique necessario, quia nullum potest esse *ubi,* in quo non sit secundum praesentiam, potentiam, et essentiam, et ita esse ubique nemini alteri a Deo competere posse; at Corpus Christi tali in casu non esset ubique ex sui intrinseca perfectione, sed virtute tantum divina, eaque localis extensio non adderet illi aliquam perfectionem intrinsecam, sed solummodo reduceretur ad actum potentia obedientialis quam habet, ut creatura, respectu Dei.

AD SECUNDUM dico, eo tantum probari, ministrum consecrando Eucharistiam in magna et illimitata quantitate inordinate facere, non autem quod absolute et simpliciter non conficiat Sacramentum, si omnia necessaria adsint, ut dictum est; plus enim requiritur ad hoc ut minister ordinate faciat, quam ut simpliciter Sacramentum perficiat. Quae distinctio est generalis in omnibus Sacramentis.

AD TERTIUM respondeo, nullam de facto esse posse quantitatem nisi determinatae extensionis, nempe iuxta exigentiam formae materiam informantis, etiamsi per Dei potentiam plura *ubi* implere et occupare ponatur. Quod si in ordine gratiae, ad quem Sacramenta spectant, status esse debere intelligatur per respectum ad usum eorum, ad quem finem a Christo instituta fuisse constat, non videtur ex eo probari aliud, quam ministrum peccatorum consecrando materiam quae non cederet in usum fidelium, ut dictum est *Ad secundum.* — *Aliqui* tamen respon-

dent, quia numerus fidelium qui hoc Sacramento utuntur est indeterminatus, ideo non requiritur ut quantitas materiae huius Sacramenti sit determinata. — *Haec responsio* est probanda, cum modicus est excessus materiae, et moraliter putatur cessura materia in usum fidelium; tunc enim abest omnis inordinatio et peccatum, sed non in terminis *praemissae solutionis*. — *Verumtamen* si videatur omnino inconveniens, panem triticeum in quacumque quantitate esse materiam Eucharistiae et consecrari, si super eam a ministro idoneo proferrentur necessaria verba, potest dici probabiliter tunc panem non esse materiam idoneam consecrationi, propterea quod in ipsa non haberetur finis intrinsecus huius Sacramenti. Finis intrinsecus Eucharistiae est ut cedat in spirituale alimentum animae, et ideo significatur per species panis et vini, in quibus potissimum substantiis consistit corporale nutrimentum corporis. Si autem panis enormis omnino et excedentis foret quantitatis adeo, ut improportionabiliter excederet omnem usum per quem consumi posset a fidelibus, tunc tali in consecratione vel materia consecranda non haberetur finis intrinsecus huius Sacramenti; videtur igitur is panis non esse materia idonea, in qua Eucharistia conficiatur. Et tametsi partes eius materiae vel panis possent cedere in usum fidelium; quia nihilominus consecratio per se primo efficit et cadit super totum, et non super partes, usus partium eiusmodi materiae non videtur qualificare finem intrinsecum huius Sacramenti, ut in materia ingentis magnitudinis perfici queat. — *Confirmatur* hoc per ea quae dicta sunt in *art. incid. ad quaest.* 66. *art.* 9. *De Baptismo*. Nam non esset censendus quis baptizatus, si de ponte proiiceretur in flumen, vel in puteum ut ablueretur; quia cum Baptismus sit ordinatus ad vitam, et huiusmodi proiectio fiat cum morali certitudine mortis infantis qui proiicitur, ea ablutio repugnaret fini intrinseco Sacramenti Baptismatis, et propterea non foret censendus puer baptizatus; ergo pariter quia ingens moles panis repugnat fini intrinseco Sacramenti Eucharistiae, qui est usus fidelium, non videtur materia idonea huic Sacramento conficiendo. — Ut igitur utraque pars videtur probabilis, ita neutra est certa donec per Catholicam Ecclesiam determinetur.

ARTICULUS III.

UTRUM REQUIRATUR AD MATERIAM HUIUS SACRAMENTI QUOD SIT PANIS TRITICEUS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 6. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *a.* 3.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 1.] panem, ad hoc ut sit materia Sacramenti Eucharistiae, debere esse triticeum, adeo ut si conficiatur panis ex spelta, ordeo, avena, farre, aut aliis frugibus a tritico specie differentibus, Sacramentum minime perficiatur. Cuius rei nulla alia est ratio, nisi quia Christus hanc materiam instituit, et nullam aliam. Et porro ita instituisse ex eo constat, quia ipsemet in huius Sacramenti institutione, Eucharistiaque consecranda pane ex tritico confecto usus fuit. Quod et habetur *De Consec.*, dist. 2. *In Sacramento*, etc. ut supra *art.* 1. relatum fuit.

Eius autem rei *congruentia* [*Oxon.* ib.] accipitur ex illo Ioann., 12.

Nisi granum frumenti mortuum fuerit, etc. ubi se Christus grano frumenti comparat. Et Augustinus ibidem, *Cum sint,* inquit, *multa grana frugum, nulli se comparat, nisi illi unde mos coepit Ecclesiae de hoc solo grano confici Corpus Domini.* De farina itaque triticea aqua elementari coagulata debet panis formari, quia ita supponitur panem illum fuisse efformatum, quo usus est Christus consecrando. Nec sufficit pasta, sed panis requiritur, quia sic institutum est. — Ad quod etiam est *congruentia* talis relata pariter *art.* 1., quia cum Eucharistiae Sacramentum sit signum spiritualis alimenti, vel nutrimenti animae, in illis congrue instituitur, quae sunt signa principalis nutritionis corporalis: principale autem nutrimentum corporis quantum ad cibum est panis triticeus; ergo in hac materia convenientissime debuit hoc Sacramentum institui.

Utrum autem ex amido possit formari panis idoneus ad consecrandum? [*Oxon.* ib. n.2.] *Respondeo,* probabilius videri effici non posse. Etenim nobis innotescunt essentiae rerum ex propriis qualitatibus earum, et qualitates scimus ex operationibus, ut ait Aristoteles, 1. *De Anima,* text. 11. Secundum autem medicos cuilibet speciei inest qualitas et operatio consequens eam a tota specie quae consequitur formam propriam talis speciei, ac proinde alteri speciei diversae immiscibilis et incommunicabilis. In amido autem est alia operatio et qualitas subinde a tota specie, quae non est in pane triticeo, sicut apparet cernentibus eas, et assignantibus proprietates tales et tales quantum ad effectus; ergo videtur amidum esse alterius omnino speciei a pane triticeo. Quod et confirmatur; ex eo enim probamus acetum et agrestum differre specie a vino, nec esse materiam idoneam consecrationi, quia acetum a tota specie habet aliam operationem et qualitatem a vino. Etenim acetum est a tota specie frigidum, vinum autem a tota specie calidum, adeoque recte infertur oportere ea entia esse specie diversa. Cum igitur amidum consequatur alia operatio, quae oriri debet ex propria qualitate consequente essentiam eius, et pani triticeo insit alia operatio et qualitas, necessario sunt alterius et alterius speciei.

Dices, Christus instituit Eucharistiae Sacramentum in pane triticeo usuali: amidum autem reputatur usualiter panis triticeus; illae autem depurationes quae fiunt circa amidum praeparandum non videntur alterare a specie farinae triticeae; nam non fiunt ibi nisi decolationes, et purgationes, et huiusmodi, quae non videntur alterare medullam tritici a specie sua. — *Respondeo,* [*Oxon.* ib.] vere Christum instituisse hoc Sacramentum in pane usuali, modo non transierit in speciem diversam, sicuti instituit in vino usuali, at si vinum evaserit acetum, non est amplius aptum consecrationi; et ita videtur amidum alterius speciei a pane triticeo; et hoc vi illarum depurationum, et colationum, quod mirum non est cum minori labore vinum transeat in acetum, specie a vino diversum. Itaque cum probabilius sit, amidum esse alterius speciei a pane triticeo, et certum sit, tritici farinam purgatam, eo modo quo solent pistores eam purgare, esse materiam convenientem, ut ex ea conficiatur panis consecrabilis, praeparans hostias consecrandas graviter peccaret si ex amido eas praepararet, eo quod id sub dubio cadat. Utens forte potest magis excusari a peccato, putans talem materiam esse debite et convenienter confectam. At si in rei veritate non est ista materia consecrabilis, in consecrando non perficitur Sacramentum. Nec tamen est idololatria, nec occasio idolo-

latriae populo, quia quantum in se est, Minister supponit materiam esse idoneam, et a se, atque ab aliis adorandam.

Sed quid dicendum de pasta ex farina triticea confecta, [*Oxon.* ib. n. 3.] et non cocta, numquid in ea potest confici Sacramentum? — *Respondeo,* non posse. Quamquam enim panis et pasta non videantur specie differre; siquidem per hoc quod pasta coquatur in igne, non fit nisi exhalatio humoris aquei commixti cum partibus farinae, quae mixtio est per iuxtapositionem; illa autem separatio non mutat speciem, quia nec etiam mistio; nihilominus, ut dictum est, in pasta non potest confici Sacramentum, quia noluit Christus in Sacramentis suis istam subtilem disputationem de differentia specifica nobis imponere; sed ut panem usualem triticeum haberemus communiter pro materia consecrationis, sicut (quemadmodum ait Damascenus, *lib.* 4. *c.* 14.) illud quod communiter consuevit esse nutrimentum corporale, ipsum vel simile esset nobis Sacramentum institutum spirituale.

Et si dicas: [*Oxon.* ib. n. 3.] panis fit pasta per modicam compressionem in digitis; igitur post talem compressionem non erit materia consecrabilis sicuti nec ante decoctionem; *dico,* eo solum probari panem non differre specie a pasta, sed non ostendi post eam compressionem panem illum non esse materiam consecrabilem. Ex quo enim semel coctus et panis fuit, licet remittatur in illo consueta durities, quae solet esse in pane cocto, nisi manifeste recedat per compressionem in digitis a ratione panis usualis, semper habet rationem materiae idoneae consecrationi.

ARTICULUS IV.

UTRUM HOC SACRAMENTUM DEBEAT CONFICI IN PANE AZYMO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 6. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *art.* 4.

VIDETUR hoc Sacramentum confici non debere in pane azymo. Siquidem [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 4.] Graeci opinantur panem fermentatum esse de necessitate Sacramenti, ideoque negant nos Latinos Sacramentum conficere in panibus azymis. Probant autem *assumptum* per hoc, quia Christus instituens hoc Sacramentum consecravit in pane fermentato; igitur panis fermentatus est de necessitate huius Sacramenti; nam nisi utantur ministri materia in qua a Christo Sacramenta instituta sunt, minime perficiuntur. Quod vero Christus in pane fermentato consecraverit, probant ex eo, quia Christus passus est *Luna* 14. ut impleretur figura legis de Agno paschali, qui immolabatur luna eadem 14. Igitur Christus comedit Agnum paschalem ante *Lunam* 14. in qua coena hoc Sacramentum instituit. Sed ante *Lunam* 14. Judaeis non erat interdictus panis fermentatus; dies enim azymorum incipiebant 14. die *mensis primi* ad vesperam; igitur ante eum diem pane fermentato utebantur, ac subinde et Christus in coena eo usus fuit, et consequenter in eo consecravit.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 4. seq.] Lucae, 22.: *Venit dies azymorum, in qua necesse erat Pascha occidi, et misit Dominus Petrum et Ioannem dicens: euntes parate nobis, ut manducemus Pascha.* Igitur prima die

azymorum comedit Agnum Paschalem; quod idem expresse narratur *Matthaei,* 26. et *Marci,* 14. igitur commentum est dicere Christum praevenisse hanc diem, cum per omnia legem illam servaverit, quae scribitur Num. 28.: *Quartadecima die mensis primi Pascha erit, et decimaquinta die solemnitas,* principalis nimirum, ac proinde azymis panibus ea in coena usus fuit, ac consequenter in illis consecravit.

RESPONDEO ergo, revera Christum in azymis hoc Sacramentum instituisse, ut omnino ex Evangelio convincitur; sed tamen non esse negandum Graecos fermentato pane utentes vere Sacramentum conficere. Cuius rei ratio est, quia [*Oxon.* ib. n. 6.] de necessitate panis consecrabilis non est fermentatum, aut azymum esse, cum ii panes, secundum Anselmum, lib. *De Azymo,* non differant substantialiter; modo igitur sit panis triticeus, aqua elementari coagulatus, et coctus, vere seu Latini seu Graeci Eucharistiam perficiunt, esto illi in azymis, hi in fermentato conficere consueverint, Eucharistia conficitur, seu sit fermentatus, seu azymus, et ita sicuti veritas Eucharistiae est apud nos Latinos, ita et apud Graecos; licet consecrare in azymis panibus conformius sit institutioni Christi, et promulgationi factae per eius Vicarium Petrum.

Quamvis [*Oxon.* ib. d. 3. q. 2. n. 5. — d. 8. q. 2. n. 9.] igitur Ecclesiae latinae minister valide posset in fermentato consecrare, nihilominus ipse in hoc graviter peccaret, quia in Ecclesia latina de necessitate ministri est conficere in azymo, sicuti et Ecclesiae Graecae ministro necessarium est se ritui suae Ecclesiae conformare. Etsi interim ipsi graviter peccent opinantes nos in azymis panibus consecrantes, Sacramentum non conficere, et contemnentes rituum Ecclesiae Petri, praesertim cum habeamus fundamentum solidum, et doceamur per Evangelium, Christum sic instituisse istud Sacramentum celebrandum, et consequenter magis congrue sic celebratur, licet non necessario, quin aliter perfici posset, nempe in fermentato pane, ut dictum est.

AD ARGUMENTUM, dico [*Oxon.* ib. n. 4.] Christum non in fermentatis panibus, sed in azymis Eucharistiae Sacramentum instituisse, ut evincit Evangelicus textus praeallegatus. — *Et cum probatur,* quia Christus passus fuit *Luna* 14. ad implendam figuram Agni Paschalis; *respondeo,* ex dictis, *q.* 46. *art.* 9. Christum passum fuisse die decimaquinta, et vespere praecedentis diei, qui fuit primus azymorum, hoc Sacramentum instituisse, et sic illa hora, qua comedi debuit Agnus Paschalis secundum legem, scilicet *die* 14. *mensis primi,* comederunt Discipuli verum Agnum, nempe Christum Sacramentatum, et cessavit figura adventu veritatis, et tametsi eius Agni legalis immolatio fuerit immolationis Christi figura, non oportuit tamen pati et eadem die, qua Agnus immolabatur, sed satis fuit id evenisse in sequenti die, quae fuit quintadecima. Nam si fuisset necesse id peragi eadem quartadecima die, nec eadem hora factum fuisset; passus enim fuit ab hora sexta usque ad horam nonam, in qua expiravit in Cruce; immolatio autem Agni fiebat ad vesperam.

ARTICULUS V.

UTRUM VINUM VITIS SIT PROPRIA MATERIA HUIUS SACRAMENTI,

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 7. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *art.* 5.

VIDETUR non tantum vinum vitis, sed quodlibet aliud esse propriam materiam huius Sacramenti. Nam non tantum aqua maris est materia apta ad perficiendum Baptismum; ergo pariter non solummodo vinum vitis, sed etiam aliorum pomorum erit materia propria in qua potest perfici hoc Sacramentum.

2. PRAETEREA. Ex vino nullam passo permutationem acetum aliquando fit: vetitum est autem confici hoc Sacramentum in vino quod transierit in acetum; ergo vinum ex vite non est propria huius Sacramenti materia. *Probatio consequentiae:* nam in aceto iisdem, quantitate, et qualitate manentibus quae vinum sequebantur, ut perspicuitate, colore, aliisque, vinum quoddam de vite recte dici posse videtur. Non omne igitur vinum vitis est huius Sacramenti materia.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 7. n. 1.] *De Consecr.*, dist. 2. *a principio et plura capita sequentia*, decernitur materiam propriam huius Sacramenti esse tantum vinum vitis.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] vinum vitis, et non aliud, esse materiam idoneam, in qua perfici potest Eucharistiae Sacramentum. Cuius rei ratio principalis est, quia sic Christus instituit. Narrat enim Matthaeus, *cap.* 26. (aliique Evangelistae) post huius Sacramenti institutionem, ac dispensationem, dixisse Christum: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* (de eo scilicet quod in Sanguinem suum consecraverat, tradideratque discipulis suis) *usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.*

Congruentia autem [*Oxon.* ib.] tacta etiam *art.* 1. est quia secunda pars nutrimenti principalis, quae est potus, praecipue consistit in vino vitis; igitur convenientissimum fuit, ut vinum ex uvis vitis esset materia idonea Sacramento Eucharistiae, quod est spirituale animae nutrimentum; et quoniam hoc spirituale nutrimentum consistit in duobus, in Corpore scilicet et Sanguine Christi, ut in diversis signatis per differentes species, panis scilicet et vini, quatenus iste liquor continetur in uvis non potest esse materia huius Sacramenti, siquidem consistit in aliquo, quod est per se potus; nam quamdiu vinum est in botro, magis habet rationem comestibilis, quam potabilis. Quod et habetur *De Consecr.*, dist. 2. *Didicimus*, et cap. sequenti, ubi dicitur, *nam de expresso botro, idest de uvarum granis populus communicatur valde est omnino confusum; sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, utique omnem aquam elementarem ubicumque reperiatur esse materiam idoneam Sacramento Baptismi; sed sicuti non conficeretur Baptisma, si conferretur in aqua artificiali, quae tantum secundum nomen est aquae elementum, cum revera sit corpus quoddam mistum, ita [*Oxon.* ib. n. 1.] in quolibet vino expresso ex uvis vitis potest perfici Eucharistia, sed non in aliis vini generibus de pomis expressis, qui sane liquores nonnisi aequivoce *vini* nomine exprimi

quaeunt et debent, quum sint alterius prorsus rationis a vino, quod ex vitis uvarum racemis vulgo conficitur.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 2.] quamvis eiusdem sit quantitatis vinum quod in acetum mutatum est, ac etiam nonnullae videantur permanere qualitates, quarum similes in vino percipiebantur, nihilominus, vinum in aliam substantiam transisse, sic ut iure vinum dici non possit, nec vini species, ex eo est evidens quod acetum est a tota specie frigidum, vinum autem a tota specie calidum; alterius ergo et alterius substantiae sint oportet. Quum ergo Christus vinum in sua substantia consistens materiam huius Sacramenti esse voluerit, rectissime acetum repellitur, tamquam quid a vino vitis diversum in substantia, et nihil habeat commune cum illo, nisi quantitatem eamdem, et accidentia quaedam, quae non repugnant esse utrique substantiae communia, quamvis alterius et alterius rationis.

ARTICULUS VI.

UTRUM AQUA SIT VINO PERMISCENDA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 7. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *art.* 6.

VIDETUR aqua non esse vino permiscenda in Eucharistiae Sacramento. Nam [*Oxon.* 4. d. 1. q. 7.] ex dictis *q.* 22. *art.* 6. Christi Sacerdotium fuit figuratum in Sacerdotio Melchisedechi, et eius oblatio figurabat oblationem Christi: sed Melchisedechi oblatio fuit in pane et vino, nulla admista aqua, ut scribitur *Genes.*, 14.; ergo neque est vino permiscenda aqua in Sacramento Eucharistiae.

2. PRAETEREA. Sacramenta distincta sunt, similiter et signa in illis, sive materialia, in quibus sane non communicant; ergo quoniam aqua est propria Baptismi materia, esse non debet materia et signum alterius Sacramenti, quale est Eucharistia.

3. PRAETEREA. In signum quod corpus Christi est ex membris purissimis, panis, ex quo conficitur, fit ex granis purissimis; ergo quia Sanguis Christi pariter purissimus est, oportet ut conficiatur ex vino purissimo. Unde sicuti nihil pani admiscetur cum ex eo conficitur Sacramentum, ita nec vino est aliquid apponendum.

4. PRAETEREA. [*Quodlib.* q. 21.] Si vinum foret aqua perfundendum, maxime ad mysticam significationem, de qua fit mentio dist. 2. *De Consecr.*, cap. 5. nempe ad exprimendam unionem debite participantium et percipientium Sacramentum cum Christo: sed aqua minus idonea est repraesentandi et significandi hanc unionem; ergo ipsa non est calici apponenda. *Probatio minoris;* unio membrorum cum capite Christo fit per fidem et charitatem: aquae autem proprietatibus hi habitus significari non possunt; aqua enim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3.] est suapte natura frigida, unde in ipsa confertur Baptismus, qui est ad reprimendum aestum concupiscentiae; non habet ergo convenientiam cum fide et charitate.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 7. n. 2.] *De Consecr.*, dist. 2. cap. 5. *In Sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit; hoc est panis et vinum aquae mistum.* Idem habetur c. *Non oportet,* et c. *Cum omne.*

RESPONDEO dicendum, in Sacramento Altaris aquam esse vino permiscendam. Nam [*Oxon.* ib.] Christus suo exemplo docuit ita esse hoc mysterium peragendum, iuxta Damascenum *lib.* 4. *cap.* 14. Christus calicem ex vino et aqua tradidit discipulis suis dicens: *Bibite ex hoc omnes, hic est enim Sanguis meus.* Mystica autem eius appositionis significatio est, quia per aquae cum vino commistionem significatur populus uniri Christo per fidem, et dignam Sacramenti perceptionem. Unde cap. cit. *Cum omne* scribitur, *Calix dominicus vino et aqua permixtus* (*iuxta Canonum praecepta*) *debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi Sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei in quem credit copulatur et iungitur. Quae coniunctio aquae et vini sic miscetur, ut mistio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, Sanguis Christi esse incipit sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, revera Melchisedechi oblationem figuram extitisse oblationis Christi; hanc autem tantumdem illi praecellere quantum umbra et figura cedit veritati rei figuratae. Oblatio itaque [*Oxon.* 3. d. 19.] Christi satisfecit pro peccatis totius mundi; promeruit enim ut Deus largiretur gratiam in remissionem omnium peccatorum mundi. Itaque decuit in Eucharistiae Sacramento, quod est praecipuum memoriale Christi passionis, tanti beneficii significare mysterium; id autem apposite fit cum aqua calici infunditur, ut dictum fuit *in solutione.* Et ideo licet Melchisedechi oblatio non fuerit peracta in vino diluto, debuit tamen id fieri in Sacramento singularissime expressivo Christi passionis. Quod et tangitur in praecitato cap. *Cum omne,* cum dicitur: [*Oxon.* ib. n. 1.] *Ergo quando botrus solus offertur, in quo vini tantum efficientia designatur, Sacramentum nostrae salutis negligitur, quod per aquam significatur.* Quasi diceretur, non potuit nec decuit Christi oblationis rememorativum Sacramentum esse sine aquae vino admistione, uti fuit illa Melchisedechi, quia cum saluberrimum sacrificium fuerit pro totius mundi salute oblatum, debuit id in Eucharistia designari, quod convenientissime fit per aquae appositionem, qua populi per Christi crucem et mortem significantur redempti.

AD SECUNDUM dicendum, sub alia atque alia proprietate aquam considerari, prout est signum in Sacramento regenerationis, et quatenus est signum in Sacramento redemptionis. Primo enim modo consideratur ut illi proprissime convenit virtus abluendi; secundo modo autem ut illi convenit decursus continuus in terram, propter quod homini comparatur, qui continue decurrit in mortem, 2. *Reg.,* cap. 14. *Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram.* In Sacramento igitur regenerationis aqua est signum spiritualis ablutionis; sed in Sacramento redemptionis signum est unionis redemptorum cum redimente.

AD TERTIUM respondeo, utique vinum purum magis Sanguini Christi purissimo assimilari, quam vinum aqua mistum; verum quia neque intentio Sacramenti, neque virtus in illa terminatur assimilatione, sed magis extenditur ad hoc, ut per illud sit virtus unitatis et charitatis in corpore, conveniens esse, ut apponatur aqua in signum eius unionis; et quamvis pani instante consecratione non admisceatur aqua, nihilo-

minus antequam sit panis necessaria est infusio aquae, sine qua panis esse non posset; non ita evenit in vino, unde est ei aqua apponenda. Quare *De Consecr.*, dist. 2. cap. *In sacrificando* scribitur: *Calix domini non est aqua sola, et vinum solum nisi utrumque misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest esse sola farina, nisi utrumque adunatum fuerit, et copulatum, et panis unius compage solidatum.*

AD QUARTUM respondeo: [*Quodlib.* q. 21.] etsi aqua quatenus frigida apta non sit significandi fidei fervorem, aut ardorem charitatis, unde stat unio membrorum cum Christo; attamen pariter ipsa perlucida est; qua ergo talis recte assumitur ad exprimendam fidei charitatem, qua populus ad Eucharistiam accedens certo tenet, Christum sub speciebus panis contineri, atque ei uniri per dignam Sacramenti susceptionem. Potest etiam dici, per aquam non significari causas unionis, quae sunt charitas et fides, sed ipsam unionem, iuxta Canonis contextum: *Cum in calice,* inquit, *aqua vino miscetur, populus Christo unitur,* idest copulandus significatur per fidem, et dignam Sacramenti perceptionem.

ARTICULUS VII.

UTRUM PERMISTIO AQUAE SIT DE NECESSITATE SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 7. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *a.* 7.

VIDETUR ea aquae permistio esse de necessitate Sacramenti. Quod enim Christus instituit fierique mandavit circa Sacramenta, id est de Sacramentorum necessitate. Nam si negetur aliquid ex pluribus rebus a Christo assumptis in Sacramentorum institutione ad eadem necessario pertinere, pari facilitate et ratione poterit negari de his, vel de pluribus. Sed, secundum Damascenum, *lib.* 4. *cap.* 14. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 7. n. 2.] Christus instituit hoc Sacramentum in pane et vino aqua permisto, et idem habetur, *De Consecr.*, dist. 2. cap. *In Sacramento;* igitur aquae permistio est de Sacramenti necessitate, sic ut aqua non apposita Sacramentum non conficiatur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 3. — 4. d. 3. q. 3. n. 7.] Ex dictis *art.* 1. Sacramentum Eucharistiae institutum fuit, ut in eo recolatur memoria passionis Christi, iuxta illud Apostoli, 1. *Corinth.*, c. 11. *Hoc facite in meam commemorationem:* sed de latere Christi lancea perfosso exivit Sanguis et aqua, sicut testimonium perhibuit Ioannes, qui vidit utrumque humorem inde profluere; ergo sicut huius Sacramenti materia necessaria est vinum habens similitudinem cum Sanguine, ita et paris necessitatis erit aqua.

3. PRAETEREA. Nisi aqua, et quidem elementaris, necessario concurrat ad huius Sacramenti conflandam materiam, igitur quaecumque aqua vino infusa perinde hoc Sacramentum constaret et conficeretur: sed usus Ecclesiae obtinuit, ut nulla aqua per artem chymicam confecta calici permisceatur, sed sola elementaris, quemadmodum nec aliud vinum, nisi ex uvis vitis expressum; ergo haec aqua spectare videtur ad materiam necessariam huius Sacramenti, non secus ac vinum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 7. n. 2.] *De Consecr.*, dist. 2. cap. *Cum*

omne, et *De celebr. Miss.,* c. *cum Marthae,* habetur, appositione aquae ad vinum in Calice significari populum esse Christo copulandum per fidem et dignam Sacramenti perceptionem: sed etiamsi Sacramentum hoc careret effectu, in tantum ut nemo ex suscipientibus Christo ita uniretur, adhuc veraciter rationem Sacramenti retineret, et verissime sub illis speciebus panis et vini Christi Corpus et Sanguis contineretur; ergo etiamsi aquam calici infundi praetermitteretur, qua effectus ille exprimitur, adhuc veritas Sacramenti subsisteret; adeoque aquae appositio spectare non potest ad huius Sacramenti essentialem perfectionem.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] aquae permistionem in calice esse tantum de necessitate ministri, non vero de necessitate Sacramenti, quod sine aqua simpliciter perfici posset, ut evincit ratio tacta ad oppositum. At si minister aquam vino infundere volens negligeret, sine dubio graviter peccaret. Is enim obstringitur Ecclesiae praecepto id fieri districte mandantis, nempe ad significandum atque exprimendum mysterium unionis fidelium cum Christo, ut declaratum fuit *articulo praeced.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, *cum arguitur,* aquam in calice vino fore miscendam instituit Christus, suoque facto comprobans, ut tradunt Sancti, ergo id oportet esse de necessitate Sacramenti. *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 1. seqq.] concedendo ita factum fuisse a Christo, non ad necessitatem, sed ad Ecclesiae instructionem et documentum. Quandoquidem, enim vinum habeat completam rationem principalis nutrimenti corporalis, habentis rationem potabilis, est complete signum nutrimenti spiritualis quoad potum, qui est Sanguis Christi, et consequenter in solo vino potest simpliciter et absolute perfici hoc Sacramentum, quod cum omnino consistere possit sine illo effectu per aquam designato consequens est, ut illud signum non spectet ad essentialem integritatem eius. Unde dist. 2. *De Consecr.,* cap. *Cum omne,* ex eo quod consecratur calix sine aqua non infertur quod Sacramentum non perficiatur, sed quod nostrae salutis Sacramentum negligitur, nempe quia non exprimitur ille effectus, quem diximus significari per aquae admistionem. Per aquam tamen vino admistam non solum hic effectus, qui est unio populorum innuitur, sed etiam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 7.] quia ex latere Christi fluxit Sanguis et aqua, ut dicitur cit. dist. 2. *De Consecr.,* cap. *In Sacramentorum.* Et denique eo facto significatur duas naturas in Christo reperiri, ut explicant Graeci.

AD SECUNDUM respondeo, Eucharistiae Sacramentum primo institutum fuisse ut esset cibus et potus spiritualis fidelium, ideoque assumpta esse pro materia quae principaliter spectant ad nutrimentum corporale, quale est panis triticeus, vinumque de uvis expressum. Adhibentes proinde eam materiam et signa, verissime veritas signata et Sacramentum subsistit; et interim memoria passionis Christi recolitur, quia corpus ipsum est per se signatum, et ponitur vi consecrationis sub speciebus panis, ut et Sanguis per se sub speciebus vini, etiamsi unum sine altero esset. Significatur igitur, ac memores sumus Christi passionis in hoc mirabili Sacramento, in qua passione et morte Sanguis a corpore separatus fuit. Quod vero post mortem a corpore illo lancea perforato aqua exierit, magis spectat ad Baptismi significationem, qui

in aqua institutus est, quam ad Eucharistiam, ut dicitur *De Celebr. Miss.*, cap. *In quodam.*

AD TERTIUM dicimus, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3.] modo aqua arte confecta apponeretur vino, iuxta solutionem *sequentis articuli,* dubitari non posse, quin Sacramentum conficeretur; verum graviter peccaturum ministrum, si sua voluntate, et non alterius malitia ignoranter id faceret. Nam aqua esse debet elementaris, non artificialis, quae specie a naturali differt, quia vera aqua e Corpore Christi compuncto profluxit, cuius figura in veteri Testamento praecessit, quum Moyses virga silicem percutiens in deserto aqua naturali manavit. *Num.* 20.

ARTICULUS VIII.

UTRUM AQUA DEBEAT IN MAGNA QUANTITATE APPONI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 7. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 74. *art.* 8.

RESPONDEO, aquam quae vino consecrando in Christi Sanguinem superinfunditur, esse non debere nec posse adeo magnae quantitatis, ut exinde vinum plane dilutum, atque aqua subactum in speciem alteram transiisse inveniatur, quia tunc Sacramenti perfectio non constaret. Aqua proinde vino ex Ecclesiae praecepto apponenda eius esse debet quantitatis, ut stante significatione mysteriorum, maneat, consistatque natura et species vini.

Qua autem ratione vel modica haec vino superinfusa aqua in Christi Sanguinem convertatur, *triplex est modus dicendi, De Celeb. Miss.*, cap. *Cum Marthae* § *Quaesivisti,* et cap. *In quadam.* Referente ergo Pontifice, aliqui opinati sunt, aquam haud in sanguinem converti, sed magis in aqueum humorem, seu phlegmaticum, illud pro causa adducentes [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 7.] quod cum scribitur in Evangelio, a Christi latere lancea perforato fluxisse sanguinem et aquam, non verè aquam, sed humorem aqueum, aiunt, exiisse, propterea quod de corpore mortuo non statim fit aliquis humor, qui sit aqua elementaris; oportet igitur extitisse phlegmaticum humorem, qui in Evangelio dicitur aqua. — *Verum ita opinantes errasse convincuntur,* nam (*ut ibidem* arguit Pontifex) *qui vidit testimonium perhibuit veritati, is profecto non aquam, sed phlegma dixisset, si non fuisset aqua, sed phlegma.* Probat etiam a postesiori per materiam Sacramenti Baptismi: *Nec in hoc,* inquiens, *Sacramentum verum regenerationis fuisset ostensum, cum per Sacramentum Baptismi non regenerentur in phlegmate, sed in aqua.* Accipit etiam probationem ex figura quae praecessit eius veritatis in veteri Testamento, cum percusso per Moysen silice, non phlegmate, sed aqua manavit. Postremo ad id quod pro hac falsa opinione adducebatur, respondens, dicit, aut aquam, quae de Christi Corpore exivit de novo creatam fuisse virtute divina, aut certe ex iis, quibus corpus constabat, resolutam.

Alia opinio, cuius mentio fit *cit. cap. Cum Marthae,* est putantium vino in Sanguinem converso superesse in calice aquam citra propriae speciei immutationem. Nam quoniam experimento compererunt per artem chymicam separari posse aquam a vino, cui sit infusa, consequens

est ut aqua in vinum non vertatur, alioquin nulla arte a vino segregari valeret, ac proinde aquam nec immediate, nec mediate dici posse in sanguinem converti.

Tertia opinio [*Oxon.* 4. d. 11. q. 7. n. 2.] (quam caeteris probabiliorem pronunciat Papa *in cap. allegato*) est dicentium, revera et aquam in Sanguinem Christi transmutari, non quidem immediate, sed postquam ipsa in vinum fuerit conversa; et ideo modica est vino superinfundenda, et tempestive, ut a virtute vini subiici ac transmutari queat, ante consecrationem. Porro Pontifex reddens rationem probabilitatis huius opinionis, dicit: *ut expressius eluceat Sacramenti proprietas; nam cum aquae multae sint populi multi, ideo vino aqua unitur, ut Christi populus adunetur.* Quasi diceret, per hoc quod ponatur aqua converti in Sanguinem Christi, ex eo quod prius ipsa in vinum transmutata est, propriissime verificatur de illo potu, conflato ex vino et modica aqua, quod sit Christi Sanguis post consecrationem, sicut de pane usuali triticeo verificatur, quod sit Corpus Christi post consecrationem. Et quamvis cum illo pane sit admistum nonnihil alterius frugis, tamen quia id vix reputatur et censetur, transiisse in speciem panis triticei, ita et tantillum aquae vino admistae convertitur in sanguinem, non quia de aqua fiat sanguis, sed quoniam ipsa aqua reputatur iam in vinum transiisse; et sicuti proprie et absque ulla exceptione totus panis usualis, licet habeat in se quidquam alterius segetis, transubstantiatur in Corpus Christi, ita et vinum in Sanguinem, et quicquid fuit prius vino admistum, si pro vino reputetur et habeatur. Et hoc intelligit Papa, qui fuit Innocentius III, cum dicit: *Ut expressius eluceat Sacramenti proprietas.* Haec igitur via est tenenda, tamquam probabilior a sede Apostolica iudicata.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAQUINTA.

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de conversione panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum in hoc Sacramento sit Corpus Christi secundum veritatem, aut solum secundum figuram vel sicut in signo. - 2. Utrum in hoc Sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem. - 3. Utrum substantia panis vel vini post consecrationem huius Sacramenti annihiletur, aut in pristinam materiam resolvatur. - 4. Utrum panis possit converti in Corpus Christi. - 5. Utrum in hoc Sacramento post conversionem remaneant accidentia panis et vini. - 6. Utrum facta consecratione remaneat in hoc Sacramento forma substantialis panis. - 7. Utrum ista conversio fiat in instanti. - 8 Utrum haec sit falsa, *ex pane fit Corpus Christi.*

ARTICULUS I.

UTRUM IN HOC SACRAMENTO SIT CORPUS CHRISTI SECUNDUM VERITATEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 1. *et* 3. - *Report. ib. q.* 2. - *S. Thom.* 3. *p. q.* 75. *a.* 1.

VIDETUR in Eucharistiae Sacramento haud reperiri Corpus Christi secundum veritatem. Etenim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 4.] *Ioann.*, 6. narratur, Salvatorem habuisse prolixum sermonem ad discipulos de Eucharistia ab se instituenda, ac quosdam ex eis qui ipsum sequebantur propter talem praedicationem quasi scandalum passos retro abeuntes, ipsum deseruisse, ac tunc Dominum dicta sua quasi expositurum adiecisse, *spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quae loquutus sum vobis spiritus et vita sunt.* Quod pertractans Augustinus (et habetur *De Consecrat.*, dist. 2. *Prima haeresis*), *Non hoc Corpus,* inquit, *quod videtis, manducaturi estis, nec sanguinem effundendum, Sacramentum aliquod vobis commendatur, spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Non ergo Corpus Christi secundum veritatem in hoc Sacramento Altaris continetur, sed tantum iuxta intelligentiam spiritualem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 1.] Sub speciebus panis non consecrati non continetur realiter Christi Corpus; ergo neque post consecrationem. *Probatio consequentiae:* species illae panis non se habent aliter post consecrationem ac ante se habuerint in habitudine ad Christi Corpus: impossibile est autem aliquid esse ubi prius non fuit, nisi vel illud mutetur, vel ipsum in quo est de novo; ergo cum species panis non mutentur in habitudine ad Corpus Christi, necesse est, ut Corpus Christi subeat aliquam mutationem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Aut Corpus Christi sub specie panis est quantum, aut non quantum. Esse nequit non quantum; nam cum in caelo sit quantum, tunc simul foret quantum et non quantum. Nec item

esse potest ibi quantum; etenim quoniam separari non potest quantitas a modo quantitativo, sicut nec subiectum a propria passione, maxime enim propria passio quanti esse videtur modus quantitativus eius, oporteret Christi Corpus subesse speciebus modo quantitativo, et tunc maior quantitas esset in minori, quod nemo dixerit.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] In Eucharistia, aut pars Corporis Christi est extra partem, aut una pars est in alia. Si primum, ergo non essent omnes partes simul sub eadem hostiae particula, nam omnes corporis partes intelligerentur extra se invicem, quemadmodum si quantum est simul cum alio quanto, pars esse videtur cum parte, et totum cum toto. Quod si dicatur partem non esse extra partem, ergo in Eucharistia Corpus Christi non est quantum; igitur in Eucharistiae Sacramento non continetur Christi Corpus secundum veritatem.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 3. n. 1. — *Report.* 4. d. 10. q. 2. n. 1.] Id impossibile omnino videtur, nam secundum Augustinum (et ponitur *De Consecr.*, dist. 2. *Prima haeresis*) *Corpus Christi sursum est, et in uno loco esse oportet;* igitur fieri non potest ut realiter simul reperiatur in Eucharistia, alioquin in caelo non esset.

6. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Formalis ratio essendi in loco est quantitas, secundum Philosophum, 4. *Phys.*, cap. *de Vacuo.* Sed non potest aliquid plurificari, non multiplicata ratione formali ipsius; ergo quantitate Corporis Christi existente una, non potest, ipsum esse nisi in uno loco.

7. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Quaecumque uni et eidem sunt eadem, sunt inter se eadem; ergo quaecumque uni atque eidem sunt simul, et inter se simul sint oportet; ergo si Corpus Christi esset in caelo, et in Eucharistia, tunc illud quod esset hic cum eo, et illud quod alibi est cum eo essent simul: sed consequens est falsum, quia alterum potest esse Romae, alterum Parisiis.

8. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Quod distat ab aliquo est aliud ab eo, quia nihil distat a se ipso: sed Corpus Christi si esset in Eucharistia, distaret a semetipso in caelo; ergo esset aliud et aliud. *Probatio minoris:* distantia includit distinctionem; unitas autem quantitatis continuae est continuitas; ergo distantia repugnat illi unitati, et per consequens ponit pluralitatem.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 2.] Matthaei, 26. *Hoc est Corpus meum,* inquit Veritas Christus, et Ioann., 6. *Caro mea vere est cibus.* Ad haec multas Ambrosii, et Augustini auctoritates congerit *Magister,* 4. dist. 10. cap. *Haec et his similia,* hanc veritatem expresse testantium.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* 4. d. 10. q. 1. n. 2.] Christi Domini Corpus vere et realiter contineri in augustissimo Eucharistiae Sacramento pertinere ad substantiam fidei Catholicae, eo modo quo alicuius Sacramenti dogma spectat ad fidei articulos. Haec quippe veritas ab ipsis institutionis Eucharistiae initiis fuit expresse tradita Ecclesiae, adeo ut aliter sentire, atque huic auctoritati refragrari atrocissima sit haeresis. Porro fundamentum auctoritatis diserte habetur *Matthaei,* 26. et *Lucae,* 22. ubi super coenam Salvator, cum panem et calicem benedixisset, subdit, discipulis suis dicens de pane, *Hoc est Corpus meum,* et de calice, *Hic est Sanguis meus.* Ut ergo panis transierat in Christi Corpus, ita vinum in Sanguinem, superstitibus utriusque speciebus

ad fidei meritum. — Nec est quod Haeretici pro more depravantes Scripturas conentur exponere haec, dicentes, esse figurative dicta, ac subinde in sensu litterali haud fore intelligenda, quemadmodum complura alia Scripturae loca iuxta tropum sunt interpretanda; ut cum ait Dominus, Ioannis, 15. *Ego sum vitis vera,* et cum scribit Apostolus, 1. *Corinth.,* cap. 10. *Petra autem erat Christus.* Haec enim quamquam vera sint, perperam tamen praeallegatis textibus applicari, manifeste convincuntur. Nam iuxta Augustinum, 83. qq. q. 69. *Solet circumstantia Scripturarum illuminare sententiam.* Universe enim intellectus verborum Christi, an iuxta verborum proprietatem, vel per figuram loquatur, colligi potest ex praecedentibus, vel consequentibus ibidem, vel certe ex aliis Scripturae locis. Unde cum Veritas ait, *Ego sum vitis,* subiunxit, *Et vos palmites.* Constat autem discipulos non extitisse palmites naturales ac proprie, sed tantum per metaphoram, a re propria ad rem non propriam verbi illius usurpata translatione. At Salvator cum dixisset, *Hoc est Corpus meum,* statim subdidit, *quod pro vobis tradetur,* et dicens, *Hic est calix Sanguinis mei,* subiunxit, *qui pro vobis fundetur.* Clarissime ergo exposuit, corpus, quod praebebat manducandum sub specie panis, et sanguinem epotandum sub accidentibus vini, fuisse verum Corpus ac Sanguinem ipsius, et non signum, aut figuram eius, ut Haeretici impiissime blasphemant. Ita etiam in Evangelio *Ioann.,* c. 6. recensetur sermo Christi, quo de mirabili hoc Sacramento ab se instituendo late disserit, et Paulus de eodem, 1. *Corinth.,* c. 11.

Supposita itaque veritate, quam Ecclesia credendam proponit de vera realique praesentia Corporis Christi in Sacramento Altaris, *facti possibilitas a quibusdam* declaratur [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 4.] per conversionem alterius in Corpus Christi; ex eo enim fieri posse arbitrantur, ut alibi sit, quam in suo loco naturali; ubi enim praefuit conversum, ibi est illud in quo conversum est, non ut in loco circumscribente, sed Sacramentaliter. Quamvis ergo impossibile sit una reperiri in pluribus locis quantitative, est tamen possibile esse simul Sacramentaliter in pluribus locis, uti de facto reperitur in Sacramento Eucharistiae, ubicumque conficiatur.

Quamvis *duobus articulis sequentibus* improbaturi simus duo quae hic affirmantur, nempe impossibile esse unum corpus modo quantitativo simul in pluribus locis reperiri, et realem Corporis Christi praesentiam haberi formaliter vi conversionis, non abs re tamen erit quaedam breviter tangere contra *secundum* dictum. Nam [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 5. seq.] in primis manifestum videtur conversionem haud esse rationem formale Corpori essendi hic; ne ut est praesens quidem; ipsa enim transeunte manet Christi Corpus sub speciebus; nec ut praeterita, quia tunc Deus efficere non posset, quin Corpus suum sub speciebus maneret; impossibile quippe est conversionem praeteritam non praeteriisse. *Nec etiam denique* species sunt formaliter in Corpore Christi, ut exinde concludi queat debere Corpus Christi manere sub illis; nam nec sunt formaliter in Corpore Domini, nec per eas aliquid inest formaliter illi. Cum igitur Deus efficere possit in creatura aliquid sine eo, quod non est sibi formalis ratio essendi, nec aliquo modo de essentia eius, quoniam conversio, aut species non sunt formales rationes Corpori Christi manendi in Sacramento, Deus citra omnem repugnantiam facere potest ut Christi

Corpus sit hic sine utroque istorum. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 7.] non est maior repugnantia Corpus Christi esse simul sub substantia panis quam cum quantitate eius, quia non magis substantia repugnat substantiae, quam substantia quantitati, quoad talem simultatem: sed Corpore Christi existente in Caelo, potest Deus facere idem Corpus simul cum panis quantitate, secundum omnes; ergo et efficere potest ut idem simul sit cum substantia panis quanta, et per consequens sine conversione. Quae substantia panis quanta si ponatur esse Sacramentum, adhuc contra arguo: quia facilius est facere corpus esse alicubi sub modo suo naturali, quam sine eo: sed cum substantia panis quanta Deus efficere potest ut Corpus Christi maneat modo Sacramentali, idest non naturali, ergo facilius sibi erit idipsum facere sub modo naturali. Sed de his uberius *in sequentibus.*

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 4.] respondet Magister, 4. d. 10. cap. *Haec,* nec Salvatorem, nec Augustinum dicta illius exponentem negare voluisse veritatem Corporis Christi in Eucharistiae Sacramento, sed tantum significare intendisse ibi non reperiri Corpus Christi modo quo intelligebant qui retro abierunt, scilicet visibiliter et in propria forma, secundum quam conciduntur in macello animalia, et mactantur ad usum edendi, sed potius per oppositum ad hunc modum intelligendi, verissime Corpus Christi in Eucharistia reperiri secundum spiritualem intelligentiam; quod et profitetur Augustinus a Magistro allegatus, *Ipsum quidem,* inquiens, *non ipsum Corpus quod videbatur, manducatur, ipsum invisibiliter, non ipsum visibiliter.* Hac etiam ratione late de Eucharistia disserit Paulus, 1. *Corinth.,* cap. 11. Sancti quoque Doctores Catholici praecitata loca Scripturarum exponentes unanimiter sentiunt esse intelligenda de reali praesentia Corporis Christi, non secundum typum et figuram; quare execranda omnino est haeresis, sentire in Eucharistia verum Christi Corpus realiter non contineri.

Ad secundum patebit *art.* 2. Interim si non placeat uti vocabulo *mutationis,* dico sic: [*Oxon.* ib. n. 17.] aliquis respectus extrinsecus adveniens novus est sine omni mutatione; nec *mutari* tunc erit ab alio in aliud ire, sed qualitercumque se habere aliter, sive in se, sive in ordine ad alterum, ex relatione extrinsecus fundamento adveniente: sed relatio non est mutatio tunc, quia ibi nihil novi advenit, ex 7. *Phys.,* text. c. 17. et 33.

Ad tertium [*Oxon.* ib.] negandum, modum quantitativum esse quanti passionem, sicut risibile est homini passio; sed magis appellandum fore accidens eius, per accidens eiusmodi quippe est, nempe respectus intrinsecus adveniens partibus quanti ad partes alterius quanti.

Ad quartum respondeo, [*Oxon.* ib.] concedendum esse partem esse extra partem, prout τὸ *extra* respicit per se ipsas corporis partes, atque necessarium est ad positionem, quae est differentia quantitatis. At quatenus *extra* pertinet ad locum, negandum partem esse extra partem, idest reperiri extra illum locum in quo est alia pars. Nec exinde inferri potest totum non esse quantum. Nam totum quantum habens eodem modo suas partes extra se invicem in toto, potest habere unicam praesentiam sui, et omnium partium ad aliquod unum extra indivisibile, vel quantumcumque modicum divisibile, adeo ut ibi non sit alia praesentia uni parti, et alia alteri.

Ad quintum respondeo, [*Oxon.* ib. q. 3. n. 5. — *Report.* ib. d. 10. q. 3. n. 35.] Augustinum non aliud velle, cum ait *oportet,* quam id esse oppor-

tunum, seu congruum esse Corpus illud gloriosum degere in caelestibus, ubi est regnum praeparatum electis, qui resurrecturi sunt cum corporibus gloriosis, ibique habitaturi in perpetuas aeternitates. Sed non intelligere *oportet* quasi hoc foret simpliciter necessarium. Potest etiam aliquando etiam localiter Christus ibi non esse, movendo se de illo loco, et multo magis alibi esse potest, et Sacramentaliter et localiter, per Dei potentiam non derelicto loco, uti suo modo naturali est in caelis, prout de facto fide tenemus illud Corpus praesens esse in Eucharistia non localiter, et simul in caelestibus modo suo naturali.

AD SEXTUM dico, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] *ratio formalis* potest intelligi dupliciter: *primo,* proprie pro ratione formali proxima: *secundo,* pro remota. Accipiendo ergo formalem rationem large pro ratione fundamentali remota, sicut calor dicitur ratio formalis agendi, et albedo appellatur fundamentum essendi simile, quatenus calor est principium quo agens agit, et albedo est similitudinis fundamentum: similitudo autem est ratio formalis propinqua similis; iuxta itaque *priorem* acceptionem concedi potest, haud plurificari illud cuius est ratio formalis sine plurificatione ipsius rationis. Sed penes *secundum* intellectum falsa est illa propositio. Id enim esse potest principium agendi proximum respectu multarum actionum, et idem fundamentum proximum respectu multarum relationum. Quantitas autem non est formalis ratio essendi in loco primo modo, sed fundamentaliter dumtaxat; est enim proximum fundamentum illius respectus; super idem propterea fundamentum fundari queunt plures respectus maxime extrinsecus advenientes.

AD SEPTIMUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib.] *primam propositionem* esse negandam ut falsam, nisi intelligatur de *uniformi* unitate illius tertii in se, et illorum, quae concluduntur esse unum ex unitate illius. Nam si est minor unitas illius tertii in se, concludi nequit maior unitas aliorum inter se per unitatem illorum in tertio. Eodem modo de *simul,* quia nisi illud tertium, quocum alia sunt simul, sit limitatum, secundum eam unitatem, penes quam ipsa sunt simul cum illo tertio, non sequitur simultas eorum in se, nec qui Parisiis simul est cum eo, erit simul cum illo, qui cum eodem tertio est Romae, si illud tertium sit illimitatum. Unde non sequitur: ego sum simul cum aeternitate, et anima Antichristi similiter; ergo anima haec et ego simul sumus; quia aeternitas est immensa et illimitata quantum ad actualem praesentiam. *Ad propositum,* illud quod simul est in duobus locis illimitatum est, licet non virtute propria, sed potentia Dei agentis quantum ad *ubi,* et ideo quae sunt simul cum tali illimitato non oportet simul esse inter se.

AD OCTAVUM dico, [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib.] accipiendo *distantiam* pro distantia locali, *maior* est falsa. — *Ad probationem* respondeo, aliquid non esse idem sibi quia sibi coniunctum; sed veriori unitate, quia *continuitas* est unitas partis ad partem in toto; sed unitas totius ad seipsum est vera *identitas.* Quapropter etsi totum ut distans non continuetur sibi ipsi ut distanti, tamen in utroque termino distantiae est vere idem habens eamdem continuitatem partium in toto. — *Et cum dicitur,* unitas totius continui est continuitas eius ad seipsum; *verum est,* unitas ut est ex partibus, sed identitas eius ad seipsum non est continuitas eiusdem totius ad seipsum, eo modo quo pars est continua parti.

ARTICULUS INCIDENS.

QUOMODO POSSIBILE SIT CORPUS CHRISTI SIMUL IN CAELO ET IN SACRAMENTO SECUNDUM VERITATEM REPERIRI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 75. *a.* 1.
§ Ad quartum.

VIDETUR Christi Corpus non posse esse secundum veritatem sub speciebus consecratis. Nam [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 1.] secundum Augustinum ex dist. 2. *De Consecr. Prima haeresis: Donec finiatur saeculum sursum est Dominus.* Igitur durante saeculo non est in terris. Sed si secundum veritatem Christi Corpus esset sub Eucharisticis speciebus, reperiretur revera in terris; igitur cum non sit immensum, tunc non esset in Caelis; ergo impossibile est ipsum realiter contineri sub speciebus consecratis.

2. PRAETEREA. Si Corpus illud fieret praesens speciebus consecratis id non videtur fieri, nec intelligi posse absque ulla sui mutatione. Ad quam formam ergo mutatur? non ad absolutam, [*Oxon* 4. d. 6. q. 10. n. 2.] quia nulla talis est assignabilis. Si ad respectivam, contra, *ad aliquid* non est mutatio ex 5. *Phys.*, igitur cum nulla in Christi Corpore possit intelligi mutatio, nec ipsum erit realiter praesens speciebus consecratis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 2.] *Hoc est corpus meum*, inquit Veritas Christus de pane consecrato, Matthaei, 26.; igitur verissime sub speciebus consecratis est realiter contentum Christi Corpus.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* 4. d. 10. q. 1. n. 4.] *aliqui* abditi huius mysterii possibilitatem ita declarandam putant: Christi Corpus fit praesens speciebus, non per aliquam sui mutationem, sed per conversionem alicuius in ipsum, nempe panis in Christi Corpus; et ideo non oportet Corpus illud aliquam subire mutationem. Nam ad hoc ut Christi Corpus incipiat esse praesens speciebus, satis est ut aliud mutetur in ipsum. *Exemplum:* ex hypothesi quod aër converteretur in ignem, ignis genitus est in loco ubi aër erat, eiusque materia. Et ita pariter id in quod conversum est aliquid, per conversionem esse videtur ubi conversum prius fuit, non per mutationem loci propriam ipsius termini ad *quem* conversionis, sed solum termini *a quo.*

Contra, [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 5.] *haec explicatio non videtur probanda;* siquidem transsubstantiatio est mutatio substantialis eo modo, quo conceditur esse mutatio: ex hoc sequitur, transsubstantiationis terminum *ad quem* esse substantiam: atqui per nullam mutationem obtinetur per se id, quod est posterius per se termino; praecise enim ea mutatione acquiritur per se terminus. Quoniam igitur praesentia est simpliciter posterior substantia Corporis Christi; non enim est huiusmodi praesentia prior essentialiter, quia Corporis substantia esse potest sine tali praesentia; nec simul natura, nam tunc nequiret ea praesentia destrui, nisi et substantia destrueretur, quod falsum est; sequitur manifeste praesentiam Corporis Christi non acquiri per se per illam mutationem, quae *conversio* vel *transsubstantiatio* dicitur, sed praecise ipsam Corporis Christi substantiam, quae non est sua praesentia. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 6.] Deus efficere potest, ut Christi Corpus sit praesens cum

pane manente substantia panis ; tali itaque in casu, non erit ibi Corpus Christi per aliquam mutationem, quae sit ad substantiam ut per se terminum : et tamen per eam mutationem acquireretur praesentia eiusdem rationis cum illa, quae nunc habetur ; ergo oportet id fieri per mutationem eiusdem rationis ; per aliam igitur mutationem fieret, quam per mutationem substantialem. *Probatio maioris :* ad novitatem posterioris non sequitur novitas prioris, 8. *Phys.*, text. 74. 75. *et inde,* ubi vult Philosophus, quod in Caelo potest esse motus secundum *ubi,* licet non possit esse novitas secundum formam absolutam : sed praesentia ista posterior est substantia ; ergo sine mutatione aliqua circa substantiam panis esse potest nova praesentia Corporis ad panem ; oportet igitur dare aliquam mutationem ad eiusmodi praesentiam, quae non sit substantialis, et per consequens in proposito per transsubstantiationem non habetur ista praesentia, quia terminus eiusdem rationis, cuiusmodi est praesentia, non proprie et per se est terminus duarum mutationum distinctarum secundum genus. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib. n. 6.] quod convertitur in aliquid praeexistens magis acquirit conditiones eius, quam e converso. Si enim nutrimentum convertatur in carnem, magis animatur anima carnis, quam caro informetur forma eius, et universe acquirit conditiones absolutas, et *ubi* caeterasque respectivas carnis, quam e converso ; ergo ex sola conversione panis in Corpus Christi praeexistens potius acquirit panis conversus praesentiam in Caelo, quam Corpus Christi praesentiam speciei panis in Altari. — *Rursus,* Deus posset convertere panem in Corpus Christi, ut habens *esse* in Caelo, quia si id faceret non maior implicaretur contradictio ac modo : sed tunc non haberetur Corpus Christi sub specie panis ex ipsa conversione ; ergo nec nunc est Corpus Christi sub speciebus ratione ipsius conversionis. — *Denique* [*Oxon.* et *Report.* ib.] si panis quantus converteretur in Corpus Christi quantum, ita ut quantitas in quantitatem, et substantia in substantiam foret conversa, Corpus Christi quantum non haberet illud ubi circumscriptive, quod fuit panis circumscriptive ; ergo ex conversione substantiae in substantiam, substantia Corporis Christi non habet illud *ubi* definitive. *Antecedens est manifestum,* quia nequiret Christi Corpus esse circumscriptive in loco panis, cum sit pane illud maius. *Consequentia probatur :* sicut substantia et substantia, quae subsunt quantitati, se habent ad locum definitive, ita substantia quanta et substantia quanta se habent ad locum circumscriptive ; ergo quod conversio substantiae in substantiam facit ad *esse* definitive in loco, haec conversio substantiae quantae in substantiam quantam facit ad *esse* in loco circumscriptive ; non videtur igitur necessarium confugere ad conversionem panis in Christi Corpus, ut habeatur ipsius praesentia in Sacramento.

Ad videndum itaque qualiter possibile sit Christi Corpus sub speciebus consecratis realiter contineri, et simul esse in Caelo sub modo sibi naturali et extensivo, duo potissimum sunt declaranda. *Primum,* non implicare contradictionem, ac proinde per Dei potentiam fieri posse, ut corpus sit alicubi ubi prius non fuit, absque eo quod mutetur de loco ad locum. *Secundum* vero, nullam esse repugnantiam respectu Dei, quantum sine modo quantitativo reperiri. Ex quibus statim sequitur fieri posse ut simul reperiatur Christi Corpus in Caelis, et in multis hostiis consecratis habens eamdem quantitatem, sed sine modo quantitativo quatenus est sub speciebus consecratis.

Et quod *primum,* [*Oxon.* ib. n. 9. seqq. — *Report.* ib. n. 9. seqq.] licet virtus finita movens corpus de loco ad locum nequeat ponere corpus motum in loco ubi prius non erat, nisi deserat et deperdat prius *ubi* in quo locabatur, et expellat corpus occupans *ubi* quod acquirit, quo in facto subinde mutatur tum corpus expellens, tum illud, quod expellitur; ut enim illud deperdit prius *ubi* et aliud acquirit, ita quod expellitur movetur et mutatur per acquisitionem alterius *ubi,* licet, inquam, ita contingat movente corpus virtute finita, respectu tamen virtutis infinitae, sicut (ut patebit *in sequentibus*) uno eodemque loco possunt duo corpora contineri, ita idem corpus esse potest in pluribus locis. Hoc autem citra omnem necessitatem evenire haud intelligi potest. Quamquam enim tale corpus non recedat a priori *ubi* in quo reperitur, quia tamen ponitur in alio *ubi,* necesse est ut intelligatur mutatum a privatione novi *ubi* ad illud novum *ubi,* mutatione, inquam, acquisitiva, non deperditiva, cum supponatur adhuc esse in *ubi* priori, quod minime per acquisitionem alterius deseruit. Quod vero oporteat id geri per hanc mutationem, declaratur: nam impossibile est qualitercumque aliquid esse *hic* realiter quod prius non fuit *hic* realiter, quin sit aliqua mutatio realis, vel in isto vel in illo, cui est realiter praesens, quia non est transitus a contradictorio in contradictorium quoad aliquod praedicatum reale, absque ulla mutatione reali; fac enim nihil omnino mutari, non est ratio quare haec pars contradictionis sit magis vera nunc, quam prius, nec quare prius alia magis vera, quam ista; et ita tam nunc, quam prius, vel ambo sunt simul vera, vel ambo simul falsa, quod est impossibile.

Cum itaque [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 11.] Christi Corpus non deserens prius *ubi* fit praesens speciebus Sacramentalibus, oportet ipsum mutari realiter, quia de novo fit *hic* praesens realiter, ubi antea non fuit. Neque huiusmodi mutatio ullo pacto repugnat corpori glorioso, quia non est mutatio nisi quoad respectum realis praesentialitatis, quae non infert aliquam mutationem substantialem.

Cuius generis est ergo huiusmodi mutatio quae obvenit Christo ob eius praesentiam speciebus consecratis? — *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 11. et *Report.* ib.] dici non posse propriam localem mutationem: non solum quia non deserit prius *ubi,* in quo reperitur, ut communiter accidit in motu locali, sed etiam quia terminus istius mutationis non est proprie *ubi,* sicuti est in *ubi* terminus mutationis localis. Christi autem Corpus non habet in speciebus proprie *ubi.* Terminus etenim istius mutationis est quaedam praesentia simplex isti speciei, vera tamen et realis; et ideo reductive spectat ad genus *ubi.* Sicuti si Angelus de novo poneretur praesens alicui corpori, esset quidem in loco definitive, et ita per novam loci acquisitionem diceretur mutari ad *ubi,* quamvis plurimum distet a vera mutatione secundum *ubi.* Et tamen praesentia Corporis Christi speciebus magis recedit a vera mutatione locali, quia per talem praesentiam non determinatur ad unum *ubi,* ut sibi repugnet fieri praesens aliis speciebus; at Angelus sic determinatur ad unum *ubi,* ut nequeat alii *ubi* simul suo modo fieri praesens.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 10.] cum Christi Corpus fit praesens speciebus non dependere, nec deserere locum suum naturalem, quem habet in caelo; est enim haec mutatio non deperditiva, sed acquisitiva novi *ubi,* in quo realiter non erat prius; et ideo licet sit in

speciebus, adhuc donec finiatur saeculum sursum est Dominus, nisi sibi placeret ex aliqua gratia speciali localiter ad nos descendere; quoad Sacramentalem nihilominus praesentiam non oportet ponere ipsum localiter descendere.

AD SECUNDUM, [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib. n. 10.] concedo, veram atque realem Christi praesentiam speciebus intelligi non posse absque ulla mutatione; est itaque ibi mutatio realis non ad formam absolutam et substantialem, sed ad novum respectum, quem acquirit per novam praesentiam. — *Et cum dicitur:* ad *aliquid* non est mutatio; *respondeo,* dictum illud Philosophi esse intelligendum de relationibus intrinsecus advenientibus, de iis nimirum, quae positis extremis statim resultant, non vero de iis quae non habentur nisi ponatur ultra extrema aliqua extrinseca actio, cuiusmodi est ista. Nam intellectis Corpore Christi et pane non extemplo est illi praesens, nisi ibi ponatur per actionem divinam, Deo infallibiliter assistente signo a se instituto.

RURSUM ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM POSSIBILE SIT IDEM CORPUS SIMUL IN DIVERSIS LOCIS QUANTITATIVE REPERIRI.

Doct., Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 2. — *Report. ib. q.* 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 75. *a.* 1.
§ Ad tertium, *et* 4. *d.* 10. *q.* 1. *art.* 1.

VIDETUR fieri non posse ut idem corpus simul diversis locis circumscriptive locetur. Etenim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 2. n. 1. — *Report.* ib. q. 3.] impossibile est idem referri ad se oppositis relationibus; opposita enim relativa contradictoria involvunt: sed si corpus idem una locis diversis locaretur, plane appellari posset inferius et superius seipso, et similiter dextrum et sinistrum, et ita de caeteris relationibus secundum situm oppositis.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Propinquum et distans sunt relationes contrariae, sicut simile et dissimile. Corpus autem idem diversis locis circumscriptum esse posset eidem propinquum et distans. Hoc vero perinde inconveniens apparet, ac idem penes eamdem qualitatem eidem simile et dissimile dici.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Idem temporale esse simul non potest in diversis temporibus; id enim tantum est possibile per temporum successionem; ergo nec idem corpus simul quantitative in diversis locis.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Ex hypothesi quod unum corpus simul in diversis locis reperiretur, posset in uno quiescere, et in altero moveri: *consequens* est impossibile, cum ea praedicata privative opponantur; ergo et hypothesis ex qua sequitur erit impossibilis.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Si idem corpus humanum, et subinde ipsum Christi Corpus simul in pluribus locis reperiretur modo quantitativo; igitur in uno, posset in aliquam operationem sensitivam, ut videndo obiectum in debita distantia sibi approximatum, in alio non posset ob contrariam rationem: hoc autem videtur impossibile, cum una eademque sit utrobique potentia visiva.

6. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 6.] Agens naturale

non intendit per se corruptionem termini a *quo,* sed tantum per accidens, quatenus est incompossibilis termino ad *quem* introducendo incompossibilis; ergo si unum *ubi* sit alteri *ubi* incompossibile, iuxta aliter sentientes, agens naturale non corrumpet primum *ubi,* ad hoc ut inducat secundum *ubi;* ergo posset ponere corpus in novum *ubi,* non destruendo *ubi* quod prius habebat.

7. PRAETEREA.]*Oxon.* ib.] Impossibile est eamdem materiam esse simul sub duabus formis substantialibus: sed si possibile sit idem corpus esse simul in diversis locis, sequitur oppositum illius. Quod et probo, *primo.* Nam ponatur idem nutrimentum in duobus locis vel tribus, et a diversis animalibus in illis existentibus comedetur; nutritiva utriusque idem in substantiam suam converteret; eadem igitur materia nutrimenti simul erit sub diversis formis substantialibus, et animabitur in brutis diversis animabus sensitivis, et in hominibus diversis intellectivis. — *Altera eiusdem minoris probatio est ista:* ex hypothesi quod idem lignum sit in diversis locis, in queis duo ignes reperiantur, profecto in idem combustibile agent, et porro corrumpent, formam propriam in materiam inducentes: non est autem eadem forma, cum agentia sint diversa; ergo aliam et aliam, et quidem in eadem materia; materia enim ligni corrupti eademest, sicut et lignum idem.

8. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Ex contraria sententia sequeretur parvum quantumcumque ignem comburere posse omnia combustibilia; etenim si hic ei obiiceretur combustibile proportionatum, et ibi aliud simile, et tertio loco tertium, ubique poterit agere, in illud, et sic una in locis infinitis; omnia ergo combustibilia possent simuli incendi a quantumcumque parvo igne: sed quaecumque virtus potest simul in multa passa parva, potest simul in passum magnum integratum ex illis parvis; ergo minimus ignis posset comburere integratum ex omnibus combustibilibus.

9. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 4.] Animal habens hic conveniens nutrimentum nutriretur, alibi vero non habens, non nutriretur ibi; ergo simul nutriretur et non nutriretur. Quod si in locis duobus suppetat sibi conveniens nutrimentum, eoque uteretur; igitur in duplum nutriretur, aut certe in uno loco nutrimentum non converteretur in substantiam sumentis.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 1. — *Report.* ib. n. 2.] Hugo, *De Sacramentis,* p. 8. cap. 11. *Qui fecit,* inquit, *ut unum corpus esset in uno loco, fecit quomodo voluit: et si voluisset, aliter posset facere.*

RESPONDEO, *est hic opinio,* de potentia absoluta Dei fieri non posse, ut idem corpus sit quantitative simul in diversis locis; et variae rationes inducuntur a diversis ad id persuadendum. *Primo* [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 3.] igitur impossibilitatem probant ex eo quia ea ratione qua idem corpus simul duo loca occuparet modo quantitativo posset per Dei potentiam statui in pluribus, imo in omnibus locis, atque ita esse ubique. Hoc autem veluti Dei proprium est alteri ab illo incommunicabile. — *Deinde,* eidem corpori in diversis locis existenti, inessent multa contraria. Nam in uno posset frigefieri ex gelu, in altero aestuare ob calorem. Item in uno esurire propter cibi defectum, in alio repleri de alimentorum abundantia. Rursus, in uno ex aëris intemperie incidere in infirmitatem, alibi vero bona valetudine uti contraria de causa. Denique, in uno loco occidi, non item in alio; ergo simul moreretur et viveret; quod est plane impossibile. — *Rursus,* sicuti locatum commensuratur dimensionibus loci secundum quantum et continuum, sic commensuratur secundum unum,

et plura; ergo si idem locatum sit in diversis locis, erit simul unum et plura. — *Quarto,* termini locati et loci sunt simul; [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 5.] ergo si locatum reperiatur extra terminos sui proprii loci, est etiam extra terminos suos proprios. — *Quinto,* Angelus esse nequit simul in diversis locis; ergo multo minus id convenire poterit corpori. — *Denique,* sicut unumquodque per suam naturam est tantum in una specie, sic per unam dimensionem est tantum in uno loco, quia sicuti se habet natura ad speciem, sic quantitas ad locum.

Contra istam opinionem hoc sufficit in generali, [*Oxon.* ib. n. 5.] quodlibet tenendum est esse Deo possibile, quod nec est ex terminis manifestum impossibile, nec ex eo impossibilitas vel contradictio evidenter concluditur. Ita est in casu, ut patebit ex solutione inductarum rationum.

Et praeterea [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 7.] arguo per quasdam rationes speciales, quas oppositum sustinentes solvere nituntur. *Prima est ista:* non minus repugnare videtur duo corpora esse in uno loco, quam unum corpus in duobus locis: atqui Deo est possibile primum, sicut patet de Corpore Christi exeuntis de sepulchro clauso, et de utero Virginis, citra fracturam eius; fuerunt ergo tunc duo corpora simul in eodem loco. Ergo et secundum erit Deo pariter possibile; imo magis; nam magis possibile est cum unitate prioris naturaliter stare multitudinem posteriorum naturaliter, quam e converso: dimensio autem locati prior est naturaliter dimensione loci; ergo magis possibile est uni corpori locato correspondere plures dimensiones locorum, quam e converso. *Probatio minoris* [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 8. seqq.] *tum* quia dimensiones locati sunt causa dimensionis loci; locatum enim facit latera continentis distare, et superficiem eius esse in actu: *tum* quia prius est quod potest esse sine alio, et non e converso; dimensiones autem corporis esse possunt sine dimensionibus locantis; patet de superficie primi Caeli; non autem e converso; nequeunt enim distare superficies locantis absque distantia partium locati. Patet etiam per aliud; quia in motu locali quocumque, manente locati superficie eadem, locantis mutatur superficies; imo communiter mutatur superficies loci mutato locato, et quamvis aequale ponatur succedere aequali, et simpliciter figurato, adhuc non manet superficies eadem prioris, circumscribens corpus succedens.

Deinde, [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 11.] ubicumque potest Deus facere substantiam naturalem non sub modo suo naturali, sed sub modo sibi opposito, potest eam facere sub modo suo naturali, seu convenienti suae naturae. *Probatio,* primum factum duplex miraculum postulat; ad posterius repraesentandum sufficit unum, ut de se liquet. Sed Deus efficere potest ut Christi Corpus reperiatur in pluribus locis Sacramentaliter, qui est modus oppositus exigentiae suae naturae, prout de facto praestat, estque in omnibus hostiis consecratis; ergo potest idem corpus locare in pluribus locis sub modo sibi convenienti, scilicet localiter et dimensive.

Nec iuvat [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 12.] respondere, Christi Corpus esse in Eucharistiae Sacramento per conversionem alterius in ipsum; non iuvat, inquam, quia conversio alterius in ipsum non est sibi ratio essendi *hic,* nam transeunte conversione, manet terminus conversionis; ergo citra omnem contradictionem fieri potest, ut corpus sit *hic* sine conversione aliqua alterius in ipsum.

Si dicas, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] conversio ista ut praeterita est

causa praesentiae Corporis Christi; *contra,* Deus de potentia absoluta non potest facere conversionem praeteritam non praeteriisse; ergo de potentia absoluta non poterit facere sic praesens non esse sic praesens, quod nihil est dictu.

Responsio, [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib.] species derelicta post conversionem est Corpori Cristi ratio existendi *hic;* necessario ergo ad hanc praesentiam requiritur conversio. *Contra* species illa non est formaliter in Corpore Christi; ergo non est ratio Corpori Christi essendi formaliter *aliquale,* idque loquendo generaliter de *aliquali* pro quocumque quod formaliter inest Corpori Christi: sed corpus est formaliter praesens; ergo per aliquid aliud, quam per conversionem, vel speciem conversi, sicut dicit Hugo, *loco supracitato,* totum hoc negotium, et mirandum mysterium tribuens omnipotentiae Dei, non autem conversioni ulli alicuius in istum terminum.

Est ergo dicendum ad quaestionem, posse divinitus idem corpus sub modo quantitativo simul diversis locis contineri. Etenim [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib. n. 13.] maxima mihi certissima est, per Dei potentiam fieri posse quicquid non includit evidenter contradictionem, et ad quod non sequitur necessario contradictio: eiusmodi est de quo loquimur ad praesens; ergo est Deo possibile. *Minor erit evidens* ex ipsa declaratione terminorum. Itaque cum dico idem corpus esse simul localiter in diversis locis, nihil dico super hoc corpus, nisi quemdam respectum extrinsecus advenientem, fundatum in uno quanto ad aliud quantum circumscribens: respectum autem huiusmodi plurificari super idem fundamentum ad diversos terminos, non apparet contra aliquid notum secundum rationem. Nam respectus intrinsecus advenientes, de quibus minus videtur, plurificari queunt, fundamento eodem manente ad diversos terminos, ut super eamdem albedinem possunt duo similitudines fundari ad duos terminos.

Quod vero *ubi* non dicat nisi respectum extrinsecus advenientem, declarabitur *art. seq.* Etsi de se sit evidens. Interim mirum videtur, [*Oxon.* ib.] quod investigantes veritatem per rationem in hoc quaesito imaginationem sequantur; quae quoniam locum a corpore non separat, nec e converso, nec percipit unum plurificari sine alio, eo deducantur, ut incunctanter asserant unum sine altero plurificari non posse, nec de potentia quidem absoluta Dei, et profecto imaginationem sequentibus aliud apparere non potest. — *Sed hac exclusa imaginatione,* et sequendo rationem ex rationibus terminorum, nulla necessitate urgemur affirmandi ad plurificationem unius sequi alterius plurificationem; et profecto eo quod plurificetur posterius perperam infertur oportere plurificari et prius; ipsa autem *ubi* manifeste posteriora sunt quanto locato, et accidentaliter et contingenter illi advenientia. In compluribus etiam aliis, ubi maior est connexio recta ratione concedimus unum sine altero plurificari: vix autem est aliqua habitudo accidentalior suo fundamento, ac sit *ubi;* nec aliquis modus essendi *in,* nec aliquis modus *ab,* et sic de multis aliis habitudinibus; et tamen in aliis habitudinibus non ita proterve asseritur impossibilitas plurificationis habitudinum circa idem fundamentum.

Quod si instetur, [*Oxon.* ib. n. 12.] verum esse plures respectus fundari posse in fundamento eodem quoties unus eorum non adaequat totum fundamentum; at unum *ubi* adaequare penitus unius quanti rationem, quatenus locabile est, *hoc videtur sine ratione dictum,* quia re-

spectus, qui oritur ex natura fundamenti, magis videtur adaequari fundamento, quam ille, qui extrinsecus advenit, caeteris paribus: sed ad duos terminos esse possunt in eodem fundamento duo respectus exorientes ex natura fundamenti, ut duae aequalitates ad duo quanta aequalia; ergo sine ratione fingitur hic unus respectus adaequatus, cum ponatur substantiam posse habere plures praesentias etiam primo, ac esse queat terminus primus multarum conversionum, et interim est praesens suo *ubi* in caelo modo quantitativo.

Pro solutione argumentorum oppositae sententiae pono tres propositiones, quarum *prima est:* [*Oxon.* ib. n. 13. — *Report.* ib. n. 15. — *Quodlib.* q. 10. n. 17.] *Quaecumque sunt priora essentialiter ipso* ubi *uniformiter insunt corpori, quamvis habenti diversa* ubi, *nec variabuntur variato ipso* ubi. Haec patet, quia prius essentialiter non variatur ex variatione posterioris; quamvis alioquin posterius subeat variationem ad varietatem prioris. Quae etiam sunt simul natura cum aliquo variantur cum illo.

Secunda proposito: [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] *Sicut passum existens in uno* ubi *reciperet formam a duobus agentibus sibi invicem approximatis, sic ipsum in duobus locis existens patietur ab eisdem illis duobus* ubi *approximatis, idque intelligo de passione quae est ad formam absolutam. Declaratio:* siquidem ad hoc ut patiens patiatur ab agente recipiendo formam absolutam, aliud non est necessarium, quam ut sit in potentia passiva ad agens in sua activa potentia praehabens formam, ac sufficienter passo approximatum, seu in isto, seu in illo *ubi* approximatio fiat. Passo autem in diversis locis existenti inest eadem passiva potentia ad formam absolutam, uti et activo eadem vis agendi, quae perinde fieri queunt proxima in uno, ac in aliis locis; ergo patiens eodem modo patietur quantum ad omnem formam ordinis absoluti in quovis *ubi,* sicuti si tantum in uno *ubi* reperiretur, foretque agens sibi approximatum.

Tertia propositio est. [*Oxon. Report.* ib.] *Sicuti corpus in uno* ubi *existens se haberet in ratione activi ad diversa sibi approximata in illo* ubi, *sic ipsum ut existens in duobus* ubi *se habet ad eadem sibi in illis* ubi *approximata.* Haec patet ex probatione praecedentis.

Tunc respondeo ad rationes Doctorum adductas pro opinione negativa, et exinde ad argumenta principalia per ordinem. *Ad primam,* [*Oxon.* ib. n. 14.] cum dicitur: qua ratione corpus poneretur localiter in duobus locis, ita posset poni ubique, quod est Dei proprium; *respondeo,* concedendo tum ex parte virtutis activae Dei, tum ex parte corporis ut susceptivi, fieri posse, ut corpus ubique locetur; nam quemadmodum illi concedunt quodcumque corpus converti posse in Corpus Christi, sicut convertitur panis, ita non maior limitatio invenitur respectu potentiae Dei, ut corpus unum ponatur ubique localiter, sicut inest sibi possibilitas ad essendum ubique Sacramentaliter. Nam quicquid potest fieri per causam secundam activam Deus efficere potest immediate; ipsum autem Sacramentum velans Corpus Christi non est causa corpori essendi *hic,* nisi sicut causa activa secunda, quia non tamquam causa activa formalis, ut probatum est.

Cum igitur subditur: esse ubique est proprium Dei; *respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 15. — *Report.* ib. n. 16.] Deus ex sui immensitate necessario est ubique; nullum enim esse potest *ubi* in quo non sit secundum potentiam,

praesentiam, et essentiam ; qua ratione impossibile est omne aliud a Deo esse *ubique*. Sed non est inconveniens aliquid aliud a Deo reperiri in quocumque *ubi* virtute divina, nec propterea dici deberet id esse *ubique* sicut Deus, quia nec foret immensum.

Ad secundum [*Oxon.*ib.— *Report.*n. ib. 18.] quo dicitur, fore ut eidem corpori in diversis locis existenti inessent multa contraria, est responsio ex tribus propositionibus supra declaratis; sed earum applicationem accipe. Cum primo dicitur, ex diversis agentibus una posset calefieri, et frigefieri; *responsio:* aut contraria agentia sunt aequalis virtutis in agendo, aut unum vincit aliud. *Si primum,* quemadmodum approximata passo habenti unum *ubi,* alterum, aut utrumque impediret alterum, adeo ut neutrum ageret, vel certe agerent ad quemdam effectum medium, in quo passum nec perfecte assimilaretur uni, nec alteri; sic eodem modo se haberent approximata corpori habenti diversa *ubi. Si autem virtus alterius vincat,* vel simpliciter assimilet sibi passum, vel magis quam alterum; et tunc dicimus eodem modo se habitura si sint in diversis locis; non est enim maior difficultas hic, quam si ignis et aqua ponerentur simul, quod tamen non negatur posse fieri a Deo; et idem corpus approximatum igni et aquae habentibus idem ubi. Quod enim oporteret ibi dicere ad vitandum contraria in passo, hoc facilius, vel aeque facile vitare potest quicumque in proposito.

De fame et saturitate dico sic: [*Oxon.* ib. n. 16. — *Report.* ib. 20.] famis est appetitus calidi et sicci: iste autem appetitus vel est naturalis, vel voluntarius, et utroque modo dicit aliquod absolutum. Illud ergo non variatur ob varietatem *ubi,* ex prima propositione; et per consequens, si uno loco cessaret cibi appetentia, desineret etiam alibi, esto non ex cibo ibidem degustato.

Ad sanitatem et infirmitatem [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 19.] quod attinet ex aëris temperie, vel intemperie provenientes, *respondeo,* vel intemperies aëris expellit temperiem in comparatione ad corpus animalis, in quod agit aër temperatus, vel intemperatus, et tunc erit tale, quale natum esset causare agens vincens, licet forte ageret remissius propter actionem contrarii impedientis, et resistentis. Si autem sint aequalia in agendo, passum tunc alterabitur in media proportione, eodem modo ac si diceres sanam auram et infirmam esse simul, quod nemo negabit Deum efficere posse: et idem corpus esse approximatum isti aurae, et illi simul.

Quartum, quod est *de morte et vita,* faciliter solvitur; nam [*Oxon.* ib. n. 17. — *Report.* ib. n. 20.] utrumque istorum est quid absolutum privativum, vel positivum, et per consequens non variatur propter *ubi* variationem, ex prima propositione. Si ergo moritur uno loco, moritur ubique. Sed tamen non sequitur, vulneratur *hic;* ergo vulneratur etiam alibi. Nam vulneratio dicit divisionem continui, ut *hic* ab aliquo hic dividente. Sed tamen est verum, si hic habet vulnus inflictum, et alibi pariter habet, quia sic est discontinuatio partium, quae si in uno loco corpori inest, ubique pariter insit oportet.

Ad tertium respondeo, [*Oxon.* ib. n. 17. — *Report.* ib. n. 17.] non oportere locatum commensurari dimensionibus loci secundum unum et multa, ita quod ad multitudinem dimensionum loci sequatur multitudo dimensionum locati, sicut nec ad plurificationem posterioris sequitur multitudo prioris, maxime de respectu extrinseco, et fundamento, sicut tactum est in arguendo contra contrariam opinionem.

Ad quartum dico: [*Oxon.* ib. n. 18. — *Report.* ib. n. 23.] termini unius possunt intelligi simul esse cum terminis alterius, vel simultate praecisa et adaequata, vel non praecisa nec adaequata. *Primo modo,* dicimus *maiorem* esse veram, *minorem* vero falsam. *Secundo modo, maior* est falsa: quia non oportet illud, quod est extra terminos unius, esse extra terminos alterius. Universe enim si unum excedit aliud, non oportet quod est simul excedenti esse simul excesso. *Exemplum:* si anima secundum terminos suos quidditativos sit simul cum terminis digiti, non oportet propter hoc, quod quicquid est extra terminos digiti sit extra terminos animae.

Ad quintum de Angelo, dicimus [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 24.] concludere oppositum. Potest enim Angelus suo modo, nempe definitive, poni in pluribus locis per Dei potentiam.

Ad sextum [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] respondemus negando similitudinem; nam una natura est ratio formalis essendi in una specie; sed dimensio non est ratio formalis proxima essendi in loco, bene tamen ratio fundamentalis. Haec ergo potest esse una, quamvis respectus sint diversi, sicut albedo una fundare potest diversas similitudines.

Ad Argumenta principalia. Ad primum respondeo [*Oxon.* ib. n. 25. — *Report.* ib. n. 31.] neminem negare oppositas relationes eidem inesse posse, penes fundamenta diversa, et dici subinde secundum aliquid maius, et secundum aliud minus, idque tam respectu sui quam alterius. *Ubi* autem in toto corpore et aliud est posterius et anterius, superius et inferius. Quapropter mediante illo *ubi* tamquam fundamento alio atque alio, nullum est inconveniens corpus habens *ubi* superius et inferius, secundum illa appellari inferius et superius. Nec mireris respectum superioris et inferioris fundari in *ubi,* quamvis et *ubi* respectus sit, quia bene potest respectus unus in alio fundari, sicut proportionalitas super duabus proportionibus.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] relationes contrarias in genere citra omnem repugnantiam inesse eidem penes fundamenta diversa. Unde aliquid est alteri simile secundum albedinem, dissimile vero quoad scientiam. Propinquum autem et distans fundantur in corpore ubicato; quia ipsum *ubi* ipsius est propinquum et distans; ergo si aliud est *ubi* propinquum et distans, eidem corpori convenire queunt, uti conveniunt duobus *ubi,* in quibus idem corpus reperitur, suntque fundamenta propinquitatis, atque distantiae.

Ad tertium dicimus, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 32.] sicut idem temporale non potest esse simul secundum tempus, idest eadem temporalitate, ut ita loquar, in diversis temporibus, sic nec idem locabile simul potest esse secundum locum in duobus locis. Si autem accipias in antecedente *simul* secundum tempus, et in consequente *simul* secundum locum, valet consequentia vel proportio; quia ita debet simultas temporis comparari ad idem tempus circa temporale, sicut simultas loci ad eumdem locum circa locabile. Concedo ergo, quod unica locatione, quod est dicere, esse simul secundum locum, non potest esse idem locabile simul in duobus locis.

Ad quartum dicimus, [*Oxon.* ib. n. 26. — *Report.* ib. n. 33.] iuxta primam propositionem: quoniam moveri, vel quiescere secundum locum, est simul cum *ubi* vel posterius, ideo variatur ad *ubi* variationem; po-

terit ergo in uno *ubi* quiescere, et in alio localiter moveri. Nam quiescere *hic* localiter non est aliud, quam habere continue idem *ubi* quod prius; et ibi moveri, nihil aliud est, quam acquirere aliud atque aliud *ubi*. Quemadmodum itaque possibile est, idem corpus habere *hic* permanenter unum *ubi*, et aliud ibi, sic possibile est idipsum habere permanenter *hic* unum *ubi*, et alibi plura successive. Atque eodem modo dicendum est de partibus totius si fiant instantiae; nam possibile est hic omnes partes totius quiescere in toto, et alibi aliquas moveri, ut manum, vel pedem, quia omnia ista consequuntur *ubi*, puta hoc, et illud.

Contra; [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] ergo ut est in uno *ubi* posset moveri ad seipsum, ut est in alio *ubi*, et ita accederet ad illud *ubi*, in quo iam est; et tunc vel expelleret se ipsum de alio *ubi* ad quod accedit, ex quo fit, ut sibi ipsi incompossibile foret, secundum *ubi*, sicut aliud corpus: aut certe non expelleret, et tunc desineret habere illud *ubi* virtute propria, accipiens tantum illud *ubi* quiescentis. Vel faceret se ut habens illud *ubi* cum seipso, et ita quasi duo corpora simul. Similiter si esset animatum, posset se ipsum movere pellendo, vel trahendo, et idem homo existens in millibus locis conflare posset choreas et exercitum in campo, et multa alia, quae mira videntur; et rursus loqui et tacere, et cum seipso disputare.

Respondeo, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] haec omnia puerilia esse, et de imaginatione sensui innitente procedere. Si enim quaeratur ratio eorum, de quibus arguitur, nulla est maior difficultas quod corpus moveatur ad illud *ubi* in quo quiescit, quam ad aliud ubi. Et tunc cum pervenerit ad illud ubi, dico fore ut idem corpus expelleret se de illo *ubi*, in quo quiescit, nisi forte illa virtus agens, per quam habuit aliud *ubi*, desineret conservare ipsum, et aliud ubicatum, et tunc non habebit nisi tantum ubi, quod habuit prius quiescens: sed prius non habebat illud ut terminum sui motus, imo desinet secundum *ubi* quod habebat in motu: habere autem quodcumque *ubi*, sive ut in motu sive in termino motus, nihil facit ad variationem vel multitudinem absolutorum, quae sunt in re.

Ex quo patet [*Oxon.* ib. n. 27.] ad id quod *subiicitur* de chorea, et exercitu, et disputatione cum seipso; quia si *loqui* dicat actum imaginationis, vel intellectus, ille quidem ubique est idem ubicumque fuerit loquens; si autem non est, nisi formatio vocis per instrumenta naturalia in aëre percusso, et quidem alius erit aër contiguus organis vocalibus in isto *ubi*, et alius in alio *ubi*, et esto quod idem aër sit, moveri tamen poterit hic localiter aër, et ibi non, atque ita in uno *ubi* formabitur vox, non in alio; in illo ergo loquetur, in alio tacebit. Et si sub aqua existeret et in alio *ubi* extra aquam reperiretur, ibi non poterit aërem attrahere ad respirandum, ut faceret in alio *ubi;* sed non suffocaretur ab aqua, quia alibi praesto sibi est aër attractus refrigerans ipsum.

Ac simili modo concedendum est in uno ubi posse movere corpus suum, ut est in alio *ubi* pellendo vel trahendo; quia propter identitatem corporis non aufertur ratio mobilis, nec motivi ab ipso.

Et si arguatur: [*Oxon.* ib. n. 28. — *Report.* ib. n. 33.] si movetur, ergo non quiescit: si quiescit; ergo non movetur. Ergo si simul movetur et quiescit, simul movetur, et non movetur, simul quiescit, et non quiescit. — *Respondeo,* in respective oppositis non sequitur absoluta affirmatio, et negatio, sed *secundum quid,* sicut non sequitur: est similis, et dis-

similis; ergo est similis et non similis. Nam *antecedens* est verum respectu diversorum. *Similiter* quiescere in hoc *ubi* infert quiescere; et moveri in hoc *ubi* infert moveri; tamen illae affirmationes non inferunt illas negationes, puta quiescere, non moveri; moveri non quiescere: imo est *fallacia consequentis,* quia *antecedens* verificatur in ordine ad unum terminum, et *consequens* negativum negat respectu cuiuscumque.

AD QUINTUM dico, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] omnis actus immanens qui inesset isti corpori in hoc *ubi,* inesset sibi in quocumque *ubi,* ut dicetur *quaest. seq. art.* 7. licet non inesset sibi ut in isto *ubi.*

AD SEXTUM [*Oxon.* ib. n. 21.] respondeo, eodem argumento probari posse duo corpora naturaliter uno loco simul contineri; quia agens naturale non intendit corpus loco pellere, sed magis aliud corpus inducere. Si ergo non esset repugnantia duo corpora esse simul, tunc movendo corpus ad istud *ubi* non expelleretur aliud corpus, sicque viribus naturae duo corpora essent simul. Quia ergo concluditur manifestum inconveniens, dico, aliqua esse repugnantia respectu virtutis creatae et limitatae, super quorum simultatem non potest vis activa creata, quae tamen non sunt simpliciter incompossibilia. *Exemplum:* virginem parere est impossibile respectu omnis virtutis creatae, sicut duo corpora eodem loco contineri, et unum in pluribus locis; quae tamen, quia non includunt simpliciter contradictionem, sunt possibilia respectu virtutis divinae.

AD SEPTIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 22.] si illa materia corporis in duobus locis constituti, transmutetur a duobus agentibus ad duas formas, non foret novum miraculum, sed tantum per antiquum miraculum esset proportionata ad recipiendum actiones illorum agentium. — *Dico tamen aliter:* si idem ponatur esse in duobus locis, non sequitur materiam eamdem simul duabus formis informari substantialibus, neque eiusdem, neque alterius speciei. — *Ad exemplum* de alimento respondeo, idem fieret de alimento sumpto a diversis in diversis *ubi,* quod fieret, si illi duo stomachi reperirentur in eodem loco, et cibus ille esset in utroque. Tunc enim aut virtus unius vinceret omnino virtutem alterius, totumque alimentum in substantiam sui converteret, vel essent virtutes aequales, aequaliter de alimento convertentes in cuiusque corporis substantiam; vel essent inaequales, non tamen una penitus alia superior; et tunc fortior plus alimenti absumeret, et debilior minus. Quod itaque diceretur de stomachis animalium simul existentibus, et cibo recepto in utroque, ita dicimus in casu praesenti, iuxta secundam propositionem.

AD OCTAVUM [*Oxon.* ib. n. 23.] de ignibus approximatis uni ligno in diversis *ubi,* etiam dico quod statueretur, si duo ignes per Dei potentiam essent simul illique ligno approximati; nam vel eumdem ignem generarent perfectiorem, si forma substantialis potest habere partem et partem; vel si gignerent eumdem effectum indivisibilem, eo tamen modo efficiendi, quo neuter illorum esse posset causa totalis illius.

AD NONUM respondeo per *propositionem tertiam:* [*Oxon.* ib. n. 24.] si enim ponatur ignis in uno loco, et multa combustibilia sibi habenti illud *ubi* tantum approximata, quod dicerem tunc de igne respectu illorum, sic dico nunc; quia vel in aliquod illorum ageret praecise, vel si in quodlibet, ageret tamen valde remisse in ea. Eodem modo dico

in proposito, actionem futuram valde remissam in quodlibet illorum respectu actionis, quam haberet in unum illorum, si in ullum aliud ageret. Nec mirum, quia virtus naturalis minor est in plura, quam in pauciora, et in multa, quam in unum.

AD ULTIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 23.] animal existens in aliquo *ubi* sine nutrimento, nutriretur ibidem, dummodo susciperet nutrimentum conveniens in alio *ubi;* quia etsi motus localis nutrimenti ad stomachum non sit idem utrobique, cum enim *ubi* sit aliud, et motus localis ad *ubi* alius esse potest; attamen conversio alimenti in substantiam sumentis eadem est in utroque loco. Ea siquidem conversio est generatio partis substantiae istius nutriti, et tota substantia nutrita, et quaelibet pars eius prior est ipso *ubi;* non ergo variabitur ad variationem *ubi.* — *Et cum additur,* si utrobique haberet alimentum sufficiens in duplo nutriretur; *responsio:* aut utrobique totum illud alimentum sumeret, et per consequens superflueret, cum supponatur eius medietatem sufficere ad nutritionem; vel in uno loco susciperet partem, et in alio aliam, et utrobique sufficienter nutriretur, ut patet ex praedictis.

ARTICULUS II.

UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEAT SUBSTANTIA PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 1. — *d.* 11. *q.* 3. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 75. *art.* 2.

VIDETUR in hoc Sacramento superesse substantia panis et vini post consecrationem. Etenim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 1. — *Report.* ib.] Augustinus, 3. *De Trinit.,* cap. 4. *Christi corpus dicimus,* inquit, *quod ex fructibus terrae acceptum sumimus:* sed non est aliquid acceptum ex fructibus terrae nisi panis, vel vinum; ergo remanent substantiae panis et vini in hoc Sacramento post consecrationem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Damascenus, lib. 4. cap. 14. scribit: *Quemadmodum in Baptismate, quia consuetudo est hominibus aqua lavari, et oleo ungi, coniugavit oleo et aquae gratiam Spiritus Sancti, et fecit ipsum lavacrum regenerationis, sic quia consuetudo est hominibus panem comedere, et vinum et aquam bibere, coniugavit ipsis sui ipsius Deitatem, et fecit ipsa Corpus et Sanguinem suum, ut per consueta, et secundum naturam in his, quae supra naturam sunt, fiamus.* Diserte ergo affirmare videtur in Eucharistia pasci nos pane, et vinum potare, quia in his habetur consuetus potus, et cibus humanus. Sicut igitur in Baptismo est vere aqua eiusdem rationis cum communi aqua, qua abluimur, ita in Eucharistia vere est panis et vinum, in quibus est communis cibus et potus humanus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Super illud, 1. *Corinth.*, cap. 10.: *Unus panis,* etc. Glossa Augustini est: *Sicut unus panis ex multis granis, et Corpus Christi ex multis membris, ita Ecclesia ex multis personis.* Ergo Eucharistia propter istam similitudinem significat Corpus Christi verum, et Corpus Christi mysticum; sed ex multis granis non colligitur aliquid sic significativum, nisi panis; ergo is manet in Eucharistia.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] Ambrosius, *De Sacramentis,* et ponitur *De Conse r.,* dist. 2.: *Panis est in altari, ubi accessit consecratio de pane fit Corpus Christi.* Idem, atque ibidem habetur: *Re vera mirabile, sermo qui potuit facere quae non erant, nonne potest mutare ea quae sunt in id quod non erant?* Sed et Eusebius Emissenus (et ponitur eadem dist. cap. *Quia Corpus*): *Sacerdos invisibilis, visibiles creaturas in substantiam Corporis et Sanguinis sui secreta potestate commutat.*

RESPONDEO: *Aliquorum fuit hic opinio* (cuius et meminit D. Innocentius, *De Officio missae,* p. 2. cap. 26.) arbitrantium, panis et vini substantias peracta consecratione in hoc Sacramento permanere, et interim una cum illis ibi vere et realiter Corpus Christi inveniri. — *Contra* quam opinionem arguit quidam Doctor, [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 8.] probatque esse *absurdam, impossibilem,* atque *haereticam. Primum* ostenditur ex tribus: quia talis sententia aufert debitam reverentiam Christo, ut sub hostia continetur. Ei enim in Eucharistia debetur cultus latriae: sed si ibi adesset pariter et substantia panis, non oporteret talem cultum illi exhiberi, alioquin quis incideret in idololatriam adorando creaturam. *Secundo,* videtur inconveniens, quia tollit Sacramenti huius significationem; debet enim Sacramentum primo significare Corpus, ut primum significatum: si autem sub accidentibus panis substantia maneret, ipsa haberet rationem primi significati. *Tertio,* ex tali sententia tollitur debitus usus Sacramenti; si enim maneret vere substantia panis, ipsa erit vere cibus corporalis: atqui huius Sacramenti usus est ut sit cibus spiritualis. — *Secundum vero,* [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib.] quod haec opinio *sit impossibilis,* probat ex eo quia, nihil potest incipere esse ubi prius non fuit, nisi per sui mutationem, aut alterius in ipsum: Corpus Christi non mutatur per hoc quod Eucharistia conficitur; manet siquidem in caelo sicut prius; ergo si nihil convertitur in ipsum, non est magis realiter in altari, ac prius fuerit, quod est impossibile. — Quod vero ea opinio *sit plane haeretica, probat:* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] quia est contra verbum Christi Sacramentum hoc instituentis, *Matthaei,* 26.: *Hoc est Corpus meum,* ubi non dixit *Hic est,* sed *Hoc est.* Si autem substantia panis maneret, et non converteretur in Christi Corpus, verius diceretur, *Hic est* Corpus, quam *Hoc est* Corpus.

Nos dicimus, [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 10.] his argumentis efficaciter non improbari praedictam opinionem. Et *primae* quidem rationis inefficacia apparet ex eo, quia modo minime sunt, nec censentur idololatrae adorantes Christum in Eucharistia, cum tamen negari nequeat, ibi esse aliquam creaturam, quales sunt species illae: sed non est adorandum sensibile continens, sed Christus contentus; eodem igitur pacto tunc diceretur, Christus contineri sub pane quanto et quali, et subinde non adorari substantiam panis, sed Christum in pane, ut in signo contentum. — *Quod si dicas,* simplices saltem, non sic distinguentes haud excusatum iri tunc ab idololatria; *hoc nihil est;* nam nec modo simplices distinguunt accidentia illa a Corpore Christi; quia tamen adorant in fide Ecclesiae, latria colentes quod Ecclesia adorat, sufficit eis ad salutem. Maiores autem distincte adorant contentum, non signum continens; seu id signum continens sit accidens tantum, seu substantia panis cum accidentibus. — *Secunda ratio* est ad oppositum; nam si in Sacramento hoc superesset panis

substantia, duplex illa significatio verificaretur; nempe et naturalis, qua accidentia panis substantiam significant; et quae ex divina institutione per sensibilia significatur Corpus Christi; modo autem haec praecise est vera. — *Nec potest dici,* cessare significationem naturalem, propter ea quae est ex instituto; quia tunc non ducerent accidentia illa naturaliter ad intelligendam substantiam panis, sed penitus in eis haec significatio foret sublata; subinde ergo oporteret ipsa aliter immutare intellectum post conversionem, ac antea immutabant; quod nihil est dictu. — *Respondeo igitur,* primum significatum ex instituto esse debet Corpus Christi, et ita est, seu maneat substantia panis, seu non. Sed primum significatum naturale accidentium semper est substantia illa, quam primo affecerunt, vel nata essent afficere; quia haec naturalis significatio non mutatur. — *Tertium non valet,* [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib.] quia et modo species Sacramentales nutrire manifestum est. Unde Apostolus, 1. *ad Corinth.,* 11.: *Unus quidem esurit, alius autem ebrius est,* idque ex perceptione specierum Sacramentalium: et tamen non negatur Sacramentum esse vere cibum animae: datur nihilominus ipsum contentum sub nutrimento corporali; et ita quoque si diceretur panis substantiam manere, foret ibi nutrimentum corporale, et simul sub illo contentum praecise cederet in nutrimentum animae.— *Ad impossibilitatem* quod attinet dicetur inferius. — *Ultimum* [*Oxon.* ib.—*Report.* ib.n.6.] probans eam opinionem esse haereticam ex eo quia Christus non dixit, *Hic est Corpus,* sed *Hoc est Corpus;* dicimus τὸ *Hoc* in illa propositione non demonstrare accidentia quae oculis obiiciuntur, manuque tenentur, sed contentum sub accidentibus esse verum Christi Corpus. Quamvis autem substantia panis maneret, habere posset eamdem veritatem; non enim tunc quod est substantia panis esset Corpus, sed hoc quod est contentum sub pane est Corpus; perinde ergo utraque propositio foret vera in casu. Maluit autem Salvator uti vocabulo *Hoc,* quam *Hic,* quia magis exprimitur veritas, licet utrumque dictum esset verum.

Propterea supposita fidei veritate, quae docet in hoc Sacramento non superesse panis et vini substantiam post consecrationem, unus modus declarandi facti adeo admirabilis possibilitatem est, [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 5. — *Report.* 4. d. 10. q. 1. n. 4.] quia quamvis sit impossibile idem Corpus moveri ad diversa loca, sic ut in eis sit sub modo quantitativo; attamen fieri potest ut esse incipiat ubi non erat per conversionem alterius in ipsum, et simul alibi reperiatur localiter. Corpus igitur Christi est praesens speciebus Eucharisticis, et una in caelo manet, eo quod substantia panis convertatur in ipsum, interim ab omni mutatione immune perseverans. — Quod Christi Corpus, vel aliud quodcumque esse queat simul in pluribus locis quantitative, late expensum fuit *art. praec.,* et ostensum oppositum irrationabiliter dici. Superest in praesenti ostendendum, perperam concludi Corporis Christi praesentiam ad species panis et vini peracta consecratione ex eo quod substantia panis in Christi Corpus convertatur.— *Arguo igitur primo sic:* [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 6.] transsubstantiatio est mutatio substantialis eo modo, quo conceditur esse mutatio; eius igitur per se terminus *ad quem* substantia est. Atqui per nullam mutationem acquiritur per se illud quod est posterius termino per se ipsius. Cum ergo praesentia Christi in altari sit quid posterius simpliciter substantia; ergo non habetur per transsubstantiationem. Non

enim eiusmodi praesentia est essentialiter prior; quia substantia Corporis esse potest sine illa: nec simul natura; nam tali in casu nequiret praesentia destrui perstante substantia, quod evidenter falsum est; igitur praesentia Corporis Christi non habetur per se virtute eius mutationis, quae est transsubstantiatio, sed solum intelligitur haberi substantia Corporis Christi, quae non est sua ipsius praesentia. — *Haec eadem ratio potest etiam sic deduci:* [*Oxon.* ib. — *Report.* 4. d. 10. q. 1. n. 4.] per nullam mutationem per se acquiritur illud quod est simpliciter aliud a per se termino illius: praesentia haec est simpliciter aliud quid a substantia quae est per se terminus transsubstantiationis; ergo non acquiritur virtute conversionis substantiae panis in Christi Corpus. *Probatio maioris:* unius mutationis per se est unus per se terminus, adeoque quicquid est per se aliud ab illo termino, licet per accidens sit idem cum eo, non acquiritur formaliter per illam mutationem. *Minor est evidens;* nam huiusmodi praesentia non est substantia panis; siquidem quando ipsa est, substantia panis non est: in ista praesentia est substantia Corporis Christi, quia huius substantia fuit, quando praesentia non fuit.

Deinde, [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 7.] Deus efficere potest, ut Christi Corpus sit praesens substantiae panis, qua in hypothesi utique non erit praesens pani per mutationem, quae fit ad substantiam, ut per se terminum eius, et nihilominus tunc acquireretur praesentia eiusdem rationis cum illa, quae nunc habetur; ergo oportet id fieri per mutationem eiusdem rationis; ergo per aliam fieret, quam per mutationem substantialem. *Probatio maioris:* ad novitatem posterioris non sequitur novitas prioris, ex 8. *Phys.,* text. c. 74. 75. et inde. Sed haec praesentia posterior est substantia panis, sicut respectus est absoluto posterior, et substantia maxime; ergo citra omnem mutationem circa substantiam panis esse potest nova praesentia Corporis ad panem; est igitur danda aliqua mutatio ad talem praesentiam, quae substantialis non sit; et per consequens virtute conversionis panis in Corpus Christi non acquiritur haec praesentia. Nam terminus eiusdem rationis, cuiusmodi est praesentia, non proprie et per se est terminus duarum mutationum secundum genus distinctarum. — *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib.] haec procedere secundum modum alterius providentiae; at de facto adest speciebus panis Christi Corpus per conversionem panis in ipsum. — *Contra,* ex hypothesi quod Christi Corpus esset praesens substantiae panis, Deus convertere posset panem in ipsum Corpus; non enim est magis contradictio hic, quam ut modo convertatur in Corpus non antea praesens; ergo per talem conversionem tunc factam in Corpus panis speciebus praesens non fieret eis praesens; alioquin vel fieret praesens postquam reipsa aderat; vel certe eadem praesentia terminaret duas mutationes. — *Alias praeterea instantias* contra hanc declarationem habes *art. praec. in primo incidenti,* ut opus non sit hic eas repetere.

Nos itaque rem hanc abditissimam ita declarandam putamus. Praemittendo primum, [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 9.] quoties corpus de loco ad locum movetur, atque inde aliud propellitur corpus, communiter quatuor motus vel mutationes intervenire, et terminos octo: duae nimirum in corpore expellente, et totidem in expulso. Siquidem expellens movetur ab *ubi* suo ad privationem eius, eaque mutatio dici

potest deperditiva prioris *ubi;* idem etiam corpus a carentia secundi *ubi* movetur ad ipsum acquirendum; sicque ea mutatio dici potest acquisitiva *ubi.* Sunt pariter duae mutationes, et quatuor termini circa corpus quod loco pellitur, cum corpus aliud occupat locum eius.

Quod si [*Oxon.* et *Report.* ib.] *deducto corpore* ad locum alterius, una idem *ubi* occuparent, tunc non essent nisi duae mutationes, et quidem ambae in ipso corpore moto, *altera* scilicet prioris *ubi* deperditiva, *altera* novi *ubi* acquisitiva. Si vero corpus, non recedens a priori *ubi,* in novo *ubi* poneretur, tantum unica mutatio interveniret, nempe a prioris *ubi* privatione ad ipsum novum *ubi,* eaque acquisitiva dicenda foret, nihil interim deperdens eorum quae prius habebat. Nulla autem harum mutationum admissa aut intellecta, omnino non est intelligibile, quod corpus sit ubi prius non fuit. Nam impossibile est qualitercumque aliquid hic realiter reperiri, ubi prius realiter non erat, quin sit aliqua mutatio realis vel in isto vel in illo, cui est realiter praesens: siquidem nullo modo est transitus a contradictorio in contradictorium secundum aliquod praedicatum reale, quin sit aliqua mutatio realis; si enim nihil mutatur realiter, non est ratio quare haec contradictionis pars est magis vera, quam prius, nec quare alia magis vera, quam ista.

Haec rei praesenti applicantes, [*Oxon.* ib. n. 10.] neminem admittere constat in Corpore Christi mutationem deperditivam *ubi* de Caelo, juxta illud Augustini, *Donec finiatur saeculum sursum est Dominus.* Id autem est regulariter intelligendum; fieri enim posset, ut ex speciali gratia placeret sibi inde digredi, et ad homines descendere, sicut pie creditur [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 35. — *Report.* 4. d. 10. q. 3. n. 35.] in Assumptione Beatissimae Matris suae corporaliter illi occurrisse. Ad salvandam nihilominus Eucharistici Sacramenti veritatem fieri non oportere, est communis sententia Theologorum. Est tamen absolute necessarium, ut intelligatur realis praesentia Corporis Christi ad species Eucharisticas, intelligere ipsum novum aliquem respectum praesentialitatis subiisse, alioquin non magis foret hic praesens nunc, quam prius. Illa etenim mutatio, quae est circa species quatenus antea in subiecto erant, nunc autem non sunt in subiecto, haec, inquam, mutatio nihil facit ad hoc, ut Christi Corpus de non praesente speciebus fiat praesens realiter iisdem; habet siquidem illa alios terminos per se ab illa qua non praesens fit praesens, ut ostensum fuit; ergo necesse est ponere aliquam mutationem in Corpore Christi acquisitivam eiusmodi realis praesentiae novae.

Verumtamen [*Oxon.* ib.] dici non potest propria mutatio localis duabus de causis: altera est, quia eam non concomitatur aliqua deperditiva prioris *ubi,* uti communiter evenit in motu locali; altera vero est, quia hic proprie terminus istius mutationis non est *ubi.* Nam in termino eius mutationis Corpus Christi non habet proprie *ubi;* sed magis terminus est quaedam praesentia simplex ipsis speciebus, vera tamen et realis; terminus autem mutationis localis proprie acceptae est ipsum *ubi.*

Ad quod igitur genus pertinet haec mutatio, et terminus ipsius? *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib. n. 10.] si Angelus fiat de novo alicui corpori praesens, dicitur quidem esse in loco definitive ea ratione qua sibi competit esse in loco; sicque dicitur mutari licet illa mutatio multum distet a vera mutatione secundum *ubi.* Adhuc autem quantum ad aliquas conditiones praesentia Corporis Christi speciebus magis recedit a

vera ratione *ubi;* quia per illam praesentiam nullo modo determinatur sic ad unum *ubi,* ut sibi aliud repugnet. Sed Angelus per unum *ubi* sic ad illud determinatur, ut sibi repugnet aliud.

Et si contendas, [*Oxon.* et *Report.* ib.] qualemcumque mutationem a Corpore Christi abesse oportere; *dicimus,* saltem respectum aliquem extrinsecus advenientem hic necessario adstruendum fore; qui respectus advenire potest de novo, nulla subintellecta mutatione in fundamento, et termino, ex aliqua forma absoluta proveniente. Sic ergo non est inconveniens Corpus Christi esse de novo praesens alicui non habenti novam formam absolutam, et novum respectum in ordine ad ipsum. Vel si habeat eiusmodi novum respectum, pari ratione et Corpus Christi habebit novum respectum. Nam si species sunt de novo praesentes Corpori Christi, et Corpus subinde est praesens eis: siquidem *praesentia* relatio mutua est; nullum ergo inconveniens est admittere in Corpore Christi mutationem ad respectum extrinsecus advenientem, qualis relatio est *ubi.* Quod autem spectat ad possibilitatem rationis specialis praesentiae Sacramentalis Corporis Christi, exponetur *quaest. seq.*

Ad Argumenta. Ad primum respondeo sic: [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 58. — *Report.* 4. d. 11. q. 3. n. 23.] quemadmodum panis dicitur collectus ex granis, ita species remanentes dicuntur collectae, quatenus sunt aliquid ipsius collecti. Atque haec est expositio Augustini.

Ad secundum dico, [*Oxon.* et *Report.* ib.] non velle Damascenum, nos vesci pane superstite in Eucharistia etiam peracta consecratione, sed docere species illas quantum ad usum habere actum eumdem, et efficere quod panis praestare solet: siquidem species eodem modo nutriunt, ac illa quorum species sunt. Est ergo sic intelligenda inducta similitudo: pasci nos in Eucharistia aliquibus eodem modo se habentibus quoad usum nostrum, sicut utimur aqua in Baptismo; non ità tamen, ut putaverit Damascenus manere substantiam panis in hoc Sacramento, uti est substantia aquae in Baptismo; imo expresse oppositum profitetur in eodem capitulo, subdens: *ipse panis et vinum transit in Corpus et Sanguinem Dei. Si autem modum inquiras, sufficiat tibi audire quoniam per Spiritum Sanctum fit.* Et paulo post, *Panis et vinum,* inquit, *et aqua, et per invocationem et superadventum Spiritus Sancti supernaturaliter transsubstantiatur in Corpus Christi et Sanguinem.*

Ad tertium dicimus, [*Oxon.* et *Report.* ib.] species panis et vini ita repraesentare Corpus Christi verum et mysticum, sicut panis repraesentaret; nam ita ostendunt in se multa grana, quantum ad illud, secundum quod grana habent rationem obiecti sensibilis, causa nimirum accidentium, quae sunt sensuum obiecta.

RURSUM ARTICULUS II.

UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEAT SUBSTANTIA PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 75. *a.* 2.

Videntur substantiae panis et vini superesse in hoc Sacramento post consecrationem. Nam [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 3. — *Report.* ib. n. 3.] que-

madmodum in naturalibus non sunt plura astruenda quam ratio naturalis necessario convincit, quia pluralitatem non necessariam arcet natura, 1. *Phys.*, cap. 50, ita plane in credibilibus non sunt ponenda plura, ac convinci queat ex veritate creditorum: sed veritas Eucharistiae optime salvari potest citra hanc transsubstantiationem; ergo sine urgenti ratione ponitur panis et vini substantiam transire in Corpus et Sanguinem Christi. — *Probatio minoris:* Eucharistiae veritas exigit signum et signatum realiter signo illi praesens: substantia panis cum suis accidentibus aeque potest esse signum, sicut accidentia sola, imo magis, quia panis substantia sub speciebus magis est nutrimentum quam accidentia; ergo magis repraesentat Corpus Christi in ratione nutrimenti spiritualis. Corpus autem Christi perinde esse potest realiter praesens substantiae panis, ac accidentibus eius; non enim magis repugnat substantiae simul esse cum substantia, quam cum quantitate illius substantiae. — *Confirmatur,* siquidem ponenda sunt pauciora miracula quantum possibile est: sed statuendo permanere panis substantiam cum suis accidentibus, et Corpus Christi ibi realiter praesens, pauciora miracula concurrere manifestum est, quam statuendo panem transire in Christi Corpus; nam illo in casu non astrueretur aliquod accidens manere sine subiecto.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 4.] In creditis nobis iuxta intellectum universalem traditis, non videtur ille modus determinandus, qui est difficilior ad intelligendum, et ad quem plura videntur sequi inconvenientia: sed Corpus Christi vere et realiter esse in Eucharistia est quoddam verum nobis universaliter creditum. Quod vero ibi non maneat panis substantia, est difficilius ad intelligendum, atque inde apparent sequi plura inconvenientia, quam ponendo in Eucharistia esse substantiam panis; ergo hic sensus est amplectendus. — *Maior probatur;* nam ex quo fides nobis data est, ut sit via ad salutem, ita debet, ut videtur, determinari, et teneri ab Ecclesia, sicut magis est idonea consequendae saluti: statuendo autem intellectum veritatis nobis revelatae supramodum difficilem, et ad quem manifeste apparent sequi inconvenientia, est occasio avertendi a fide omnes Philosophos, imo fere omnes sequentes rationem naturalem, vel saltem impediendi eos ne amplectantur doctrinam Evangelicam, si dicatur eis talia pertinere ad fidem nostram; imo sequentes naturalem rationem ducerent pro maiori inconvenienti ea quae docentur circa mysterium Eucharistiae, quam illa quae sunt nobis tradita de Incarnatione. Et mirum profecto videtur, quare in uno articulo, qui non est de principalibus debeat talis intellectus asseri, propter quem fides exponatur contemptui omnium sequentium dictamen rationis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 5.] Nihil est tenendum tamquam de fidei substantia, nisi quod potest expresse haberi ex Scriptura, vel necessario et evidenter sequatur ex iis quae continentur in Scriptura, vel nisi sit plane per Ecclesiam declaratum et determinatum. Haec propositio videtur sufficiens, quia pro nullo alio haberet quis iustam causam exponendi se morti; et pro omni eo quod spectat ad fidei substantiam quisque tenetur ad salutem petere mortem. Quod vero nullo istorum modorum habetur certum, firmiter credere est levitatis. Atqui Scriptura expresse non dicit, in Eucharistia abesse substantiam panis; siquidem *Ioan.*, 6. ubi multus est sermo de hoc dogmate, is difficilis intellectus non exprimitur, ubi ait Veritas Christus: *Ego sum panis vivus, qui manducaverit*

ex hoc pane, etc. et 1. *Ad Corinth.,* cap. 10. dicit Paulus: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* Nec invenitur in Ecclesia ubinam haec veritas solemniter determinetur, nec etiam qualiter istud ex aliquo credito manifeste ac evidenter queat inferri; ergo sic intelligere veritatem Eucharistiae non spectat ad substantiam fidei.

Est hic responsio dicentium, [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib. n. 6.] imo in Scriptura hunc intellectum diserte reperiri; Salvator enim *Matthaei,* 26. dicendo, *Hoc est corpus meum,* expresse significavit panis substantiam non manere, alioquin falsa esset illa propositio. — *Contra,* etiamsi peracta consecratione panis substantia superesset, ea locutione non demonstraretur substantia panis, sed id quod panis substantiae foret praesens. Quemadmodum et modo non demonstrantur accidentia, quia tunc revera propositio falsa esset, cum ea non sint Christi Corpus; est ergo sensus: hoc ens contentum sub isto signo sensibili verissime est corpus meum.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 6.] In Sacramentis veritatis nulla debet apparere umbra falsitatis: sed accidentia panis et vini suapte natura significant substantias eis convenientes, quasque naturaliter afficiunt. Si ergo nulla sit in hoc Sacramento substantia, signatio illa naturalis plane falsa erit. — *Responsio:* significant Corpus et Sanguinem Christi, quae significatio verissima est. — *Contra,* naturalis significatio non mutatur propter significationem ex instituto; ergo ista accidentia naturaliter significant eadem quae prius significaverunt; ergo ea ratione qua signa sunt naturalia, erit significatio falsa, nisi signis subsint signata: asserendo autem revera subesse signata, stat veritas in naturali significatione accidentium. Et interim staret quoque veritas significationis ad placitum; quia in illis subiectis contineri possunt illa, quae significantur ex Dei institutione, atque ita quoad utramque significationem astrueretur omnimoda veritas, quando secundum aliam viam est falsitas in significatione naturali; ergo magis congruit veritati Sacramentorum, ut omni via et ratione absit falsitas.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 58.] Damascenus, lib. 4. c. 14. *Panis non manet, sed transsubstantiatur in Corpus Christi; interrogas quomodo? Spiritus Sanctus supervenit, et totum facit;* et multa alia Sanctorum dicta habentur d. 2. *De Consecr.,* et Magister plures congerit 4. d. 10. et 11.

RESPONDEO: circa praesens quaesitum *aliqui* [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 2.] *opinati sunt* (ut recitat D. Innocentius, *De officio missae,* p. 2. c. 26. ut retulimus quoque *art. praec.*) in Eucharistia panis vinique substantias post consecrationem superesse, et tamen vere eis praesens Corpus Christi reperiri. — *Alii* dicere voluerunt panem non manere, nec vinum, non tamen converti in Corpus et Sanguinem Christi, sed plane esse desinere, vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud. — *Tertia sententia,* cuius meminit D. Innocentius, est tenentium et fatentium panis substantiam transsubstantiari in Corpus, et vinum in Sanguinem Christi, utriusque substantiae manentibus speciebus. Illud autem harum assertionum auctoribus fuit commune, quod quisque salvare voluit, vere et realiter Christi Corpus et Sanguinem in Sacramento hoc reperiri; id enim negare est sentire contra catholicam fidem. Etenim a principio institutionis Eucharistiae fuit quid spectans ad fidei veritatem, vere et realiter in ea Corpus Christi contineri, ut etiam annotatum fuit *quaest.* 75. *art.* 1.

Quantum attinet ad *primam,* et *secundam opinionem,* [*Oxon.* ib. n. 13. — *Report.* ib. n. 13.] utrum panis annihiletur, disseremus *art. seq.* Sed quod velint panis et vini substantias manere, aut non manere, sed resolvi in materiam, vel corrumpi in aliud, ita sentientibus Ecclesia Catholica contradicit, docens panem in Christi Corpus, et vinum in Sanguinem converti, manentibus utriusque substantiae accidentibus. Haec fidei veritas, quam complures Sanctorum auctoritates profitentur, potissimum confitenda est propter Ecclesiae auctoritatem, quae expresse habetur *De summ. Trinitate, et fide,* cap. *Firmiter,* § *Uno vero,* ubi dicitur: *ipse Iesus Christus Sacerdos est et sacrificium, cuius Corpus et Sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur.* Et sequitur statim: *Transsubstantiatis pane in Corpus, et vino in Sanguinem potestate divina.* Quandoquidem autem de Sacramentis Ecclesiae tenendum est quicquid docet Sancta Romana Ecclesia, ut habetur *De Haereticis,* cap. *Ad abolendam,* haec declarans et docens conversionem panis in Corpus, et vini in Sanguinem Christi virtute Sacramenti fieri in Eucharistia, horrenda est haeresis aliter sentire et docere. — *Porro* fundamentum est, quia spiritus veritatis Ecclesiae assistens non sinit ipsam errare in his, quae sunt fidei, et morum, iuxta Christi promissum: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua. et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Lucae, 22.

Possunt etiam addi congruentiae; etenim [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Ecclesia non errat cum orat (ut in Canone Missae) ut panis et vinum fiant Corpus et Sanguis Domini nostri Iesu Cristi: non petit autem fieri aliquid impossibile, vel possibile non fiendum, sed orat pro aliquovi Sacramenti mox repraesentando.— *Deinde* si substantia panis et vini maneret sub accidentibus, percipiens Corpus et Sanguinem Christi sub illis speciebus non esset ieiunus, atque ita nulli liceret bis in die Missam celebrare. Hoc vero est falsum, imo percepta Eucharistia adhuc potest Sacerdos celebrare, uti habetur *De celebr. missarum,* cap. *Consuluisti;* ubi sancitur, excepto die Nativitatis Domini, nisi tamen necessitas supervenerit, sufficit Sacerdoti semel in die Missam celebrare. — *Denique,* celebrans non errat cum dicit: *fiat commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Cristi.* Instruimur itaque ea oratione non commisceri vini, panisque substantias, quae absunt, sed Corporis et Sanguinis Christi fieri veram commixtionem.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 14.] *concedo,* et in creditis perinde ac in naturalibus non esse plura sine necessitate astruenda, nec miracula plusquam oporteat multiplicanda. — *At cum subditur* in *minori,* posse Eucharistiae veritatem subsistere, et recte salvari sine transsubstantiatione panis et vini; *respondeo:* utique possibile fuit ita Christum instituisse, ut nempe eius Corpus et Sanguis essent praesentia panis et vini substantiis: sicuti sunt modo eorumdem accidentibus; quo in casu Eucharistia haberi potuisset, quia verum signum, et verum signatum. At modo, ut dicunt Sanctorum auctoritates, et declaratum fuit solemniter ab Ecclesia, absque panis et vini transsubstantiatione non est veritas Eucharistiae, quia institutum fuit ut esset per transsubstantiationem, etsi aliter institui potuisset. — *Et cum arguitur:* quia ad veritatem Eucharistiae nihil aliud requiritur, nisi verum signum et verum signi signatum; *dico,* id verum esse, eo pacto quo signum

est institutum; aliter enim quia ab instituente pendet, non est aptum signare vere signatum. Cum igitur illud signum nunc non sit verum signum, nisi quatenus signatum est praecise sub accidentibus panis et vini, si adessent eorum substantiae accidentium, vera signa non essent.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* ib. n. 15.] non est aliquis articulus arctandus ad intelligentiam difficilem, nisi is sensus sit verus; si enim verus est, et probatur evidenter esse verum argumento theologico, est articulus tenendus iuxta eam intelligentiam, quando inquiritur in speciali; quia nullus alius intellectus specialis verus est; sic autem supponitur de intellectu huius articuli ex auctoritatibus allegatis.

Quod tangebatur, [*Oxon.* ib.] mirum videri Ecclesiam eligere voluisse intellectum adeo difficilem eius articuli, cum verba Scripturae perinde salvari potuerint secundum intellectum faciliorem, imo et veriorem ad apparentia; *respondeo,* eo Spiritu expositae sunt Scripturae quo conditae, atque ita supponendum est Ecclesiam Catholicam eo Spiritu exposuisse hunc articulum, quo tradita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta, et ideo hunc intellectum elegit quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiae fuit efficere istud verum vel non verum, sed Dei instituentis intellectum; ergo a Deo traditum Ecclesia explicavit, directa in hoc, ut creditur, a Spiritu Sancto.

Et tunc AD TERTIUM, ubi stat vis, dicendum, [*Oxon.* ib.] Ecclesiam declaravisse istum intellectum spectare ad fidei veritatem in symbolo edito sub Innocentio III. in Concilio Lateranensi, capite praeallegato, *firmiter credimus,* ubi explicite ponitur veritas quorumdam creditorum, et magis quam habeatur in Symbolo Apostolorum, vel Athanasii, vel Nicaeni. Et breviter, quicquid ibi proponitur credendum, sentiendum est pertinere ad substantiam fidei, idque post adeo solemnem declarationem ab Ecclesia factam et promulgatam.

AD QUARTUM [*Oxon.* ib.] potest dici, accidentia non semper signare substantiam esse in actu, quam affecerunt, sed aptitudinaliter, vel si modo signant in actu, omnem abesse falsitatem in signo, quatenus est signum acceptum pro libertate instituentis; nam ut tale correspondet sibi signatum, ad quem finem fuisse institutum constat.

ARTICULUS III.

UTRUM SUBSTANTIA PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM HUIUS SACRAMENTI ANNIHILETUR.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 4. — *Report. ib.* — *Quodl. q.* 10. *S. Thom.* 3. *p. q.* 75. *art.* 3.

VIDETUR panis in Eucharistia post consecrationem annihilari. Etenim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 4. n. 1. — *Report.* ib.] quod aliquando fuit, et nunc nihil eius manet, annihilatur: sed substantia panis fuit ante conversionem et post conversionem eius in Christi Corpus nihil ipsius panis superest; totum enim convertitur in totum, materia scilicet in materiam, et forma in formam; igitur annihilatur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Quod nihil est in se, nec in alio, et praefuit aliquid, annihilatur; sed panis post eius conversionem

nihil est in se, secundum substantiam sui, nec in Corpore Christi, quia tunc corpus illud augmentaretur per accessionem panis in ipsum; illud enim augmentatur, in quo est aliquid substantiae, quod prius non fuit; ergo panis omnino annihilatur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] In transsubstantiatione vel conversione partiali, ut in corruptione, terminus *a quo* annihilatur; igitur multo magis in conversione totali, in qua totum transfertur in totum, terminus annihilatur. *Antecedens probatur:* nam in corruptione formae substantialis apparet totum quod corrumpitur annihilari, cum forma simplex non habeat partem et partem, quarum altera maneat, et altera esse desinat; igitur totaliter forma annihilatur. — *Responsio:* [*Report.* ib.] forma non annihilatur in corruptione, quia etsi nihil eius remaneat in actu, in potentia tamen materiae optime superesse intelligitur. — *Contra,* agens naturale potest de potentia materiae educere omnem formam educibilem ab ea; igitur si forma corrupta superesset in potentia materiae, posset iterum eadem numero ab agente naturali reproduci, quod expresse negat Philosophus, 2. *De Gener.,* text. c. 38. — *Deinde* ex illa responsione sequitur propositum; etenim, si propterea forma non annihilatur dum corrumpitur, quia manet in potentia materiae, igitur id quod non est in potentia materiae, si non maneat, omnino annihilatur: sed panis substantia, quae transiit, vel conversa est in Corpus Christi, nullo modo manet in potentia materiae; igitur revera fuit annihilata.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib.] Creatio et annihilatio sunt mutationes oppositae, sicut generatio et corruptio; igitur sicut terminus *ad quem* generationis est terminus *a quo* corruptionis, et e converso, ex 5. *Phys.* text. c. 7. et 8., ita terminus *ad quem* creationis est terminus *a quo* annihilationis: sed quando totum, cuius nihil praefuit, producitur, ut terminus *ad quem,* creatur; igitur quando aliqua versio incipit a tota substantia, ut termino *a quo,* totaliter annihilatur.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 7. — *Quodlib.* q. 10. n. 22.] Ratio per se cuiuslibet non variatur per aliquid concurrens per accidens cum eo: sed per accidens est ad desitionem panis concurrere positionem Corporis Christi in Eucharistia; igitur per ipsam non variatur ratio formalis desitionis panis. *Minor patet;* quia posset esse unum sine altero, et absque ulla repugnantia posset panis desinere esse, et non poni sub accidentibus Corpus Christi: sed si sola esset panis desitio absque Corporis Christi positione esset simpliciter annihilatio; ergo et talis erit etiamsi ponatur Corpus Christi.

6. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 10.] Si post panem desinentem poneretur Christi Corpus sub accidentibus panis, desitio panis vera et formalis annihilatio fuisset: sed illa panis desitio eodem pacto se habet nunc, tam quoad *esse,* tam quoad non *esse;* igitur nunc formalis annihilatio. *Probatur minor:* quia si esset annihilatus, nec materia nec forma eius maneret eadem, et eodem modo se habet nunc, cum totus et totaliter desinat *esse.*

7. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si panis et vini substantiae non forent dicendae annihilatae, maxime quia negatio essendi panis superesset in Corpore Christi, quod pani succedit: sed hoc non impedit, quin proprie et formaliter panis annihiletur; ergo hac ratione panis *esse* desinens

vere annihilatur. *Probatio minoris:* negatio, ut terminat desitionem panis, est nova, est enim terminus actionis novae: sed negatio panis, ut fundatur in Corpore Christi, non est nova, sed antiqua, uti est antiqua forma illius corporis, quam necessario concomitatur; ergo talis negatio nequit esse terminus desitionis panis novae.

8. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 11.] Quando simul concurrunt mutationes diversorum generum, negatio non est per se terminus unius, ut includitur in termino alterius. *Exemplum:* si simul sint generatio, et loci mutatio, negatio terminans corruptionem concomitantem generationem non terminat eam per se, ut salvatur in *ubi*. Quod et ratione probatur; quia quotiescumque negatio termini a *quo* mutationis per se salvatur in termino *ad quem* alterius, oportet eas mutationes esse eiusdem generis, quia ad terminum *ad quem* et *a quo* oppositas: sed in proposito Corpus Christi non includit non *esse* panis. Patet, quia disparatio illa corporis ad panem fuit manente utroque extremo; ergo non includit illam negationem *esse* panis, nisi ut *hic:* sed ille terminus ut *hic* non spectat ad genus substantiae; ergo negatio illa non per se terminat desitionem ut salvatur in corpore ut *hic*.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 1. seqq. — *Report.* ib. n. 1.] Damascenus, lib. 4. cap. 14. *Ipse panis et vinum transit in Corpus et Sanguinem Dei.* Et Ambrosius, *De Sacramentis, et ponitur de Consecr.*, dist. 2.: *Panis est in altari, ubi accessit consecratio de pane fit Corpus Christi;* fatentes igitur panem in Christi Corpus converti, perspicue negant ipsum annihilari; quod enim in nihilum abit profecto in aliud non convertitur.

RESPONDEO: *aliquorum* [*Oxon.* ib. q. 4. n. 3. — *Report.* ib. n. 2. — *Quodlib.* q. 10. n. 21.] est hic sententia talis: panis substantia in Eucharistiae Sacramento non annihilatur, ac proinde post consecrationem panis ipse non est nihil, et per consequens oportet ut sit aliquid: non sane id quod praefuit; illud enim iam conversum est, nec quicquam aliud a termino in quem conversus fuit; est igitur post conversionem aliquid, ut illud in quod conversus est; ex quo fit, ut quod praefuit panis sit Corpus Christi, aut si ista negetur, necesse est concedere *aliquitatem* corporis esse eius, quod fuit panis, alioquin panis post conversionem nullo modo aliquid dici posset, sed magis omnino annihilatus. — *Contra* hanc opinionem arguo: [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 3. — *Quodlib.* ib. n. 21.] in omni conversione substantiali terminus *ad quem* includit non *esse* termini *a quo,* quia termini sunt oppositi; igitur in ista conversione totali panis in corpus terminus ad quem includet non *esse* panis, ut termini *a quo:* sed nihil sub ea ratione, sub qua includit non *esse* alterius, est eadem aliquitas cum illo, nec aliquitas unius est aliquitas alterius; igitur post conversionem panis in corpus, cum corpus includat non *esse* panis, non est aliquitas Corporis Christi aliquitas panis, sed magis non entitas vel nihileitas panis. — *Deinde,* quod nullo modo aliter se habet in se post conversionem quam prius se habuit, nec aliter in se aliquid habet, non habet aliquam aliquitatem, quam prius non habuit: sed Corpus Christi nullo modo se habet aliter post conversionem quam ante: ante autem conversionem panis non habuit in se aliquitatem panis; nec aliquitas corporis erat aliquitas panis; ergo nec post conversionem. — *Rursus,* [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib.] cuius est per se

aliqua aliquitas, illud per se est aliquid illa aliquitate, ut cuius est per se albedo, illud per se formaliter est album illa albedine; igitur si aliquitas Corporis Christi sit ipsius panis post conversionem, panis erit aliquid illa aliquitate. Aut igitur substantia, aut accidens: non accidens, quia non est conversio accidentalis, sed substantialis. Si substantia, aut igitur substantia panis, quod non est verum, quia panis non manet post conversionem; aut substantia Corporis Christi, quod pariter falsum est, quia tunc post conversionem panis esset substantia Corporis Christi, quod est impossibile; nam panis ut nihil est in se, ita nec aliquid in alio. — *Tandem,* [*Oxon.* et *Report.* ib.] secundum Avicennam, 1. *Metaph.,* cap. 6. *aliquid* et *res* sunt convertibilia; ergo cuius est aliqua aliquitas eius erit aliqua realitas, et est res alia aliquitate. *Res* vero, secundum opinantem istum, uno modo dicitur a *realitate;* alio modo a *reor reris,* quod est *opinari;* igitur si panis post conversionem esset aliquitas Corporis Christi, et e converso panis post conversionem esset res aliquitate illa; aut igitur res dicta primo modo a realitate, et tunc, ut deductum est prius, panis post conversionem haberet essentiam suam actu; igitur aut essentiam panis, aut essentiam Corporis Christi, quorum utrumque est falsum. Si autem sit *res,* aut est illa a *reor;* igitur post conversionem non est magis ens vel res, quam chymera vel impossibile, quia alia sunt res, ut res est ab *opinari* et *imaginari,* et consequenter panis isto modo erit res et ulterius cum tali aliquitate panis optime stat annihilatio eius; si aliquid enim converteretur in chymeram, vere esset annihilatum.

Est ergo dicendum, [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 6. seqq.] post consecrationem nihil substantiae panis et vini superesse in hoc Sacramento, et nihilominus eas substantias non annihilari, sed converti in Corpus et Sanguinem Christi. Et quidem nihil panis manere post conversionem, ostendunt inducta argumenta contra relatam opinionem. Quod vero ea de causa panis dici nequeat annihilatus, declaratur: siquidem terminus *ad quem* transitus ipsius panis non est purum nihil; ergo panis non annihilatur. *Probatio antecedentis;* nam terminus *ad quem* eius transitus est Corpus Christi; etsi enim negatio panis concomitetur terminum ad quem, non tamen terminus iste est omnino nihil, sed est in aliquo positivo. *Consequentia probatur:* terminus *ad quem* annihilationis est purum nihil; idque a simili suadetur: sicut terminus *a quo* creationis est purum nihil, ita terminus *ad quem* annihilationis esse debet purum nihil. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 14.] tam terminus *a quo* conversionis, quam terminus *ad quem* potentiae primi Agentis subduntur et quoad *esse,* et quoad non *esse* totale ipsorum. Quod patet; quia in eodem instanti, quo terminus *a quo* penitus *esse* desinit virtute primae causae, terminus *ad quem* succedit illi *esse* desinenti: id vero contingere non posset nisi uterque subesset virtuti Causae primae. Terminus autem *ad quem* annihilationis, quoniam est omnino nihil, vel negatio extra genus, non subiacet potestati agentis primi; ea enim negatio causabilis non est; ergo desitio ad quam non sequitur hoc genus negationis prorsus incausabilis annihilatio dicenda non est. Eiusmodi autem est desitio panis in Eucharistia; nam non *esse* panis fundatur in Corpore Christi, quod pani desinenti succedit, ut fides Catholica docet, et credendum proponitur, [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 13. — *Report.* ib. n. 13.]

De Summ. Trinit. et fide Cathol., cap. *Firmiter*, §. *Uno vero.* Quemadmodum igitur si, peracta conversione panis in Christi Corpus, rursus corpus in panem converteretur, reductio panis non foret creatio, quia non de nihilo factus esset, ut de termino *a quo*, ita conversio panis in Corpus Christi non est annihilatio.

Contra, [*Oxon.* ib. n. 7.] desitio panis se habet concomitanter ad positionem corporis Christi *hic*, et non per se, quasi panis repugnaret cum termino *ad quem*; igitur non *esse* panis est per annihilationem, quia per se ad purum nihil terminatur. *Confirmatur:* nam non ideo corruptio non est annihilatio, quia concomitatur generatio alterius, sed quia manet subiectum commune, et subinde privatio, seu carentia formae in subiecto apto nato recipere illam: non *esse* autem panis non est in apto nato, sed purum non *esse;* ergo est per talem conversionem vere annihilatus. — *Neque iuvat* respondere, non esse paritatem de corruptione et transsubstantiatione, quia transsubstantiatio est inter duos terminos positivos, et ita non est consideranda illa panis desitio, quasi esset una mutatio per se formaliter distincta genere ab incoeptione Corporis Christi *hic*, sed tantum est unus transitus huius positivi ad illud positivum. — *Non iuvat, inquam;* [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib. n. 7] manifestum est enim qualiter *esse* panis non est formaliter corpus Christi esse *hic* et e converso; nam posset panis non esse, et interim non poni corpus Christi hic, et e converso. — *Deinde*, non est sermo hic de transsubstantiatione ut est transitus positivi in positivum praecise, et quidditative, sed quatenus praesefert duas mutationes concomitantes, quarum altera est acquisitiva ut respicit terminum *ad quem;* altera vero deperditiva, ut respicit terminum *a quo* conversum. Hi autem sunt duo transitus quidditative distincti sicuti in generatione et corruptione; de ista igitur desitione loquentes, videtur nobis esse annihilatio, cum non sit in subiecto apto nato, qualis est privatio.

Nihilominus [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] standum est in praemissa resolutione, quod scilicet panis in ista conversione non annihiletur; quia in annihilatione nihil termini a quo manet in termino *ad quem.* Pro quo sciendum, in corruptione posse *primo* considerari subiectum commune: *secundo*, carentiam formae corruptae in subiecto apto nato: et *tertio* denique, negationem eiusdem formae, ut fundatur in forma de novo genita; illa enim ut est incorruptibilis cum forma corrupta, ita fundat negationem eius. Haec negatio si per impossibile sola maneret respectu formae corruptae, et non superesset neque materia, neque privatio in ipsa, adhuc forma illa corrupta non diceretur annihilari, quia eius desitionis terminus non est purum nihil extra omne genus et positivum disparatum. Et ita cum corrumpitur forma aëris ab igne, non solum manet subiectum commune, et forma privatum, sed etiam forma ignis dicit negationem formae aëris, estque in ea ut in aliquo disparato; si ergo praecise haec negatio ignis corrupti superesset, vere esset corruptus, et non omnino annihilatus.

Quoniam igitur, [*Oxon.* ib. n. 9.] cum in conversione desinit panis, non *esse* eius non est pura negatio extra omne positivum; sed ut in Corpore Christi, quod illi successit, panis dici non potest annihilatus, et tametsi de facto non ponatur corruptio esse annihilatio, ex eo quia ipsam concomitetur generatio, sed quoniam superest subiectum commune pri-

vatum forma illa, tamen si posset stare solum negatio eius formae in genito, adhuc esset corruptio, et non annihilatio.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 17. — *Report.* ib. n. 8.] dico, ad hoc ut aliquid annihiletur non satis esse ut nihil eius maneat, sed ulterius requiri, ne in aliud convertatur; hoc enim posito non est nihil, quia in aliud conversum. Ut igitur *assumptum* sit verum oportet addere, nihil eius manet, et nihil succedit ut per se terminus; tunc enim vere aliquid annihilaretur; sed in casu de quo loquimur non verificatur, quia desitioni panis succedit corpus Christi per praesentiam realem eius.

Ad secundum [*Oxon.* et *Report.* ib.] concedo, id quod nihil est in se nec in alio non esse aliquid, et pariter concedo panem post conversionem nihil esse in se; sed ex eo non sequi ipsum annihilari, quia convertitur in terminum positivum. At si id, in quod convertitur, esset aliquid non positivum, tunc vere annihilaretur; hoc autem in proposito est falsum, ut patet.

Ad tertium [*Oxon. et Report.* ib.] nego, formam in corruptione annihilari· — *Et cum probatur,* quia totaliter corrumpitur; *dico* ipsam manere in potentia materiae: ipsa autem manente in potentia materiae, altera pars compositi per se manet, et ita manet, ipsa forma per accidens. Id autem cuius aliquid manet, sive per se, sive per accidens, non annihilatur. — *Et cum contra hoc dicitur,* quia tunc agens naturale posset ipsam reproducere; *dico* id non sequi, quia potentia illa, in qua dicitur forma corrupta manere, aliud non est, quam principium potentiale remotum, non autem respectus sive potentia proxima; nam corrupta forma, non amplius manet respectus potentiae ad formam, quia non est respectus potentiae ad omnino praeteritum, sicut nec ad omnino impossibile. At ipsum principium potentiale cum maneat, manet consequenter ipsum totum per se secundum aliquid eius, et forma quae erat aliquid totius manet per accidens secundum aliquid sui. — *Vel posset dici* breviter sic: quamquam nihil formae corrupti maneat, quia tamen negatio succedens sibi est negatio in apto nato, ideo privatio est; privatio autem non est terminus annihilationis, sed purum nihil extra omne subiectum. — *Et cum instatur* [*Oxon.* ib. n. 18. — n. 7·8.] quia panis conversus non manet in potentia materiae, ergo non corrumpitur, sed annihilatur; *ad hoc* dictum fuit in *solutione,* quia ad corruptionem non solum concurrit subiectum commune et privatio, sed etiam negatio sequens formam genitam, quatenus est incompossibilis cum corrupta. Etsi tantummodo haec negatio concurreret, quia est negatio in genere, fundata scilicet in aliquo positivo disparato, adhuc transitus ille non esset annihilatio, quae ad negationem extra genus omnino terminatur. Et ita contingit in conversione panis in Corpus Christi.

Ad quartum, [*Oxon.* ib. n. 18. — *Report.* ib.] cum subsumitur, sed quando totum, cuius nihil praefuit, producitur ut terminus *ad quem,* creatur; *dico,* hanc propositionem non esse veram, nisi cum productio alicuius est a termino *a quo,* ut ab omnimoda negatione extra genus, et ideo cum ex privatione producitur forma, non creatur, quia illa negatio non est extra genus. — *Pariter* igitur si ad desitionem alicuius totalem remaneat non *esse* eius in aliquo positivo illi succe-

dente, non annihilatur, et ita accidit cum panis in Corpus Christi convertitur.

AD QUINTUM respondeo sic: [*Quodlib.* q. 10. n. 23. — *Oxon.* ib. n. 8.-9.] negatio extra genus, et negatio in genere absoluta, quae scilicet determinat sibi subiectum non ut aptum natum, et negatio privatio non distinguuntur formaliter secundum rationem negationis, sed distinguuntur penes subiecta, quia prima nullum subiectum connotat, negatio vero in genere determinat sibi absolute et simpliciter subiectum, et negatio denique privatio pariter sibi subiectum determinat aptum natum; terminus igitur *ad quem* corruptionis non est negatio absolute extra genus, nec negatio in subiecto non apto, sed est negatio privatio in subiecto apto nato. Pariter et terminus *ad quem* conversionis, de qua loquitur, non est negatio absolute, sed negatio in genere, et consequenter haec conversio non per accidens, ut accipitur in argumento, sed per se dicitur habere huiusmodi terminum *ad quem;* nam cum sit conversio totalis panis in Corpus Christi, terminus *ad quem* per se illius conversionis erit negatio in genere. Et licet terminus *ad quem* positivus, qui succedit, accidat negationi absolute sumptae, non tamen accidit negationi in genere, quia haec necessario determinat sibi aliquod subiectum, quemadmodum et subiectum aptum natum potest dici accidere negationi absolute sumptae, non tamen accidit negationi, quae est privatio, cum haec per se sit negatio in subiecto apto nato. In forma igitur, concedo *assumptum.* — *Et cum subditur* per accidens est etc. *dico,* potuisse utique a Deo hoc Sacramentum institui, ut cum substantia panis esset simul Christi Corpus, et ita concedo accidentaliter vel contingenter respectu instituentis ad desitionem panis succedere corpus Christi; at semel posito Christum debere esse Sacramentaliter praesentem speciebus per conversionem panis in ipsum, panis ipsius substantia desinens esse per se dicit negationem in genere fundatam in termino ad quem conversionis.

AD SEXTUM, nego *minorem;* [*Oxon.* ib. n. 12.] quia si prius desineret esse panis, et postea poneretur sub accidentibus eius Corpus Christi, negatio illa essendi esset extra genus et omne subiectum; et ita foret formalis panis annihilatio; at cum in casu convertitur, est negatio in genere, ut saepe dictum est; et ita cum diversimode se habeat panis nunc, ac in facta suppositione, non sequitur: tunc annihilaretur; ergo et nunc, ut manifestum est. Quod enim oporteat sequi omnino nihil ad *esse,* patet etiam ex hoc, quia priusquam aliquid creetur, est ita nihil, sicut si esset creatum, et postea annihilatum, et tunc tamen non est annihilatum, non alia de causa, nisi quia *nihil* illud ante creationem non successit ad *esse* eius, et pariter ut aliquid postquam fuit annihiletur, nihil debet ei succedere, et non aliquid aliquo modo, ut de desinente pane verificatur.

AD SEPTIMUM dico, [*Oxon.* ib.] negationem ut includitur in Corpore Christi disparato a pane, aliam esse a negatione, quae ei advenit ob eius desitionem, illa enim est disparata, haec vero contradictoria, et ideo removet et negat omnem rationem positivam, quam ponit *esse* panis; at prior, idest, disparata negatio non removet omnem rationem entis a termino, quia non est incompossibilis suae affirmationi in ambitu communi entis, alioquin disparata non possent simul esse entia,

quod est falsum; nam negatio lapidis in pane tollit quidem a lapide quod non sit panis, sed non aufert, nec impedit quin sit corpus et ens. *Ad propositum igitur,* licet negatio disparata praecesserit in Corpore Christi panis desitionem, seu conversionem, contradictoria tamen negatio est in Corpore Christi post panis conversionem, estque nova, ut per novam actionem panis in Corpus Christi conversus fuit. — *Contra hoc:* [*Oxon.* ib. n. 13.] negatio ista contradictoria non videtur esse in Corpore Christi post conversionem magis quam prius; ergo ut terminat desitionem panis non includitur in Corpore Christi, ut est speciebus panis praesens. — *Probatur assumptum;* nam negatio contradictoria est purum nihil: sed purum nihil ita dicitur de aliquo positivo sicut si de chymaera praedicaretur; ergo si negatio illa terminat desitionem, desitio huiusmodi panis erit purum nihil. — *Respondeo, assumptum* esse falsum; ut enim dictum fuit, in Corpore Christi ut *hic* includitur illud non *esse* panis contradictorium: in Corpore autem eodem absolute considerato includitur negatio disparata, non contradictoria. — *Contra* hoc facit argumentum quod subiicitur, et potest deduci sic: terminus posterior non est ratio novae incompossibilitatis ad aliquid prius naturaliter; ergo Corpus Christi ut *hic* non est aliqua ratio incompossibilitatis Corporis ad *esse* panis. — *Respondeo,* cum dicitur negatio contradictoria est purum nihil, verum id esse de negatione contradictoria extra genus, quae scilicet in nullo fundatur subiecto; hic vero negationem panis fundari in termino ad *quem* positivo. Unde advertendum, negationem hanc essendi panis non sequi terminum illum ut proprium subiectum ex natura rei, quia, ut supra non raro tactum est, cum substantia panis posset esse Corpus Christi. Sed quoniam ex divina institutione substantia panis discedit et desinit *esse* adveniente Corpore Christi, necessario facta hac suppositione in Corpore Christi acquirente novam praesentiam fundatur negatio panis, contradictoria quidem pani ut in se considerata, sed quoniam in substantia fundata, in quam panis convertitur, magis contraria, ut dicuntur contrariae formae inter se incompossibiles, et sicuti ad adventum unius formae sequitur negatio alterius in eodem subiecto, ita hic ad adventum Corporis Christi sequitur negatio essendi panis, quae negatio, quatenus aufert totum esse panis, est illi contradictoria, ut vero consideratur in substantia incompossibili cum esse panis, ex institutione divina, contrariam habet oppositionem. — *Et cum arguitur* quia terminus posterior non est ratio alicuius incompossibilitatis ad aliquid prius naturaliter; *respondetur* negando suppositum, quia licet Corpus ut ponitur sub speciebus sit posterius pane in essendo, eique succedat, tamen ut succedit per conversionem panis in ipsum, et subest mutationi, est terminus ad *quem,* et prior in genere causae formalis, vel certe finalis, et specificantis mutationem, prior est enim desitione panis ut transit in non *esse* ex repugnantia termini ad quem, qui includit non *esse* panis ex divina institutione, ut dictum est.

ITERUM ARTICULUS TERTIUS.

UTRUM SUBSTANTIA PANIS ET VINI POST CONSECRATIONEM HUIUS SACRAMENTI ANNIHILETUR.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 4. — *Quodlib. q.* 10.
S. Thom. 3. *p. q.* 75. *a.* 3.

VIDETUR panis et vini substantiam haud annihilari per Eucharistiae conversionem. Etenim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 4. n. 2. — q. 3. n. 2. et 32. — *Report.* ib.] compluribus Sanctorum auctoritatibus erudimur panis et vini substantiam per consecrationem in Christi Corpus et Sanguinem converti; non igitur substantiae illae in nihilum abeunt, sic ut dici queant annihilatae. Porro illae auctoritates allegatae dist. 2. *De Consecr.*, et producuntur a Magistro, sent. 4. dist. 11. cap. *Quidam vero,* iuvabit unum audire Ambrosium de hac re disserentem: *Panem istum quem sumimus in mysterio, illum intelligo utique, qui manu Sancti Spiritus formatus est in utero Virginis, et igne passionis decoctus in ara Crucis. Panis enim Angelorum factus est cibus hominum. Unde Veritas ait:* Ego sum panis vivus, qui de Caelo descendi. *Et iterum:* panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. q. 4. n. 2. — *Report.* ib. q. 4.] Sicuti creationis terminus a *quo* est nihil, ita annihilationis terminus ad *quem* est nihil: sed si Christi Corpus converteretur in panem, iterata illa productio nec foret nec dici posset creatio, cum non de nihilo ut de termino *a quo ad esse* revocaretur; ergo nec conversio panis in Christi Corpus est dicenda panis annihilatio.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Si propterea panis annihilaretur quia in Corpus Christi convertitur, profecto causa eius annihilationis alia esse non posset nisi solus Deus: sed Deus non est causa non essendi res, ut probat Augustinus, 83. *qq. q.* 21. ex eo quia ille, ad quem non *esse* non pertinet, non est causa tendendi in non *esse;* ergo panis in Eucharistiae Sacramento non annihilatur.

CONTRA. Peracta consecratione, nihil penitus panis substantiae superest; nam nec materia, nec forma ipsius; ergo in nihilum abiit; vere ergo est annihilatus.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 14. seqq. — *Quodlib.* q. 10. n. 21.] supposita fidei veritate, quam Sancta Romana Ecclesia proponit credendam et confitendam, nempe in Eucharistiae Sacramento virtute consecrationis panis et vini substantiam verissime in Corpus et Sanguinem Christi converti, et transire in rem longe praestantiorem, ac sit ipsa quae convertitur substantia, ad ineffabilis mysterii declarationem poni posset, panis et vini substantiam *esse* penitus desinentem, annihilari; non quidem ex conversione, qua ex pane fit Corpus Christi, sed per ipsam formalem annihilationem, per accidens rationi conversionis coniunctam.

Itaque panis substantiae omnimodam desitionem ipsius annihilationem fore appellandam, et esse, declaratur. Nam [*Quodlib.* q. 10. n. 21.] licet in conversione panis in Christi Corpus sint duo termini positivi, tamen concomitantur duo termini negativi, quemadmodum in genera-

tione et corruptione naturali sunt duo termini negativi concomitantes duos terminos positivos, ut *esse* aquae corrumpendae concomitatur non *esse* ignis generandi, et *esse* ignis concomitatur non *esse* aquae. Haud absimili modo in re praesenti *esse* panis concomitatur non *esse* Corporis Christi, et *esse* Corporis concomitatur non *esse* panis. *Tunc arguo sic:* [*Quodlib.* ib. n. 22.] mutatio dicitur esse creatio, vel annihilatio ex per se terminis eius, non autem ex concomitantibus per se terminos, et ita generatio non est per se creatio, quia terminus per se *a quo* non est purum nihil, sed privatio, et consimiliter est de per se termino ad *quem* corruptionis. Comparando igitur per se terminos huius conversionis, qui sunt *esse* panis, et non *esse* panis, cum illud non *esse* sit totale non *esse,* quia nihil revera panis manet, videtur ea desitio esse formaliter et quidditative annihilatio, quae per accidens coniungitur, ut dictum est, cum successione praesentiae Corporis Christi *hic* ad non praesentiam *hic*.

Quod autem hac conversione qua panis in Christi Corpus convertitur ipse panis non annihiletur, late explicatum fuit *art. praec.*; sed ad uberiorem declarationem intelligendum, aliam esse transsubstantiationem, qua terminus accipit simpliciter *esse;* et aliam qua accipit *esse* determinatum, seu *hic esse*. At [*Oxon.* ib. n. 15.] cum prior intervenit transsubstantiatio, desitio termini *a quo* non videtur esse annihilatio simpliciter; cum enim tunc terminus ad *quem* incoeptionis sit oppositus termino *a quo* desitionis, negatio termini *a quo* terminat eius desitionem ut est in termino ad *quem,* et ita ea desitio non est ad purum nihil extra genus; et subinde simpliciter annihilatio esse non potest. At ubi dumtaxat est transitio adductiva, ut in proposito, terminus ad *quem* per se mutationis positivae non opponitur termino *a quo* mutationis privativae, et consequenter terminus ille ad *quem* non terminat negationem desitionis termini *a quo,* et ita totaliter et simpliciter annihilatur, quia ea negatio extra genus est.

Tunc ostendo ex hypothesi iam declarata, [*Oxon* ib.] id non conversione eius in Christi Corpus, sed annihilatione fieri. Per istam enim conversionem Christi Corpus, qui est terminus ad *quem,* non acquirit *esse* simpliciter, sed solum quoddam determinatum, quod est *esse* vere et realiter praesens speciebus panis; ergo neque terminus *a quo* per mutationem deperditivam amittit *esse* simpliciter, sed tantum *esse* determinatum, quatenus scilicet desinit esse praesens suis accidentibus, ut erat prius. Quamquam enim mutationes istae acquisitiva et deperditiva termini ad *quem,* et termini *a quo,* sint inter substantias panis et Corporis Christi; quia tamen earum termini non sunt substantiae, quae acquirant vel amittant per illos *esse* simpliciter, sed tantum *esse* quoddam determinatum, scilicet esse, et non esse praesens realiter, termini, inter quos sunt illae mutationes, erunt praesentialitas, et non praesentialitas. Sicut igitur Christi Corpus per mutationem acquisitivam habet novam praesentiam speciebus, non deperdendo antiquam, ita et panis habet deperditivam sine acquisitiva; quia desinit esse *hic,* non acquirens aliam praesentiam *alibi;* ergo per hanc conversionem sicut non acquiritur *esse* substantiale in termino *ad quem*, ita non deperditur *esse* substantiale in termino *a quo,* sed tantum, ut acquiritur *esse* hic, ita deperditur *esse hic*. Et per consequens per conversionem non annihilatur; imo nec destruitur *esse* panis. Quia tamen secundum fidem illud *esse* non manet,

oportet omnino id contingere alia desitione; quae cum sit a simpliciter *esse* eius ad non *esse* simpliciter, erit formaliter annihilatio, quae per accidens unitur cum terminis conversionis, adeo ut, si praecise per conversionem termini acquirant novam, vel deperdant antiquam praesentiam, per ipsam autem nec terminus *a quo* annihilatur, nec terminus *ad quem* simpliciter producitur. — *Exemplum,* [*Oxon.* ib. n. 16.] si panis destrueretur, et crearetur Angelus de novo, et fieret praesens speciebus panis, conversio panis in Angelum esset panis ut *hic* in Angelum *hic* praesentem; per eam ergo conversionem Angelus acquireret praecise illam praesentiam speciebus panis. Et sicut eius praesentiam novam concomitaretur novum *esse,* quod fuit terminus propriae creationis, ita amissionem praesentiae panis suis accidentibus, concomitaretur eius *esse* deperditio, quod esset terminus propriae annihilationis.

Ex ratione [*Oxon.* ib.] itaque conversionis panis in Christi Corpus non annihilatur talis terminus *a quo,* sed tantum amittere intelligitur antiquam praesentiam, quam habebat suis speciebus, sicuti terminus *ad quem* praecise acquirit novam; sed non repugnaret sibi conservari sine propriis accidentibus. Quod vero non conservetur non videtur esse specialis Dei providentia et voluntas, sed universalis, qua ut decrevit condere mundum hunc sensibilem gratia electorum, ita voluit conservare substantias cum suis accidentibus, cum quibus et non aliter possunt esse usui hominibus, ac habere sua munera, et operationes, quibus attingerent finem a Deo intentum. Separata ergo substantia a suis accidentibus, necesse est ipsam desinere *esse,* non quidem per conversionem, sed per annihilationem, ut dictum est.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 18.] dico, Ambrosium, caeterosque Sanctos, et Catholicam Ecclesiam determinantem panem in Christi Corpus converti, intelligi debere de conversione terminorum, non secundum simpliciter *esse;* secundum hoc enim panis penitus *esse* desinit, et ita annihilatur, sed *secundum quid esse.* Nam sicuti Christi Corpus non acquirit simpliciter *esse,* sed tantum novam praesentiam ad species panis, ita panis vi conversionis suae in Christi Corpus dumtaxat suam praesentiam amittit; et ita per conversionem non annihilatur, imo stante conversione, posset panis conservari *in esse.*

Ad secundum [*Oxon.* ib.] respondeo, negando *minorem;* tunc enim panis produceretur totaliter de nihilo sui, et ita crearetur; et pariter cum desinit *esse* totaliter, simpliciter annihilaretur, et tametsi ea desitio sequatur ad panis conversionem, id omnino per accidens contingit, quia negatio essendi terminat totalem eius desitionem, conversio autem formaliter importat desitionem praesentiae eius substantiae ad sua accidentia.

Ad tertium respondeo sic: [*Oxon.* ib.] Deus nullam rem actione positiva annihilat sed quemadmodum actione positiva cuncta conservat, ita rerum annihilatio aliud non est, quam Deum desinere eas conservare, id vero potest Deus, cum ad extra libere et contingenter agat, ut in productione et conservatione omnium quae conservat.

ARTICULUS IV.

UTRUM PANIS POSSIT CONVERTI IN CORPUS CHRISTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 1. — *Report. ib.* — *Quodl. q.* 10. *S. Thom.* 3. *p. q.* 75. *art.* 4.

VIDETUR panis haud converti posse in Corpus Christi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 1. n. 1. — *Report.* ib.] conversio haec, quae transsubstantiatio dicitur, alia circumlocutione explicari nequit, nisi dicendo, esse mutationem substantiae in substantiam: haec autem mutatio non est nisi generatio vel corruptio, secundum Philosophum, 5. *Phy.*, text. 7. *et inde.* Cum igitur transsubstantiatio non sit generatio vel corruptio; ergo non est possibile, panis substantiam converti in Corpus Christi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Qualibet in mutatione aliquod subiectum commune manet, ex communiter recepta definitione mutationis: *Mutari est aliter se habere nunc quam prius,* 6. *Phys*, text. 32.73. *et inde,* et patet discurrendo per omnes species mutationis, quarum meminit Philosophus 5. *Phys.*, text. 7. et 9. Sed in transsubstantiatione nihil commune manet; ergo nec esse potest aliqua transsubstantiatio; quia non potest esse aliquid aliud, quam mutatio. Non est enim aliquid aliud, quam mutatio, quia non est aliquid permanens, nec etiam successivum aliud a motu et mutatione; successiva siquidem non sunt nisi motus, et mutatio, tempus et huiusmodi.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Cuiuscumque mutationis termini sunt incompossibiles: sed termini transsubstantiationis non sunt incompossibiles; possunt enim esse simul; ergo transsubstantiatio non est mutatio, nec subinde aliquid aliud.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 2.] Si panis converteretur in Christi Corpus, oporteret dari aliquem terminum primum istius mutationis: is terminus in casu nequit esse Deitas, nec anima intellectiva; haec enim secundum omnes non est in Sacramento nisi concomitanter, nec esse potest aliquid accidens, vel accidentia, quia dici non posset transsubstantiatio; ergo non restat nisi materia sola: conversio autem in solam materiam non est transsubstantiatio.

CONTRA. [*Oxon.* et *Report.* ib. q. 1. n. 1.] Ambrosius, *De Sacramentis,* et habetur *De Consecr.*, dist. 2.: *Revera mirabile non minus est dare, quam mutare novas naturas rebus,* ex quo concludit, cum Deus possit dare novas naturas rebus, quae prius non erant, facilius potuisse mutare naturam in naturam, et subinde transsubstantiare.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 2.] ad *quaesiti* solutionem esto PRIMUM DICTUM: conveniens ratio huius nominis *transsubstantiationis* est ista: *transitio totalis substantiae in substantiam.* Sed non propterea generatio est dicenda, quae a Philosopho, 1. *De Generat.*, text. 10. et 24. describitur, quod sit *transmutatio totius in totum,* quia etsi illud totum quod fuit per se unum non maneat in generatione, sed aliud totum illi succedat, imo materia manens est utrique communis, e contra vero in alteratione non transit totum in totum; nam quodlibet totum per se unum, quod alterationem praecessit, superest in

termino alterationis; transit itaque praecise totum unum per accidens, sive *secundum quid,* in totum aliud per accidens, ut lignum calidum in lignum frigidum, quorum utrumque est totum per accidens, sicut per accidens unum. Dicitur [*Oxon.* ib. n. 3.] *substantiae in substantiam,* non ex ratione, qua 1. *Phys.,* text. 58. declarat Philosophus, subiectum transire de privatione ad formam, aut de forma corrupta in formam genitam, vel sicut corruptum dicitur transire in genitum; hi quippe transitus partiales sunt; semper enim manet subiectum commune. Est igitur haec transitio substantiae in substantiam, sicut termini penitus esse desinentis, in terminum sicut in substantiam totaliter incipientem *esse,* unde sicuti transitio accidentis in accidens *transaccidentatio* dicenda foret, ita transitus substantiae in substantiam recte *transsubstantiatio* nuncupatur.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 3.] huic rationi nominis declaratae possibile est aliquid subesse. Sed illud non est possibile, nisi respectu virtutis infinitae. *Primum probatur;* quicquid esse potest totaliter novum, non repugnat sibi succedere alteri *esse* penitus desinenti: sed aliqua substantia esse potest totaliter nova, idest, secundum quodlibet ejus, et alia eodem modo potest desinere *esse;* ergo haec potest totaliter succedere alteri penitus desinenti, et per consequens haec potest totaliter converti in illam, et ita transsubstantiari. *Assumptum patet;* quia nec omnimoda incoeptio substantiae, nec totalis desitio includit contradictionem, nec per consequens incoeptio huius ad totalem desitionem illius, quae transitio includit transsubstantiationem; ergo possibilis est transsubstantiatio. — Quod vero per solam virtutem Dei infinitam id sit possibile, *probatur:* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 4. — *Quodlib.* q. 10. n. 3.] in cuius virtute activa est totaliter *esse* et non *esse* duorum extremorum, tale agens potest transsubstantiare unum in aliud, sicut et agens in cuius virtute activa est partialiter *esse* et non *esse* aliquorum potest unum convertere in aliud per generationem: sed solius Causae primae est in sua virtute continere *esse* et non *esse* tam panis, quam Corporis Christi; igitur ea tantum causa poterit unum in aliud convertere. In virtute autem activa causae limitatae non continetur materia prima, quae est altera pars essentialis materialium rerum, quia in qualibet talis causae actione materia praesupponitur, et ideo nonnisi partialiter per generationem potest unum in aliud convertere, non vero per transsubstantiationem. Panis igitur per Dei potentiam potest converti in Corpus Christi.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 5.] proprie loquendo de mutatione, quatenus scilicet *mutari est aliter se habere nunc quam prius,* ex 6. *Phys.,* text. c. 32. et 40. transsubstantiatio non est mutatio. Sed prius excludenda est distinctio aliquorum distinguentium mutationem in *subiectivam,* et *obiectivam.* Nam improprie omnino et abusive dicitur aliquid mutari obiective; sic enim non mutaretur nisi terminus *ad quem.* Terminus autem *ad quem* non se habet aliter quam prius, sed tantummodo subiectum; ei igitur non potest attribui propria mutatio. *Probatio minoris:* etenim nihil dicitur se habere aliter quam prius, nisi sit ens; sicut enim *esse* eodem modo se habens non est nisi in ente, ita aliter se habere non potest competere nisi enti; nam eodem modo se habere et aliter se habere sunt opposita, et ideo habent fieri circa idem. Sed terminus *ad*

quem tunc primo est ens quando est terminus *ad quem,* et prius non ens; igitur terminus *ad quem* non aliter se habet nunc, quam prius, quia utrumque extremum alietatis dicitur esse. — Hoc idem [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 6.] vult Gregorius, 5. *Moral.,* cap. 20. *Mutari,* inquiens, *ex uno in aliud ire,* hoc non competit termino *ad quem,* sed subiecto, praecise prius existenti sub uno termino. et postea sub alio.

Si dicas, [*Oxon.* ib. n. 8.] corruptum est mutatum, et non subiective, quia non manet; ergo obiective; *respondeo,* id quod convenit parti per se dici de toto per accidens, ex 5. *Phys.,* text. cap. 1.; quoniam igitur materia corrupti est per se mutata a forma ad privationem, ideo hoc totum potest dici per accidens mutatum: non est autem inconveniens convenire toti per accidens, vel non primo quod convenit ei per se et primo ratione partium.

Et si adhuc obiiciatur: [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 7.] aliquid potest dici *generari* subiective, et obiective; igitur et *mutari;* nihil enim generatur, nisi simul et mutetur; *respondeo,* subiective et obiective *generari* non esse divisionem aliquam generationis in diversas species, sed tantum diversas habitudines eiusdem formae, et denominationes ut comparantur ad diversa; quatenus enim recipitur in subiecto dicitur generatio per modum mutationis; ut vero respicit terminum dicitur generatio per modum productionis, de qua amplius dictum est *p.* 1. *q.* 41. Caeterum mutatio, qua mutatio est, non potest intelligi nisi in ordine ad subiectum; et ita quamvis dicatur aliquid obiective *generari,* proprie autem nequit dici *mutari.*

Ex quibus manifestum est, [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib. n. 8.] transsubstantiationem non esse mutationem, ut de mutatione loquutus est Aristoteles 6. *Phys.* Siquidem haec essentialiter includit subiectum quod mutatur, seu *quod aliter se habet nunc, quam prius,* et formam, ad quam ipsum subiectum mutatur, et habitudinem subiecti ad formam. Et ulterius importat successionem immediatam informationis ad non informationem, aut e converso non informationis ad informationem; et inter ista, terminus formalius pertinet ad mutationem, quam subiectum, vel successio, quia forma absoluta est, licet tam subiectum, quam terminus sint materiale in mutatione, respectu scilicet relationis successionis. Sicuti in Baptismo aqua et verba sunt materiale respectu significationis; verba tamen formaliora. Cum itaque in transsubstantiatione, nec subiectum quod mutetur concurrat, nec terminus ad quem mutetur habeatur, ipsa non erit propria mutatio, esto possit in ea intelligi ille respectus, qui est ordo immediatus alicuius ad aliud praecedens. Sed iste non inducit mutationem nisi habeat proprium materiale conflatum ex subiecto et termino, quo subiectum ipsum mutatur.

Quod [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 8.] si omnino velis extendere mutationem ad ipsam transsubstantiationem, potest dici, quod sicut secundum Philosophum, 5. *Phys.,* text. cap. 7. triplex est mutatio, scilicet a non subiecto in subiectum, et a subiecto in subiectum, accipiendo subiectum, pro ente positivo, et non subiectum pro privatione eius, sic potest *versio,* extendendo ad mutationem supernaturalem distingui, ut illa quae est a subiecto in non subiectum, dicatur annihilatio; quae autem a non subiecto in subiectum, creatio; quae vero a subiecto in subiectum, transsubstantiatio. Sed in his versionibus nihil est commune cum mu-

tatione proprie dicta, nisi relatio quaedam ordinis, sive successionis ad praecedens, quae sola minime mutationem infert, ut dictum est.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM, et SECUNDUM patet ex declaratione ultimi dicti.

AD TERTIUM [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib. n. 8.] dico *assumptum* esse verum de mutatione proprie dicta, cuius termini primi, scilicet privatio et forma, sunt incompossibiles, alioquin contradictoria essent simul in eodem. At in transsubstantiatione ratio non urget; nam si aër transsubstantiaretur in ignem, nihil commune maneret sub utroque termino, ut fit in aliis mutationibus. Sufficit igitur hic, quod *esse* utriusque termini, qui transsubstantiantur, sint disparata, licet simul se possent compati in entitate, quia ad nihil idem informandum comparantur, sed omnis eorum comparatio est, ut unum possit penitus desinere *esse,* et aliud sibi succedere. Vel posset concedi, terminos transsubstantiationis esse simpliciter incompossibiles circa idem numero, licet non sint incompossibiles in essendo absolute.

AD QUARTUM respondeo sic: [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 58.] primus terminus istius conversionis nec est materia sola, nec materia sub quantitate; quia tunc non esset transsubstantiatio, sed *transquantitatio,* ut sic dicam; nec materia sub modo quantitativo, nec compositum ex materia et anima intellectiva, sed compositum ex materia et forma mixtionis, utique intellectiva priori, quae mansit eadem in Christo vivo, et Corpore mortuo ipsius, mansitque ut formale, rei primo contentae sub Eucharistia, ex quo instituta fuit, de qua forma late actum fuit *p.* 1. *q.* 76. *art.* 3.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM QUODLIBET POSSIT CONVERTI IN QUODLIBET.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 2. — *Report. ib.* — *Quodlib. q.* 10.
S. Thom. 3. *p. q.* 75. *art.* 4. § Ad tertium.

VIDETUR quodlibet posse converti in quodlibet, et etiam creatura in Deitatem. Etenim [*Oxon.* 4. d. 11. q. 2. n. 1. — *Report.* ib.] tres personae Divinae operatae sunt Incarnationem Filii; igitur Filius extitit subiectum, vel terminus eius Incarnationis; non repugnat itaque Personam, aut divinam naturam esse subiectum, aut terminum actionis divinae; ergo nec sibi repugnat esse terminum conversionis; nam conversionem hanc nullus operatur, nisi solus Deus; sicut ergo Deus esse potest operans Incarnationem, et simul terminus eius operationis, ita potuit efficere et una terminare conversionem creaturae in seipsum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Non repugnat naturam divinam terminare actionem, quae nullam requirit mutationem in termino. Patet de actu intelligendi, et volendi, quarum actionum Deus est terminus. Sed conversio haec non postulat mutationem in termino, alioquin Corpus Christi mutaretur in fine conversionis, quum alterum convertitur in ipsum; ergo potest conversio terminari in Deitatem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 2.] Probo, fieri non posse ut quaelibet creatura in quamlibet convertatur. Nam si quodlibet creatum posset in aliud converti; igitur etiam quantitas panis Eucha-

ristici converti valeret in quantitatem Corporis Christi, quo facto Corpus Christi quantum reperiretur ubi prius erat quantitas panis. Hoc autem est impossibile, quia tunc corpus maius commensuraretur loco minori.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Si citra repugnantiam quodlibet posset converti in quodlibet; igitur et fieri ut substantia converteretur in accidens, et absolutum in respectivum, et e converso; et tunc esset respectus sine fundamento, et termino, non secus ac absolutum, quod in ipsum dicitur conversum. Contradictio est autem intelligere respectum sine fundamento et termino.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Sequeretur, Deum posse convertere substantiam corpoream in substantiam incorpoream: sed consequens est falsum. Quod et probatur, primo per Augustinum, 7. *Super Genes.*, ad lit. cap. 4. ubi dicit: *Omne corpus, in omne corpus posse mutari, non defuerunt qui assererent, corpus autem aliquod converti iu animam, fierique naturam incorpoream, nec quemquam sensisse scio, nec fides habet* Et ibidem, cap. 10. 24. vel 26. expressius idem repetens, *Omne,* inquit, *corpus in omne corpus mutari, credibile est: quodlibet autem corpus posse mutari in animam, credere absurdum est.* — *Deinde* Boëtius, lib. *De duab. Nat. et una Persona Christi,* contra Euthyc. disputans dicit: *Neque corporea substantia in incorpoream mutari potest: nec incorporeae in se invicem proprias formas mutant: solae enim in se mutari possunt, quae habent unius naturae subiectum commune.* Haec ille. Igitur secundum Augustinum et Boëtium non potest corpus converti in spiritum, et ita quodlibet non potest ut transmutetur in quodlibet.

CONTRA. Si aliqua creatura posset converti in unam, et non aliam, hoc ideo esset, quia cum una maiorem haberet convenientiam, quam cum alia, vel ratione susceptivi, vel aliquo alio modo. Sed conversio quae est transsubstantiatio non exigit commune susceptivum, vel aliam convenientiam, ut *art. praec.* extitit declaratum; igitur quodlibet poterit mutari et converti in quodlibet.

RESPONDEO, pro solutione esto PRIMUM DICTUM: impossibile est creaturam converti in naturam divinam, aut e converso. *Ratio huius assertionis* tacta etiam fuit *art. praec.* Etenim [*Report.* ib. n. 3.] impossibile est hanc conversionem supernaturalem fieri, nisi ab agente, in cuius activa virtute sit *esse* et non *esse* utriusque extremi conversionis, quemadmodum nec conversio partialis per generationem et corruptionem peragenda perfici potest nisi per agens, cuius activae virtuti subest partialiter *esse*, et non *esse* geniti et corrupti. Sed natura divina non subest suae potentiae ut causetur quantum ad *esse*, et non *esse*. Ipsa enim primo est ex se necesse *esse* formaliter et radicaliter, et aliquo modo formalius, quam sua potentia, quia ipsa est fundamentum et pelagus necessitatis et caeterarum perfectionum essentialium; igitur nec potest converti in aliam essentiam, nec alia in ipsam. Sola quippe possibilia subsunt potentiae infinitae Dei, cuiusmodi sunt *esse*, et non *esse* caeterorum ab ipsa. Quae autem sunt ex se necesse esse formaliter, nulli subsunt potentiae activae.

SECUNDUM DICTUM, [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 4. — *Quodlib.* q. 10. n. 3.] entium creatorum quodlibet potest virtute divina converti in aliud; nam unumquodque ex ipsis subest potentiae divinae et quantum

ad totale *esse,* et quantum ad totale *non esse.* Itaque Dei potentia converti potest materia in formam, et e converso, substantia in accidens, et e converso, item absolutum in respectivum, et rursus respectivum in absolutum; ratio enim tacta est his omnibus communis. — *Contra istam rationem instatur;* quia per hoc quod agens in sua virtute activa habeat totaliter utrumque terminum, exinde aliud non potest inferri, nisi quod valeat totaliter istum destruere, vel annihilare, et aliud totaliter producere, vel creare; istud autem extremum creari, et illud annihilari non est unum converti in aliud; igitur illa ratione non concluditur propositum. *Dico breviter,* [*Oxon.* 4. d. 11. q. 1. n. 10. — *Quodlib.* q. 10. n. 3.] utique annihilationem unius entis, et creationem alterius, utrumque non inferre conversionem unius in aliud, sed ulterius requiri habitudinem immediatae successionis unius sive praeexistentis, sive de novo simpliciter producti, ad aliud quod *esse* desinit totaliter; hac enim habitudine intellecta, habetur ratio conversionis, quae non est aliud, nisi *ordo immediatus posterioritatis, vel successionis ad aliud praecedens in eadem praesentia adaequata, vel inadaequata.* — *Si dicas,* igitur Deus quicquid annihilat convertit in solem, quia vult solem manere in suo *esse* post non *esse* illius annihilati, sicuti hoc praeexistens manet post *esse* illius conversi cum habitudine praedicta successionis; *dico,* quoties ad eum finem destruit aliquid, ut post non *esse* eius creet aliud loco illius, idque immediate, vel destruit ut post ipsum conservet aliud praeexistens, dici posse destructum esse conversum in aliud, si fiat in eadem praesentia adaequata, vel inadaequata.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 5.] respondeo, Verbum esse incarnatum non importare ipsum extitisse, aut esse terminum alicuius actionis de genere *Actionis.* — *Et cum infertur,* igitur Incarnatio terminatur ad personam Filii; *dico,* utique unionem illam, quae est relatio in natura humana, involvere Verbum pro termino, quia in natura humana est respectus realis ad Verbum; in ipso autem Verbo ad eamdem naturam nonnisi rationis; terminum vero actionis de genere Actionis fuisse aliquid accipiens *esse* per eam actionem, atque aliud esse non potuisse, nisi unionem illam realem novam humanae naturae ad Verbum. — *Contra,* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Filius Dei est incarnatus; ergo est subiectum vel terminus illius actionis; nam *incarnari* significat passionem; ergo est in eo, qui dicitur fuisse incarnatus. *Item,* cuilibet actioni correspondet propria passio: tres Personae incarnabant actione proprie dicta; ergo quod correspondet tali actioni est passio proprie dicta; hoc est autem incarnatum esse. — *Ad primum respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib.] Incarnatum esse, idem est, ac unitum esse carni in unitate personae. Taliter autem esse unitum ex parte Verbi importare relationem non realem, sed rationis tantum. — *Ad secundum* concedo actioni Trinitatis correspondere aliquam passionem realem; at eius obiectum esse naturam humanam, et terminum existere aliquid etiam in naturam humana, nempe unionem formalem ipsius naturae ad Verbum. *Actio itaque* Trinitatis, quae potest appellari *unitio,* est ad unionem formalem naturae humanae ad Verbum, ipsaque unio est realiter in natura humana. — *Cum igitur dicebatur, Incarnatum esse* dicit passionem sicut *incarnare* actionem; *respondeo,* quamquam *incarnari* vel *incarnatum esse* grammatice importet passionem propter

modum significandi, non tamen realiter in illo de quo dicitur, sed tantum in alio quod connotat illi uniri, et illud aliud dicitur esse subiectum passionis importatae realiter per *incarnari,* quae nimirum correspondet illi actioni, quam importat *incarnare.*

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 6.] esse vel posse esse terminum alicuius actionis proprie dictae concludit necessario finitatem, mutabilitatem, et contingentiam in ipso, ac proinde cum Deus sit infinitus et immutabilis, repugnabit sibi posse esse huiusmodi terminum. — *Et cum arguitur* de actionibus intelligendi et volendi; *dico,* hoc non esse ad propositum, quia illae non sunt actiones nisi aequivocae; sunt enim essentialiter operationes, quia ultimi termini, et non gratia aliorum terminorum, ut actionis de genere Actionis per quas aliquis terminus accipit simpliciter *esse;* si enim praehabeat, vel si habet, accipit aliquid *esse* determinatum, quod prius non habebat.

AD TERTIUM [*Oxon.* et *Report.* ib.] concedo *assumptum,* et nego *consequentiam;* quia ex vi conversionis magis conversum est ubi est illud in quod convertitur quam e contra; conversum enim in aliud capit esse et naturam illius, in quod convertitur, et per consequens locum illius magis quam e converso; unde ex vi conversionis magis quantitas panis converteretur in quantitatem Corporis Christi, ut est in caelo, quam e contra. — *Si dicas,* [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib.] generatum est in eodem loco, ubi praefuit corruptum; ergo illud, in quod aliud convertitur, est in illo loco, in quo praefuit conversum; *nego consequentiam,* et paritatem; quia in tantum genitum est ubi praefuit corruptum, in quantum ibi manet materia communis utrique termino; et ideo ibidem recipiens formam, ibi oportet esse et generatum; ubi enim agens invenit passum, ibi informat ipsum; agens autem cum in generando non transmutet localiter, materia in eodem ubi manens ab eo informatur, et ideo ibidem est compositum genitum, ubi fuerat corruptum, at in conversione nulla est materia terminis communis. *Concedendo* etiam ibi posse esse terminum conversionis, ubi praefuit conversum, non oportet tamen tunc intelligere *ubi* praecise; sed vel praecise, vel secundum partem; adeo ut terminus conversionis existeret ibi secundum partem, et secundum aliam in ubi circumstante. — *Denique,* si terminus conversionis esset ubi praefuit conversum, non tamen existeret ibi localiter, sed sicuti modo est Christus sub speciebus; etiamsi igitur quantitas esset primus terminus conversionis, ut argumentum procedit, non tamen necessario esset ibi conversum localiter; quia sicuti modus iste separatur a Corpore Christi, ponendo primum terminum conversionis esse substantiam, ita et posset separari, si primus terminus foret quantitas.

AD QUARTUM [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 9. — *Quodlib.* n. 8. q. 10] concedo, substantiam posse converti in accidens, et absolutum in respectivum, non tamen sequitur fore ex eo, ut substantia inhaereret, manens substantia, quia uterque terminus conversionis haberet proprium modum essendi sibi correspondentem, et sicut substantia per se esset, ita accidens in alio existeret. Et consimiliter de absoluto et respectivo, quia terminus per conversionem acciperet *esse* eo modo quo posset habere *esse;* respectus autem nequit habere *esse* sine fundamento et termino; si igitur in respectivum converteretur absolutum, ille respectus requireret fundamentum et terminum, et haberet, vel antiqua quae praeces-

serunt consecrationem, vel nova. — *Exemplum* in aliis non sequitur, lapis potest converti in scientiam, et e converso: lapis non informat aliquem intellectum; ergo nec scientia. Quodcumque igitur in aliud convertatur semper terminus habebit suum proprium modum existendi, sicut terminus *a quo* conversionis habuit ante conversionem suum proprium modum existendi.

AD QUINTUM [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib. n. 10 — *Quodlib.* ib. n. 5 7.] quod procedit per auctoritates Augustini, et Boëtii, *respondeo:* si illae intelligantur de conversione, sicut de ea loquimur hic, quatenus scilicet ad totalem desitionem unius entis aliud succedit in eadem praesentia, per illas tantum significari maiorem repugnantiam esse ex natura terminorum, seu extremorum, scilicet spiritus et corporis, in ordine ad conversionem, quam sit inter duo materialia, quae sicut ut in pluribus inter se conveniunt, ita minorem dicunt repugnantiam ad mutuam conversionem. At simpliciter neutrum est impossibile respectu divinae omnipotentiae; quia sicut panis convertitur in Corpus Christi, ita posset converti in Angelum, ut ratio facta *ad resolutionem* omnino convincit.

Caeterum [*Oxon. Report.* et *Quodlib.* ib.] Augustinus non loquitur de hoc genere conversionis totalis, sed de conversione partiali, qua per veram corruptionem unius formae unum convertitur in alterum per generationem novae; quo sensu negat animam fieri ex corpore aliquo elementari, sicuti ex eo facta est caro, quod ex verborum ipsius contextu convincitur; dicit enim loco supracitato: *Cum anima non sit corporea, quicquid autem ex mundi corporei elementis fit, corporeum esse necesse est; in quibus mundi elementis etiam aër iste connumeratur, nec si de puri illius Caelestique ignis elemento facta anima diceretur, credi oporteret. Omne quippe corpus in omne corpus posse mutari,* etc. Loquitur igitur expresse de prima productione animae rationalis, quam ait non esse ex materia, et propterea non de conversione, de qua nobis est hic sermo. — Boëtius [*Quodlib.* ib. n. 4. seqq.] etiam contra Euthychium disputans negat et impugnat conversionem et mutationem naturarum in Christo, humanae scilicet cum divina, aut e contra per veram corruptionem alterius naturae; unde ait: *neque corporea substantia in incorpoream mutari potest,* etc. ut in allegata auctoritate, in qua expresse ait, requiri ad talem conversionem materiam communem, atque ut inter se agere, et pati possint; mens ergo et scopus Boëtii non quadrant praesenti resolutioni, in qua agimus de totali conversione omnem excludente materiam communem.

ARTICULUS V.

UTRUM IN HOC SACRAMENTO REMANEANT ACCIDENTIA PANIS ET VINI POST CONVERSIONEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q* 75. *a.* 5.

VIDETUR accidentia panis et vini in Sacramento Eucharistiae non remanere post consecrationem. Si enim [*Oxon.* 4. d. 12. q. 1. n. 1. — *Report.* ib.] desinente subiecto accidentia superessent; igitur per se essent: hoc autem est impossibile. *Et probatur;* quia sicut substantiae convenit

per se *esse*, ita et accidenti convenit in aliquo esse. Accidentis enim est inesse, ex 5. *Metaph.*, text. 35. Sed substantiae repugnat in alio esse, vel inhaerere. Quod enim vere est nulli accidit, 1. *Phys.*, text. 27., igitur et accidenti repugnabit per se esse.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Posterius essentialiter nequit esse sine priori essentialiter: sed accidens est essentialiter posterius substantia, ex 5. *Metaph.*, text. com. 16.; substantia enim prior est omni accidente, cognitione, definitione, et tempore; igitur accidens non potest esse sine subiecto.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Nihil potest esse sine eo, quod pertinet ad definitionem eius: definitio enim quidditatem rei indicat, et res non potest esse sine sua essentia: sed subiectum cadit in definitione accidentis; esse igitur non potest sine subiecto.

4. PRAETEREA. [*Oxon* ib. n. 2. — *Report.* ib.] Album et albedo idem significant *in Praedicamentis*, et cap. *De substantia;* ergo similiter quantum et quantitas idem significant: quae autem idem important nequeunt ab invicem separari; ergo quantitas non potest separari a substantia; nam nihil est quantum nisi substantia; igitur si quantum est, substantia est, et similiter si quantitas est, substantia est; fieri proinde non potest ut accidentia sint sine subiecto.

CONTRA. *De Consecr.*, dist. 2. cap. 41.: *Nos autem in specie panis et vini quam videmus res invisibiles, idest, Christi Carnem et Sanguinem honoramus. Has duas species cum fideliter fateamur ante consecrationem esse panem et vinum, quod natura formavit, post consecrationem vero Christi Carnem et Sanguinem, quod benedictio consecravit.* Et cap. *Quid sit sanguis*, estque B. Gregorii Papae, *Consulens omnipotens Deus infirmitati nostrae, quia non habemus usum comedere carnem crudam, et sanguinem bibere, facit ut in pristina remaneant forma illa duo munera, et est in veritate Corpus et Sanguis Christi, sicut ipse dicit.* Item Magister 4. d. 12. cap. 1. *Remanent ergo,* inquit, *in hoc Sacramento accidentia per se subsistentia ad mysterii ritum, ad gustus, fideique suffragium, quibus Corpus Christi habens formam et naturam suam tegitur.*

RESPONDEO, [*Oxon.* 4. ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 3.] post conversionem substantiarum panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, remanere earum substantiarum accidentia, certum esse apud omnes Doctores Catholicos. Sed qualiter possibile sit accidentia illa absoluta esse sine subiecto (licet de hoc iterum simus loquuturi *q.* 77. *art.* 1.) *ita declaramus:* omne absolutum potest esse sine respectu, qui non est ad causam primam, nec ad aliquid in eius essentia inclusum: sed subiectum non est causa prima accidentis, nec de essentia eius; igitur potest esse sine respectu ad subiectum. Sed si potest esse sine respectu ad subiectum, multo magis potest esse sine subiecto, quia quod est in subiecto, hoc est, quia habet respectum ad subiectum. *Probatio maioris:* respectus in absoluto vel est aliquid prius, vel posterius, vel aliquid simul natura cum eo. *Si posterius,* habetur propositum, quia omne prius potest esse sine suo posteriori. *Non simul natura:* nam cum absolutum sit causa respectus, est ordo inter ea: quae autem sunt simul natura non habent ordinem prioris et posterioris. Si vero absolutum dicit respectum ad *aliquid prius,* quod non est de essentia talis absoluti;

igitur est ad causam extrinsecam; igitur vel ad primam, de qua iam diximus, nullum ens creatum posse absolvi quin ad ipsam referatur. Si vero sit causa secunda; igitur cum omnem causalitatem causae secundae prima causa queat supplere, ut omnem eminenter continet, poterit virtute causae primae absolutum accidens esse sine subiecto, illa supplente causalitatem subiecti respectu accidentis absoluti. — *Contra,* [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib.] subiectum est causa materialis respectu accidentis: Deus autem non potest supplere causalitatem causae materialis, sicut nec formalis; igitur nec facere potest ut accidens sit sine subiecto. — *Respondeo,* secundum Philosophum, 8. *Metaph.,* text. com. 12. accidentia non habent materiam *ex qua,* sed *in qua,* et si habent materiam *ex qua,* illa non potest esse subiectum, quia tunc ex subiecto et accidente non fieret unum per accidens, sed unum per se, sicut ex materia et forma: subiectum igitur non constituit essentialiter accidens, sed ipsius magis est productivum; et ita poterit, non concurrente subiecto, a prima causa produci, vel si productum dicatur, sine subiecto conservari.

Quare igitur Philosophi negaverunt accidentia absoluta posse esse sine subiecto, si nec subiectum, nec inhaerentia ad ipsum sit de eorum essentia? — *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 10.] id eos opinatos esse non quia putaverint inhaerentiam, aut respectum quemcumque ad subiectum spectare ad rationem eiusdem absoluti; contradictio enim est in per se ratione absoluti includi aliquem respectum; ad hoc ergo sentiendum inducti sunt, quia posuerunt ordinem causarum simpliciter necessarium, adeo ut secundum ipsos non posset prima causa efficere causatum causae secundae citra concursum ipsius causae secundae; et quoniam subiectum habet aliquam causalitatem respectu proprii accidentis, intulerunt, fieri non posse ut tale accidens sine proprio subiecto existeret. Si autem posuissent causam primam extra se omnia libere et contingenter causare, ac se sola efficere valere quicquid mediis causis secundis producit, certe non negavissent istam conclusionem, quam fide utique tenemus, sed rei possibilitatem ratione etiam declaramus. Et revera [*Oxon.* ib. n. 10.] hic non includitur aliquid repugnans quidditati accidentis absoluti, quod et Philosophum non latuit, siquidem 4. *Phis.,* c. *de Vacuo* quaerit, an si esset spatium in quo tantum esset calor, aut sonus, utrum illud esset vacuum? Et respondet determinate ad alteram partem quaestionis, dicens, fore vacuum, si esset corporis receptivum. Si autem ex primo intellectu eius, quod est colorem esse, includeretur ipsum esse in subiecto, cum eius subiectum nequeat esse nisi corpus, ex primo tunc intellectu positi haberetur corpus ibi esse et corpus ibi non esse; et ita respondendum fuisset ad quaestionem ex facta hypothesi, spatium illud esse vacuum, et non esse vacuum.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* 4. ib. n. 23. — *Report.* ib. n. 9.] *per se esse,* et *in alio esse,* vel *inhaerere* posse dupliciter accipi, scilicet aptitudinaliter, et actualiter. Primo modo *per se* esse idem est ac substantiam non habere aptitudinem ad inhaerendum, sicuti *esse in alio* est hanc aptitudinem ad inhaerendum habere; et proportionaliter sicuti proprium est substantiae *esse* per se, ita accidenti in alio *esse.* Ex hoc igitur aliud nequit inferri, nisi quod accidens nequeat esse ens per se, cui scilicet repugnet *inesse,* quod verum est;

nam etiam cum sine subiecto existit hanc aptitudinem habet ad inhaerendum. Actualiter vero per se *esse,* et *in alio esse* considerata non sunt propria eorum extremorum, substantiae nimirum et accidentis; actu enim inhaerere accidens est ipsum habere respectum ad subiectum: fundamentum autem absolutum potest sine ulla contradictione carere respectu extrinsecus adveniente. — *Si quaeras* de ista aptitudine, vel inaptitudine ad inhaerendum, quid sit in substantia, vel accidente? *Dico* [*Oxon.* ib. n. 24.] breviter, non esse aliud absolutum a natura illius, cuius est aptitudo, quia aliud non dicit, nisi naturae illi, cuius est aptitudo, congruere hoc, aut illud, aliudque repugnare. Ideo autem convenit huic naturae, seu non repugnat, quia haec natura est haec natura.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. ib. n. 25. — *Report.* ib. n. 9.] *prius* et *posterius* posse accipi vel actualiter, vel secundum aptitudinem. Si accipiatur itaque in argumento uniformiter, *concedo,* posterius naturaliter esse non posse sine suo priori. At si intelligatur, quod posterius secundum aptitudinem non possit esse sine suo priori actualiter, *nego.* Accidens enim absolutum actualiter existens non est posterius, idest non dependet essentialiter, vel inseparabiliter a substantia, sed dumtaxat accidentaliter, sicuti et contingenter causatur ab ipsa; praeveniri enim potest a Deo, et causari accidens sine subiecti concursu, et ita pariter fieri, ut sine subiecto conservetur.

Ad tertium dico, [*Oxon.* ib. n. 18.] *assumptum* esse verum cum hac limitatione, nisi pertineat ad definitionem eius, tamquam additum, quo pacto spectat subiectum ad accidens. — *Contra,* [*Oxon.* ib. n. 27. — *Report.* ib. n. 10.] unum correlativum cadit in alterius definitione ut additum, et tamen relativum non potest esse, vel intelligi sine suo correlativo; igitur ex eo quod subiectum sit additum in definitione accidentis, non sequitur tamen ex hoc posse esse sine subiecto. — *Respondeo,* esse ut additum in definitione alterius, dupliciter contingere. Potest enim esse ut additum necessario requisitum ad intellectum eius, et ita necessario coëxactum; et potest esse additum in definitione ut causa extrinseca, et propinqua definiti. *Primo modo* est additum correlativum in definitione alterius relativi. *Secundo modo* additur subiectum in definitione accidentis absoluti; et quoniam causalitatem omnem causae extrinsecae proximae potest Deus supplere, poterit et accidens sine subiecto esse divina virtute.

Ad quartum dico: [*Oxon.* et *Report.* ib.] per *album* vel potest intelligi ipsa qualitas sub modo inhaerendi ad subiectum; vel totum compositum quod denominatur ab albedine, et ipso accidente inhaerente et denominante primo *album;* non enim differunt nisi in modo significandi, quia quantum ad significatum idem sunt; concretum enim et abstractum idem significant, licet differant in modo significandi. Si accipiatur in argumento *album primo modo,* non sequitur de virtute sermonis, *albedo est, ergo album est;* quia etsi forma sit, quae nata est inhaerere subiecto, non oportet tamen ipsam esse sub tali modo essendi, scilicet sub actuali inhaerentia ad subiectum; album autem significat ipsam sub tali ratione actualiter inhaerentis. Si *secundo modo* capiatur *album,* manifestum est qualiter non sequatur, *albedo est, ergo et aggregatum ex ipsa et subiecto.* — *Contra hoc:* nomen, seu adiectivum, seu substantivum, abstrahit a tempore; ergo *album* non significat actualem

inhaerentiam formae ad subiectum, quia tunc consignificaret tempus praesens. *Respondeo* concedendo hanc illationem, *albedo est,* ergo *album est,* exinde tamen non sequi; *ergo aliquid tamquam subiectum est album,* quia nec in antecedente id ponitur, neque per significatum, neque per modum significandi. Idque evidentius est in quantitate; nam uti conceditur in Sacramento quantitatem esse, ita et quantum esse; nec tamen dandum est ibi aliquam substantiam perfici quantitate.

ARTICULUS VI.

UTRUM FACTA CONSECRATIONE REMANEAT IN HOC SACRAMENTO FORMA SUBSTANTIALIS PANIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 3. *et* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 75. *a.* 6.

VIDETUR post consecrationem superesse in Eucharistia forma substantialis panis. Nam formae substantiales rerum innotescunt nobis ex propriis operationibus; unaquaeque enim species [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 2. — d. 12. q. 6. n. 3. — *Quodlib.* q. 10. n. 26.] habet qualitatem et operationem, quae consequitur formam talis speciei, in qua non communicat cum aliis entibus et speciebus, et hinc Philosophi ex diversis operationibus devenerunt in cognitionem aliarum et aliarum rerum. Sed quod superest in Eucharistia post consecrationem et nutrit et praestat omne id, quod faciebat ipse panis ante consecrationem; ergo si antea panis habebat formam propriam, eamdem oportet ut retineat post consecrationem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 2. — *Report.* ib.] Nisi maneret forma panis post consecrationem; igitur transiisset, vel conversa esset in aliam formam. Non enim in materiam Corporis Christi poni potest conversam, quia magis fuisset tunc resolutio in materiam, quam conversio: nec potest converti in aliquod accidens vel accidentia; quia tunc magis esset transaccidentatio, quam transsubstantiatio. Sed nulla est alia forma in quam possit converti; igitur manet. *Probatio minoris:* nam ea forma nequit esse Deus, ut dictum est supra in *incidenti articuli* 4.; nec anima intellectiva Christi; ea enim secundum omnes est hic dumtaxat concomitanter, nec aliqua alia forma substantialis in Christo est ponenda, quia unius entis unicum est *esse.*

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 6. n. 3.] Panis est quoddam ers artificiale, quatenus nimirum farina triticea aquae elementari permixta applicatur ad ignem, unde durescit et exsiccatur; igitur formam habet accidentalem, vel artificialem. Cum itaque post consecrationem remaneant accidentia, supererit etiam forma panis, quae accidentalis est.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 13.] *De sum. Trinit. et fide cathol.,* c. *Firmiter* § *Una vero,* ubi habetur: *Ipse Iesus Christus sub speciebus panis et vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in Corpus, et vino in Sanguinem potestate divina.* Igitur tota substantia panis et vini transeunt in Corpus et Sanguinem Christi: forma autem est prior pars substantiae rei; ergo si totus panis transit, eius forma superesse nequit.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] citra errorem te-

neri non posse, panis forma remanere in Eucharistia post consecrationem; Fides enim catholica docet nihil panis, sed tantum eius accidentia in Sacramento Eucharistiae esse; totus igitur panis substantialiter transit in Christi Corpus, adeo ut Christi Corpus sub speciebus, quatenus eius conversionis terminus, includat non *esse* alterius termini conversionis, scilicet panis, sic ut termini isti, supposita dispositione divina, sint omnino incompossibiles. Si autem forma panis maneret, potior pars eius (ut arguebatur ad oppositum) maneret, nec panis esset conversionis terminus, sed solummodo materia panis, quia ea tantum diceretur in Christi Corpus transiisse, et converti.

Ad Argumenta. Ad primum *concedo,* nos per operationes diversas divenire in cognitionem rerum natura atque essentia diversarum. — *Et cum infertur:* igitur cum species panis nutriant, oportet ibi esse propriam formam; *nego consequentiam;* [*Quodlib.* q. 10. n. 26.] nam non ipsa accidentia, sed potius substantia sub illis virtute divina reproducta nutrit. Quum enim ita alterentur species illae, ut si panis ibi foret non esset amplius nutrimentum conveniens, desinit esse ibi Corpus Christi, et in eodem instanti a Deo ibi nova substantia producitur, quae nata est affici illis qualitatibus. Ea autem est substantia panis, quae manet sub consequentibus alterationibus usque ad instans generationis novae substantiae, et illam generat natura corrumpendo substantiam, quam divina potentia reduxit.

Ad secundum dico breviter, [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 58.] panis formam converti in formam Corporis Christi, quae neque Deitas, neque anima intellectiva est, sed forma substantialis corporis, qua ipsum corpus organicum est, ut extitit declaratum 1. *p. q.* 76 *art.* 5.

Ad tertium concedo, [*Oxon.* ib. n. 45. seqq.] panem ad eam perfectionem reduci per artem, secundum quam est cibus conveniens homini; eo tamen non impeditur quin ultra formas accidentales habeat et propriam substantialem, quae per conversionem in formam Corporis Christi convertitur; alioquin nec vinum haberet formam substantialem, [*Oxon.* 2. d. 18.] cum et ipsum per artem fiat, et magi Pharaonis fecerunt ranas in Aegypto per artem et ministerio malorum Angelorum; nec propterea dicendum est, non habuisse ea animalia formam, qua in determinata specie constituebantur, et ab aliis essentialiter distinguebantur.

ARTICULUS VII.

UTRUM ISTA CONVERSIO FIAT IN INSTANTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11. *q.* 1. 3. *et* 4. — *Report. ib.* — *Quodlib. q.* 10. *S. Thom.* 3. *p. q.* 75. *art.* 7.

Videtur conversio panis in Corpus Christi non esse instantanea, sed successiva. Nam ea in conversione prius est substantia panis, et postea ipsi *esse* desinenti succedit Christi Corpus sub iisdem speciebus; igitur non sunt in eodem instanti, sed magis in tempore: quod autem est in tempore, successive est, ut ipsum tempus est successivum. *Probatur consequentia:* inter duo temporis instantia est tempus medium, alioquin tempus componeretur ex instantibus: sed esse panis est in instanti priori,

et Christi Corporis praesentia in instanti posteriori; igitur sunt in illa conversione duo temporis instantia, et per consequens inter ipsa mediat tempus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 2.] Ambrosius, *De Sacramentis,* et ponitur *De Consecr.*, dist. 2, c. *Revera mirabile: Sermo* inquit *qui potuit facere quae non erant, nonne potest mutare ea quae sunt in id quod non erant?* Utique potest. Conversio itaque ista fit sermone, seu consecratione, qui est sermo Christi. Sed sermo cum sit quantitas discreta est in tempore, et non in instanti, ut patet; ergo et conversio est successiva, et non instantanea.

3. PRAETEREA. In ista conversione, verum est dicere, istis speciebus panis nunc incipit fieri praesens Corpus Christi, et prius non erat praesens ipsis; igitur est hic prius et posterius, et per consequens successio.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 4. n. 6.] Quamvis panis substantia penitus desinat esse, non tamen annihilatur, quia terminus eius desitionis non est purum nihil: sed nisi fieret ea conversio in eodem instanti, quo panis *esse* desinit, panis omnino annihilaretur, quia terminaretur ad purum nihil extra omne genus; ergo est illa conversio instantanea.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.*4.d.11.q.1.n.10.— *Quodlibet.*q.10.n.3.] conversionem totalem unius substantiae in aliam, ac subinde panis transmutationem in Christi Corpus, necessario esse instantaneam, et non successivam. Quod declaratur ex dictis de *conversione,* praesertim *art. incid. super art.* 4. Conversio siquidem *est transitus totalis unius substantiae in aliam succedentis immediate illi in eadem praesentia adaequata, vel inadaequata.* Sic autem est formalis et essentialis ratio illa ordinis, vel immediate successionis unius ad aliud extremum, ut ea circumscripta, intelligi non possit conversio. Etenim si non in eodem temporis instanti quo unum extremum desinit, aliud illi in eadem praesentia succederet, quando Deus utcumque, et quomodocumque aliquid annihilat, et post aliud creat vel adducit, ubi fuit annihilatum, dici posset conversum in aliud postea creatum vel adductum ubi prius illud fuerat. Hoc autem est falsum, quia quod desinit esse in casu terminatur ad purum nihil, vel ad negationem extra genus non fundatam in alio; verissime igitur dici deberet annihilatum, nec ulla ratione conversum in aliud; quod patet, quia totaliter et complete desineret *esse,* et postea aliud crearetur, vel adduceretur; igitur non magis esset conversum terminus *a quo* in terminum *ad quem,* quam ea quae desierunt *esse* ab initio mundi, in illa, quae creanda sunt in fine; ergo cum tenendum sit panem in ista conversione non annihilari, vel certe non annihilari per conversionem, sed per annihilationem, quae per accidens concurrit cum conversione, oportet omnino in eodem instanti esse temporis desitionem panis, et adductionem Corporis Christi in eadem praesentia ab ipso de novo acquisita.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Quodlib.* q. 12. n. 11. — 8. *Metaph.* q. 3.] respondeo, idem argumentum fieri posse ad probandum generationem et corruptionem substantialem non esse in eodem instanti, quia prius est forma corrupta, et postea ipsi *esse* desinenti succedit forma genita: id autem est manifeste falsum, quia tunc materia per aliquod tempus naturaliter esset sine omni forma. Quoniam ergo substantia non suscipit magis et minus, ut accidens, ideo in eodem instanti temporis et est corruptio formae veteris, et generatio novae cum ordine naturae. — *Dico*

ergo: etsi desitio totalis unius, et incoeptio vel adductio alterius in eadem praesentia videantur praeseferre successionem, virtus tamem infinita Dei (qua tantum ea conversio perfici potest) quae omne medium inter extrema potest habere pro non medio, et ordinem pro non ordine unico temporis instanti unum in aliud transmutat. — *Et cum dicitur,* inter duo temporis instantia est tempus medium, alioquin tempus componeretur ex instantibus; *respondeo,* [*Oxon.* 2. d. 2. q. 12. — *Quodlib.* q. 12. n. 13.] hic falsum supponi, nimirum panis desitionem esse in instanti. Est enim non in instanti, quod sit ultimum temporis, in quo fuit, sed desinit *esse* in tempore, et illud tempus in quo desinit est immediatum instanti, quo Christi Corpus illi desitioni panis in eadem praesentia succedit.

AD SECUNDUM [*Oxon.* 4. d. 2. q. 2. n. 23.] concedo orationem, qua instrumentaliter ista conversio perficitur, esse quantitatem discretam, sed tamen dico, non fieri transsubstantiationem eo ordine, seu eadem, qua profertur successione, sed tantum pro ultimo instanti prolationis eius Deus infallibiliter assistens signo ab se instituto, subito unicoque instanti ad panis desitionem ponit sub eius speciebus Corpus Christi.

AD TERTIUM respondeo sic: [*Oxon.* 3. d. 7. q. 2. n. 7.] quando *incoeptio* praedicat tertium adiacens non notat praecessionem subiecti ad praedicatum; verum est enim dicere de anima nunc creata, quod nunc incipit animare corpus, nec tamen prius fuit quam corpus animaret, ut nec corpus aptum animari ipsam animam praecessit. Ita hic, [*Quodlib.* q. 4. n. 3.] esto nunc incipiat *hic* esse Christi Corpus, idque succedat panis desitioni, non sequitur tamen, panis desitionem, et praesentiam illam successive factas esse, licet inter ea extrema non negetur ordo naturae, qui tamen potest esse in instanti indivisibili durationis.

ARTICULUS VIII.

UTRUM HAEC SIT FALSA: *EX PANE FIT CORPUS CHRISTI.*

Doctor, Oxon. 4. *d.* 11 *q.* 5. — *Report. ib. q.* 4.
S. Thom. 3. *p. q.* 75. *art.* 8.

RESPONDEO circa modum loquendi, [*Oxon.* 4. d. 11. q. 5. n. 1. — *Report.* ib. q. 4. n. 9.] seu exprimendi istam panis conversionem in Corpus Christi, pono sequentia dicta. PRIMUM: accipiendo extrema istius conversionis in recto numquam vere unum de altero praedicatur. Seu enim dicatur, *Panis est Corpus Christi, Panis fuit Corpus Christi,* vel *Panis erit Corpus Christi,* omnes istae sunt falsae. Et ratio est, quia *esse* notat unionem extremorum essentialem, vel accidentalem, pro illo tempore, quod significat. Sed pro nulla differentia temporis habent illa extrema unionem essentialem, vel accidentalem; sed magis pro omni instanti vel sunt entia omnino disparata, quando scilicet extrema conversionis sunt ambo entia positiva, vel ad invicem repugnant, scilicet pro illo instanti, pro quo unum est, et alterum non est; igitur numquam habent aliquam unionem inter se, quae possit exprimi per verbum *est,* pro qualibet differentia temporis.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* et *Report.* ib.] propositiones formatae de

praedictis extremis per verbum *fio,* ut *Panis fit Corpus Christi, vel Panis fiet Corpus Christi,* aut *Panis factus est Corpus Christi,* de rigore sermonis omnes sunt falsae. *Probatur:* quia *fieri* vel praedicat secundum, vel tertium adiacens; quando praedicatur secundum adiacens denotatur *fieri* simpliciter eius de quo dicitur, et ita Corpus Christi fiebat quando in utero Virginis formabatur, et panis fiebat quando coquebatur. Hoc autem pacto Corpus Christi non fit panis, nec e converso. Quum autem *fieri* praedicat tertium adiacens, tunc denotatur subiectum *fieri* secundum formam praedicati, ut cum dicitur, *Homo fit albus.* Sed panis pro nulla differentia temporis fit secundum formam Corpus Christi, nec e converso; imo hoc est plane impossibile, ac si diceretur *homo fit asinus* Igitur omnes illae propositiones sunt falsae.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* et *Report.* ib.] illa conversio non potest vere exprimi, aut significari per verbum notans possibilitatem in essendo, ut omnes istae, *Panis potest esse Corpus Christi,* vel *Panis potuit esse Corpus Christi,* vel *Panis poterit esse Corpus Christi,* pariter falsae sunt. *Probatio:* illa propositio de possibili est falsa, cuius de *inesse* est impossibilis; quaelibet enim de possibili potest exponi in aliquam de *inesse* possibilem, licet forte falsam. Sed quaelibet de *inesse* correspondens cuilibet istarum de *possibili,* est impossibilis, ex primo dicto; igitur et quaelibet de possibili erit falsa.

QUARTUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 10.] ut praedicatio exprimens istam conversionem sit vera, oportet ut alterum extremorum in obliquo accipiatur denotando ordinem extremi ad extremum. Quod dupliciter potest fieri: uno modo, cum extremum qui est terminus *a quo* accipitur in obliquo, et extremum qui est terminus *ad quem* accipitur in recto cum hac propositione *ex,* vel *de,* termino *a quo* addita. Sicut dicit Philosophus, 2. *Metaph.*, c. 3. *Quod ex mane fit meridies, et non e converso.* Sic igitur potest concedi, quod *ex pane,* vel *de pane, fit Corpus Christi,* quia haec propositio non dicit identitatem extremorum, sed ordinem exprimit, quo unum fit ex alio, ut ex termino, non ex subiecto.

Alio etiam modo, [*Oxon.* et *Report* ib.] et magis proprie potest illa conversio vere exprimi accipiendo terminum *a quo* in recto, et ad *quem* in obliquo, addita sibi propositione *in,* qua denotatur ipsum esse terminum *ad quem,* hoc modo: *Panis transit, et vertitur in Corpus Christi.* Hac enim significatur unum extremum succedere alteri, et ordinem successionis unius ad alterum. Si quae autem aliae propositiones circa hanc materiam inveniantur vel in Canone, vel a Sanctis prolatae de virtute sermonis, ad aliquam ex his duabus reducuntur. — *Quod vero* secunda loquutio sit magis propria, ex eo constat, quoniam ita exprimendo non denotatur aliquid commune utrique termino manere, sicuti quadantenus significatur per istam propositionem *ex,* proprie, et rigorose ipsam accipiendo. Nam ex opposito non fit oppositum, nisi ex subiecto communi utrique extremo, secundum Philosophum, 1. *Phys.* text. *c.* 58. *et* 60. *p. de Gener.*, text. *c.* 10. *et alibi* frequenter. Sed nulla propositio in qua mutatio vel moveri exprimatur, vel significetur, est vera in ista conversione, etiam accipiendo unum terminum in obliquo, et alterum in recto, ut si diceretur, *Panis mutatur in Corpus Christi;* quia nulla vera intervenit hic mutatio, ut dictum fuit *art.* 4. Transire autem seu verti unum in alterum

abstrahit a ratione mutationis, quia dumtaxat importatur habitudo termini ad terminum, nec exprimitur vel invenitur aliquod subiectum commune manere.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASEXTA.

DE MODO QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de modo quo Christus est in hoc Sacramento.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum totus Christus sit sub hoc Sacramento. - 2. Utrum totus Christus sit sub utraque specie Sacramenti. - 3. Utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum. - 4. Utrum dimensiones Corporis Christi totae sint in Sacramento. - 5. Utrum Corpus Christi sit in hoc Sacramento localiter. - 6. Utrum Corpus Christi moveatur ad motum Hostiae vel Calicis post consecrationem. - 7. Utrum Corpus Christi prout est in hoc Sacramento possit videri ab aliquo oculo, saltem glorificato. - 8. Utrum verum Corpus Christi remaneat in hoc Sacramento, quando miraculose apparet sub specie pueri, vel carnis.

ARTICULUS I.

UTRUM TOTUS CHRISTUS CONTINEATUR SUB HOC SACRAMENTO.

Doct., Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 76. *a.* 1.

VIDETUR totus Christus haud contineri sub hoc Sacramento. Seu enim ponatur Christum esse sub speciebus panis ex praecisa et formali conversione substantiae panis in ipsum, seu statuatur Christi praesentia ad species Eucharisticas, de facto [*Oxon.* 4. d. 11. q. 2. et 3.] tamen substantia panis convertitur in substantiam Corporis Christi, in quem accidentia panis non convertuntur, imo manent: sed substantia panis non convertitur neque in Divinitatem, neque in animam Christi; igitur in Sacramento neque Divinitas, neque anima Christi reperitur. Christus autem dicit naturam divinam, et naturam humanam perfectam; igitur in Eucharistia non est totus Christus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 4. n. 2. — *Report.* ib.] Sicuti in operibus naturae non est ponenda pluralitas sine necessitate, ita in creditis non est ponenda pluralitas, quae non sequitur per necessariam deductionem ex creditis: sed tota veritas Eucharistiae potest salvari non ponendo in ea nisi solam substantiam Corporis Christi. *Quod probatur;* quia Corpus Christi potest esse sine anima; est enim animae susceptivum, et ita in potentia contradictionis ad ipsam, eo vel magis, quod sine anima habet rationem cibi spiritualis; igitur non est ponendum, totum Christum esse in Eucharistia.

CONTRA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Innocentius, *De Offic. Missae,* p. 3. c. 10. *Tale Corpus dedit Christus discipulis, quale habuit, idest,*

mortale et passibile. Cum autem Christus erat mortalis et passibilis habebat animam Verbo Dei hypostatice unitam; ergo sic quoque est in Eucharistiae Sacramento.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 3.] in hoc Sacramento realiter contineri totum Christum, Corpus scilicet eius sub speciebus panis tamquam primo significatum; Sanguinem vero, et accidentia, et divinitatem concomitanter, et consecutive; sub speciebus autem vini primo Sanguinem eius contineri, reliqua vero ad Christum spectantia concomitanter. — *Et declaratur:* nam species istae panis ex divina institutione post consecrationem efficaciter et vere significant Corpus Christi verum ipsis vere et realiter adesse: corpus autem ut est primo significatum istarum specierum et primum perfectibile animae intellectivae non continet nisi corporis substantiam, quae essentialiter non includit animam, neque sanguinem, et multominus Divinitatem, licet prout accipitur ut includit omnia pertinentia ad corpus organicum, et accidentia, sanguinem aliosque humores importet. Et sub priori acceptione haec non involvit, quia non est contradictio corpus illud esse sine anima, et accidentibus. Quod et congruum admodum apparet; quia [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1.] species Eucharisticae repraesentant alimentum; igitur oportet per se primo significare ipsam corporis substantiam, et non eius accidentia. De ratione enim cibi, ut distinguitur contra potum, est quod habeat partes solidas; species igitur panis per se primo significant Corpus Christi, ut distinguitur contra sanguinem, licet concomitanter sit sub iisdem speciebus, Sanguis, anima Christi, et Divivitas, et caetera accidentia. — *Deinde,* [*Oxon.* 4. d. 10. ib. — *Report.* ib.] ex divina institutione vinum per se primo significat Sanguinem, seu partes non solidas, sed fluidas, in quibus consistit ratio potus ut essentialiter distinguitur a cibo; sed quoniam sanguis non est sine corpore, concomitanter sub vini speciebus et ipsum Corpus Christi, Divinitas, et accidentia continentur. — Et de facto quod diximus ita esse, constat ex hoc: quia si in triduo mortis Christi fuisset Eucharistia confecta, sub panis speciebus extitisset verum Christi Corpus, non autem anima, quae tunc a corpore erat separata: alioquin fuisset animatum, et non animatum. — *Denique,* si totus Christi Sanguis fuisset ab eius corpore in morte separatus, et quis tunc Eucharistiam confecisset, fuisset sicuti modo est; primum igitur significatum specierum panis est corpus, et non anima, vel sanguis; et primum significatum specierum vini est sanguis, et non corpus. Quod vero haec duo, Corpus scilicet et Sanguis, possint habere aliud et aliud signum ad placitum, patet, quia possunt habere aliud et aliud signum naturale; siquidem est alius et alius conceptus essentialiter distinctus: conceptus autem sunt signa rerum naturalium, 1. *Perih.,* c. 1. igitur multo magis significari queunt diversis signis ad placitum, quae minorem requirunt distinctionem. Quemadmodum itaque in nutritione corporali sunt distincta cibus et potus, quorum species in Sacramento Eucharistiae sunt signa Corporis et Sanguinis Christi, ita in refectione spirituali sunt duo signata distincta non se includentia nisi consequutive, et concomitanter, Corpus ut contradistinctum a Sanguine, caeterisque fluidis, et non includens animam vel accidentia; et Sanguis ut contradistinguitur a partibus solidis in quibus consistit nutrimentum, et refectio spiritualis animae.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 3.] respondeo, in Eucharistia esse totum Christum habens naturam divinam, et naturam humanam perfectam; verumtamen non esse ibi ex vi conversionis, sed virtute Sacramenti divinitus instituti, non quidem Divinitatem Christi, aut animam vel accidentia, sed dumtaxat Corpus eius, tamquam primo per illas species significatum. Sed quoniam tale Corpus est de facto animatum, atque humana illa natura unitur Deitati, concomitanter est quoque ibi anima, et Divinitas, et caetera quae insunt corpori illi ut accidentia.

AD SECUNDUM, [*Oxon.* ib. n. 3. seqq. — *Report.* ib.] concedo, absolute posse salvari huius Sacramenti veritatem, si tantum Corporis substantia sub speciebus panis poneretur, et contineretur. Et quidem si in Christi morte (ut dictum fuit) quis Apostolorum panem consecrasset, anima Christi sub illis speciebus non fuisset. At supposita naturali existentia Corporis Christi, qua nunc existit in Caelis, ubicumque ponatur, oportet ipsum habere partes et proprietates naturales, quae sibi naturaliter insunt et ita habere animam, sanguinem aliosque humores, et accidentia absoluta. Et ratio est, quia istae partes et proprietates naturales prius conveniunt ei, quam aliquod *ubi*, et ita contradictio esset Corpus illud habere ea in Caelo, et non in Eucharistia, in qua vere et realiter continetur. Qualiter autem eius corporis quantitas, ut est in Sacramento, careat suo modo quantitativo, tactum fuit *quaest. praec.* et amplius dicetur infra *art.* 3. Corporis igitur substantia est primo signatum et contentum sub speciebus panis; et Sanguis ut a corpore tamquam a partibus solidis essentialiter distinctus est primo signatum sub speciebus vini; illa igitur non primo sed concomitanter tantum continet, sine quibus primum signatum non haberet esse modo naturali.

ARTICULUS II.

UTRUM TOTUS CHRISTUS CONTINEATUR SUB UTRAQUE SPECIE HUIUS SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 4. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 76. *a.* 2.

VIDETUR totus Christus non contineri sub utraque specie huius Sacramenti. Nam [*Oxon.* 4. d. 10. q. 4. n. 1. — *Report.* ib.] Sanguis non est in Eucharistia Sacramentaliter nisi post consecrationem vini; ergo non est sub hostia, et per consequens totus Christus non continetur sub utraque specie. *Probatur assumptum:* si Sanguis ante vini consecrationem contineretur sub speciebus panis; igitur frustra poneretur contineri sub speciebus vini; satis enim esset semel in hoc Sacramento contineri.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 1.] Nihil incipit esse simpliciter, postquam iam simpliciter est; ergo pariter nihil incipit esse Sacramentaliter postquam fuerit Sacramentaliter: sed Sanguis post vini consecrationem incipit esse sub eius speciebus; ergo non erat Sacramentaliter sub speciebus panis, sub quibus continetur Corpus; et per consequens totus omnino Christus sub utraque specie non continetur.

CONTRA. [*Quodlib.* 20. n. 21.] Ad Hebraeos, 9. *Christus semel*

oblatus est, qui et resurrexit a mortuis non amplius moriturus. Corpus igitur quod sub panis speciebus continetur est corpus vivum; igitur habet sanguinem. Sic etiam, sanguis quem vini species significant, est corporis viventis; igitur non est ab eius corpore seiunctus; et quia corpus illud animatum est Divinitati unitum, et ipsa erit Divinitas sub utraque specie concomitanter.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 3. seqq.] totum Christum esse sub panis et vini speciebus consecratis, non quidem primo et immediate ipsum totum significantibus, sed quemadmodum Corpus ut includens partes solidas substantiales primo significant species panis, ita Sanguis primo significatur a speciebus vini, et reliqua concomitanter, ut *in antec. art.* expositum fuit, quod in signis a Deo ad significandum assumptis tanto facilius credendum est evenire posse, quanto etiam in naturalibus signis hanc primariam, et concomitantem significationem nullo negotio deprehendimus. Rubor enim ex tempore in vultu exortus, tamquam primum significatum denotat animi verecundiam, ex consequenti vero turpe apparens.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo sic: [*Oxon.* ib. n. 13. — *Report.* ib. n. 18.] si ponatur Sanguinem pertinere ad corporis integritatem, ut est primum signatum specierum panis, concedo, ex virtute Sacramenti ibi Sanguinem bis reperiri, sed tamen diversimode, quia ex vi Sacramenti continetur sub specie panis per se, sed non primo, tamquam scilicet primum signatum, sed potius ut pars primi signati. At idem Sanguis continetur sub specie vini, ut primum eius signi significatum; et ideo etsi contineatur in Sacramento virtute ipsius semel et iterum, tamen alio et alio modo; nam duo signa penitus distincta non habent idem signatum primum, et ideo ea repetitio non est frustra. — Et per idem ad aliud ex facta suppositione; quia [*Oxon.* et *Report.* ib.] Sanguis incipit Sacramentaliter esse sub speciebus panis, ut contentus quidem per se sub eis, et non primo; sub speciebus vero vini habet modum essendi Sacramentaliter, ut per se et primo earum specierum signatum. Tunc ergo solummodo incipit esse simpliciter Sacramentaliter; prius autem habebat esse Sacramentaliter tantum secundum quid, quia non primo. — *Quod si teneatur* corpus inquantum corpus (quod verius videtur) solum includere partes solidas sicut primum signatum sub speciebus panis, tunc non includitur in eo sanguis per se. Ex vi igitur Sacramenti tantum sub speciebus panis esset Corpus, caetera vero, ut anima et sanguis, et Divinitas, sunt ibi concomitanter, ut dictum est *art. antec.*

ARTICULUS III.

UTRUM SIT TOTUS CHRISTUS SUB QUALIBET PARTE SPECIERUM PANIS ET VINI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 76. *a.* 3.

VIDETUR totus Christus non esse sub qualibet parte specierum panis et vini. Nam si cuilibet omnino parti earum specierum totus Christus esset praesens; igitur cum quantitas continua sit divisibilis in infinitum,

in infinitum multiplicaretur praesentia Corporis Christi: hoc autem videtur inconveniens; ergo non adest totus cuilibet parti specierum.

2. PRAETEREA. Si cuilibet parti specierum esset totum Christi Corpus praesens; igitur esset uti anima rationalis, quae est tota in toto corpore organico, et tota pariter in qualibet parte corporis eiusdem: hoc autem est impossibile. *Et probatur;* etenim in tantum anima habet talem modum inexistendi corpori, in quantum ipsa immaterialis et indivisibilis est, immunis nimirum ab omni quantitate corporea: Corpus autem Christi est quantum, materiale et divisibile; igitur nequit habere modum illum, qui convenit animae rationali propter eius immaterialitatem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 1. — *Report.* ib.] Aut una pars Corporis Christi est extra aliam partem, aut unaquaeque subintrat aliam, adeo ut sint veluti in puncto. *Si primum;* igitur sicuti illae partes habent ordinem in toto, et inter se, ita et respectu eius, quod est continens earum, et consequenter sicuti totus Christus est in tota hostia, ita pars in parte. *Si secundum* detur; ergo Corpus Christi in hostia est expers quantitatis et figurae; erit proinde incapax recipiendi animam intellectivam, ut formam ipsius.

4. PRAETEREA. Quantitas statui nequit in loco, quin illo contineatur loco; igitur necessario fundat respectum quem dicit modus quantitativus; ergo ipsi loco quantitas omnino commensuratur, ac proinde fieri non potest, ut maior quantitas a minori ambiatur, et circumscribatur; non potest ergo Christus totus sub speciebus consecratis contineri.

CONTRA. *De Consecr.,* dist. 2. 77. *Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se praebet in singulis.* Idem *capite sequenti et frequenter.*

RESPONDEO: *aliqui* [*Oxon.* ib. n. 13. — *Report.* ib. n. 11.] ad explicandam mysterii possibilitatem, et verissime totum Christum sub qualibet parte specierum reperiri, dixerunt partes Corporis Christi in Sacramento non esse extra se invicem. Nam sicuti virtute divina fieri potest ut corpus simul sit cum corpore, ita etiam ut una corporis pars simul sit cum alia. Potest ergo Deus facere partem subintrare partem usque ad minimam quantitatem naturalem, salva cuiuslibet partis veritate, etsi una extra alteram non extendatur, quemadmodum veritas unius corporis salvatur non obstante, quod per subintrationem in alio extra illud extensum non reperiatur. — *Contra,* [*Oxon.* et *Report.* ib.] haec opinio est omnino improbabilis; aufert enim a Corpore Christi ordinem partium in toto, et omnem figuram, quae fortassis necessaria est corpori, ut sit animae susceptivum. Nam si non distet caput a pedibus, sed totum subintret totum usque ad minimam partem naturalem, iam expers erit ordinis partium in toto necessarius ad corpus animatum, atque etiam carebit humana figura.

Propterea alii [*Oxon.* ib. n. 12. — *Report.* ib. q. 1. n. 4.] rem hanc adeo admirabilem aliter declarandam putant sic: quantitas Corporis Christi sub speciebus Sacramentalibus nonnisi concomitanter reperitur; nam primus conversionis terminus substantia est Corporis Christi; quicquid ergo ibi est eo modo, quo illa terminat conversionem, sit oportet quantitas; igitur erit ibi per modum termini primi. Primus autem terminus qui est substantia non habet modum quantitativum seu commensurativum; ergo quantitas ibi existens sub modo substantiae est

sub speciebus modo non quantitativo. — *Contra* hunc modum declarandi arguo: [*Oxon.* et *Report.* ib.] unumquodque, seu sit primus terminus transsubstantiationis, seu secundus, modo ibi sit, habet proprietates suas, quae sibi necessario et naturaliter conveniunt. *Exemplum:* si Deus substantiam quantam crearet, vel natura generans substantiam quantitas concomitetur, utriusque productionis terminus primus est substantia, et quantitas illum concomitatur; et nihilominus utrobique quantitati inest suus modus realis, quem haberet, si foret terminus primus productionis, et non alius. Ratio autem horum est, quia alia atque alia habitudo ad agens non variat naturam rei, secundum Augustinum, 3. *De Trinit.*; ergo nec carebit quantitas suo modo naturali ex eo tantum, quia non est primus terminus transsubstantiationis, dum tamen sit ibi realiter, sive primo, sive secundo per illam mutationem. — *Deinde,* si per conversionem sit terminus *ad quem* ubi fuit prius terminus *a quo,* ergo modus essendi huius et illius similis erit, ille saltem qui esse potest utrique communis. Sed panis conversus erat *hic* quantitativo suo modo, quia sub quantitate habens partem extra partem; ergo et substantia Corporis Christi existens sub speciebus ex vi conversionis erit hic suo modo quantitativo, habens nempe partem substantiae sub partem quantitatis, adeoque quantitas eius erit sub speciebus proprie dimensive.

Est ergo aliter declaranda mysterii possibilitas, [*Oxon.* ib. n. 14. — *Report.* ib. n. 12.] idque nos praestamus sic: *positio,* quae est differentia quantitatis, necessario inest quanto continuo permanenti; hac igitur oportet omnino praeditum esse Christi Corpus in Eucharistia; haec enim positio dicit ordinem partium in toto. Et sane vix est intelligibile aliquid esse quantum dimensionibus suis, et signari non posse in toto ordinem huius partis ad illam secundum quantitatem, vel positionem interiacentem. At *positio,* quae et dicitur Praedicamentum *situs,* essentiali differentiae quantitatis aliquid addit; nam praesupposito ordine partium in toto, *positio* praeterea importat ordinem partium ad locum, sive ad partes loci vel locantis, adeo ut partes locati eo extendantur partibus loci, ut totum locatum primo toti loco commensuretur. Itaque *positio* Praedicamentum praesupponit positionem quae est differentia quantitatis, et specificat *ubi.* Nomine autem modi quantitativi, sive dimensivi significari intendimus *positionem,* quae est Praedicamentum.

His praesuppositis, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] aimus, (1) fieri posse per Dei potentiam, ut stante ordine partium in toto, haec secunda positio a quanto separetur, et non tantum per termini negationem, ut si Deus ageret corpus quantum extra universum, profecto hac positione destitueretur, nulla existente superficie ipsum continente, cuius partibus contenti partes commensurarentur, sed etiam posito termino cui fieri posset coëxtensio et commensuratio; adeo ut Deo conservante quantum alteri quanto praesens et coëxistens, nulla sit coëxtensio partium unius ad partes alterius, qua coëxtensione exurgit Praedicamentum *situs,* vel *positonis.* — *Declaratio:* [*Oxon.* ib. n. 15. — *Report.* ib.] quae-

(1) Pulcherrime explicat Doctor possibilitatem Sacramenti Eucharistici, supposita fide mysterii, declarans Christi Corpus, ut praeditum sua naturali quantitate, totum esse praesens speciebus post consecrationem; quia ea extensio ad locum non est propria passio quantitatis, sed

cumque natura contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis, simpliciter se habet contingenter ad totum genus. Haec patet ex opposito; nam si esset una natura, et a causa intrinseca sibi determinaret unum genus, necessario quoque determinaret sibi aliquam speciem eius generis. Quoties ergo simpliciter contingenter se habet ad quamlibet formam alicuius generis, sic quoque respicit ipsum genus. Atqui corpus simpliciter contingenter se habet ad quamcumque partium positionem in loco; possum enim movere corpus meum a quacumque positione ad aliam; ergo stante positione partium in toto, non simpliciter necessario se habet corpus ad positionem istam, quae est Praedicamentum, nec coëxistentia quanti ad quantum est simpliciter ratio necessaria commensurationis partium unius quanti ad partes alterius; quia contingit intelligere coëxistentiam alicuius ipsi toto, non intellecta coëxtentione partium ad partes. Haec enim coëxistentia est alia ab illa, etiam quando se concomitantur, nec ista in sui formali ratione includit illam; ergo absolute corpus quantum habens primam positionem esse potest sine omni positione extrinseca, et intelligi proinde quantum alteri quanto coëxistere citra omnem partium commensurationem. — *Porro* [*Oxon.* ib. n. 16. — *Report.* ib. n. 13] quantum coëxistere alteri quanto sine extrinseca positione, aliud non est, quam absolutum conservari sine respectu extrinsecus adveniente; sic etiam coëxistentiam conservari sine positione illa, aliud non est, nisi unam relationem extrinsecam conservari sine alia relatione extrinseca, sicut illa quae est *ubi* primo est totius circumscripti ad totum circumscribens. Sed *positio* superaddit respectum partium ad partes. Et quod primam concomitetur secunda, non est, nisi quia iste respectus sit talis ut includat divisibilitatem partium, et praesentiam earum partibus locantis: sed coëxistentia alicuius totius toti, vel cuilibet parti abstrahit ab ista positione, propter quam *ubi* necessario habet positionem; ergo simpliciter possibile est illam coëxistentiam esse sine positione. Nam haec positio supponit *ubi* proprie dictum; ergo cum Deus possit quantum conservare sine *ubi* proprie dicto, potest et sine positione idem quantum conservare ut est alteri coëxistens, et praesens; siquidem haec coëxistentia formaliter non est *ubi*.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 10. q. 2.]

---

accidens per accidens ipsius. Videnda glossa Mag. Hiquaei rem hanc egregie declarantis, et instantias excludentis. Mag. Durandus, 4. *d.* 10. *q.* 2. putat optime explicatum iri hoc mysterium si dicatur, Christi Corpus esse praesens speciebus secundum substantiam, sed non quoad quantitatem, quam tamen non separari a Corpore Christi in Coelo arbitratur; quo posito tollitur omnis repugnantia. Sed Alensis 4. *p. q.* 10. *art.* 3. § 4. dicit, hanc positionem esse erroneam, quia licet substantia intelligi queat sine accidentibus, non tamen est sine illis, neque intelligitur bene esse sine illis. Nam quamvis abstrahere possimus substantiam a quantitate, tamen quod corpus vivat, et sit organicum, et non quantum, hoc nec esse nec intelligi potest. Ex hac ergo positione sequitur Corpus Christi non bene esse ibi, nec vivere. Est igitur Christi Corpus sub speciebus in sua quantitate. Et pergens ad dicti declarationem, scribit: « Sciendum in hoc Sacramento quaedam esse secundum naturam, quaedam supra naturam, sed non supra intellectum et supra naturam. Secundum naturam sunt ibi accidentia, ut color, sapor, magnitudo, etc. Supra naturam sunt accidentia sine subiecto, sed non supra intellectum, qui probe id intelligit per abstractionem. At supra naturam et intellectum est ibi Christus in ea quantitate qua in Caelo, non excedens terminos hostiae consecratae. Id enim est supra naturam et intelligentiam. » Et *ibidem* § 8. magis id declarans, scribit: « Considerando intellectum Viatoris, ut est relictus naturae propriae et naturalibus innititur rationibus, continentia Corporis Christi in Sacramento, et modus continentiae non est ab ipso comprehensibilis; sed considerando intellectum viatoris ut per fidem elevatur haec continentia ab eo comprehenditur; sic enim assentiens ipsi veritati iuxta dictamen fidei se ipsum captivat, et revelatis assentiens, ratiocinando concordat illis, quae viribus naturalibus attingere potest, et utcumque assequitur. » Eadem habet S. Bonav. 4. *d.* 10. *art.* 2. *quaest.* 1.

cum Sacramentum signum sensibile sit, Christum non esse praesentem nisi partibus hostiae sensibilibus; indivisibilia enim et insensibilia, sicut non essent apta consecrationi, ita nec in illis est Christus praesens; cuicumque tamen minimo sensibile fatendum est vere et realiter totum Christum praesentem reperiri. Quandocumque ergo et quotiescumque species illae dividerentur sub singulis partibus sensibilibus quae cadere possunt sub usu sensibili, in omnibus illis verissime Christus continetur; at divisio haec non vadit in infinitum quia multoties applicato divisivo illis partibus, tandem non sunt amplius divisibiles.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. q. 1. n. 8.] patet responsio ex dictis; quia quantum de se non habet nisi fundamentum essendi in loco circumscriptive, et ideo ut potest esse sine omni *ubi,* ita et carere praedicamentali *positione,* quam mere accidentaliter et contingenter respicit. Ea autem circumscripta, necessario quantum est praesens alicui ad instar substantiae habentis uniformem praesentiam ad locum, in quo est definitive. — *Et cum arguitur,* ita esse praesens convenit animae ex immaterialitate; *hoc falsum est,* quia convenit quoque substantiae materiali, ut a quantitate praescindit. Quod si intelligatur immaterialitas carentia quantitatis vel extensionis, tunc non aliud sequitur, nisi quod anima necessario sit hoc pacto in loco, adeo ut non possit esse circumscriptive, ut substantia materialis, quae est capax quantitatis et extensionis; sed non propterea potest inferri, esse in loco circumscriptive.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 17.] Christi Corpus esse quantum, et habere unam partem extra aliam in ordine ad se, quia id est differentia quantitatis ab omni quanto inseparabilis. Sed quatenus illae partes comparantur ad locum, sic una non est extra aliam, ut una commensuretur uni parti loci, et alia alteri. Totum igitur quantum, habens eodem modo suas partes extra se invicem, in toto esse potest indivisibiliter praesens omnibus partibus quibus est praesens, etiamsi sit aliquod unum indivisibile, vel minimum naturale; et ita est Christi Corpus quantum, habens interim uniformem praesentiam toti speciei, et cuilibet parti eiusdem.

AD QUARTUM [*Oxon.* ib. n. 16.] respondeo sic: positis duobus quantis sibi invicem coëxistentibus, necessario sequitur esse aequalia, vel inaequalia; hi enim respectus intrinsecus inascuntur extremis illis; et alia prorsus est ratio de reali commensuratione partium unius ad partes alterius, quia haec est respectus extrinsecus adveniens, ut explicatum fuit.

ARTICULUS IV.

UTRUM TOTA QUANTITAS DIMENSIVA CORPORIS CHRISTI SIT IN HOC SACRAMENTO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 4. — *Report. ib.* —*S. Thom.* 3. *p. q.* 76. *a.* 4.

VIDETUR quantitas dimensiva Corporis Christi non esse in hoc Sacramento. Quia [*Oxon* 4. d. 10. q. 4. n. 1. — *Report.* ib.] nihil potest esse ubi prius non fuit, nisi aliquid convertatur in ipsum: sed in Eucharistia nihil convertitur in quantitem Corporis Christi; igitur in ea non est quan-

titas eius. *Probatur assumptum;* etenim quod incipit esse prius non fuit, hoc est per aliquam mutationem: sed Corpus Christi non mutatur per hoc quod speciebus incipiat adesse, manens quippe in Caelo ubi prius erat fit praesens speciebus consecratis; ergo talis mutatio est in alio adstruenda, in cuius *ubi* incipit ipsum fieri praesens. Id autem non fit nisi per conversionem. *Minor* patet, quia sola substantia panis convertitur in substantiam Corporis Christi: quantitas autem panis non convertitur, quia manet.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quantitas non potest esse simul cum quantitate; habent enim ad invicem repugnantiam formalem respectu eiusdem *ubi:* perinde ut contraria respectu eiusdem subiecti, quae secundum Philosophum, 4. *Metaph.*, text. 9. et 29. non possunt esse simul, quia si contraria simul essent vera, sequeretur duo contradictoria posse simul verificari, quod est impossibile; igitur quantitas Corporis Christi non potest esse simul cum quantitate panis in Eucharistia.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2.] Idem illatum deduco aliter: quantitas Corporis Christi non potest esse simul cum quantitate panis, quin sit ibi localiter: sed Christus non est in Sacramento iuxta localem dimensionem; ergo ut est ibi non habet quantitatem. *Maior probatur:* positis fundamento et termino proprio, necessario sequitur relatio media: sed proprium fundamentum circumscriptionis passivae est quantum, et proprius terminus eius est continens; igitur in quantitate Corporis Christi esset passiva circumscriptio, seu respectus *ubi;* et ita esset in loco formaliter, quod est plane falsum.

CONTRA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 1.] Innocentius *De Offic. Missae,* p. 3. c. 10. *Tale corpus dedit Christus discipulis, quale habuit:* habuit autem corpus quantum; ergo in Sacramento Eucharistiae est Christi Corpus propriam habens quantitatem.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 3. seqq. — *Report.* ib.] omnem dimensivam quantitatem, qua Christi Corpus praeditum est in Caelis, pariter in hoc Sacramento reperiri, non quidem Sacramenti virtute, sed per realem concomitantiam, ut dictum fuit *art.* 1. Et quidem, supponendo quod fides catholica docet, nempe Christi Corpus existere in Caelo suo modo naturali, qui est loco teneri et circumscribi, et praeterea vere et realiter Sacramentaliter speciebus adesse, modo prorsus inextenso in ordine ad locum; ac insuper hos duos modos ita se habere, ut fieri potuerit per Dei absolutam potentiam, Christi Corpus modo inextenso in Sacramento, priusquam in sua naturali existentia extitisset, ut explicavimus *art. incid. q.* 73. *art.* 5., statim sequitur, ipsi Christo inesse in Eucharistia existenti omnem quantitatem, qualitates omnesque absolutas proprietates quibus pollet in Caelo. — *Sed amplius* adhuc hoc ipsum declaratur: etenim [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib. n. 14.] quaecumque sunt priora respectu, quem dicit locatum ad locum, aut ad quid simile loco, non variantur ad variationem eius respectus qui dicitur *ubi,* quia priori invariato persistente, contingit posterius subire variationem. Dimensiones autem Corporis Christi, sive in Caelo sive in Eucharistia, sunt priores respectibus, quos ad loca important locata; igitur non variantur ex variatione posteriorum respectuum. Cum itaque ex eo quod Christi Corpus modo sit sub speciebus ubi prius non erat, alia variatio non importetur quam secundum *ubi,* aut quoad aliquem respectum illi consimilem, sequitur easdem dimensiones et partes, caeterasque absolutas proprietates sibi inesse speciebus Eucha-

risticiis praesenti, quas possidet in Caelo, licet diverso modo essendi. — *Deinde,* contradictoria sibi contradicere intelliguntur pro eodem instanti, nedum temporis, sed etiam naturae, adeo ut in quocumque instanti alterum inest, impossibile sit alterum inesse. Sed haec affirmatio, habere dimensiones quantitativas, saltem natura praecedit respectum ipsius corporis, quo respectu esse in loco perhibetur; ergo similiter negatio contradicens illi affirmationi intelligitur praecedere illum respectum. Si igitur Christi Corpori inessent dimensiones quantitativae in Caelo, eisque careret in Eucharistia, quoniam utrumque respectum *ubi* praecedit, per hos respectus sequentes non tollitur quin pro eodem instanti contradictoria verificentur, quod est impossibile. Neque haec illatio est contra illa, quae late explicavimus in *incid. art.* 1. *quaest. praeced.* ut consideranti liquet.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo [*Oxon.* ib. n. 12. q. 1. n. 5 seqq. — *Report.* ib. n. 4. seqq.] non admittere nos conversionem alicuius in aliud, ut panis in Corpus Christi, esse rationem essendi Corpori sub speciebus panis, ut probatum fuit *q.* 75. *art.* 1. Et rursus contra id facit, quia Corpus Christi esse in Eucharistia, non est, nisi ipsum habere respectum praesentialitatis ad species quem prius non habebat; igitur si ei insit is respectus ex virtute conversionis, quodlibet etiam habens eumdem respectum adesset speciebus ex vi conversionis alterius in ipsum. Sed hoc est falsum, quia [*Oxon.* 4. d. 10. q. 4. n. 12. — *Report.* ib. n. 17.] anima Christi est praesens speciebus, et omnes negant aliquid converti in ipsam. — *Deinde,* idem respectus non potest esse diversorum fundamentorum: sed respectus praesentialitatis hic est unus respectus; igitur si fundatur in Corpore, quia aliquid est conversum in ipsum, non poterit fundari in anima, vel in quantitate, in quas nihil est conversum; igitur vel illa non essent hic praesentia, quod est falsum, vel non erunt virtute conversionis; et ita pariter illa propositio est falsa, quod scilicet conversio panis sit ratio essendi corpori sub speciebus, imo magis e converso, per hoc quod aliquid convertatur in aliud, potius fit ipsum conversum ubi prius non fuit, et ita videtur panis acquirere esse in Caelo, ubi Christus est. — *Dico ergo,* [*Oxon.* et *Report.* ib.] nec conversionem esse formalem rationem talis praesentiae, nec propriam mutationem intervenire ad ipsam, sed sola virtute divina fieri, ut Christi Corpus, quod est in Caelo modo quantitativo, reperiatur quoque praesens speciebus sub alio modo, nempe a positione absolutum, non per propriam mutationem, sed per solam acquisitionem novi respectus, qua antea carebat.

Ad secundum [*Oxon.* et *Report.* ib. q. 4.] respondeo, *art. praec.* explicatum esse, qualiter nulla est contradictio per Dei potentiam expoliari quantitatem, et esse sine proprio modo quantitativo, qui aliud non est nisi positio praedicamentalis. Sed nec quantitas habet oppositionem formalem ad aliam quantitatem, sed tantum virtualem, in quantum effectus unius quantitatis, qui est repletio loci, opponitur alteri causae naturali; alioquin enim constat Deum facere posse duo quanta in eodem loco, etiam circumscriptive, ut alibi declaratum fuit. Caeterum hic Corpus Christi quantum est sub speciebus indivisibiliter, quia non repugnat sibi esse sine suo modo quantitativo. — *Et cum arguitur,* quia positis extremis, necessario insurgit inter ipsa relatio *dico;* [*Oxon.* ib. n. 13.] hoc esse verum de relatione proprie dicta, quae intrinsecus, et ex natura extremorum necessario exurgit; et ita Christi Corpus factum praesens speciebus, necessario

est aut maius, aut minus illis, inaequale, vel aequale: at non procedere de relationibus extrinsecus advenientibus, cuiusmodi est praesentialitas illa Corporis Christi ad species, ut frequenter dictum est.

ARTICULUS V.

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT IN HOC SACRAMENTO SICUT IN LOCO.

Doct., Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 1. *et.* 6. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p.q.* 76. *a.* 5.

VIDETUR Christi Corpus esse in hoc Sacramento sicut in loco. Etenim [*Quodlib.* q. 10. n. 15.] ex dictis supra *art. praec.* tota quantitas dimensiva quae inest Corpori Christi in Caelo, eadem praeditum est in hoc Sacramento: sed quantitas non potest esse formalis ratio locandi, nisi circumscriptive, quia determinata est ad illum modum locationis; igitur cum esse in loco circumscriptive sit propriissime esse in loco, hoc pacto erit Christus in Eucharistia.

2. PRAETEREA. [*Quodlib.* ib.] Terminus conversionis in Eucharistia est eodem modo essendi, quo ibidem fuit illud, quod conversum est; alioquin non videretur terminus conversionis adeptus esse eamdem praesentiam, quam habuit conversum in ipsum: sed id quod convertitur in Christi Corpus erat ibi localiter, quia pars substantiae panis sub quantitate existebat in parte loci, et tota in toto loco; ergo pariter eodem modo erit ibi substantia Corporis Christi, et proinde proprie erit in loco.

3. PRAETERA. [*Oxon.* 2. d. 2. q. 6.] Ideo negatur Angelum esse proprie in loco, scilicet commensurative, quia cum sit substantia indivisibilis expers quantitatis, non facit latera continentis distare, et hinc loco non circumscribitur: sed substantia quanta Corporis Christi distare facit latera continentis; est enim ubi prius erat panis substantia; igitur est in Eucharistia localiter.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 1. et 8. seqq.] Matthaei, 26. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur,* dixit Veritas Christus ad Discipulos suos; Corpus igitur suum morti tradendum dedit eis Sacramentaliter. Illud autem erat corpus quantum; igitur nequiit esse in Sacramento ut in loco; quoties enim quantum est in loco commensuratur ei; et ideo quantitas maior non potest esse localiter in minori; maior autem erat quantitas Corporis Christi, quam specierum, sub quibus se manducandum praebuit Discipulis.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 10. seqq. — *Report.* ib. — d. 10. q. 6. n. 3. seqq.] Christi Corpus non esse in Eucharistia ut in loco; quod etsi manifestum sit ex dictis *in art. antec.*, nihilominus ulterius declaratur. Siquidem tunc aliquid dicitur esse in loco proprie, cum amittens prius *ubi,* aliud subinde per motum localem acquirit; quo sensu scribit Philosophus, 5. *Phis.,* text. c. 7. *quod motus est a subiecto in subiectum.* Per hoc autem quod Christus de novo sit praesens speciebus consecratis, non deperdit prius *ubi,* quod habet in Caelo, quia, ut ait Augustinus, *donec finiatur saeculum sursum est Dominus;* igitur si non deperdit prius *ubi,* nec novum adipiscitur, in quo localiter ponatur. — *Rursus,* Angelus non est proprie in loco, prout locus definitur a Philosopho, 4. *Phys.,* text. com.

41. *Quod sit ultimum corporis continentis immobile primum;* sed dicitur esse in loco pro quanto potest fieri praesens alteri, cui prius non erat praesens. Atqui praesentia Corporis Christi ad species simplicior est, [*Report.* ib.] quam praesentia Angeli ad easdem species; ergo si per illam praesentiam Angelus non est proprie in loco, multo minus Christi Corpus in Eucharistia erit ut in loco. *Probatur minor:* nam quantumvis Angelus sit indivisibilis, non habet tamen indivisibilitatem limitatam sicut punctus, adeo ut ipse sit in puncto, sicut in loco; sed Christus est taliter totus in tota hostia, ut totus etiam adsit omnibus particulis eius, quantumvis minimis, modo sint sensibiles; igitur simplicior est eius praesentia speciebus, quam esset Angeli, si eisdem fieret praesens. — *Denique,* [*Oxon.* 2. d. 2. q. 6. n.] Angelus factus praesens ad unum *ubi* sic determinatur ad illud, ut sibi naturaliter repugnet esse in alio. Christus autem non discedens a dextris Dei, simul est in innumeris hostiis; igitur illa Sacramentalis praesentia non est ubicatio, aut circumscriptio Corporis Christi, sed praesentia quaedam simplicissima, qua mirabiliter totus cum tota sua quantitate, caeterisque organis ad corporis animationem necessariis, est praesens speciebus, et totus pariter singulis partibus earum; et ideo proprie nihil habet commune cum locali mansione, etsi ad *ubi* prae omnibus aliis generibus reducatur.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Quodlib.* q. 10. n. 15.] revera Christum eamdem quantitatem habere in Caelo, et in Eucharistia. — *Et cum subditur:* sed quantitas non potest esse formalis ratio locandi nisi circumscriptive; *dico,* hoc verum esse, quando ratione eius aliquid est in loco; tunc siquidem tale locatum non posse locari nisi circumscriptive, et non definitive; sed [*Oxon.* 4. d. 10. q. 3. n. 5.] quoniam ipsa non est formalis ratio proxima essendi in loco, sicut similitudo est ratio formalis propinqua essendi simile, non repugnat sibi ab intrinseco fieri praesens alicui, et per ipsam quantum non circumscribi a loco, et hoc modo est Christi Corpus in Eucharistia.

Ad secundum, [*Quodlib.* ib.] nego *assumptum;* quia cum conversio totalis unius in aliud fieri non possit, nisi per potentiam divinam, terminus conversionis erit ubi fuit conversum, habebitque eum modum essendi, quem tribuit sibi agens convertens illud in ipsum. Et revera substantia Corporis Christi sub speciebus non est ut erat panis substantia sub quantitate, sed est tota ubique.

Ad tertium dico concludere de substantia quanta sibi derelicta; tunc enim habet suum modum quantitativum, estque in loco, ut procedit argumentum. At in proposito Christi quantitas in Eucharistia privatur suo modo quantitativo, qui aliud non est, quam respectus quidam adveniens, qui appellatur *positio* in Praedicamentis.

ARTICULUS VI.

UTRUM CORPUS CHRISTI SIT MOBILITER IN HOC SACRAMENTO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 6. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 76. *a.* 6.

Videtur Christus esse mobiliter in hoc Sacramento. *Primo,* [*Oxon.* 4. d. 10. q. 6. n. 1. — *Report.* ib.] quia unum et idem non potest esse

continuum, et non continuum; continuitas enim entis continui praecedit *ubi,* estque absoluta forma: sed Corpus Christi cum vulnerabatur in Cruce erat non continuum per vulnera sibi inflicta; igitur pariter tunc in pyxide, ubi potuit fuisse, erat non continuum, sed divisum per vulnera; igitur de continuo fiebat non continuum, et per consequens movebatur motu corporali.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Subiectum habens dispositiones requisitas ad susceptionem alicuius formae potest illam recipere: sed Corpus Christi in Eucharistia habet omnes dispositiones requisitas ad susceptionem caloris, frigoris, et alia id genus; ergo potest moveri ad illas formas. *Probatio minoris:* quaecumque sunt rationes suscipiendi illas qualitates in Corpore Christi naturaliter existente, illae eaedem insunt Corpori Christi in Eucharistia; ergo Christi Corpus sub speciebus potest recipere illa accidentia, et ita moveri motu alterationis.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Movens aliquid per se, movet per accidens quicquid est in illo: sed virtus creata per se movet hostiam, in qua est Christus Sacramentaliter; ergo movet et ipsum Christum saltem per accidens. *Assumptum* patet ex illo Philosophi, 2. *Topic.,* c. 3. *Motis nobis, moventur ea, quae in nobis sunt.*

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib.] Nisi quoties Sacerdos movet hostiam, aliquo modo, saltem per accidens et concomitanter moveret Christi Corpus ibi contentum, toties esset novum miraculum; quia illa translatio non posset fieri, manente veritate Eucharistiae, sine speciali actione divina: non videtur autem esse ponendum novum miraculum per novam hostiae translationem.

5. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 1.] Nutritio est ad substantiam; ergo non potest idem nutriri, et non nutriri: Christi Corpus nutriebatur in existentia naturali; ergo et nutritum fuisset in existentia Sacramentali, si ibi tunc extitisset: sed nutritio est mutatio corporalis; igitur in hoc Sacramento Christus mobiliter existit.

CONTRA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Secundum Philosophum, 5. *Phys.,* text. c. 8. *Omne, quod movetur est in loco:* Corpus Christi in Sacramento non est in loco, ex *art. antec.*; ergo non est in loco nobiliter.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 2.] praemittendum est hic, motum, ut est indifferens ad mutationem divisibilem et indivisibilem, posse accipi dupliciter: scilicet stricte, quatenus nimirum est ad substantiam, quantitatem, et ubi, ex 5. *Phys.,* text. c. 6. et 9. et large, vel extensive, prout dicit transitum cuiuscumque subiecti ad quamcumque formam, sive absolutam sive respectivam, seu ad proprium *ubi* spectantem, seu ad quamdam similitudinem ubicationis, ut est praesentialitas Corporis Christi in Sacramento. — *Rursus* praemittendum, Corpus Christi posse intelligi moveri motu stricte, vel large sumpto; idque primo, vel concomitanter. *Primo* dicitur inesse aliquid Christo in Eucharistia, quod sibi inesset etiamsi non existeret modo naturali. Illud autem *concomitanter* intelligitur ei convenire, quod primo ipsum consequitur, ut habet *esse* modo naturali, et concomitanter ei inest ut in Eucharistia ratione suae identitatis, realiter tamen utrobique, ut realiter unum subiectum est. — *Denique,* praemittendum, Corpus Christi quoad aliquem ex praedictis motibus posse comparari vel ad virtutem creatam, vel ad virtutem divinam. Quibus suppositis, sit

PRIMUM DICTUM: [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 2.] Corpus Christi in Eucharistia non potest moveri motu stricte sumpto, ad substantiam nempe, quantitatem, qualitatem, aut *ubi,* ab aliqua virtute creata; bene tamen a Deo. *Prior pars probatur:* etenim omnis virtus creata agens circa corpus requirit determinatam distantiam passi existentis in loco ad ipsum: sed Christi Corpus non est in loco secundum determinatam distantiam, et approximationem ad agens creatum, quia licet dimensiones panis sint in loco, ipsum tamen Corpus in Eucharistia non est in loco, ac per consequens nulli agenti creato approximatum in loco, ut in illud agere possit. Et porro sub virtute creata comprehendimus etiam Angelorum potestatem; nam si Angelus agat circa corpus, realiter transmutando illud, realiter sibi approximatur localiter, quia virtus eius non potest esse ad aliquem motum in corpore, nisi praesupposito *ubi* illius corporis, in quod sibi agendum est, et per consequens cum Christi Corpus non habeat in Eucharistia *ubi,* ut dictum est, non subest activitati Angelorum quoad aliquam transmutationem ex praedictis. — Vel si hoc non videatur esse ex natura rei, qua dispositum est, ut corporalia subsint activitati agentium immaterialium, erit ex speciali Christi privilegio, quo datum est illi, ut Corpus eius quoad lationem animae suae tantum subiaceat. — *Secunda pars probatur* per hoc, [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 3.] quia nulla apparet hic repugnantia inter extrema: Deus autem potest imprimere passo omnem formam, quae sibi non repugnat. Corpori autem Christi, cum sit vere compositum et quantum, non repugnat forma aliqua accidentalis, quae aliis imprimi potest corporibus; igitur poterit ut in Eucharistia primo immutari ab aliqua forma accidentali impressa a Deo agente, qui non respicit determinatam approximationem passi in loco, ut agentia creata.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 5.] loquendo de motu extensivo, Christi Corpus potest primo moveri, et de facto movetur in Eucharistia. Quod apparet per hoc, quia post consecrationem, Christus est sub speciebus; et licet non sit proprie in *ubi,* quia non circumscribitur, ita tamen est infra ambitum specierum, ut non sit extra illas: sed species moventur et mutantur secundum proprium *ubi* ipsarum; ergo et Christi Corpus movetur et mutatur secundum aliam et aliam praesentialitatem ad continens ipsarum specierum; et per consequens habet aliam praesentialitatem ad hoc continens, et aliam ad aliud. Idque inest sibi primo ut in Eucharistia; quia ut in caelo neque habet praesentialitatem ad species, neque ad continens ipsas species, sed ille ut est motus improprie et extensive acceptus, ita et mutatio.

Quia etiam [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Corpus illud ex natura rei nullam praesefert necessariam connexionem cum speciebus, sed tantum ex divina ordinatione, de qua certam reddidit Ecclesiam, posset Deus de potentia absoluta, manentibus ipsis speciebus, facere Corpus Christi non praesens iisdem, sed praesens aëri circumstanti hostiam, et etiam successive nunc uni parti aëris, nunc alteri; et ita transferre posset Corpus illud de loco hostiae ad quamcumque partem universi, habens interim semper eumdem modum existendi, quo existit sub speciebus.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 5.] Corpus Christi nec per se, nec per accidens movetur a movente species, in quibus Sacramentaliter continetur; sed a solo Deo. *Probatio:* agens non potens

movere aliquid per se, quando per se est, non habet virtutem movendi idem per accidens, si cum alio reperiatur, cuius non est actus, et cum quo nullam habet physicam connexionem, ut anima est corporis actus, et pars toti unitur: sed nulla virtus creata potest Christi Corpus sub speciebus per se movere; ergo per eamdem virtutem nec poterit moveri per accidens, ad motionem nempe specierum Christi Corpus, ne per accidens quidem movetur a movente species Sacramentales cum quibus nullam habet physicam connexionem ex natura rei, sed tantum ibi est ut in signo per actum voluntatis divinae. *Assumptum declaratur:* [*Oxon.* ib. n. 5.] quia enim non possum Angelum movere localiter, ut potestas mihi est ciendi lapidem, si contingat Angelum lapidi insidere, non sequitur quod ad lapidis motionem, moveatur a me Angelus, ne per accidens quidem; nam translato lapide de loco ad locum, Angelus ubi prius erat remaneret, ni ipse suae arbitrio voluntatis sequeretur, insisteretque lapidi quocumque deferretur; nam quoniam lapidi non unitur nisi per actum suae voluntatis, ab eadem causa fit, ut sequatur illum lapidem loco motum, et non a movente lapidem. Nec absimili modo Christi Corpus sub speciebus continetur, adeoque quantumvis Sacerdos, aut quaevis alia causa activa creata species ipsas de loco ad locum transferat, attamen nec per se, nec per accidens est causa movens Christi Corpus, sed solus Deus, cuius solius voluntate fit ut Christi Corpus vere et realiter signo illi sensibili sit praesens. — *Si dicas:* [*Oxon.* ib. n. 4.] grave existens in navi ad motum navis per accidens movetur, et tamen nec grave est actus eius, nec physicam connexionem habet cum navi; *hanc instantiam* excludit ipsa probatio assertionis; nam licet grave non sit actus navis, nec aliquam praeseferat connexionem physicam cum ipsa, movens nihilominus navem, posset per se movere illud grave, et ideo ab eodem agente movente navem per accidens movetur. Corpus autem Christi nulla virtus creata potest per se movere, et ideo ad motionem specierum nec per accidens quidem est causa motus illius.

QUARTUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 6.] Christi Corpus in Eucharistia potest concomitanter moveri, et de facto subit omnem mutationem ad formam absolutam ad quam movetur primo ut in caelo, et ab eodem agente a quo ibi movetur. Dixi *ad formam absolutam*, quia [*Oxon.* ib. d. 10. q. 4. et 5.] si primo in caelo moveatur aut loquatur, non oportet ipsum moveri, aut loqui concomitanter in Eucharistia; moveri enim localiter convenit Christo dependenter ab *ubi*, quod habet in caelo, et etiam loqui, de quo dicetur alias, et ideo cum diverso oppositoque modo sit in Eucharistia, hic concomitanter nec movetur, nec loquitur. — Sed quod concomitanter moveatur ad eas formas absolutas in Eucharistia, ad quas primo movetur in caelo, probatur primo de alteratione, quia [*Oxon.* ib. q. 6. n. 7. — *Report.* ib.] si corpus est calidum in existentia naturali, concomitanter est calidum in Sacramento, quod nemo negat. *Deinde,* de augmento et diminutione, quia si pars quantitativa adveniret, vel recederet a Corpore Christi in existentia naturali, pariter adveniret vel recederet in Eucharistia, quia iisdem partibus praeditum est Corpus Christi sub uno modo essendi, quas habet sub alio, nec forma absoluta potest inesse et non inesse eidem subiecto sine contradictione, quam non excludit diversitas ubicationum, cum haec diversitas sit absolutis formis posterior et eadem ratione de nutritione, et cor-

ruptione illi opposita; et nutritio quidem est motus ad substantiam, quia sicut quantitas nutritionis transit in quantitatem nutriti, et augmentat ipsum, ita substantia in substantiam, 3. *De Part. Anim.*, c. 5. Ergo Corpus Christi cum nutriebatur sub modo naturali existens, nutriebatur concomitanter ut in Eucharistia; quia impossibile est Corpus Christi habere aliquas partes substantiales sub uno modo, et non habere sub alio modo existens, cum totus substantialiter et realiter sit utrobique, et ita si illi Corpori in existentia naturali aliqua pars deperiisset, amisisset eamdem partem sub modo Sacramentali. Utrum autem in Sacramento corruptum fuisset Corpus illud per separationem formae a materia, si ita in existentia naturali corruptum esset, dicetur infra *q.* 81. *art.* 4. *in Incidenti.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondent *aliqui dicentes,* [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib. n. 9.] eo in casu fore ut Christi Corpus vulneratum esset in Cruce et non in pyxide. *Dico tamen aliter sic:* vulnus vel potest accipi pro ipsa formali divisione partium continui, cui vulnera infliguntur, vel pro divisione quatenus inflicta a corpore ut subintrante et dividente partes corporis. Si *primo* modo intelligatur, Christi Corpus perinde divisum fuisset in pyxide, sicuti in cruce, quia, ut argumentum urget, continuitas, et non continuitas, quandoquidem *ubi* praecedant, non possunt salvari in eodem ex diversitate ubicationis. Si autem *secundo* modo accipiatur, concedo, divisionem illam non infuisse Corpori primo ut in pyxide, quia ut ibi non erat sibi approximatum agens imponens vulnera, sed tamen concomitanter et partes illae etiam in pyxide divisionem subiissent per comparationem ad unionem earum in toto, sed non per comparationem ad continens, quia non fuissent loco divisae, quemadmodum Corpus Christi in pyxide non manet localiter, et nihilominus utrobique non continuabantur toti, in cruce in ordine ad ipsum totum et continens, in quo Corpus erat localiter, in pyxide solummodo per comparationem ad totum, cuius erant partes.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. n. 12. — *Report.* ib.] concedo Christi Corpus ut in Eucharistia habere dispositiones quibus posset recipere motum localem primo, et alias formas, de quibus arguitur; sed praecise ab agente proportionato, non a quocumque; tale autem agens nequit esse ulla virtus creata, sed solus Deus, *ut probatum est.*

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* ib. n. 4.] *assumptum* esse falsum, nisi illud quod est sub alio sibi uniatur, ut actus unitur potentiae, vel pars toti, vel aliqua necessitate naturali sit illi coniunctum, ut grave est in navi qua defertur. Si enim tantum per actum voluntatis unum alteri contingenter uniatur, et alioquin non subsit virtuti moventis, ut mobile per se ab illo, sane non movebitur per motum eius in quo est, nisi eadem voluntas, quae est causa coniunctionis, sit etiam causa motionis eius, ut exemplificatum fuit de Angelo lapidi insidente, et quandoquidem fatendum sit ex sola Dei voluntate Christi Corpus esse in speciebus, ab ea solummodo poterit, ut dictum est, per se et per accidens moveri.

AD QUARTUM [*Oxon.* ib. n. 6.] respondeo, non accidere in hostiae consecratae translatione novum aliquod miraculum, quia Deus ea voluntate, qua instituit Eucharistiam in Ecclesia, determinavit facere Corpus Christi semper praesens speciebus post consecrationem; et ideo illis speciebus manentibus, qualitercumque transferantur et moveantur, quod Deus faciat illud Corpus speciebus esse praesens, non est novum miraculum, sed antiqua determinatio voluntatis divinae.

AD QUINTUM [*Oxon.* ib. n. 13.] concedo, Christi Corpus cum in existentia naturali nutriebatur, si in Sacramento extitisset, futurum fuisse, ut ibi quoque nutriretur, quatenus nimirum nutritio dicit aggenerationem partis substantiae ipsi nutrito; sed ex eo non sequi, Corpus esse primo mutatum ut in Sacramento, quia non fuisset Corpus nutritum per alimentum approximatum *hic*, sed solum concomitanter propter conversionem nutrimenti alibi approximati, et propter identitatem substantiae utrobique, quae subinde debet necessario habere easdem partes substantiales.

AD ARGUMENTUM in *oppositum*, quatenus contra hanc assertionem facere videtur, cum dicitur: Christus non est in loco; ergo non movetur; *respondeo*, [*Oxon.* ib.] hoc verum esse de motu stricte sumpto, et primo, et ab agente naturali; sed tamen non propterea repugnare sibi concomitanter in Eucharistia moveri ad illas formas, quae non dependent a loco licet ut nutriebatur in existentia naturali fuerit proprie in loco, et ibi movebatur, et mutabatur, primo ad terminum nutritionis, augmentationis, et alterationis.

ARTICULUS VII.

UTRUM CORPUS CHRISTI PROUT EST IN HOC SACRAMENTO POSSIT VIDERI AB ALIQUO OCULO, SALTEM GLORIFICATO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 9. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 76. *a.* 7.

VIDETUR oculus glorificatus posse videri Corpus Christi in Eucharistia. Etenim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 9. n. 1. — *Report.* ib. n. 1.] beatus intuendo species consacratas non deciperetur; deceptio enim repugnat statui Beatorum: sed si Beatus contuens species Eucharisticas, simul non attingeret Corpus Christi sub illis, posset decipi, putando ibi esse substantiam panis, cuius accidentia cernit; vel si ex hoc sensus non videatur deceptus, saltem Beatus posset dubitare an ibi esset substantia panis, vel non: dubitatio autem repugnat statui beatitudinis sicuti imperfectio perfectioni.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Lux si punctualis esset, visibilis esset; ergo et Corpus Christi ut in Sacramento erit visibile. *Consequentia patet*, quia non est in Eucharistia sub ratione minus visibilis, quam forma punctualis. *Probatur ergo antecedens:* tum, quia illa lux se diffunderet sphaerice; ergo videretur sphaerice: tum, quia reflexio fit a solo puncto corporis reflectentis, et tamen illud videtur a quo fit reflexio.

CONTRA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Quicquid videtur, sub pyramide videtur, cuius basis est in re visa, et conus in oculo; ergo Corpus Christi in Eucharisticis speciebus videretur sub tali pyramide: sed non est ibi dare basim pyramidis, quia illa esset simul cum basi pyramidis, sub qua videtur hostia; nam ubique est Corpus cum hostia, et ita Corpus Christi, et hostia simul viderentur sub aequali angulo correspondenti: quae autem videntur sub eodem angulo, videntur aequalia; ergo videretur Christi Corpus aequale speciebus, quod est falsum. Sequeretur etiam, Christi Corpus videri ut rotundum, quia basis sub qua videtur species est rotunda; igitur Christi Corpus ut in Sacramento a nullo oculo potest videri.

QUANTUM IGITUR attinet ad *oculum corporeum*, fieri non posse ut pertingat ad videndum Christi Corpus in Eucharistia, etiamsi oculus sit

gloria perfusus, *probant aliqui primo* sic: [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 3.] actio naturalis in corporibus esse non potest sine physico contactu; is auten contactus haberi non potest inter Christi Corpus prout in Sacramento reperitur, et potentiam quamlibet visivam; nam Christus ibi existens non respicit species ratione quantitatis, cum indivisibiliter in Sacramento existat: quantitas autem praecise est ratio contactus. — *Secundo probant:* color respicit quantitatem ut per se subiectum eius sed Christi Corpus non habet ordinem ad locum ratione quantitatis; ergo nec ratione coloris; nequit igitur Corpus Christi medium immutare, aliqua immutatione virtute coloris; ergo nec videri, ut ibi existens.

Additur alia ratio: [*Oxon.* et *Report.* ib.] species non potest derivari ab obiecto existente in Eucharistia per medium, quia obiectum non est in loco: ad visionem autem necessarium est ut species ita derivetur. Imo nec per miraculum fieri potest, ut oculus Christum in Sacramento intueatur, sicuti nec elevari potest oculus ad intuitionem substantiarum separatarum: Christi autem Corpus ut *hic* possidet modum existendi substantiae separatae.

Verum hae rationes non videntur propositum ostendere, [*Oxon.* ib. n. 3.] nam *contra primum* facit, quod Angelus, quamvis non existat modo quantitativo, valet nihilominus ciere corpus sibi in debita distantia praesens, ipsumque pariter alterare, si virtute alterandi polleret; igitur ex parte moventis non est necessaria existentia sub modo quantitativo, ad hoc ut moveat, sive immutet organum ad sensationem. — *Deinde,* Christi Corpus non adest hostiae prout indivisibili; est tamen praesens minimo sensibili, siquidem in Sacramento ut in signo sensibili continetur. Atqui minimum sensibile potest a sensu perfectissimo percipi, secundum Philosophum, *De sensu et sensibili, in fine.* Ergo minimum hoc sensibile cui verissime adest totum Christi Corpus attingi poterit ab oculo acutissima cernendi virtute praedito, non obstante suo modo existendi ibi indivisibiliter. Quapropter argumentum non concludit; nam contactus, ut dicit habitudinem corporis ad corpus extrinsecum, non exigitur necessario ad aliquam actionem absolutam, cuiusmodi est immutatio sensus; haec enim actio videtur posse praecedere quemcumque talem respectum extrinsecus advenientem, adeoque etsi corpus ut *hic* non contingat ad corpus aliud, non sequitur quin possit alterare, idest immutare ad formam absolutam sensationis. — *Secunda ratio* [*Oxon.* ib. n. 4.] aliud non concludit, quam colorem non habere ordinem ad locum eo modo quo quantitas, cui colores inhaerent, habitudinem dicit ad locum. Id vero inde procedit, quia non est extensio proportionalis extensioni quantitatis illius corporis. *Si ergo inferas;* ergo color non coëxtenditur extensioni quanti continentis, *concedimus* illationem. *Si deducas;* ergo non potest alterare medium, *hoc profecto superest probandum.*

Contra argumentum alterius Doctoris, [*Oxon.* ib.] facit, quia nulla est similitudo inter substantiam separatam et Christi Corpus. Hoc quippe Corpus est quantum, figuratum, et coloratum, quae substantiis separatis non congruunt, imo repugnant. *Cum ergo arguitur,* oportere speciem derivari ab obiecto per medium; *patet responsio* ex dictis contra primam rationem; nam Angelus potest esse causa alicuius effectus, ordine derivati in passum, pro ratione partium ipsius; quamvis ipse Angelus, qua agens non sit alicubi dimensive. — *Cum subditur,* ne divinitus quidem fieri posse, ut oculus ad hanc visionem elevetur; *hoc sane non probatur.*

Siquidem quamvis existentia huius corporis quoad aliquid sit similis existentiae substantiae separatae, non tamen quoad sensibile, et visibile; quia Angelus caret illis principiis, quae obiecto sunt necessaria ut sentiantur: haec autem substantia modo inextenso existens praedita est quantitate ac qualitatibus sensibilibus, licet modus aliquis eis auferatur; est ergo probandum impossibile esse Christi Corpus sentiri, ex eo quod careat extensione, quatenus speciebus Eucharisticis est praesens.

Ad *quaesiti* solutionem esto PRIMUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 5.] Deus de potentia absoluta posset causare in oculo glorioso, vel non glorioso visionem Corporis Christi, esto nullibi esset nisi in Eucharistia. *Probatio:* visio est forma absoluta; ergo citra omnem contradictionem fieri potest sine respectu praesentialitatis ad obiectum, vel quocumque tali respectu.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 14.] nulla visio, etiam a Deo causata iuxta praecedentem assertionem, esse potest Corporis Christi primo ut in Eucharistia existentis. *Probatio;* nam intelligendo visionem, ut primo versatur circa tale obiectum, necessario involveret Corpus ut hic vel esse causam primo visionis, vel certe esse proprium et primum terminum eius. Sed Christi Corpus sub speciebus Eucharisticis neque potest primo causare, neque terminare primo eam visionem. Siquidem tam causatio, quam terminatio talis requirit in obiecto primo causante vel terminante dispositionem debitam; idque secundum locum, idest, approximationem opportunamque distantiam: Corpus autem Christi, ut in Eucharistia, nequit debite organo approximari, vel ut oportet distare; etenim quatenus in Sacramento, non est in loco. Nec ad miraculum ullum est in hac re recurrendum, quia Corpus Christi, ut in Sacramento, absolute non est visibile, nec ut causativum visionis, nec ut terminativum: miraculum autem non est ad id, quod contradictionem includit.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 15.] respondeo, visivam potentiam Beatorum non decipi circa Eucharistiam, sed neque nostram, quia omnia illa, quae per visum percipimus, scilicet quantitatem, figuram, colorem, et huiusmodi, revera sunt ibi. Intellectus autem noster bene potest decipi circa Eucharistiam, si ex accidentibus, quae ibi sunt, inferret eadem subiecto inhaerere, quod utique argumentum non necessario concludit, sed sophisticum est, et ideo per talem formam arguendi non deciperentur Beati, quia si non per sensum, aliunde tamen scirent rei veritatem. — *Et cum dicitur:* saltem Beatus posset dubitare de existentia substantiae panis; *dico,* si Beatus naturali suae cognitioni dimitteretur, non sciret per actum sensus in Eucharistia esse Corpus Christi; sed cognosceret hanc veritatem per intellectum intuitive cernens illud Corpus, ut dicetur *art. seqq.*

AD SECUNDUM, [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib.] nego, lumen punctuale multiplicare se ad organum corporale, taliter ut esset visibile, secundum communem opinionem, negantem indivisibile moveri. — *Et cum probatur,* quia sphaerice se multiplicaret; *falsum est* secundum illam viam; imo opus esset, ut prius ipsum haberet in se divisibilitatem quantitativam, quam ageret in quantum passum. — *Et cum rursus probatur* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 16.] de reflexione luminis a puncto, *non cogit;* quia in illa reflexione primum agens non est illa lux punctualis, quae tangit corpus, a quo fit reflexio (si tamen lux punctualis

esset ibi), sed est ipsum primum obiectum, a quo multiplicatur illa lux. Idem enim agit in visione recta, reflexa, et fracta. Unde punctus tangens superficiem speculi non multiplicat radium reflexum, sed primum luminosum, quod usque ad speculum multiplicat lumen suum, illud etiam immediate in ratione causae multiplicat radium reflexum. Et ratio est, quia agens naturale, ex quo agit secundum ultimum suae potentiae, quando impeditur agere secundum illam lineam, quae est maxime conveniens actioni naturali, scilicet rectam, quae est brevissima, agit secundum eam, secundum quam potest, nempe secundum lineam reflexam et haec est ratio quare non videtur in speculo imago ipsa corporis multiplicata usque ad speculum, sed ipsum corpus, cuius est imago.

ITERUM ARTICULUS VII.

UTRUM CORPUS CHRISTI PROUT EST IN SACRAMENTO POSSIT VIDERI AB ALIQUO OCULO SALTEM GLORIFICATO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 8. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 76. *a.* 7. (*Expenditur quaesitum quoad oculum intellectualem*).

VIDETUR ne oculo quidem intellectuali fieri posse, ut propriis viribus attingat, atque intueatur Christum sub speciebus existentem. Etenim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 8 n. 1. — *Report.* ib.] eius existentia in Sacramento est omnino supernaturalis, ipsumque sic existere est verum supernaturale; ergo haec veritas est praecise cognoscibilis supernaturaliter; non ergo attingibilis est ab aliquo intellectu creato suae naturae viribus. *Haec consequentia probatur:* factibile supernaturale effici non potest nisi a causa supernaturali; ergo pariter cognoscibile supernaturale cognosci nequit ab aliquo intellectu creato naturaliter.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Cognitio fidei est absolute eminentior omni cognitione naturali: sed existentia Corporis Christi in Eucharistia per fidem attingitur; est ergo simpliciter eminentior omni cognitioni naturali. *Probatio maioris;* nam nisi ita esset, haud foret simpliciter necessarius habitus fidei infusae. Siquidem ad cognoscenda illa, in quae is habitus inclinat, posset natura pertingere; est ergo cognitio per fidem infusam simpliciter eminentior omni cognitione naturali.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] Si intellectus suis viribus valeret attingere existentiam Corporis Christi in Eucharistia, mali Angeli possent illam cognoscere, quia iuxta Dionysium, 4. *De div. nominib.* sunt in eis naturalia integra. *Consequens est falsum,* quia negandum est gratiae inimicos cognoscere posse Sacramentum gratiae; quod et scribit Ambrosius super 1. *Luae,* dicens, malignum spiritum latuisse mysterium Incarnationis: aeque autem potuisset illud percipere, ac Christum in Eucharistia, si hoc esset cognoscibile ab intellectu naturaliter. Hinc Damascenus, lib. 4. cap. 5. *De hoc Sacramento,* loquens, *vere,* inquit, *Spiritus operatio haec quae supra naturam sunt operatur, quae non potest capere nisi sola fides.* Et paulo post; *interrogo qualiter panis fit Corpus Christi? Dico tibi: Spiritus Sanctus sic supervenit, et facit haec, quae sunt supra naturam, et intellectum.*

4. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Nullus intellectus creatus co-

gnoscere potest futurum contingens: Corpus Christi esse sub speciebus Eucharisticis perinde est indeterminatum, ac futurum contingens; dependet enim omnino a divina voluntate contingenter se habente; est ergo supra omnem intellectus creati virtutem.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 1.] Anima Christi novit naturaliter seipsam ubicumque fuerit, novit ergo se esse in Eucharistia; naturaliter ergo nosse potest existentiam, quae ratione sui et corporis ibi est. — *Rursus,* existentia non est excellentius cognoscibile, quam existens cuius est existentia: sed Christus est naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato; ergo et quaecumque existentia ipsius. *Probatio maioris:* nequit aliquis modus improportionabiliter excedere illud cuius est modus. — *Denique,* Beatus naturaliter videt in alio Beato actum beatificum: et tamen illa beatitudo non minus est supernaturalis, quam existentia Corporis Christi in Eucharistia. *Maior patet:* nam etsi non videat Beatus beatitudinem alterius in Verbo, nec in se, nec ex speciali revelatione, potest nihilominus videre alium esse Beatum, sicut potest videre animam alterius Beati, vel Angelum; non enim magis excellit intellectum eius naturalem beatitudo Angeli, quam ipsa anima.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. q. 9. n. 3.] procedentibus ad solutionem *quaesiti,* ut intelligitur de *oculo intellectuali,* sic dictus per similitudinem ab oculo corporeo acceptam, occurrit *sententia talis:* quoniam modus quo Christus est sub speciebus Sacramentalibus est penitus supernaturalis, soli intellectui divino secundum se visibilis est: ab intellectu autem beato, vel Angeli, vel hominis, videtur secundum participatam claritatem divini intellectus visione divinae essentiae. At ab intellectu hominis viatoris conspici non potest nisi per fidem, quemadmodum et caetera supernaturalia. Imo nec Angelicus intellectus secundum sua naturalia sufficit ad hoc intuendum. Quare daemones videre non possunt Christum in hoc Sacramento existentem, nisi per fidem, cui non voluntarie assentiuntur, iuxta illud Iacobi 2. *Daemones credunt, et contremiscunt.*

Pro solutione esto PRIMUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 4.] intellectus noster pro statu viae non potest naturaliter videre Corpus Christi ut in Sacramento existens. *Videre,* inquam, nam nobis est sermo de intellectione intuitiva, ut distinguitur contra abstractivam. Hoc enim genere intellectionis non posse nos naturae viribus intelligere Christum in Eucharistia existentem, manifestum est; impossibile est enim aliquam complexionem concipere, cuius extrema non concipiuntur: impossibile est autem nos apprehendere hanc complexionem, *Corpus Christi est in Eucharistia:* ergo intellectus noster et istam complexionem eiusque extrema non valet cognoscere. *Probatur itaque assertio:* intellectus, qui non intelligit nisi ex sensibilibus, eodem modo intelligit perinde sensibilibus se habentibus sibique praesentibus: noster autem intellectus pro praesenti statu movetur ad intelligendum ex sensibilibus, quae non diversimode se habent praesente eis Christi Corpore, quam antea: priusquam autem adsit speciebus Corpus Christi ab ipso intuitive non videtur, quia ibi revera non est; ergo nec postea aspicit intuitive.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 4.] omnis intellectus non dependens a sensibilibus in intelligendo, sive Angelicus,

sive animae separatae, sive hominis beati, naturaliter potest videre Christi Corpus in Eucharistia existens. *Probatio:* intellectus se habens ad intelligibilia, sicut ipsa sunt intelligibilia, prius intelligit illud quod prius intelligibile est in se; et per consequens illud quod prius est in se ens. Unumquodque enim sicut se habet ad *esse,* ita ad veritatem, idest, intelligibilitatem secundum se, 2. *Met.,* text. 4. Atqui intellectus non dependens a sensibilibus respicit totum ens, et quodcumque secundum ordinem suae intelligibilitatis. Cum igitur substantia sit prior entitate et cognoscibilitate quocumque modo accidentali ipsius, profecto is intellectus prius intelligit ipsam substantiam, quam quemcumque modum eius; et per consequens nullus modus, sub quo substantia reperitur, impedire potest quominus ab intellectu separato, vel a sensibus non dependente, ipsa intelligatur. Et brevius potest formari argumentum sic: modus accidentalis per se obiecti non impedit cognitionem eius: haec praesentia in Eucharistia est modus accidentalis Corporis Christi; ergo non impedit illam substantiam cognosci ab intellectu, cuius ipsa est per se obiectum: est autem per se obiectum intellectus abstracti, vel non dependentis a sensibilibus in intelligendo. — *Respondetur,* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 6.] argumentum aliud non concludere, nisi Corporis Christi substantiam posse quidem ab tali intellectu cognosci, sed non ostendi proinde fore ut intuitive videatur, cum illa existentia sit supernaturalis, et proinde excedens intuitivam attingentiam cuiuslibet intellectus creati, ut naturaliter cognoscentis. — *Contra hanc evasionem arguo primo sic:* [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib. n. 7.] virtus potens cognoscere obiectum dum est praesens intuitive, et eius absentiam pariter percipere potest, si absens fiat; patet ex 2. *De Anima,* text. 10. nam per visum cognoscimus non solum lucem, sed etiam tenebras. Intellectus abstractus cognoscere potest panis praesentiam, quando est praesens; ergo etiam absentiam ipsius, quum fuerit absens; qua ergo ratione intuetur panis absentiam, eadem videt praesentiam Corporis Christi, in quod panis conversus est. Nam corpus illud in se est tali intellectui obiectum proportionatum, etiam ut intuenti; ergo modus accidentalis ipsius corporis non impedit quin sit obiectum intuibile eidem intellectui. — *Deinde,* totum ens creatum est intellectui separato proportionatum obiectum quoad cognitionem abstractivam et intuitivam; non enim differt intuitiva ab abstractiva, nisi propter aliam atque aliam obiecti praesentiam; quicquid ergo esse potest obiectum proportionatum intellectui in hac praesentia, et in illa. Si ergo quodcumque ens potest abstractive cognosci a tali intellectu quando est sibi praesens uno modo, pariter poterit intuitive videri ab eodem quando est sibi praesens in propria existentia actuali. — *Arguo etiam* [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 8.] contra rationem huius responsionis de supernaturali; etenim naturale et supernaturale non distinguunt naturam alicuius in se, sed tantum in comparatione ad agens; ideo enim dicitur aliquid supernaturale, quia a supernaturali agente; naturale vero, quia a naturali agente: sed habitudo ad aliquid atque aliud agens non necessario includit aliquid esse aliud atque aliud in se, secundum Augustinum, 3. *De Trinit.,* cap. 9.; ergo non necessario concludit illud esse aliud ratione intelligibilis. — *Aliunde* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 3.] etiam idipsum apparet; nam imperfectum ens esse posset supernaturale, eoque

perfectius aliquod naturale, quemadmodum substantia quaecumque est simpliciter omni accidente perfectior, 7. *Met.*, text. 2. et 4. et tamen alicui substantiae quae est ens naturale inesse potest aliquod accidens supernaturale. Hoc etiam patet, quia virtutum Theologicarum habitus sunt in determinata specie qualitatis: et secundum multos Angeli praediti sunt principiis cognoscendi omnes species entium; ergo habent naturaliter principia cognoscendi istas virtutes, licet sint entia supernaturalia.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib. n. 9.] beati non vident existentiam Christi in Eucharistia actu beatifico. — *Probatio:* beatus distinguitur a non beato per visionem obiecti beatifici, et eorum quae includuntur in ipso, ut est tale obiectum: sed Corpus Christi adesse speciebus Eucharisticis non est obiectum primarium beatitudinis, nec quid inclusum in obiecto beatifico; alioquin aeque essentialiter pertineret ad tale obiectum includere veritatem caeterorum Sacramentorum: sed nullo modo spectat ad obiectum beatificum ostendere videnti illud gratiam conferri parvulo in Baptismo, vel rite confitenti peccata Sacerdoti, et ista aeque veraciter includuntur in Sacramentis istis, sicut Christi Corpus in Eucharistia; ergo nullo modo obiectum beatificum, qua tale, involvit Corpus Christi ut visum contineri in Eucharistia.

Addendum denique [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] multo minus requiri ad beatitudinem ut Beatus videat existentiam Corporis Christi in genere proprio; quia multo minus perfectio beatitudinis postulat hanc visionem in genere proprio, quam visionem eiusdem in Verbo; cum ergo visio in Verbo non involvat necessario ut aspiciatur haec veritas, nec ut est in genere proprio.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib.] respondeo: si *supernaturalitas* in *consequente* intelligatur afficere entitatem obiecti sicuti sumitur in *antecedente*, concedo *consequentiam* et *consequens*; est enim sensus, ens supernaturale est cognoscibile. Quod si *supernaturalitas* dicatur determinare cognoscibilitatem cognoscibilis, neganda est *consequentia*. Tunc enim haec illatio: existentia Corporis Christi in Sacramento est omnino supernaturalis; ergo est cognoscibilis prorsus supernaturaliter, similis est huic: istud ens praecise a Deo creari potest; ergo est cognoscibile tantum ab intellectu divino; quantumcumque enim aliquid supernaturaliter ponatur in *esse*, postquam tamen repraesentatum fuerit, est quoddam ens naturale, et proportionatum potentiae naturaliter cognoscenti.

Ex quo [*Oxon.* ib.] patet ad *probationem consequentiae:* factibile supernaturale non est naturaliter factibile; ergo cognoscibile supernaturale non est naturaliter cognoscibile. Si enim τὸ *supernaturale* utrobique per se determinat illud, cui additur, potest admitti *consequens*, sicut etiam *antecedens;* sed *minor* haec, existentia Corporis Christi sub speciebus est cognoscibilis supernaturaliter, falsa est. Si autem *supernaturale* non per se determinat illud, quod afficit, sed magis quoddam aliud implicitum, utpote ens, *consequentia* non valet; quia in *antecedente* per se determinat ipsum in ratione factibilis, et ideo repugnat ei hoc, quod est *fieri naturaliter;* in *consequente* vero non determinat cognoscibile sub *fieri*, et ideo non repugnat ei cognosci naturaliter.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 12.] fidei cognitionem *aliquo*

modo esse nobiliorem atque excellentiorem omni cognitione naturali; et *aliquo modo* minus nobilem, minusque excellentem. Et quidem cognitio fidei per comparationem ad causam suam, quae est solus Deus, omni alia cognitione est excellentior. Si autem in se consideretur, et quatenus est aliqua perfectio intellectus, et etiam in comparatione ad obiectum suum formale, non est omni naturali cognitione nobilior; Angeli enim habere possunt notitiam perfectiorem, quia magis evidentem et claram de eodem obiecto; nos enim credimus Christum passum, et mortuum; illi tamen intuitive poterant videre Christum patientem; simpliciter ergo nobiliorem notitiam habuerunt de tali obiecto fidei cognitione. Ita dico de existentia Corporis Christi in Eucharistia.— *Sed arguebatur;* [*Oxon.* ib. n. 14.] quia tunc habitus fidei non foret simpliciter necessarius. — *Respondeo:* fides est nobis necessaria, quia intellectus pro praesenti statu intelligens ex sensibilibus, nihil sibi praesto est unde determinate revelatis assentiatur; est sibi propterea necessarius habitus ad assentiendum inclinans. At intellectus non dependens ex sensibilis in actibus suis respicit totum ens, et per consequens etiam Christum in Eucharistia existentem, habere potest assensum de tali existentia ex rationibus terminorum intuitive visorum, et ideo sibi non est opus habitu fidei infusae.

Ad tertium dicendum, [*Oxon.* ib. n. 12.] utique daemonibus adesse potestatem cernendi intuitive Christum (Cf. 1 *p. q.* 57. *art.* 4. seq.) in Eucharistia existentem, et oppido visuros si permitterentur uti libere potentia cognitiva. Intellectus enim separatus intelligere valet et intueri quodcumque intelligibile causatum, et per consequens etiam cogitationes cordium, et mysteria gratiae, ex quo posita sunt in effectu. Sed multa possent, spectata eorum virtute naturali, in quae non sinuntur exire, ut ait Magister, *Sent.* 2. *d.* 7. Sed uti supponitur malos Angelos non permitti videre secreta cordium, ita supponitur interdici ipsis cernere mysteria gratiae. Et ita est exponenda Ambrosii auctoritas de mysterio Incarnationis. — *Ad confirmationem* ex Damasceno, respondeo [*Oxon.* ib. n. 13.] illi esse sermonem de omnibus pro praesenti statu, et verum est nos pertingere non posse ad eius mysterii cognitionem nisi per fidem. Et quamvis unus Doctor concedat, Damascenum esse intelligendum etiam de Angelis, hoc tamen verum non esse, ostensum est supra in *secunda assertione.*

Ad quartum respondeo, [*Oxon.* ib.] contingens quamdiu est contingens, scilicet donec positum sit in effectu. sciri non posse ab ullo intellectu creato; sed quantumcumque aliquid contingenter sit in causa sua, postquam tamen contingenter positum est in *esse,* quemadmodum est ei determinata entitas, sic et determinata intelligibilitas, idque respectu cuiuscumque intellectus respicientis totum ens; etsi ergo aliquis intellectus praescire nequeat, fore ut in ista hostia sit praesens Corpus Christi, attamen ex quo istud factum est, separatus intellectus propria virtute intueri potest corpus ibi existens.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM QUAECUMQUE ACTIO IMMANENS, QUAE EST IN CHRISTO NATURALITER EXISTENTE, INSIT SIBI IN EUCHARISTIA SACRAMENTALITER EXISTENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 5. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 76. *a.* 7.

VIDETUR non quaecumque actio immanens, quae inest Christo naturaliter existenti, inesse sibi speciebus Sacramentalibus praesenti. Etenim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 5. n. 1. — *Report.* ib.] visione, auditione, caeterisque sensationibus caret Christus Sacramentaliter existens: illis tamen operationibus est excellentissime praeditus in naturali sua existentia. *Probatur ergo assumptum primo:* Christo in Eucharistia existenti non est obiectum praesens secundum proportionem actui videndi necessariam, siquidem obiectum praesens potentiae visivae Christi in Caelo manentis est improportionatum oculo existenti in terris. *Deinde,* organum potentiae visivae in Eucharistia caret modo quantitativo, sub quo modo tantum est sensationis receptivum. *Rursus* inter oculum in Eucharistia existentem et obiectum in Caelo manens est obstaculum prohibens multiplicationem coloris, lucis, etc.; ergo non est attingibile per actum talis potentiae. *Denique,* Christus sub speciebus Eucharisticis non sentit ea quae sunt *hic* praesentia; ergo multo minus aliquod aliud sensibile. *Probatio antecedentis:* organum sensus non est in Eucharistia sub modo ad sensationem requisito.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 4.] Intuitivae operationi necessaria est habitudo ad obiectum, non solum ut est causa eius in *fieri,* sed etiam in ratione terminantis; sicut ergo impossibile est operationem esse, et ad obiectum non terminari, ita impossibile est, ut alicubi infiat, et quatenus ibi est ad obiectum non terminetur. Qua autem Christus in Eucharistia existit vis eius activa non pertingit ad obiectum in Caelo existens; ergo nec ab tali obiecto causari potest.

CONTRA: [*Oxon.* ib. n. 1. — *Report.* ib. n. 2.] Nisi eaedem operationes inessent Christo naturaliter existenti, et in Eucharistia; igitur simul esset videns et non videns idem obiectum, et sic de caeteris sensationibus. Consequens est falsum, quia contradictoria simpliciter inessent eidem. — *Deinde,* operatio est potentiae operativae perfectio; in ipsa enim operatione consistit beatitudo ipsius potentiae; ergo si oculus Christi ut in Eucharistia careret visione qua pollet in Caelo, destitueretur propria perfectione ex eo quod in Eucharistia existit: haec autem est beatitudo eius potentia eo modo quo visus dicitur esse beatificabilis, expers quoque foret delectationis operationem perfectam consequentis; oculus igitur quatenus in Eucharistia esset miser et cum dolore et tristitia; quod enim aufert delectationem est triste et dolorem inferens; quod ergo existeret in Eucharistia esset simpliciter contra naturam appetitus sensitivi, quod est inconveniens.

RESPONDEO, praesupponendo illud proprie dici inesse alteri *primo ut hic* existenti, quod ipsum afficeret, et inesset etiamsi nusquam alibi reperiretur, nisi *hic:* illud vero intelligi *concomitanter* immanere, quod

primo inest sibi ut alibi est, atque concomitari subiectum propter identitatem eiusdem subiecti et formae immanentis. His intellectis, esto PRIMUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib.] operatio intellectus et voluntatis potest primo inesse Christo ut in Eucharistia existenti. *Probatur:* [*Oxon.* 4. n. 5. — *Report.* ib. n. 7.] anima Christi beata intelligit sicut Angelus, quoad hoc, quod in intelligendo non dependet a sensibus et sensibilibus; ergo sicut Angelus alicubi existens valet intuitive intelligere obiectum sibi proportionata distantia praesens, ita Christi anima ibidem existens potest idem obiectum intueri; igitur quatenus ipsa anima in Eucharistia reperitur intuitive attingit illa intelligibilia quae sibi sunt praesentia secundum debitam distantiam, ut Sacerdotem celebrantem, animamque eius, Angelos sacrificio adstantes, et alia id genus. Haec autem intuitio inest animae Christi primo ut *hic.* Siquidem non immanet nisi primo ut in caelo, ex hypothesi alibi declarata, quod immoderata distantia impedit intellectum creatum intuitive cognoscere obiecta longissime dissita; ex quo etiam fit, ut Angelus caelum Empyreum inhabitans intuitiva cognitione non attingat quae geruntur in terris.

Ex quibus sequitur, [*Oxon.* et *Report.* ib.] Christum adesse speciebus Sacramentalibus spectare ad cumulum perfectionum ipsius; etenim sic existenti insunt concomitanter intellectiones omnes, quibus primo praeditus est in caelo, et praeterea in Sacramento pollet primo tot intuitivis cognitionibus, quot sunt obiecta, quae virtus creata intellectus eius potest attingere, et in quae posset Angelus ibi praesens: eas autem concomitanter habet ut in sua existentia naturali degit in caelo.

SECUNDUM DICTUM: Nulla sensatio potest Christo inesse primo, ut speciebus Sacramentalibus est praesens [*Oxon.* ib. n. 5.—*Report.* ib. n. 6.] *Probatio:* organum sensus non est in Corpore Christi quatenus in Eucharistia sub modo illo, qui necessarius est ad hoc ut immutetur ab obiecto. Similiter, Christo in Eucharistia non est obiectum approximatum. Ea enim ratione in Sacramento est praesens cuicumque corpori, ut agenti, ac si non esset praesens, quia sic est in Eucharistia, ac si nusquam esset, quantum ad rationem patiendi a corpore; esse siquidem corpus agens requirit passum sibi localiter approximatum: hoc modo non est Christi Corpus in Sacramento, sed tantum species, quibus est praesens, sunt in loco dimensive, nec Christus sub speciebus est magis praesens alicui corpori ut ab ipso pati queat, quam si Angelus eisdem adesset speciebus; ergo nulla omnino sensatio potest sibi inesse primo, ut in Eucharistia existit.

TERTIUM DICTUM: Christo in Eucharistia existenti concomitanter inest omnis operatio quae primo sibi inest in Caelo [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 3. seqq.] Probationem primam accipio ex medio universali sic: nullum absolutum esse desinit in aliquo propter novum respectum extrinsecus advenientem: operatio est forma absoluta et vitalis simpliciter perfectio et finis potentiae operantis; ergo propter praesentiam novam, quae praesentia aliud non est quam novus respectus extrinsecus adveniens, non desinit operatio immanere suo subiecto, vel potentiae operanti [Cf. *Oxon.* 1. d. 3. q. 6. — *Quodlib.* qq. 13. et. 15.] Est enim ipsa omni tali respectu prior: prius autem non perit ad desitionem posterioris, nisi dicat necessario ordinem ad ipsum, qui ordo comminisci non potest inter

Christi Corpus et species Eucharisticas; ergo videnti oculo Christi in caelo obiecta visibilia, eadem videat oportet in Eucharistia, quamquam ibi primo, hic vero concomitanter. Neque existimandum est, ex eo quod obiecta, quae conspiciuntur a Christo in sua existentia naturali approximata non sint ei existenti in Eucharistia, videri non posse, quia id tantum est verum primo non intueri, sed non excluditur proinde concomitanter attingi ab eadem potentia visiva, quod nos affirmamus. Quemadmodum si dum Christi Corpus erat mortuum, extitisset Eucharistia, eaedem qualitates naturales, quibus afficebatur primo in sepulchro, eidem corpori infuissent Sacramentaliter existenti concomitanter, quamvis earum qualitatum causae effectivae non fuissent Corpori Christi in Eucharistia approximatae; ita etsi obiecta, quae ab eo videntur in caelis, longissime absint ab eo speciebus Sacramentalibus praesente, eadem tamen, eademque visione attingit et videt in Eucharistia, non primo quidem ut in caelo, sed concomitanter dumtaxat. — *Deinde,* in speciali arguo sic: [*Report.* ib. n. 5.] visio vel cognitio intuitiva intellectus postulat distantiam determinatam: sed hoc non obstante nemo negat, Christum in Eucharistia existentem praeditum esse visione rerum omnium quae intuitive cognoscit, quatenus caelum inhabitat; igitur similiter ut sub speciebus Eucharisticis intuitive attingit quaecumque per sensus primo depraehendit, ut est in caelo, ubi obiecta sensibilia sunt eius sensibus debite approximata. — *Denique,* [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 4.] passio appetitus sensitivi, ut dolor, eadem affecisset Christi Corpus pendens de cruce, et in Eucharistia existens, si confecta esset; ergo sensatio eadem ipsi infuisset. *Probatio assumpti:* Christo in naturali existentia moriente pariter mortuus fuisset in Eucharistia: atqui separatio animae a corpore sequebatur in cruce ad dolorem magnum et immoderatum; ergo ut in Eucharistia mors eiusdem causae sequela extitisset. *Probatio primae consequentiae:* omni sublato miraculo non contingit eumdem effectum repraesentari, nisi per eamdem causam, loquendo de causa praecise naturali: dolor autem est effectus sensationis, vel certe obiecti sensati; ergo esse nequit idem dolor sine sensatione eadem sine miraculo. — Neque admittendum est quod aliqui dicunt, nempe dolorem Christo Sacramentato in casu intulisse actum imaginationis; nam haec responsio destruit seipsam; non enim possibile est actum imaginationis inesse illi, cui actus secundum sensum non potest inesse; quia *imaginatio est motus factus a sensu,* 2. *De Anima,* text. c. 160. Deinde, imaginatio non est causa doloris eiusdem secundum speciem, cuius causa est sensatio exterior; alioquin somnians doleret dolore eiusdem speciei cum dolore vigilantis.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 6.-4.] ostendisse nos *in tertia conclusione,* sensationem omnem eiusdem obiecti quae inest sensui Christi ut in caelo, eidem inesse quatenus in Eucharistia reperitur — *Et cum contra arguitur* primo; *dicimus,* non esse necessarium obiectum in debita proportione praesens ad actum sentiendi, nisi ubi obiectum est aliquo modo causa sensationis, idque ut primo infiendae. *Ad secundam* probationem dico, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 8.] organum Christi quatenus in Eucharistia esse vere quantum, perinde ac in caelo, ac propterea recipere posse sensationem, non obstante quod sensatio non recipiatur absolute nisi in quanto habente modum quantita-

tivum. Quia ergo in Eucharistia organum tali modo quantitativo expoliatur, quia non est coëxtensum quanto, cui est praesens, nec replet locum, ideo quatenus inibi existenti primo infieri non potest sensatio, quae nihilominus concomitanter inesse potest, et porro inest, quia ad id non est necessarius modus quantitativus. Nam is modus quantitativus est quidem conditio necessario requisita per comparationem ad agens primo organum immutans, sed quoniam non est causa necessaria recipiendae sensationi, carenti eo modo optime concomitanter immanere potest ipsa sensatio. — *Ad tertium* est responsio ex dictis; quia id obstaculum non impedit cum primo causatur sensatio ex obiecto imputante potentiam. — *Ad quartum* argumentum *nego consequentiam;* nam *antecedens* est verum *ex secunda conclusione solutionis;* ut *consequens* est falsum *ex tertia.* Ratio defectus consequentiae patet ex dictis, quia ad sentiendum illa quae sunt in terris, oportet sensationem primo inesse sensui ut in Eucharistia; non enim potest talis sensatio primo infieri oculo, ut in caelo: siquidem sensibile non est praesens oculo, ut in caelo; sed ad hoc ut infiat sensatio concomitanter alicuius obiecti oculo Sacramentaliter existenti, sufficit, ut illud sensibile sit proportionaliter praesens oculo, ut alibi habet modum quantitativum, secundum quem immutari potest a visibili, ipsumque visibile primo sentiri. Sic autem est de obiectis, quae sentit sensus Christi, ut in caelo.

Ad secundum [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 5. seqq.] respondeo, argumentum utique ostendere Christum in Eucharistia existentem exire non posse primo in aliquam sensationem, iuxta dicta *in secunda conclusione;* sed eo non probari concomitanter sibi non inesse sensationes omnes, quibus primo est praeditus in sua existentia naturali, ut declaratum fuit *in tertia conclusione.* Etenim quo potentia ab obiecto immutetur plane eius praesentia est necessaria; ut autem terminet actum, id non oportet. — *Contra,* illa visio est intuitiva; ergo eius terminus est obiectum qua praesens. *Respondeo,* intuitiva cognitio alia est perfecta, alia imperfecta. Et *prima* quidem non habetur, nisi ad obiectum terminetur ut in sua existentia praesens, vel ut in eminentiori continetur obiecto. *Secunda* vero potest inesse, quamvis non ita obiectum attingat. Caeterum Christo ubi intuitive primo videt est obiectum in sua existentia praesens secundum rationem debitae proportionis, eaque visione constituitur simpliciter videns. At quod concomitanter intuetur, non oportet in sua existentia esse illi praesens. *Vel dicendum* [*Oxon.* 3. d. 14. q. 3. n. 4.] etiam quod concomitanter in Eucharistia aspicit, sibi esse praesens, quia non distat ab eo *simpliciter,* sed tantum *secundum quid,* quatenus potentia visiva sub speciebus existens alibi habet obiectum praesens in ratione immutantis, per quam immutationem unitur potentia cum obiecto: ea autem stante unione, sequitur esse potentiam obiecto unitam, ubicumque illa visio est, non primo tamen, sed concomitanter, ut dictum est.

ARTICULUS VIII.

UTRUM QUANDO IN HOC SACRAMENTO APPARET MIRACULOSE CARO VEL PUER SIT IBI VERE CORPUS CHRISTI.

Doctor, Report. 4. *d.* 10. *q.* 9. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 76. *art.* 8.

RESPONDEO, [*Report.* 4. d. 10. q. 9. n. 16.] circa Christi apparitiones in hostia consecrata, quas aliquando extitisse narrant Ecclesiasticae historiae, dicendum, possibile eiusmodi apparitionibus ostendisse se Christum in propria specie, ut cum visendum se praebuit in forma parvuli, aut in alia specie, ut cum in hostia visum est frustum carnis. Aut igitur eae apparitiones repraesentatae sunt tantum uni ex assistentibus, vel omnibus sacrificio missae adstantibus; idque aut factum est transeunter, aut permanenter. Si apparuit *uni tantum,* non est Christus in hostia realiter dimensive, quia in hostia nihil est exterius dimensive, nisi quod prius fuit, nempe accidentia sensibilia, sub quibus est Christus Sacramentaliter. Visio ergo illa facta est vel interius, vel in aëre iuxta oculum, ex qua videnti apparet esse obiecti existentis in hostia, cum tamen ibi non sit aliter quam prius. Quod si ostendatur visio *omnibus,* qui sacrificio assistunt, credendum est Christum vere dimensive apparere, et esse in hostia sensibiliter, et ad fidei confirmationem, et ut sensibiliter adoretur, sicut adoratur in hostia Sacramentaliter existens; verisimile est ergo ibi esse verum Christum sensibiliter, et dimensive existentem; qui nec vult fidem confirmare per phantasticas apparitiones, nec quod communitas labatur in idololatriam, adorando alium, quam verum Deum.

Si autem [*Report.* ib.] Christus in hostia *permanenter* appareat, credendum est esse ibi realiter sensibiliter, manens interim in Eucharistia Sacramentaliter. Et quamvis tales apparitiones contingant in Eucharistia, sine ea tamen posset praesentiam suam causare. Caeterum secundum propriam dimensionem, quam habet in caelo, non potest esse in parva hostia quantitative, quia non posset esse in tam parvo loco. Circa haec autem, hanc regulam tenendam iudico: quamdiu Christus apparet sub specie carnis in speciebus, non debet Eucharistia percipi ab eo, cui sic apparet, quia tunc non reperitur sub specie convenienti humanae refectioni; homines enim humanam carnem comedere horremus et reformidamus. At sub specie carnis sensibiliter uni, aut pluribus apparente, si cuiquam non ita appareat, sed tantum species sensibiles percipiat, is posset Corpus sub illis Sacramentaliter contentum sumere.

QUAESTIO SEPTUAGESIMASEPTIMA.

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC SACRAMENTO, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de accidentibus remanentibus in hoc Sacramento.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum accidentia quae remanent sint sine subiecto. - 2. Utrum quantitas dimensiva sit subiectum aliorum accidentium. - 3. Utrum huiusmodi accidentia possint immutare aliquod corpus extrinsecum. - 4. Utrum possint corrumpi. - 5. Utrum ex eis possit aliquid generari. - 6. Utrum possint nutrire. - 7. De fractione panis consecrati. - 8. Utrum vino consecrato possit aliquid permisceri.

ARTICULUS I.

UTRUM ACCIDENTIA REMANEANT SINE SUBIECTO IN HOC SACRAMENTO.

Doctor, Oxon. 4. *d.*12. *q.* 1. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 77. *art.* 1.

VIDETUR fieri non posse, ut accidentia maneant sine subiecto in Sacramento Eucharistiae. Etenim [*Oxon.* 4. d. 12. q. 1. n. 12.] aut inhaerentia est de essentia accidentis, et tunc contradictionem includit subiectum esse sine praedicato; aut non est de essentia ipsius. Hoc autem esse videtur contra Philosophi auctoritatem dicentis, 7. *Met.*, text. 2. *Accidentia sive alia a substantia dicuntur entia, eo quod taliter entis;* ergo formalis ratio entitatis in accidente est inhaerere taliter enti, idest, substantiae. Et paulo post scribit: *Nihil ipsorum secundum se aptum natum, nec possibile separari a substantia. — Ratio etiam idipsum ostendit:* nam inhaerentia si non est de essentia albedinis, aliud igitur erit ipsi albedini inhaerens, per quod formaliter ea qualitas inhaerere intelligatur. Quaero ergo de inhaerentia qua inhaeret inhaerentia albedini, aut ipsa est eadem albedini, vel ipsi inhaerentiae, et pari ratione fuit standum in primo; vel illa inhaerentia inhaerentiae est alia a suo fundamento, et tunc erit processus in infinitum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Saltem relatio accidentis ad subiectum videtur esse eadem illi. *Probatio:* relatio cuiuscumque creaturae ad Deum in ratione triplicis causae est eadem fundamento: sed respectus accidentis ad subiectum non minus reputandus est esse idem accidenti, ac sit ille quo refertur ad primam causam, et dependet ab illa; siquidem substantia creata non definitur per ipsam essentiam divinam additam in sua definitione; alioquin cum Deus sit extra genus, nihil posset habere definitionem in suo genere, et nihilominus accidens propter respectum ad subiectum necessario per subiectum definitur, ex 7. *Met.*, cap. 3.; ergo ille respectus ad subiectum non minus est idem sibi, ac respectus substantiae creatae ad Deum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 13.] Si respectus albedinis ad subiectum alius sit ab albedine, saltem ipsa albedine posterior esse non poterit, quia albedo non requirit subiectum nisi propter respectum quem habet ad ipsum: sed si ille respectus est posterior albedine, potest albedo manere, ipso respectu circumscripto; ergo potest non dependere ad subiectum. Et ista ratio potest evidentius deduci de accidente, ut intellecto, sic: si albedo est prior illo respectu, igitur potest complete concipi sine eo respectu, et per consequens complete definiri, tamquam prius sine posteriori: non requirit autem subiectum, nisi propter istum respectum, quem involvit ad ipsum; ergo poterit complete definiri sine subiecto, contra Philosophum, ubi prius.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Si inhaerentia est aliud quid ab albedine, eaque posterius, saltem videtur propria passio ipsius; nihil enim immediatius albedini inhaeret, quam habitudo ad subiectum: sed subiectum per se esse sine propria passione includit contradictionem; alioquin nulla conclusio esset simpliciter scibilis; nam quoniam quaecumque talis praedicat passionem de subiecto, ex hypothesi quod nulla passio sit simpliciter necessaria, nulla profecto erit simpliciter scibilis.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] Sensibus experimur, accidentia panis et vini manere in Eucharistiae Sacramento: ea autem non afficiunt Christi Corpus; illud enim non est quantum hac quantitate, sed longe maius, nec hac figura figuratum, sed magis figura corporis humani, nec tali colore coloratum, sed colore conveniente corpori humano. Nec item ea accidentia aërem afficiunt; quippe qui capax non sit accidentium corporis mixti, haec enim elementis repugnant. Nec denique inhaerent substantiae panis et vini, quia panis et vini substantiae virtute consecrationis transierunt in Corpus et Sanguinem Christi, et non supersunt; ergo illa accidentia sunt sine subiecto. Sanctorum auctoritates hanc veritatem testantium habes supra *quaest.* 75. *art.* 5.

RESPONDEO: *aliqui* [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 4.] mysterii possibilitatem declaraturi arbitrantur indigere accidentia novo modo essendi eis divinitus superaddito, ad hoc ut sine subiecto existant. Quoniam enim unius compositi est tantum unum *esse,* accidentia quamdiu subiecto uniuntur, ex consequenti et per accidens habent *esse* illius totius, cuius sunt accidentia. Si ergo contingat ipsa a propriis subiectis separari, necessario indigent novo *esse* per quod sint et existant; tunc enim non participant de *esse* totius, ut prius, cum ei uniebantur; desuper igitur confertur eis novum quoddam *esse,* et modus similis modo existendi substantiae. — *Contra* hanc opinionem arguo: unumquodque extra causam suam et intellectum existens, ut habet propriam entitatem, ita et proprium *esse;* ergo si accidens propriam possidet essentialem entitatem extra subiectum et intellectum, necessario et proprio *esse* praeditum erit; non est ergo formaliter per *esse* subiecti. — *Deinde,* formam esse in materia de necessitate arguit compositum esse, adeo ut impossibile sit ponere primum sine secundo: sed per aliquam transmutationem naturalem forma est in materia ut per alterationem, vel augmentationem; ergo per illam, et ab eodem agente compositum ex subiecto et accidente accipit, possidetque *esse* formale illius accidentis. Non habet autem esse formaliter illius subiecti; quia id subiectum erat ante mutationem; ergo est tale per proprium et formale esse accidentis. — *Deinde,* quod aiunt

addi novum modum accidentibus quo separata existant, contra arguo: si accidens cum separatur acquirit novum *esse,* oportet assignare aliquam transmutationem a carentia illius *esse* ad istud *esse:* sed hoc est impossibile: *primo* quia non potest dari quae sit ista mutatio; non enim est generatio, cum accidens non sit subiectum generationis; nec est augmentatio, nec alteratio; nam nec quantitas, nec qualitas acquiruntur per istam mutationem; quia tunc vel qualitas esset subiectum augmentationis, vel alterationis, cuius *esse* acquiritur, vel esset qualitas et quantitas, et sic de isto posset argui in infinitum. *Rursus, esse* istud novum quia non est formaliter esse divinum, aut est proprie substantia, vel accidens, vel neutrum. Si in genere substantiae erit independens, et per consequens non erit formaliter esse alicuius accidentis; nullum enim accidens esse potest formaliter independens, vel per se *esse.* Si in genere accidentis quomodocumque per reductionem sit tamen oportet dependens, perinde ac forma, cuius est; ergo per tale *esse* novum, esse non potest formaliter independens illud cuius est. — *Tandem,* impossibile est substantiam recipere aliquam virtutem, novumque modum per quem dependeat ad aliquod ut ei inhaerens; ergo impossibile est accidenti indi novum modum, per quem sit per se ens absolutum ab omni inhaerentia ad aliud. *Probatio consequentiae: per se esse* et *alteri inhaerere* aeque appropriantur substantiae et accidenti; ergo modus unius penitus repugnat alteri.

Respondeo dicendum, [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 6.] in Eucharistiae Sacramento accidentia manere sine subiecto. Ad facti autem adeo admirabilis possibilitatem declarandam praemittendum est, vocabulum *accidens* accipi posse pro per se significato eius, vel pro illo, quod ab tali per se significato denominatur. Hoc autem denominatum est duplex, quemadmodum et accidens; nam vel est absolutum, vel respectivum, sive respectus accidentalis. Ad haec, accidens esse in subiecto, vel non esse in subiecto, potest accipi secundum aptitudinem, aut secundum actualitatem. His praeintellectis, solutionem declaramus sequentibus dictis:

PRIMUM *est:* [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 2. seq.] loquendo de per se significato accidentis, contradictio est ipsum intelligere non esse in subiecto, idque uniformiter intelligendo in subiecto, et praedicato, scilicet si actu, actu, si aptitudine, aptitudine. *Declaratio:* nam per se significatum huius nominis *accidens* quidam respectus est ad illud cui accidit, et forte idem respectus, quem importat haec dictio *inhaerens* ad illud cui adhaeret; et idem significatum est accidentis, et accidentiae (ut ita loquar) ac inhaerentis, et inhaerentiae. Sicut ergo impossibile est accidentia esse, quin sit inhaerentia, si actu, actu, si aptitudine, aptitudine; ita impossibile est, aliquid esse accidens, loquendo de per se significato et primo huius nominis, quin sit inhaerens proportionaliter, hoc est si actu, actu, si aptitudine, aptitudine. — Haec autem inhaerentia est quidam respectus extrinsecus adveniens, quia non potest intelligi ad se, et non sequitur necessario positis extremis, ut infra explicabitur, et fortasse spectat ad genus *passionis,* adeo ut passio dicat non tantum respectum passi ad agens, sed etiam ad formam. Vel si forte ad genus *actionis,* tunc actio non modo dicit respectum agentis ad patiens, sed etiam formae informantis ad illud quod informatur. Nec obstat quod *inhaerere* conveniat novem generibus; quia nihil impedit, aliquid deter-

minati generis esse formam denominantem alia genera. Hoc enim quod est *creatum,* vel *creaturam* esse, formaliter importat quid spectans ad genus Relationis, et tamen denominat quodlibet aliud a Deo.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib. n. 3.] denominatum a per se significato *accidentis,* si sit formaliter respectus, contradictio est, manere sine subiecto. *Probatio:* respectus est essentialiter habitudo inter duo estrema; ergo sicuti ad destructionem termini ad quem est respectus, sequitur desitio ipsius respectus, ita sublato illo cuius est relatio, necessario esse desinit relatio. Non ergo quia accidens respectivum est accidens, ideo requirit subiectum, vel fundamentum, sed quia respectus est respectus, ideo ex ratione eius postulat, cuius sit, et ad quem sit, etiam in Divinis.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib.] quum denominatum a per se significato accidentis est aliquod absolutum, potest manere, et subiecto non inesse, quamvis necessario ei insit aptitudo ad inhaerendum. *Declaratio:* accidens absolutum non requirit terminum, nec terminos, quia alioquin haud foret absolutum. Si igitur exigit subiectum, utique id sit oportet propter aliam dependentiam ad ipsum essentialem. Sed nulla est dependentia simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliquid quod non est de essentia eius, sed tantum causa extrinseca, nisi ad Causam primam. Cum ergo subiectum non sit de essentia accidentis, quia tunc *homo albus* non esset ens per accidens, contra Philosophum, 5. *Metaph.,* cap. *De Ente,* et cap. *De Uno,* nec subiectum est causa extrinseca simpliciter prima, sed Deus praecise est talis causa, qui esse nequit subiectum accidentis; ergo dependentia accidentis absoluti ad subiectum non est simpliciter necessaria. Voco *simpliciter necessarium,* cuius oppositum includit contradictionem. *Maior probatur:* nam causalitatem cuiuscumque causae extrinsecae, respectu cuiuscumque causati, perfecte supplere potest prima Causa, quippe quae praehabeat in se omnem causae secundae causalitatem, eminentius, quam secunda causa.

Contra hanc assertionem et probationem eius arguo: [*Oxon.* ib. n. 25.] Deus respectu accidentis separati non se habet aliter ac prius se habuerit, nec accidens ipsum separatum dicit aliam dependentiam ad Deum, quae diversa sit ab illa, qua dependebat ut coniunctum; ergo vel tunc non dependebat accidens a substantia panis, vel nunc aliter a Deo dependet. Si primum admittatur; igitur causa secunda, vel subiectum non influit ad productionem accidentis. Quia si dependentia ad Deum sufficit pro eius conservatione, satis quoque erit ut totaliter producatur. Et ita tollitur ordo causarum secundarum, et efficientia subiecti respectu accidentis. Quod autem aliter dependeat accidens separatum a Deo, et aliter coniunctum non videtur probabile. — *Respondeo:* [*Oxon.* ib. n. 26.] licet accidens separatum non dicat aliam dependentiam ad Deum ac coniunctum subiecto, tum quia accidens per separationem non variatur in suo esse absoluto, sed idem retinet, tum quia illa dependentia est eadem fundamento, et ideo stante identitate eius, stabit et dependentiae unitas, nihilominus aliter se habet Deus per diversam terminationem voluntatis suae invariabilis ad accidens coniunctum, et ad separatum. Nam coniunctum volebat conservare una cum causis secundis, separatum vult conservare se solo; et ita eadem dependentia diversimode terminatur ad idem et simpliciter independens illimitatum. — *Et cum dicitur:*

si accidens eodem modo semper dependet a Deo, ergo subiectum non causat ipsum: *respondeo,* formam proprie causari ab efficiente, sed quia producit in materia, ab ea sustentatur quamdiu est; dependere ergo ad materiam tribuitur formae ab agente uniente ea extrema, quae ex seipsis uniri ad invicem non possent. Nequit ergo esse maior dependentia formae ad materiam, quam sit ad agens: haec autem non est in conservari, sed praecise in fieri; ergo neque a materia forma conservatur, esto in materia conservetur; subinde ergo agens causat quidem formam quando fit, concurrentibus caeteris causis, quae quoniam non intrant essentialiter conservationem eius, solummodo a Prima conservari sicuti et produci potest.

Et cum additur: sola dependentia ad Deum sufficit pro eius conservatione; ergo et ut producatur, et ita tollitur ordo causarum; *dico,* [*Oxon.* ib. n. 18.] Causam primam et secundam integrare unam causam totalem, a qua est unus effectus, et ita stante illa voluntate generali Dei de admittendis causis secundis ad effectuum quorumdam productionem, non esset satis illa causalitas quae correspondet dependentiae passivae accidentis uniti et sufficit ad eius conservationem, quia praeterea intervenit specialis Dei voluntas, ut dictum est.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 14. seqq.] inhaerentiam non esse de essentia albedinis, sed accidens per accidens eius, quia impossibile est respectum essentialiter includi in ratione absoluti. — *Et cum probatur* per Aristotelem; *dico* idipsum numquam sensisse. Et ad eius auctoritatem, ex 7. *Metaph.,* respondeo, particulam *eo quod,* non semper esse notam causae formalis. Nam, ut habet idem 5. *Metaph.,* cap. *De in eo quod: Quoties dicitur causa, toties dicitur inquantum, sive in eo quod:* quoniam itaque substantia est aliqua causa accidentis, accidens est ens *eo quod taliter entis,* qua loquutione substantiae respectu accidentis causalitas designatur, nec propterea ea causa est de essentia causati, ut nec habitudo ad effectum spectat ad essentiam ipsius; sicuti nec in aliis causis ordo ad causata ingreditur essentiam illorum, alioquin nullum causatum foret formaliter absolutum, quod est inconveniens. — *Et cum arguitur* ratione, *respondeo,* inhaerentiam inhaerere albedini, qua ipsa est formaliter inhaerens. — *Et cum quaeritur* de inhaerentia inhaerentiae; *dico,* eam esse identificatam cum inhaerentia albedinis, atque ibi esse statum; et rationem esse, quia illa relatio est idem fundamento, sine qua fundamentum existere includit contradictionem. Contradictio autem est inhaerentiam albedinis ad superficiem esse actu, et non inhaerere actu, vel non habere inhaerentiam.

Et per hoc patet ad secundum, [*Oxon.* ib. n. 18.] quia non repugnat albedinem esse sine subiecto, ideo eius inhaerentia ad subiectum non est sibi identificata. — *Et cum probatur* ex relatione creaturae ad Deum; *nego paritatem,* quia nulla relatio ad causam extrinsecam est idem causato, nisi quae est ad Causam primam, quae quodcumque causatum causare potest sine concursu alterius causae. — *Et cum arguitur* de definitione; *dico,* identitatem vel non identitatem respectus ad fundamentum non esse rationem cur terminus respectus cadat in definitionem fundamenti, ut additum, nec etiam dependentiam essentialem id efficere, quia tunc Deus magis poneretur in definitione cuiuscumque creati, quam substantia in definitione accidentis; sed causam esse, quia

nulla forma potest habere conceptum perfectum quietativum, nisi cointelligatur illud cuius est forma: definitio autem quia exprimit conceptum perfectum definiti, ideo quantumcumque exprimerentur essentialia formae, quae quidditatem eius integrant, nisi tamen cointelligeretur illud cuius est forma, non erit conceptus quietans intellectum, ac proinde nec definitio eius. At causatum cum sit in se quoddam compositum subsistens, si in se concipiatur, intellectus ibi quiescit non requirens aliud cointelligere. Et licet par videatur necessitas definiendi per additum formam substantialem et accidentalem, ut patet per Philosophum, 2. *De Anima,* text. c. 6. definientem animam per corpus, tamen in definitione formae substantialis additur aliquid, quod facit per se unum cum ipsa, vel cuius ipsa est per se pars; in definitione vero formae accidentalis additur aliquid cum quo non facit per se unum, nec cuius ipsa est per se pars.

Ad tertium dico: [*Oxon.* ib. n. 20.] respectus inhaerentiae est albedine posterior, sicut universe respectus in alio fundatus est fundamento posterior. — *Et cum infertur;* ergo albedo non necessario requirit terminum respectus; *haec consequentia est neganda;* nam optime intelligitur aliquid dependere a termino respectus, et interim a respectu non dependere; sic enim substantia lapidis non dependet a respectu quem dicit ad Deum, et ipse tamen essentialem involvit dependentiam ad Deum qui est terminus respectus. — *Ad illam propositionem,* non requirit terminum respectus, nisi propter ipsum respectum; *respondeo,* veram esse quatenus *ut propter* indicatur quod necessario sequitur naturam fundamenti, sed non ut *propter* requisitum ad naturam fundamenti, tamquam ipso prius. Quod autem ita est *propter* non oportet ut in eodem ordine requiratur, in quo requiritur terminus respectus. — *Quod tangitur* de definitione accidentis, expressum est in *praecedenti solutione.* Concedimus enim albedinem intelligi posse quantum ad quodlibet praedicatum, quod per se primo modo includitur in ratione ipsius, nihil interim omnino intelligendo de respectu quem dicit ad subiectum; ac proinde assignari posse rationem aliquam indicantem ipsius essentiam. At ea ratio non foret definitio, quia non esset expressiva perfecti conceptus albedinis; semper enim intellectus eo conceptu imbutus dependeret ad id, quod est terminus dependentiae talis conceptus.

Ad quartum, [*Oxon.* ib. n. 21.] nego, inhaerentiam esse proprietatem albedinis, sed est accidens per accidens eius, et respectus extrinsecus adveniens, sicuti et omnis unio absolutorum; possent enim ea extrema fieri et conservari a Deo absque unione, et ita pariter fieri posset et conservari a Deo albedo sine inhaerentia ad subiectum. Nequit autem fieri sine propria passione; quae subinde passio intimior est albedini ipsa inhaerentia, eaque non ab ipsa albedine est, sed a causa extrinseca uniente vel producente albedinem in subiecto. Et tametsi subiectum virtualiter includens formam accidentalem valeat illam producere in se, quia tamen forma non continet seipsam, nec totum, nequit seipsam unire subiecto, sed opus est sibi causa effectiva extrinseca.

ARTICULUS II.

UTRUM IN HOC SACRAMENTO QUANTITAS DIMENSIVA PANIS VEL VINI SIT ALIORUM ACCIDENTIUM SUBIECTUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 77. *a.* 2.

VIDETUR quantitas dimensiva panis vel vini haud esse aliorum accidentium subiectum. Etenim [*Oxon.* 4. d. 12. q. 2. n. 1. — *Report.* ib.] quodlibet accidens est in Eucharistia, submota substantia; haec enim transit in Corpus Christi; ergo est ibi sine subiecto. *Probatio consequentiae:* secundum Philosophum, 7. *Met.* text. c. 4. *Substantia est primum omnium ratione.* Non autem cadit substantia in rationem cuiuscumque nisi sicut additum. Porro non aliter sic cadit nisi ut subiectum. *Hoc confirmatur:* nam quando accidentia sunt in subiecto substantia terminat dependentiam cuiuscumque accidentis: non terminat autem nisi ut subiectum; igitur sublata hac dependentia ad substantiam, unumquodque accidentium est sine subiecto.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 2.] Nullum accidens est subiectum alterius accidentis in Sacramento Eucharistico; ergo quodlibet est ibi sine subiecto. *Consequentia* patet, quia in Eucharistia non est substantia panis vel vini. *Probatio antecedentis* primo ex Philosopho, 4. *Met.*, text. c. 14. *Accidens,* inquit, *non accidit accidenti, nisi quia ambo accidunt eidem subiecto: nihil enim hoc illi magis, quam illud accidit huic.* Deinde ratione: *tum quia* sicuti substantiae convenit per se esse, ita accidenti inhaerere; ergo perinde repugnat substantiae inhaerere, ac accidenti per se esse, vel alteri accidenti subesse: *tum quia* quod aliquam dependentiam terminat non est dependens dependentia eiusdem rationis: sed omne accidens dependet dependentia ad subiectum; ergo nullum accidens hanc terminat dependentiam; nullum igitur esse potest alterius accidentis subiectum.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Fatendum est aliquod accidens in Eucharistia esse sine subiecto; ergo quodlibet ibi repertum pariter esse potest sine subiecto. *Probatio consequentiae: tum quia* quodcumque accidens aeque essentialiter dependet a subiecto; ergo quod uni tribuitur caeteris potest convenire: *tum quia* in dependentiis necessariis magis necessaria est dependentia ad primum. Patet in causis, ubi dependentia ad causam primam est simpliciter necessaria. Magis igitur est necessaria dependentia ad substantiam, quam ad quodcumque accidens; si ergo aliquod accidens esse potest sine dependentia ad substantiam; ergo quodlibet esse poterit sine dependentia ad quodcumque subiectum.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 3.] Magis videtur repugnare accidenti relativo esse sine subiecto, quam cuicumque alteri: sed illud esse potest sine subiecto; ergo et quodcumque aliud. *Probatio minoris:* si accidenti relativo repugnat per se esse; ergo aut quatenus accidens, aut quatenus relatio. *Si primum;* igitur cuicumque accidenti repugnaret. *Si secundum;* ergo et relationi divinae repugnaret; quod tamen falsum est, cum illa non sit in subiecto, est enim infinita sicut essentia, cui

identificatur: infinitum autem est per se ens. Nam conditiones entis simpliciter perfectae conveniunt eidem, sic ut una aliam inferat, sicut necessitas infert actualitatem, et infinitas necessitatem, et sic de aliis; ergo illud quod habet infinitatem, et conditione per se essendi praeditum sit oportet.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 3.] Oppositum videtur per se manifestum; quia alioquin sentiendum esset, quemlibet motum possibilem reperiri in Eucharistia extra mobile, et respectus ibi esse sine fundamento, quod est inconveniens. Nam nihil dicitur formaliter tale, nisi per formam sibi formaliter inhaerentem: haec autem quantitas dicitur formaliter aequalis, et haec qualitas similis; ergo illud, a quo subiectum denominatur, inest sibi ut forma.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. n. 5, — *Report.* ib. n. 4.] circa praesens *quaesitum* duae occurrunt opiniones extremae. *Prima* est, quantitatem tantum in Eucharistia extra subiectum reperiri, et qualitates esse non posse sine subiecto. Fundamentum accipitur ex eo, quia sola quantitas individuatur per se, et omnia alia accidentia per quantitatem; ergo si aliquod accidens esset, et non in quantitate, foret, et non foret individuum, quod est impossibile. — *Contra, hanc opinionem non esse probandam ostendo:* nam [*Oxon.* ib. n. q. — *Report.* ib. n. 7.] dependentia ad primum est essentialior ordine ad aliquid posterius, loquendo de absolutis dependentibus, et terminantibus dependentias: qualitas est perinde forma absoluta, ac quantitas; ergo essentialius dependet qualitas a substantia, quam a quantitate. Si ergo esse potest qualitas absque eo quod actu ad substantiam dependeat, magis esse poterit sine dependentia actuali ad quantitatem. — *Deinde* absoluto et perfectiori non magis repugnat per se esse, quam absoluto et imperfectiori: qualitas est forma absoluta, et quantitate perfectior. Quod et probatur; etenim qualitas est per se principium agendi actionem realem, ut etiam illi fatentur: quantitas non est principium illius actionis realis. — *Deinde,* secundum ordinem substantiarum attenditur ordo qualitatum; substantiis enim nobilioribus nobiliores correspondent qualitates: non autem sic correspondet ordo quantitatum; non enim semper nobilior substantia quantitate praestat imperfectiori: siquidem maxima corporum in genere corruptibilium elementa sunt, et tamen sunt mixtis imperfectiora. Illud vero perfectius videtur quod proportionaliter correspondet perfectiori in sui entitate. — *Rursus,* qualitates substantiae perfectae consequuntur fines suos; vel enim actus beatificus est qualitas, vel saltem, de communi sententia, ad beatitudinem requiruntur aliquae formae supernaturales, vel aliqua forma, quae est qualitas: quantitas autem nullo modo est substantiae principium attingendi finem suum. — *Rursus,* quantitas sequitur compositum ratione materiae; qualitas vero ratione formae: forma est simpliciter materia perfectior, 7. *Metaph.,* c. 2. Et istud ultimum forte est ratio primi, secundi, et tertii medii. — *Denique,* idipsum probo sic: quod magis convenit cum perfectione simpliciter, est simpliciter perfectius: qualitas autem, ut sapientia, magis convenit cum perfectione simpliciter, et eadem ratione intelligere, et velle, quam aliqua quantitas: seu quia una est ratio formalis sapientiae divinae et creatae: seu saltem quoad omnem propinquitatem in analogia, magis accedit sapientia creata ad divinam, quam quaevis quantitas, aut

aliquid eius. Quare uti possibile est perfectionem simpliciter esse in creatura, nempe cum limitatione, qualitas quae est sapientia est perfectio simpliciter habentis eam. Nulla omnino quantitas est perfectio simpliciter, nec etiam sicut possibile est perfectionem simpliciter reperiri in creatura.

Verum [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib. n. 9.] *haec ratio habet instantiam hanc:* quod est propinquius perfectiori est simpliciter perfectius: quantitas est simpliciter substantiae propinquior qualitate; ergo perfectione praestat qualitati. — *Respondeo:* in primo perfecto concurrunt simul multae perfectiones, qualitercumque multae dicantur; fieri ergo potest ut aliquid sit illi propinquius ratione unius perfectionis, et non alterius. Itaque Deus est simpliciter necesse esse; quo propterea aliquid magis est necessarium, eo illi magis appropinquans penes hanc perfectionem, qua ratione caelum est Deo propinquius quocumque corruptibili. Sed Primum praeterea est natura intellectualis simpliciter perfecta, iuxta quam perfectionem vicinior est Deo natura intellectualis, quamvis finita, ut natura Angelica, et humana; post hanc natura sensitiva. In hoc itaque ordine propinquior est Deo musca ipso corpore caelesti, et materia prima, quamvis entia magis necessaria. Unde quemadmodum ex primo ordine inferri potest caelum esse musca perfectius, ita iuxta ordinem posteriorem inferendum est muscam esse caelo perfectiorem, et ita opposita. — *Quapropter dicimus* [*Oxon.* ib. n. 12. — *Report.* ib. n. 10.] illud esse simpliciter perfectius, quod est Deo propinquius secundum id, quod habet rationem simpliciter perfectioris; sicuti ex Philosopho, 3. *Topic.*, c. 2. non sequitur simiam esse equo meliorem, licet sit homini similior; quia ea similitudo non accidit secundum conditiones simpliciter nobiliores: conditio autem simpliciter nobilior in Deo est intellectualitas, et non essendi necessitas, eo modo intelligendo *magis,* quo astruitur inter eas distinctio; ideoque homo est simpliciter caelo nobilior. Et mirandum non est, talem ordinem diversum assignari ad Primum penes diversas perfectiones, quia unaquaeque perfectionum in Primo esse potest principium unius hierarchiae naturalis, et ita secundum diversas perfectiones simpliciter in prima participatas ordinate a diversis attendi possunt diversi ordines naturales. — Itaque in substantia ut est primum entium est duplex ordo prioritatis: unus in substando aliis, qui ordo utique includit recipere alia, et perfici ab eis: alius actualitatis intensivae; et haec perfectio, in qua secunda prioritas fundatur, est simpliciter maior priore. Siquidem prima convenit potentiali, aut saltem illud requirit, cui convenit esse potentiale. Quantitas autem propinquior est substantiae secundum primam rationem, quia immediatior illi penes rationem receptivi. At qualitas propinquior est substantiae iuxta aliam rationem; ipsa enim est principium agendi, quod actus est, non sic quantitas, et ex eo apparet minor actualitas eius.

Ad fundamentum opinionis improbatae respondeo sic: [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 5.] nullum ens est formaliter singulare per aliquid alterius generis; sicut enim in quolibet genere est invenire supremum in coordinatione eius generis, et genera subalterna, et species, ita dandum est aliquod infimum per se in illa coordinatione, de quo omnia praedicentur, et ipsum non de alio. Qualitas ergo, etiam quando est in quantitate, non est haec et individua formaliter per quantitatem; si ergo

eius individuationis est causa, est causa extrinseca singularitatis qualitatis. Qualitas autem esse potest singularis sine tali causa extrinseca; separata igitur a quantitate foret *haec* et individua per se et formaliter, esto talis non esset per causam extrinsecam, quod ultro concedimus. Sed nulla interim tali in facto implicaretur contradictio.

Alia opinio extrema est, [*Oxon.* ib. n. 13. — *Report.* ib. n. 11.] nullum accidens esse posse subiectum accidentis alterius, ac proinde quodcumque accidens in Eucharistia extra subiectum existere; idque existimatur probari argumentis relatis pro parte negativa. — *Contra,* illud est per se subiectum alicuius accidentis, de quo aliquod accidens praedicatur per se secundo modo: de aliquo accidente sic aliud accidens praedicatur; ergo est subiective in illo, de quo vere dicitur. *Probatio maioris*: illud de quo praedicatur accidens per se secundo modo cadit in definitione accidentis ut additum; et non additum nisi ut subiectum, quia nullam aliam dependentiam praesefert definitum ad tale definiens. *Minor patet,* quia universim omnes passiones demonstratae in tota scientia Mathematica demonstrantur de accidentibus, et per se secundo modo dicuntur de eis, adeo ut quaelibet scibilis passio aeque sciretur de subiecto, cuius est, si nulla substantia corporea reperiretur in universo; non enim tunc minus triangulus haberet tres angulos aequales duobus rectis, si nulla substantia foret triangularis; est igitur omnino falsum nullum accidens esse alterius accidentis subiectum. Hoc ipsum etiam directe docet Avicenna, 2. *Metaph., suae cap.* 1., ubi exemplificat de motu, qui est subiectum velocitatis et tarditatis. De accidentibus denique relativis patet id omnino falso opinari, ex ratione adducta *ad oppositum.*

Has inter extremas opiniones *mediam* amplectentes, [*Oxon.* ib. n. 14. — *Report.* ib. n. 12.] principio distinguendum est de *subiecto.* Nam vel potest accipi pro eo quod ultimate terminat dependentiam alicuius actus per accidens, vel pro quocumque terminante eam dependentiam proxime, etsi non ultimate. Et quidem iuxta priorem acceptionem evidens est, praeter substantiam nihil esse posse accidentis subiectum. Sed iuxta posteriorem intellectum, dicimus fieri posse ut aliquod accidens sit alterius accidentis subiectum, uti probant rationes contra secundam opinionem, et possibile item esse accidens quodcumque absolutum esse sine subiecto, seu uno, seu alio modo subiectum accipiatur, ut ostendimus arguendo contra primam opinionem. Sed possibile non est accidens respectivum esse sine subiecto secundo modo, quia fieri nulla ratione potest ut sit respectus inter duo, quin ipse respectus sit alicuius et ad aliquid; idque non quia accidens est, sed propterea quod respectus sit; esse autem non potest respectus alicuius ad aliquid, nisi insit illi cuius est respectus; et subinde si est accidentis, inerit sibi tamquam accidens. Haec de *possibili.*

Ad *factum* quod attinet, [*Oxon.* ib. n. 15. — *Report.* ib. n. 12.] dicimus, accidens respectivum in Eucharistia reperiri in subiecto iuxta priorem acceptionem subiecti. Quantum ad absoluta, diversimode de quantitate opinantes, exinde necessario diversa inferunt illata. Existimantes igitur, quantitatem propriam importare essentiam absolutam, a substantia corporea et qualitate diversam, sentiunt quantitatem in hoc Sacramento esse extra subiectum, sed non qualitates, sed magis has quantitati ut subiecto inhaerere. Pro hac communi opinione occurrit haec probabilis ratio: qualitas in Eucharistia est extensa, ut patet ad sensum: non est

autem essentialiter extensa sine extensione, quae sit intrinseca qualitati, sed tantum per accidens, iuxta istam opinionem. Sed omne extensum per accidens, vel recipit extensionem in se, qua extenditur per accidens, vel certe recipitur in extenso. Cum igitur qualitas non recipiat in se extensionem, ut aiunt Auctores huius opinionis, sequitur ipsam praecise esse per accidens extensam, quia in extenso recipitur. Quod et concordat cum eo quod dicit Aristoteles in *Praedicamentis,* cap. *De Quantitate: Quanta est superficies, tanta est albedo.*

At sentientes substantiae corporeae quantitatem non esse aliud ab essentia talis substantiae, et coloris quantitatem non esse quid diversum a colore, consequenter dicerent, qualitatem in Eucharistia non inhaerere quantitati, ut subiecto, imo magis quantitatem, quae apparet esse quantitatem qualitatis.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 16. — *Report.* ib. n. 15.] quodlibet accidens in Eucharistia carere subiecto, prout subiectum est id quod ultimate terminat accidentis dependentiam. Nec plus probat ratio accepta *ex* 7. *Metaph.* Ideo autem in definitione omnium accidentium additur substantia, quia nullius potest haberi conceptus perfectus quietans intellectum, nisi addatur substantia; sed non propterea substantia est immediatum additum in definitione cuiuscumque accidentis, imo in definitione alicuius est immediatum, tamquam proximum receptivum, in definitione vero alterius est additum ut mediatum receptivum, mediate terminans eius dependentiam, et immediate dependentiam alicuius alterius ad quod illud dependet.

Ad secundum, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 14.] ad *primam* antecedentis probationem ex Philosopho, 4. *Metaph.*, respondeo, τὸ *quia* non esse notam causae, sed concomitantiae, ut sit sensus: non accidit accidens accidenti, nisi *quia,* idest quando ambo accidunt alteri. Hoc enim erat necessarium apud Philosophum, qui non putabat permanere posse accidens sine subiecto. Sed nos certissima fide instruimur, et certificamur de opposito. — *Cum probatur* [*Oxon.* ib. n. 17. seqq. — *Report.* ib.] per rationem de per se esse, et in alio esse, dicimus, eo modo, quo ista sunt propria substantiae et accidenti non competere accidenti per se esse, nec sub stare, sicuti nec substantiae inhaerere. Sed eiusmodi *substare* est ultimo terminare dependentiam inhaerentis, quod nos nulli accidenti attribuimus. — *Ad aliam, rationem cum dicitur:* non potest terminare dependentiam eiusdem rationis; *concedi* potest omnino eiusdem rationis, quia alia independentia requiritur in terminante ultimo, quae independentia omnino prohibet dependentiam illi similem, quae est ad ipsum. Sed dependentia quae est aliquo modo eiusdem rationis non repugnat terminanti dependentiam. Quemadmodum omnis creatura dependet ad Deum, idque in ratione causae effectivae; et tamen una creatura dependet ad aliam, sicut ad talem causam, sed non ut ad causam omnino primam, qualis est dependentia ad primum principium. Quare etsi omnia accidentia dependeant ad substantiam ut subiectum ultimate terminans, nullumque accidens sic alterius dependentiam terminare queat, potest tamen non ultimo unum alterius inhaerentiam terminare, eique subesse.

Ad tertium respondeo, [*Oxon.* ib. n. 18.] si sermo sit de accidente absoluto, concedo consequentiam de possibili. Si arguas de accidente respectivo, per hoc, quia dependentia ad primum est essentialior, quam de-

pendentia ad aliquod posterius; *respondeo:* dependentia relationis ad fundamentum essentialissima est, adeo ut citra eam relationis essentia non subsistat. Si ergo substantia esse non potest fundamentum alicuius relationis, sed tantum accidens, necesse est illam relationem essentialius ad accidens dependere, quod esse potest eius fundamentum, quam ad substantiam. Id vero ita se habet, non quia relatio est accidens, sed quia relatio est relatio.

Ad quartum [*Oxon.* ib. n. 19. — *Report.* ib. n. 13. seqq.] negandum est relationem accidentalem esse posse sine subiecto, accipiendo subiectum iuxta priorem intellectum, quo modo fundamentum eius relationis est subiectum. — *Ad probationem* vero per divisionem, aut inquantum relatio, aut inquantum accidens dico, divisionem esse insufficientem: est enim dare medium, scilicet, inquantum relatio accidentalis. Illa enim relatio quae formaliter constituit suppositum per se non est in aliquo subiecto. Nam suppositum est per se ens, non habens formale inhaerens, proprie loquendo de inhaerente: quaelibet autem relatio accidentalis minime est illius suppositi constitutiva, et per consequens cum sola illa quae suppositum constituit sit non inhaerens, accidentalis relatio alteri inhaereat oportet.

Estque id manifestum in aliis: [*Oxon.* ib. n. 20. — *Report.* ib.] multa enim sunt specialia, quibus aliqua repugnant, non tamen repugnant per naturam unius communis reperti in eis, nec per naturam alterius, sed per naturam propriam, quae ambo coniuncta includit. *Exemplum:* homini repugnant irrisibilitas; si arguas: ergo aut inquantum intellectualis, aut inquantum animal. Si primum, igitur repugnaret et Angelo; si secundum repugnaret bovi: quare neutrum est dandum, quia praecise id homini repugnat prout est animal rationale. Sic in proposito, inquantum relatio est accidentalis repugnat sibi non esse in subiecto. — *Potest etiam aliter responderi* sic: relationi unde relatio repugnat non esse in subiecto, extendendo illud ad fundamentum; nec enim relatio divina est ita per se, sicut essentia divina est per se; nam simpliciter est ad se ens nullo modo indigens ad sui *esse* alio quocumque. Nec est ita per se ens, sicut suppositum est per se ens; relatio itaque divina necessario est in fundamento ex sui ratione formali, ut in praesupposito, et necessario est in supposito, ut vel in praesupposito, vel ut formaliter per ipsam constituto. — *Quum ergo arguitur:* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 17.] essentia divina est infinita: relatio divina est essentia, ergo relatio est infinita, est figura dictionis. Nam in abstractis esse quidem potest praedicatio identica; at ubi praedicatum est adiectivum, nequit esse vera nisi sit formalis. Hic autem maior est formalis, et minor vera in sensu identico, et ideo *quale quid* commutatur in *hoc aliquid*, idest praedicatio identica in formalem; et ideo nulla est deducta illatio.

ARTICULUS III.

UTRUM SPECIES QUAE REMANENT IN HOC SACRAMENTO POSSINT IMMUTARE ALIQUID EXTRINSECUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 77. *art.* 3.

Videntur accidentia extra subiectum constituta haud immutare posse aliquid extrinsecum. Nam [*Oxon.* 4. d. 12. q. 3. n. 1. — *Report.*

ib. n. 1.] destructo essentialiter priori, destruitur posterius: prius essentialiter est *esse,* quam *agere;* cum igitur *esse* accidentis sit inhaerere subiecto, hoc sublato, destruitur omne *agere* ipsius. — *Confirmatur* secundum Boëtium de Hebdomadibus: *In omnibus citra Deum differunt quo est, et quod est.* Forma igitur, quae nata est esse *quo* respectu actionis eliciendae, nequit esse agens, sed id erit tantum suppositum, quod natum est eam formam possidere. *Exemplum:* anima est *quo* homo est *homo,* ideo anima non potest esse homo; ergo nec forma, quae nata est esse quo aliquis agit, potest esse agens.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] *De Gener.*, text. 87. *oportet agens et patiens communicari in materia:* sed substantia, cuius erant accidentia separata, communicabat in materia cum aliquo, cum quo non communicant haec accidentia extra subiectum existentia; ergo nulla est eis actio, aut passio attribuenda. — *Rursus,* 7. *Metaph.*, text. 28. ideo *esse* non potest principium gignendi compositum, quia est forma tantum; ergo nec accidentibus istis inest vis producendi compositum, cum formae sint sine materia.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib.] Si separatis accidentibus attribuitur actio omnis quae ipsis competebat dum erant in subiecto; ergo species intelligibiles ab intellectu separatae, et charitas extra voluntatem constituta poterunt in easdem actiones, in quas exibant cum propriis inerant potentiis: *consequens* est falsum; alioquin ut species citra intellectus concursum intelligeret, sic charitas, non concurrente voluntate diligeret: ii autem actus solius sunt naturae intellectualis; est igitur impossibile ut aliis conveniant naturis seu in toto, seu in parte.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 22.] Destructa substantia ignis maximi, et stantibus accidentibus eius, aut gutta aquae eis approximata destrueretur, aut non. *Si primum;* ergo accidens ut potest corrumpere substantiam, ita et agere ad eiusdem productionem. *Secundum* autem omnino absurdum videtur et contra sensum; praestat igitur abdicare accidentibus separatis omnem activitatem.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib.] Accidentia separata in Sacramento Altaris sunt sensibilia; experimur enim nos sensibus illa percipere; possunt etiam alterare passa sibi approximata, ut si modica aqua affunderetur speciebus vini; ergo in aliquam actionem possunt, in quam subiectis unita poterant. — *Amplius,* in omnem prorsus posse actionem ut prius poterant, *probo:* forma manens eadem in *esse* habet eamdem virtutem; potest igitur esse principium eiusdem actionis; accidens autem separatum manet secundum se idem quod prius.

RESPONDEO dicendum [*Oxon.* ib. n. 17.] accidentia separata eodem modo agere intentionaliter et realiter, ac coniuncta subiectis eorum. *Probatio:* cuiuscumque actionis est aliqua forma totale principium activum, illa si esset per se sub modo convenienti ad agendum, valeret in eamdem actionem exire: sed qualitas est principium omnimodum et formale actionis realis et intentionalis, et quando est a substantia separata adest sibi modus conveniens ad agendum, est enim extensa perinde ac prius quam a subiecto separaretur ergo separata potest in utramque actionem. *Maior patet,* quia totali principio posito, et sub ratione, sub qua natum est esse principium, potest principiari illud, cuius ponitur principium. *Probatio minoris:* illa forma est principium

actionis, quae est principium assimilandi sibi passum, non tantum realiter ut in actione reali, quae est in contrarium, sed in actione intentionali, quae est in sensum. De prima patet, quia terminus formalis simpliciter est similis formae accidentali; ergo illa potest esse principium agendi *quo. De secunda autem probatur;* quia similitudo in sensu deficit quantum ad aliquid, a similitudine reali in passo; ergo quantum est ex parte huius formae ut agentis, perinde esse potest principium huius actionis, ac illius. Quod si in sensatione reperiatur aliqua perfectio ulterior, id profecto non evenit inquantum est in qualitate sensibili, sed magis prout de sensitiva potentia procedit.

Utrum [*Oxon.* ib. n. 37.] autem quantitas separata omnis expers sensibilis qualitatis ageret in sensum? Nobis videtur, minime ab tali obiecto sensum immutatum iri. Nam vel sensibilia communia (iuxta aliquorum opinionem) nullam actionem exerunt in sensum, etsi sensibilibus propriis praestent modum agendi, citra quem modum non sunt apta immutandis sensibus. Vel si una cum sensibili proprio causent propriam speciem, (alioquin quomodo proprie sentirentur?) non tamen eam causare queunt sine sensibili proprio concomitante; non quidem quia sensibile commune sit prius, quam qualitas sensibilis *primo,* et ita *secundum* se possibile separari ab illa; sed non prius in agendo in sensum, et proinde inquantum huiusmodi non est separabile a sensibili proprio; et forte ratio est, quia sensus est primo potentia receptiva sui proprii obiecti, ac propterea a nullo alio recipere potest alium actum, nisi prius naturaliter sit in actu respectu proprii sensibilis. Quamvis igitur quantitas separata, omni carens qualitate, posset immutare intellectum in debita proportione sibi praesentem, respectu tamen intellectus nostri eam non habet efficaciam. Siquidem intellectui nostro non est praesens nisi per speciem, quae non potest causari in intellectu, nisi prius species obiecti fuerit in sensu.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 32. — *Report.* ib. n. 21.] illam propositionem, *destructo priori destruitur posterius,* veram esse de priori simpliciter, a quo essentialiter posterius dependet; non vero de illo quod etsi quodammodo sit prius, non tamen ab eo sic posterius dependet. Quare etsi actio accidentis essentialiter dependeat ab eius existentia, non sic autem se habet ad inhaerentiam, quia haec nec ad eius essentiam spectat, nec est passio ipsius. Verum est tamen quod inesse est prius quam agere considerando ordinem causarum naturalium. Sed *hic* is ordo non attenditur. — *Ad confirmationem* per Boëtium potest dici sic: [*Oxon.* ib. n. 35. — *Report.* ib. n. 22.] quemadmodum ipse loquitur de *quo est* et *quod est,* cuilibet causato insunt haec aliquo modo distincta; ut enim nullum creatum est purum *esse,* sic aliud est *quo est,* et aliud *quod est.* Sed propterea non oportet ut in quolibet creato *quo agit,* et *quod agit* sint distincta. Si enim anima est essentia simplex, idemque suae potentiae realiter, profecto non est aliud *quod* agit actione intellectiva, et *quo* agit; et ita hic istud est quoddam ens et accidens simplex, nec aliud informans. — *Exemplum* [*Oxon.* ib. n. 36. — *Report.* ib.] adductum de anima et homine non probat, nisi de *quo,* et *quod* in essendo; idque accipiendo *quo* partiale, non *quo* totale; quod dico, quia homo, ut *quo* totali, humanitate est homo; sed per animam est homo ut *quo* partiali. Atque ita est intelligendum

quod dicitur de forma totius, et forma partis. Forma siquidem totius est quidditas rei includens utramque partem essentialem, et illa non est aliud realiter ab ipso. Quod si sic forte sit aliud, tantum est aliud in modo intelligendi, et tantum isto modo possunt differre *quod* et *quo* respectu actionis, quando *quo* est *quo* totale quod semper est, ad minus quando ipsum *quo* nulli alii inest, et forte etiam quando alii inest; quia tunc subiectum nullam causalitatem habet propriam respectu actionis; sed tamen tunc denominatur ab illa actione denominatione remota, quia denominaretur a principio *quo* illius actionis.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. n. 38. — *Report.* ib. n. 23.] respondeo, *primam* Philosophi auctoritatem exponendam esse de communicatione aptitudinali, vel actuali; et revera accidentia haec separata nata sunt communicare cum passo in materia sui subiecti. Ex quo enim haec forma est eiusdem rationis cum forma terminante, consequens est, ut sicut forma terminans est in materia, ita ista nata sit esse in materia. Sed non oportet profecto ipsam esse actu in materia, sicut altera est, quae terminat actionem eius. Siquidem agere est formae maxime per se entis; sed recipi, vel produci non est formae, nisi in aliquo susceptivo. — *Ad aliam Philosophi auctoritatem ex 7. Metaph.* dico, [*Oxon.* ib. n. 39. — *Report.* ib. n. 25.] Aristotelem arguere contra Platonem, et probare ideam non esse principium gignendi substantiam compositam: nulla enim substantia omnino immaterialis potest generare substantiam compositam, secundum ipsum, nisi mediante corpore. Posuit enim ordinem causarum in universo esse simpliciter necessarium, nec Primum quidquam causare posse praeter aut contra hunc ordinem. Sed nos non admittimus hanc eius hypothesim, qua negata, et ipse admitteret accidens separatum posse per se agere. Sed de his late disputatum fuit *p.* 1. *q.* 105. *art.* 1. *et* 2.

AD TERTIUM respondeo: [*Oxon.* ib. n. 40. — *Report.* ib. n. 24.] si species intelligibilis poneretur totale principium intellectionis, et charitas similis causa dilectionis, haberet aliquam apparentiam illatio inferens quod eaedem causae separatae a potentiis exire possent in proprios effectus. Sed nos dicimus, speciem esse tantum partiale principium intellectionis, et quidem minus principale, et consimiliter habitum esse causam minus principalem respectu potentiae eo praeditae. Principium autem minus principale numquam potest agere, nisi principaliori prius naturaliter agente; idque loquendo de prioritate ex parte agentis, non ut actio recipitur in passo; nam sic simul natura terminatur actio agentium ordinatorum in passo ad formam.

AD QUARTUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 20. seqq.] ex suppositione quod accidentia separata possint in omnem gradum alterationis in quem poterant coniuncta, non sequi exinde valere corrumpere substantiam, vel minimam. Nam agens naturale separare non potest corruptionem a generatione; cum enim annihilare non possit, nequit subinde unum corrumpere, quin in fine corruptionis aliquid relinquatur. Nec corrumpere valet in accidens per se existens; quia vires naturae excedit separare accidens a subiecto, sic ut permaneat separatum; necessario ergo eiusmodi actio alterativa terminatur ad substantiae corruptionem, et in alterius productionem: impossibile est autem accidens producere substantiam, ut declarabitur *articulo sequenti.*

At urgebatur in argumento, [*Oxon.* ib. n. 22.] inverisimile videri tantum caloris, ut supponitur, non absumere aquae guttam. *Responsio:* attenta praecise activitate caloris, quantumvis intensi, necessario ita inferri debere. Nam impossibile est imperfectius corrumpere perfectius se ipso a toto genere, uti est substantia ad genus accidentis comparata. Ne tamen hoc contra sensum dictum videatur, concedi potest, tunc aquam corruptum iri, non quidem a qualitatibus contrariis, sed ab agente universali creato, nempe a caelo, praecipue cum forma hic inducenda sit imperfecta, quae realiter est in virtute activa caeli; particulari itaque agente disponente, posset forma illa per influxum stellarum induci, sicut iisdem influxibus producuntur quaedam aliae formae imperfectae in materia; et si esset aliqua forma, ad quam inducendam non sufficeret, recurrendum est ad primam Causam simpliciter; ex illa enim foret eius formae productio, praevia dispositione agentis naturalis. Nec ita sentire est fugere ad miraculum. Nam regulariter omnem impotentiam naturae creatae Deus supplet, ut patet in animatione corporis organici; ubi tamen non ponitur miraculum. Ita hic tota virtute activa accidentium inducente dispositionem ad formam substantialem, et aliud efficere nequeunte, causa universalis creata vel increata supplet naturae defectus.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM ACCIDENTIA SEU SEPARATA SEU CONIUNCTA SINT PRINCIPIUM PRODUCTIVUM SUBSTANTIAE.

Doct., Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 3. — *d.* 13. *q.* 1. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 77. *a.* 3. — § Ad tertium *et* 4. *d.* 12. *art.* 1. *q.* 1.

VIDENTUR accidentia, seu separata seu coniuncta propriis subiectis esse principium substantiae productivum. Etenim [*Oxon.* 4. d. 13. q. 1. n. 34.] quando aliqua sunt essentialiter ordinata, plus distat tertium a primo, quam secundum: sed in creatura sunt essentialiter ordinata *essentia, esse,* et *potentia:* ergo plus distat potentia ab essentia, quam *esse:* sed *esse* differt realiter ab essentia; ergo nulla essentia, vel forma substantialis esse potest immediatum principium agendi; agit igitur substantia ad substantiae productionem mediis accidentibus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quotiescumque sunt duo actus, quorum neuter includit alium, non reducuntur in idem principium: sed perficere materiam, et abstrahere a materia sunt duo actus in anima non sese includentes; uterque enim esse potest sine alio, primus sine secundo, ut in puero, et dormiente; secundum etiam sine primo, ut in anima separata: actus autem prior, scilicet dare *esse* materiae, competit essentiae, ut proximo principio formali; ergo actus posterior non procedit ab essentia, et consimiliter de aliis substantialibus formis respectu actionum quarum videntur principia.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 39.] Possibile est creaturam in virtute Dei causare aliquam cognitionem propriam de Deo; ergo multo magis possibile est accidens in virtute substantiae causare substantiam. *Antecedens probatur:* nam possibile est aliquam cognitionem propriam

habere de Deo, et nonnisi per creaturam; nihil enim aliud movet intellectum viatoris.

CONTRA. Accidentium est disponere subiectum, ut aptum sit excipiendi formam ab agente proportionato inducendam in ipsum; ergo non influunt in formae productionem, ne instrumentaliter quidem. *Probatio consequentiae:* agenti exeunti in causalitatem suam adaequatam respectu essentialiter posterioris non inest vis attingendi essentialiter prius: accidens est substantia essentialiter posterius, habens causalitatem suam adaequatam respectu accidentis, penes quod solummodo passum sibi assimilat; ergo nulla ratione dici potest influere in substantiam, nisi disponendo passum ad formae substantialis receptionem.

RESPONDEO: [*Oxon.* 4. d. 12. q. 3. n. 4. — *Report.* ib. n. 2.] *est hic opinio* negantium formas substantiales esse immediatum et proximum principium agendi; arbitrantur enim eas agere mediantibus qualitatibus activis et passivis, tamquam propriis instrumentis, ut dicitur 2. *De Anim.* de calore naturali quo anima agit: ac propterea qualitates non agunt in virtute propria, sed magis polleant ea vi attingendi substantiam, ex virtute eis indita a formis substantialibus. Actio itaque qualitatum, nedum ad formam accidentalem terminatur, verum etiam ad substantialem, et propter hoc generatio est terminus alterationis. Huiusmodi vero virtutem instrumentalem recipiunt eo ipso, quod a principiis essentialibus substantiae causantur; unde sicut amota substantia idem *esse* secundum speciem superest accidentibus virtute divina, ita etiam remanet in eis eadem virtus, qua prius praedita erant. Hinc sicuti coniuncta poterant influere in productionem formae substantialis, ita et separata. Et si instetur, quia nihil agit ultra speciem suam; illico respondent, id verum esse, attenta propria agentis virtute; at posse virtute alterius, cuius est instrumentum, sicut serra agit ad formam scamni.

Nos 1. *p. q.* 115. *art.* 1. declarantes substantiam esse immediatum ac proximum principium alterius substantiae productivum, *egimus contra hanc opinionem,* et abdiudicandam esse ostendimus accidentibus vim attingendi substantiam etiam instrumentalem. Nunc ad ampliorem declarationem, etsi necessario quaedam ibi dicta sint rursus tangenda, contra arguimus sic; et primum percontamur, quid ipsi intelligant, dicendo, *accidentia agere in virtute substantiae?* Nam [*Oxon.* ib. n. 5, — *Report.* ib. n. 3.] seu intelligatur absolutum, seu respectivum, in quonam est illud? Si in absoluto, quod est substantia, cum substantia panis simpliciter non sit, sequitur quod per non ens accidens gignit substantiam. Si in absoluto, quod est accidens, nihil est ibi accidente nobilius; ergo non magis poterit in aliquid perfectius se virtute propria, quam virtute sibi communicata a substantia. Si vero intelligatur habitudo accidentis ad substantiam ut ad causam priorem, cum ad nihil non sit aliqua habitudo, et panis conversus non sit aliquod ens, sequitur circumloquutione illa, *in virtute alterius,* non poni aliquod positivum, et ita idem quod prius.

Caeterum [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib.] ita opinantes, ex eo quod dicant eam virtutem causari a principiis essentialibus substantiae, videntur sensisse ipsam accidentibus inhaerere. Si hunc sensum amplectantur, convincuntur per tactum argumentum; quia cum nihil in accidente repertum sit eo nobilius, non potest accidens hanc virtutem in aliquid

perfectius, ac efficere queat ex se. — *Deinde,* quod non est nullam rationem causae habet respectu geniti, quum generatur; siquidem non ens, quando non est, nihil causat in quocumque genere causae: substantia, quam accidens afficiebat, non est; ergo substantia illa nullam causae rationem, seu propinque seu remote, habere potest respectu effectus causati ab accidente; non igitur causat aliquid in virtute substantiae, tamquam causae superioris. — *Amplius,* nihil est causa instrumentalis illius, ad quod sua virtus activa sola sufficit producendum. *Declaratio huius:* [Cf. *Oxon.* 4. d. 1. q. 1. — d. 6. q. 5.] si accipiatur instrumentum stricte, sicut serra et securis, dicuntur instrumenta moventia quatenus mota; tali quippe instrumento non inest forma ex se sufficiens ad producendum, sed praecise producitur per motionem principalis agentis. Si etiam instrumentum accipiatur, prout causa inferior dicitur instrumentum, vel forma, quam talis causa recipit per motionem agentis superioris, qua utique forma agit, adhuc nullum istorum instrumentorum per formam suam potest in effectum respectu cuius est instrumentum; sed oportet ad effectum illum concurrere simul concausans illud, cuius est instrumentum. Atqui accidens per suam formam praecise citra omnem substantiae actionem agit quodcumque agat; ergo nullo modo influit in effectum in virtute substantiae, vel ut instrumentum eius. Accedit etiam, quod in sententia opinantium, est movens motum: accidens autem in casu non est motum a substantia, cum transiisse supponatur in Corpus Christi; ergo accidens non est substantiae instrumentum.

Quod vero substantia sit immediatum et proximum principium activum respectu substantiae genitae, et etiam accidentium, deductum est *p. p. q.* 115. *cit.* Sed quia eadem doctrina hic pariter ingeritur, rursus probo idipsum *primo* sic: nihil [*Oxon.* ib. n. 10.] est instrumentum alicuius causae, nisi superioris causae in genere causae efficientis; ergo si accidens coniunctum, secundum illos, est instrumentum substantiae, substantia sit oportet superius agens: sed superius agens prius naturaliter agit, et si est naturale agens, aget quicquid, et quantum potest; ergo substantia in illo priori, in eodem tamen instanti durationis, producet terminum, quem attingere potest. Valet autem totam substantiam gignere; nam perfectio substantiae productae non excedit perfectionem substantiae agentis; ergo in secundo instanti naturae accidens non producit substantiam, vel eadem bis produceretur. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 4. seqq. — Cf. 1. p. q. 77. a. 6] omnis potentia mere passiva est potentia contradictionis, 9. *Metaph.,* text. 17: subiectum non est in potentia contradictionis ad propriam passionem; ergo subiectum exerit aliquam causalitatem respectu eius, aliam a materiae causalitate; nonnisi autem causae efficientis, quia non formalis, patet. De fine autem non est sermo hic, quod et illi videntur concedere, dicentes alibi, potentias fluere ab essentia animae; hic vero contendunt esse attribuendam accidenti virtutem instrumentalem, quia causatur a principiis essentialibus substantiae, quae profecto intelligi nequeunt tantummodo passive in ordine ad subiectum receptivum. — *Tandem,* [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib.] si accidens producitur, et per aliquod principium immediate productivum eorum, quod iuxta opinantes est accidens, quaero ordinem essentialem in istis accidentibus; ubicumque enim est ordo accidentalis in gene-

rabilibus, danda est aliqua causa extra illum ordinem essentialiter perfectior; ergo respectu accidentium singularium in specie caloris est alia causa proxima essentialiter ordinata ad totam istam speciem: et non est procedere in infinitum in ordine essentiali; ergo stabitur ad aliquam speciem accidentis, quae erit causata, et non ab alio accidente, sed immediate a substantia producta; substantiae igitur est necessario attribuenda ratio principii activi et immediati respectu accidentis.

Ad quaesiti solutionem esto PRIMUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 7.] Accidenti, seu separato seu coniuncto, nulla competit actio instrumentalis respectu substantiae generandae. Haec conclusio manet probata ex dictis contra praecedentem opinionem. Et quidem accipiendo instrumentum pro quacumque causa, sive attingente terminum principalis agentis, sive pro causa secunda proprie dicta, sive pro parte qua totum agit, sive pro recipiente tunc formam activam qua agit, sive recipiente tunc solam motionem, veluti effectum praevium effectui principali, in his omnibus requiritur illud, cuius est instrumentum, concurrere in suo ordine causandi. Quod autem non est, nihil causat in quocumque genere causandi.

Ultra tamen hos modos, [*Oxon.* ib.] instrumentum dicitur causa praevia dispositiva ad terminum, licet habeat actionem illam dispositivam in propria virtute, qua ratione concedimus, accidens esse substantiae instrumentum, quia potest causare actionem dispositivam ad terminum substantiae agentis. Sed nec isto modo potest accidens esse instrumentum substantiae in proposito, quia substantia quae non est nullum terminum inducit, nec inducere potest in fine alterationis factae per illa accidentia.

Ex quo patet solutio ad deductionem ex 2. *De Anim.* pro illa opinione. [*Oxon.* ib. n. 8.] Non enim aliud vult Philosophus, quam calorem esse instrumentum animae iuxta ultimam hanc acceptionem; nam calor digerens atque alterans nutrimentum est animae instrumentum, per quem in termino eius alterationis gignitur, aut aggeneratur substantia. Unde sunt ibi duae actiones, duoque principia agendi; quia praeviae alterationis principium agendi est calor; sed formae carnis inducendae principium est anima, vel forma carnis; et primum agens dicitur instrumentum respectu secundi, non proprie subordinatione virtutis ad virtutem, sed effectus ad effectum; et propterea magis proprie diceretur agens dispositivum, quam instrumentale.

Cum dicitur: [*Oxon.* ib. n. 9.] generatio est terminus alterationis; *hoc magis est ad oppositum;* non est enim intrinsecus terminus alterationis, sed extrinsecus, ac prorsus alterius generis. Generatio enim habet proprium terminum secundum genus priorem proprio termino alterationis. Quod autem propria pollet causalitate et adaequata respectu posterioris essentialiter, non sequitur habere pariter causalitatem respectu prioris essentialiter, imo evidenter sequitur oppositum; igitur eo modo quo generatio est terminus alterationis fieri non potest ut principium alterationis attingat terminum ipsius, nisi mediate, quatenus attingit quoddam ad eumdem terminum ordinatum.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 13.] Accidens esse non potest principium effectivum generandi substantiam principaliter. *Probatio:* omne agens totale vel est univocum, et ita aeque perfectum ac productum,

vel aequivocum, et ita perfectius: accidens est omnino imperfectius substantia; ergo nulla sibi suppetit virtus agendi ad substantiae productionem. Porro additum est in maiori *agens totale;* quia nullum est inconveniens agens aequivocum partiale esse producto imperfectius. Unde albedo una cum intellectu concurrens ad intellectionem est ipsa intellectione longe imperfectior. Quare haec propositio, [*Oxon.* ib. n. 14.] *simpliciter imperfectius secundum speciem, vel genus, esse nequit totale principium activum respectu perfectioris,* est mihi perinde nota, ac quodvis aliud principium primum in Philosophia. Ea siquidem negata, probari non posset aliquis ordo entium, imo nec Primum esse entium perfectissimum; imo posset proterviendo dici, totum universum, et quicquid eo continetur factum esse a musca; si enim non obstante quod aliquid est producto imperfectius, adhuc esse potest causa omnimoda ipsius, pariter et musca, quantalibet imperfectione scateat, producere potuisset universum; ex tali ergo protervia probari non potest Causam primam esse perfectissimam, ac fontem omnis perfectionis repertae in entibus, ne quidem addendo ipsam esse causam aequivocam, quia cum eo stare posset quod foret imperfectissima, et caeteris causatis imperfectior, semel admisso quod imperfectius esse queat omnimoda causa perfectioris. Quare propter nullas instantias particulares neganda est illa propositio universalis, quae nota est ex terminis, quae est, totale causans esse non potest imperfectius suo causato in genere causae effectivae; et totale causans aequivocum esse oportet perfectius causato, quia non aeque perfectum; species enim se habent ut numeri. — Quod si illa propositio videatur falsa ex eo quia virtus in semine imperfectior est anima vegetativa et sensitiva, quarum nihilominus ea virtus esse videtur causa totalis; nos dicimus rationes seminales non attingere animas vegetabilium et brutorum, sed naturae Auctorem supplere ea, ad quae naturae vires non pertingunt, ut late extitit declaratum 1. *p. q.* 118. *art.* 1. *et* 2.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* ib. d. 13. q. 1. n. 38.] nobis videri simpliciter falsa illa propositio, *esse est aliud ab essentia.* Nam incompossibile est genitum ut genitum per se habere unum *esse,* si *esse* sit aliud ab essentia: genitum autem ut genitum, sive primus terminus generationis, est per se unum. Esto autem quod esset talis ordo quem fingunt *esse* et potentiae, dicimus, fore ut potentia praecederet ipsum *esse.* Etenim in quocumque instanti naturae, vel durationis essentia intelligeretur, et esset perfecta, in eodem praedita quoque foret perfecto principio operandi operationes convenientes potentiae; et per consequens polleret perfecta potentia; atque ita si *esse* ponatur quid diversum ab essentia, potentia praecederet ipsum *esse.*

Ad secundum dico, [*Oxon.* ib.] *maiorem* propositionem esse simpliciter falsam, quia alioquin ea probaretur nullum esse principium activum in creaturis; nam formam oportet dare actum ipsi quod informat, et si est activum necessarium est, ut respiciat illud in quod causat actum secundum; ista autem sunt disparata, quia citra omnem contradictionem unum potest ab alio separari. *Respondeo* ergo, *maiorem* nec esse veram de actibus ordinatis primo, et secundo; sed simpliciter falsam, quia forma dans actum secundum tribuat etiam oportet et actum primum, et e converso. Et ad hunc sensum revera applicatur in casu de *animare,* et *in-*

telligere; et ideo ad propositum nihil valet *maior* propositio. Quod si vera sit de actibus secundis disparatis, et principio activo limitato, sicuti debet intelligi Philosophus; 2. *De Anim.*, ubi adducitur, nihil facit ad rem praesentem, quia *animare* et *intelligere* non sunt tales duo actus.

AD TERTIUM est responsio duplex: [*Oxon.* ib. n. 39.] *prima,* quia cognitio Dei est accidens, et per consequens non excedit totum genus accidentis immutantis intellectum. Eodem modo si sermo sit de cognitione substantiae creatae et accidente. Possibile est ergo accidens causare cognitionem substantiae creatae vel increatae, absque eo quod causet aliquid sua perfectione nobilius. At secus eveniret si substantiam causaret; quaelibet enim est quocumque accidente simpliciter perfectior.

Alia responsio est ista: [*Oxon.* ib.] obiectum in cognitione possidet *esse* diminutum, et proinde Deus ut cognitus habet *esse* diminutum in cognoscente; at substantia ut in se habet *esse* simpliciter et perfectum. Etsi ergo accidens queat esse principium producendi substantiam in esse diminuto, vel cognito, vel creatura Deum in consimili *esse,* non propterea sequitur accidens pariter esse posse principium producendi substantiam in esse simpliciter quomodocumque, nec ut instrumentum, nec ut agens principale, ut extitit declaratum.

ITERUM ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM ACCIDENTIA ALTERANTIA PRODUCANT GRADUM QUALITATIS INCOMPOSSIBILEM FORMAE CORRUMPENDAE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 77. *a.* 3. Ad tertium *et* 4. *d.* 12. *art.* 1. *q.* 1.

VIDETUR accidentia quae agunt in praeviam alterationem attingere quoque gradum qualitatis incompossibilem formae corrumpendae. Etenim [*Oxon.* 4. d. 12. q. 3. n. 21. et 30.] omnem alterationem, quam potest accidens in subiecto existens causare, eamdem potest efficere si sine subiecto existat, ex dictis *in praec.;* est igitur par ratio de utrisque accidentibus: atqui aliqua qualitas in subiecto potest esse principium agendi ad aliquid incompossibile formae substantiali corrumpendae; pariter igitur poterunt id praestare accidentia separata; ergo de quibusvis alterantibus accidentibus quaeratur, vera erit pars affirmativa: *subsumptum* autem patet ad sensum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 22.] Positis accidentibus separatis magis activum accidens ut calor posset corrumpere frigus separatum in quantitate, non solum quoad perfectissimum gradum eius, sed etiam quoad ultimum, in quo scilicet conservatur forma substantialis: sed non est magis activus calor separatus quam coniunctus substantiae ignis; ergo calor unitus substantiae posset corrumpere omnem gradum frigoris contrarii, et ita introducere gradum incompossibilem formae corrumpendae.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quilibet gradus alterationis est eiusdem rationis; contraria ergo qualitas potens corrumpere unum gradum, potest esse principium corrumpendi ulteriorem, et ulteriorem gradum usque ad ultimum, cum tam ipsa, quam gradus corrumpendi sint eiusdem rationis: corrupto autem quocumque gradu qualitatis, non manet substantia,

cuius est ipsa qualitas; substantia enim nusquam reperitur expers suae naturalis qualitatis.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 21.] Movens non potest inducere gradum incompossibilem suo mobili, quia mobile manet in toto motu; igitur manet sub omni gradu per motum inducto: sed nihil manet sub aliquo sibi incompossibili; cum itaque alteratum quod est moveatur ad formam contrariam, numquam accipit per alterantem gradum sub quo ipsum non esset, quia tunc moveretur, et non moveretur.

RESPONDEO ergo dicendum, fieri non posse ut accidentia alterantia producant gradum incompossibilem formae corrumpendae, licet gradum proximum illi producant. *Declaratio:* [*Oxon.* ib. n. 23. seqq. — *Report.* ib. n. 16. seqq.] nam gradus incompossibilis formae corrumpendae nec est, nec intelligitur in eo, quod movetur ad qualitatem alterantem, nisi sit et producta intelligatur substantia, cui est ille gradus connaturalis; ergo prius est novam substantiam gigni per corruptionem prioris, et postea sequitur ille gradus qualitatis incompossibilis; alioquin enim si priusquam substantia nova gigneretur esset ille gradus, incompossibilia una inessent; non enim gradus incompossibilis inductus, vel inducendus adest, nisi destructa substantia, cui est incompossibilis per proprium gradum qualitatis sibi connaturalis. Sed alterans, ut alterans, non potest corrumpere substantiam, quia prius naturaliter non corrumpitur per aliquid posterius naturaliter: sed quicquid est inductum ab alterante, ut alterans, est posterius natura forma substantiali rei alterabilis; ergo per nihil tale inductum ab alterante corrumpitur substantia rei alterabilis. — *Ex quo statim sequitur,* propositionem illam communiter usurpatam, [*Oxon.* ib. n. 28. — *Report.* ib.] *omnis substantia ideo corrumpitur, quia inducitur aliquis gradus incompossibilis suae propriae qualitati,* non esse veram nisi concomitanter, quatenus scilicet supposita in passo ultima dispositione agens agit ad destructionem formae substantialis, producitque propriam in materia, ex qua sequitur naturaliter qualitas incompossibilis qualitati formae corruptae.

Si dicas: ex hoc sequeretur, aquam non posse corrumpere ignem, quia ignis habet virtutem activam longe perfectiorem aqua; igitur substantia aquae non posset destruere ignis substantiam; *respondeo* [*Oxon.* ib. n. 29. *Report.* ib.] negando *consequentiam,* quia licet imperfectius secundum genus non possit corrumpere perfectius ens secundum genus, sicuti est accidens respectu substantiae, imperfectius tamen secundum speciem, et sub eodem genere, potest agere in aliam speciem perfectiorem, cui desinenti per actionem perfectioris potest succedere aliquid eiusdem generis.

Potest etiam dici, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] quod inter perfectum et imperfectum eiusdem generis est formalis repugnantia, ob quam unum potest agere in alium. Sed inter perfectum unius generis, et imperfectum alterius generis praecise versatur repugnantia virtualis, sicut prius repugnat opposito posterioris, et posterius opposito prioris. Posterius autem secundum genus non potest per se, nisi in opposito sui generis, et ideo non potest in corruptionem prioris secundum genus, cui non opponitur nisi indirecte.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 25.] concedo, alterationem omnem, quam potest efficere accidens coniunctum subiecto, eamdem

efficere posse si sine subiecto existat. — *Et dum dicitur:* accidens unitum potest inducere gradum incompossibilem; *neganda est* ista propositio, quia tantum potest esse principium causandi qualitatem in tali gradu, ad quem sequatur corruptio substantiae, non a qualitate alterante, sed immediate a substantia, cui qualitas alterativa unitur. Si alterans ergo accidens a substantia separatum intelligatur, non adest ibi causa sufficiens destruendae substantiae, cuius proinde interitus si sequatur fortiori est id causae attribuendum.

AD SECUNDUM respondeo: [*Oxon.* ib. n. 30.] si ponerentur qualitates illae contrariae in quantitatibus separatis, quarum altera foret reliqua efficacior in agendo, futurum ut una penitus etiam quoad ultimum gradum destrueretur ab alia; sed nego exinde sequi idem eventurum quando uniuntur propriis substantiis. Et ratio est ista: [*Oxon.* ib. n. 31.] quantitas quae subiicitur frigori a substantia separato non determinat sibi necessario gradum aliquem eius, nec magis infimum, quam summum, quia non adest sibi ulla vis activa, vel necessitas habendi aliquem gradum frigoris; itaque qua potens sit potens corrumpere unum gradum in tali subiecto, valet et quemlibet alium. At quando frigus est in propria substantia, quamquam supremum gradum non sibi determinet, sed contingenter habeat illum, infimum tamen gradum necessario sibi determinat, citra quem ea substantia non subsistit. Etsi igitur ille gradus nequeat resistere contrario valentiori se, subiectum tamen eius, maioris utique virtutis, quam quodlibet accidens, obsistit qualitati alteranti, donec et ipsa per actionem substantiae alterius corrumpatur.— *Et cum arguitur,* quia non est magis activa qualitas per hoc, quod substantiae unitur; *concedo,* secundum se non esse magis activam; et in tantum magis potest agere in hoc contrarium, quam in illud, inquantum ibi accidens non habet causam conservativam sui *esse,* ut conservatur, cum proprio inhaeret subiecto; hic enim substantia resistendo contrariae actioni impedit, ne destruatur gradus ille, in quo conservatur et ipsa; quod autem possit resistere, patet, quia perfectius secundum entitatem est simpliciter perfectius secundum virtutem; cum itaque substantia simpliciter perfectior sit qualitate contraria, eius virtus erit maior in resistendo, quam qualitatis contrariae in corrumpendo.

AD TERTIUM dico: [*Oxon.* ib. n. 24.] gradus qualitatis esse eiusdem rationis potest intelligi dupliciter: nempe vel in se praecise, *vel* in comparatione ad subiectum. Nunc autem comparando ad subiectum gradus qualitatis, ut caloris ad ignem, non omnes sunt eiusdem rationis, quia aliquis est talis naturae, ut necessario eum sibi determinet ignis; hunc ergo nusquam alterans, ut talis est, destruere potest, nisi prius virtute alterius agentis ignis substantia intereat, quod tunc per accidens quoque destruit gradum proprium qualitatis substantiae ignis.

Si arguas: [*Oxon.* ib. n. 25.] quod est posterius generatione est prius corruptione: ista qualitas secundum gradum necessarium substantiae est posterius generatione ipsa substantia; ergo erit prior in corruptione, et ita prius naturaliter corrumpetur, quam substantia: sed nonnisi ab alterante, ut alterans est; *dico* ad hoc, [*Oxon.* ib. n. 26.] *assumptum* non esse verum, nisi de his quae sunt ordinata in generatione et corruptione pertinente ad idem genus, cuiusmodi sunt formae ordinatae, secundum ponentes plures formas; ibi enim forma universalior, sicut prius

advenit materiae, ita posterius discedit. Sed de subiecto, et propria qualitate consequente, secundum gradum substantiae necessarium, falsum est; imo ista qualitas et posterius inducitur, et posterius corrumpitur.

Si quaeras, [*Oxon.* ib. n. 26.] a quo inducitur huiusmodi qualitas propria substantiae a generante ipsam, vel ab alterante. Quamvis ad hoc quaesitum posset sufficienter responderi ex dictis, *dico* tamen breviter, qualitatem necessario consequentem aliquam substantiam secundum speciem non causari a qualitate, vel ab alterante, sed a substantia, quia prima qualitas necessario causatur a substantia; ergo et quaelibet potest causari; est itaque substantia causa aequivoca qualitatis. Quamvis igitur causa univoca posset producere hunc effectum, quia aequivoca est virtutis maioris et efficaciae, ipsum univocam praeveniret. Et tametsi haec substantia posset esse generans, probabilius tamen est gigni ab ipsa substantia genita. Nam agens quanto habet patiens sibi immediatius coniunctum, tanto, caeteris paribus, immediatius et efficacius agit. Cum itaque substantia genita sit immediatum susceptivum propriae qualitatis, etsi generans posset eamdem qualitatem producere, non praeveniret tamen substantia genita in productione talis qualitatis, quia generans non est prius secundum perfectionem substantia genita, sed tantum secundum durationem. Generans igitur per accidens destruit substantiam et qualitatem propriam eius, et per se generat novam substantiam et qualitatem ipsi propriam, non quasi hanc attingat qualitatem, sed quia per se producitur actione substantiae genitae, licet non per mutationem, quia subiectum non praefuit carens ea.

ARTICULUS IV.

UTRUM SPECIES SACRAMENTALES POSSINT CORRUMPI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 5. — *Report. ib. q.* 4.
S. Thom. 3. *p. q.* 77. *a.* 4.

Expenditur quaesitum quoad Qualitates.

VIDENTUR species sacramentales non posse corrumpi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 12. q. 5. n. 1. — *Report.* ib. q. 4. n. 1.] secundum Auctorem *sex principiorum,* forma *est simplex invariabili essentia consistens;* ergo est incorruptibilis, saltem virtute agentis creati. — *Confirmatur,* ex Boëtio, lib. 1. *De Trinit.,* cap. 3.: *Forma simplex subiectum esse non potest:* accidentia separata sunt formae simplices; ergo subiici non possunt corruptioni.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Secundum Philosophum, 7. *Metaph.,* text. 22., *Materia est qua res potest esse, et non esse:* sed accidentia separata sunt expertia materiae; ergo corrumpi nequeunt, ut subinde non sint.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Si accidentia separata ponantur corrumpi; igitur aut in substantiam, aut in aliud accidens. *Si primum:* ergo de accidente fieri posset substantia ac sine materia generari, quod nemo dixerit, dicente Boëtio *De duabus naturis, et una Christi persona: Quae non communicant in materia ad invicem transmutari non possunt. Si in aliud accidens* corrumpi dicantur; ergo viribus naturae potest ac-

cidens sine subiecto generari, ex eo quod aliud naturaliter extra subiectum corrumpatur. *Si denique* accidens ponatur abire in nihilum; igitur agens creatum potest aliquid annihilare, quod est impossibile.

CONTRA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Accidentia eucharistica possunt frangi, teri, et digeri, et ita tamdem corrumpi possunt etiam sumentem nutrire; convertuntur ergo in substantiam nutriendi.

RESPONDEO: [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 2.] *aliqui* declaraturi qua ratione species sacramentales corrumpi; queant, quamvis extra subiectum maneant, arbitrantur causam esse reddendam ex eo quia accidentibus, quae abeunte substantia supersunt, convenit illud *esse* subsistens, quod habebat substantia, cuius erant accidentia. Sicut ergo si maneret substantia panis corrumperetur per alterationem, qua desinerent esse ipsius accidentia, ita pariter corrumpuntur accidentia, quae manent ob simile *esse* existendi, quo substantia subsistebat. Atqui accidentia in substantia possunt corrumpi dupliciter: uno modo manente substantia panis per actionem contrariarum qualitatum, et poterant etiam desinere esse per corruptionem substantiae, quia sicut generatio est terminus alterationis, ita et corruptio. Possunt etiam corrumpi qualitates per divisionem subiecti immediati, scilicet quantitatis; cum enim unaquaeque res habeat determinatam quantitatem, si divideretur quantitas in tam parvas partes, ut sub eis non maneret substantia panis, nec superessent accidentia in ea subiectata.

Contra modum istum declarandi hanc possibilitatem ad corruptionem in speciebus sacramentalibus *arguo primo* contra fundamentum quo innititur, scilicet quod accidentia separata habeant *esse* conforme substantiis quarum accidentia fuerant. Nam [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 3.] ista conformitas existendi accidentium separatorum ad substantiam non potest poni, nec intelligi in aliquo positivo novo, quia nihil tale advenit accidenti per hoc quod est sine subiecto. Omnis ergo eius conformitas ad substantiam hac exprimitur negatione, *non inhaerere actu.* Sed conformitas in ista negatione non sufficit ad hoc ut accidens separatum eodem modo corrumpatur ac coniunctum. Nam ideo destruitur *esse* substantiae, quia est passum proportionatum agenti naturali, scilicet habens partem potentialem, et actualem, quarum potentialis esse potest sine actuali. Sed per hoc quod quantitas separata actu non inhaeret substantiae, non est huiusmodi potentiale, quod recipiat formam incompatibilem quantitati, ut materia ex illa incorruptibilitate formarum deserit per actionem agentis unam formam, et recipit aliam; ergo quantitas non est perinde corruptibilis in subiecto, et extra illud ex illa uniformitate existendi. — *Deinde,* substantia composita necessario sibi determinat qualitatem aliquam propriam in aliquo gradu per modum propriae passionis, citra quem substantia nequit existere; et praesertim id verum est in principiis opinantis, qui arbitratur, eatenus substantiam corrumpi, quatenus propria qualitas desinit *esse,* quod minime subsisteret, nisi necessario determinaret sibi illam qualitatem. Sed quantitas non necessario determinat sibi aliquam qualitatem, nec gradum eius. Nam ita est indifferens ad istam, sicut ad contrariam, et ad quemlibet gradum earum, propterea quod ex principiis quantitatis nulla qualitas aut gradus eius egrediatur; igitur per corruptionem cuiusvis qualitatis non habet corrumpi quantitas; ac per consequens falsum est, species sacramentales posse corrumpi extra subiectum,

sicut in subiecto, ex illo modo uniformi existendi, quem habent earumdem substantiae.

A quo ergo corrumpitur quantitas illa separata? *Respondeo:* [*Oxon.* ib. n. 4.] ab agente supernaturali a quo conservatur a subiecto separata. Inducta enim dispositione ab agente naturali, post quam immediate ageret in corruptionem substantiae panis si adesset, ex qua actione sequeretur novae substantiae et quantitatis productio, desinit Deus conservare illam quantitatem, de quo *art. seq.*

Est ergo dicendum, species sacramentales posse corrumpi. [*Oxon.* ib.— *Report.* ib. n. 5.] Et quia aliae ex illis speciebus a substantia separatis sunt qualitates, aliae quantitas, in praesenti agemus de qualitatibus; de quantitate autem postea dicturi. In sententia itaque communi ponente qualitatem realiter distingui a quantitate et substantia, qualitatum eucharisticarum subiectum est quantitas, circa quam potest fieri corruptio existentium, et inductio aliarum qualitatum.— *Secundum autem aliam opinionem* existimantem, quantitatem substantiae materialis non differre ab ipsa substantia, nec quantitatem albedinis esse aliud ab ipsa albedine, ac subinde non esse in Sacramento aliquod accidens in subiecto, sed unumquodque ex aequo existere sine subiecto, ex quo substantia esse desiit per conversionem in Corpus Christi, iuxta, inquam, hanc opinionem, transmutatio qualitatum non fieret circa aliquod subiectum, et tunc superest difficultas solvenda *in sequentibus,* quomodo, scilicet, Eucharistia corrumpatur per corruptionem quantitatis, et quomodo ibi quantitas possit esse nova per rarefactionem vel augmentationem.

Verumtamen ab his opinionibus abstrahendo, potest probari conclusio sic: virtus agentis non diminuitur per hoc quod accidens est sine subiecto: sed si accidens esset in subiecto, posset corrumpi ab agente naturali; ergo et quando est sine subiecto. — *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 4.] hac ratione non concludi propositum, quia ad hoc ut sequatur actio non sufficit sola virtus agentis, sed requiritur praeterea ut passum sit agenti proportionatum, ad hoc ut in ipsum agat. Esto igitur accidens subiecto unitum sit passum agenti proportionatum, non sequitur tamen ex hoc, esse pariter proportionatum dum est separatum a subiecto. — *Contra,* [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 5.] si qualitates sint in quantitate existente non in substantia, possunt corrumpi, perinde ac si essent in substantia, quia sicut quantum est agens, ita quantum est passum, et per consequens adsunt ei omnes conditiones ad patiendum, quas haberent in subiecto; igitur sicut possent corrumpi quando sunt in subiecto, ita quando existunt solummodo in quantitate. Quomodo autem corrumpantur in hypothesi, quod qualitas non distinguatur a quantitate, dicetur postea. Caeterum corruptis speciebus desinit ibi esse Corpus Christi, quia statuit Deus se non conservaturum Corpus Christi sacramentaliter, nisi quamdiu permanent illa accidentia secundum modum convenientem substantiae cuius erant; et per consequens generarentur nova accidentia actione agentis naturalis; ergo simpliciter salvatur Eucharistiam posse desinere esse actione agentis naturalis. Nec ibi est aliquod miraculum novum, quia eadem voluntate antiqua, qua Deus voluit Eucharistiam esse in Ecclesia, voluit etiam illam non manere, nisi quamdiu qualitates aptae natae perficere substantias iam conversas manent.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib.]

Auctorem ilum loqui de *sex principiis,* de quibus in praefato libello determinat. Ea autem principia sunt formae respectivae extrinsecus advenientes, quas concedo esse invariabiles secundum essentiam, et simplices; non loquitur igitur de formis absolutis, de quibus nobis est sermo ad praesens. — *Ad confirmationem* ex Boëtio dico, esse intelligendum de forma, quae est pura forma, idest actus purus, sicut applicat ibi de Deo, et ita concedo formam quae nequit aliquod potentiale perficere, neque aptam esse recipiendi ullum accidens, cuiusmodi sola est essentia divina.

Ad secundum [*Oxon.* et *Report.* ib.] ex Philosopho, concedo ipsum non concessurum quicquam posse corrumpi nisi haberet potentiam ab actu distinctam, sicut partem a parte; at id, non quia verum est, asserere, sed quoniam posuit ordinem causarum simpliciter necessarium; vel quia arbitratus est nihil posse corrumpi, nisi cuius pars manet post corruptionem; quemadmodum concedit nihil proprie posse generari, nisi cuius pars praefuit ante generationem. Sed nec in ordine causarum quod sit simpliciter necessarius, nec in ista partis separatione a toto concordamus cum ipso, et ideo contrariam conclusionem tenemus.

Ad tertium, [*Oxon.* et *Report.* ib.] dico, qualitatem non corrumpi in nihil, sed in aliam qualitatem contrariam, vel alterius gradus in eadem specie. Nec sequitur, agens naturale facere accidens sine subiecto, quia qualitatis abeuntis et supervenientis est idem subiectum, quod est quantitas. De corruptione autem accidentis nullum habentis subiectum, uti est quantitas, dicetur *in sequentibus.*

ITERUM ARTICULUS IV.

UTRUM SPECIES SACRAMENTALES POSSINT CORRUMPI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 4. — *Report. ib. q.* 5.
S. Thom. 3. *p. q.* 77. *art.* 4.

Expenditur quaesitum quoad quantitatem.

Videtur quantitas in Sacramento Eucharistico non posse corrumpi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 12. q. 4. n. 1.] tam motus, quam mutatio necessario postulat subiectum, et praesupponit. Hoc est manifestum ex definitione motus, 3. *Physicorum,* text. c. 6. et 9. *Motus est actus entis in potentia, et est actus mobilis, in quantum mobile.* Patet etiam ex definitione mutationis, 6. *Physicor.,* text. 32. et 73. *Mutari est aliter se habere nunc quam prius.* Sed transmutatio quae potest causari ab agente creato vel est motus vel mutatio; ergo necessario praesupponit subiectum, et quidem manens idem sub utroque termino. In Eucharistia autem nihil manet idem sub utroque termino, nisi quantitas eadem perseveret; ergo ipsa incorruptibilis sit oportet. — *Confirmatur;* nam non manente priori eodem, non stat idem posterius. In illis etiam mutationibus circa hoc Sacramentum possibilibus inveniri non posset subiectum aliquod praeter quantitatem.

2. Praeterea. [*Oxon.* ib. n. 2.] 7. *Met.,* cap. 7. Ex intentione probat Philosophus generans non generare nisi compositum, et *in fine capituli*

exponit, non solum id verum est in genere substantiae, sed etiam in primis Praedicamentis, ut Quantitate, Qualitate, et aliis Cathegoriis; unde dicit: non fit sphaera, sed aemo sphaera, nec fit quale, sed quale lignum, nec quantum, sed quantum lignum. Sed non potest esse hic compositum generatum per accidens aliud, nisi quantitas sit pars illius compositi; illa autem oportet fuisse eamdem in transmutatione, quia, ut *ibidem* ait Philosophus, necesse est semper materiam praeexistere, quae, ut fiat compositum, ad formam transmutatur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Agens naturale in Eucharistia nequit causare augmentum aut diminutionem, quia haec non conveniunt nisi animatis, quibus et nutritio convenit, 2. *De Anima,* text. c. 13. 14. et 37. Sed species in Eucharistia non sunt animatae; ergo non possunt augeri nec minui. Non est autem aliquis motus ad quantitatem aliam atque aliam, nisi augmentum et diminutio, ex 5. *Phys.,* text. c. 18., ubi in genere quantitatis ponuntur ista, sicut alteratio in genere qualitatis.

CONTRA. [*Oxon.* ib.] Species Eucharisticae a Sacerdote frangi queunt, ut constat ad sensum, quo facto earumdem solvitur continuitas, quae utique continuitas est continui unitas; ergo solvitur specierum unitas; non manet igitur in tali transmutatione eadem quantitas quae prius. — *Rursus,* circa eiusmodi species esse potest condensatio, et rarefactio actione agentis naturalis; in raro autem maior est quantitas, in denso minor.

RESPONDEO, circa species Sacramentales intelligi potest quadruplex mutatio. [*Oxon.* ib. n. 19.] *Una* secundum *ubi; alia* secundum qualitatem, quam non concomitatur aliqua variatio penes quantitatem; *tertia* secundum qualitatem, quam concomitatur variatio quoad quantitatem; *quarta* denique secundum quantitatem primo. — Quantum ad *primam* mutationem, evidens est, ipsam requirere eamdem quantitatem manentem; nam sicut *ubi* in esse quieto necessario est in quanto, ut in subiecto, ita *ubi* fluens necessario est in eodem postulans idem quantum manens sub eodem termino. De *secunda* est pariter manifestum, eamdem quantitatem manere, et idem esse subiectum alterationis, iuxta communem opinionem existimantium, qualitates a quantitate distingui, atque ipsam quantitatem esse proximum qualitatum subiectum, adeo ut qualitas fluens eidem inhaereat subiecto, cui qualitas manens inesse perhibetur. Et huiusmodi in genere est vel secundum figuram aliam atque aliam, vel iuxta qualitatem tertiae speciei secundum magis et minus; quae sane variatio non corrumpit species eucharisticas prout sunt signa sensibilia realis praesentiae Corporis et Sanguinis Christi. Figura ergo ultra quantitatem non dicit nisi relationem partium a se invicem, vel terminorum includentium partes: haec autem relatio mutari potest partibus manentibus eisdem et in se et in toto. De qualitate etiam tertiae speciei, ubi tamen in toto motu manet eadem species, satis est manifestum, quantitatem perstare eamdem.

Verum [*Oxon.* ib. n. 20.] maior est difficultas de tertia transmutatione quae est secundum rarum et densum. (Porro de quarta agemus infra art. 7.) Est difficultas, inquam, et quia in rarefactione videtur acquiri nova quantitas, alioquin rarum non esset magis extensum quam prius; quod tamen ipse sensus deprehendit esse falsum. Novae ergo eius quantitatis quodnam est subiectum? Quae praefuit enim quantitas proprio inhaeret subiecto, neque id capax esse potest novae quantitatis. Sed abstrahendo

pro nunc ab ista controversia, iuxta communem opinionem dicentium, in rarefactione aliquam esse novam quantitatem, dubium est an possit id fieri virtute agentis creati.

Et dicendum [*Oxon.* ib. n. 21.] novam quantitatem cum rarefiunt species sacramentales non produci actione agentis creati, sed solius Dei. Etenim quod a solo Deo immediate conservatur corrumpi nequit ab agente creato: talia sunt accidentia a subiecto separata; ergo corrumpi non possunt ab ulla creatura, quia causae creatae non suppetit vis activa praeeminens virtuti causae conservantis ista in *esse:* quantitas autem in Eucharistia habet *esse* supernaturale, vel immediate a causa supernaturali conservante; cum ergo nequeat ab agente naturali corrumpi, nec subinde poterit per eiusdem virtutem nova generari.—*Deinde,* quantitas in subiecto non corrumpitur per contrarium, quia contrarium non habet; ergo nonnisi per defectum subiecti desinit *esse,* vel alicuius necessario consequentis ad ipsum; sed in Eucharistia corrumpi non potest per defectum subiecti: hoc enim virtute divina transiit in Corpus Christi; nec secundo modo, quia nullum aliud accidens quod sibi inest necessario consequitur ipsum.

Itaque [*Oxon.* ib.] a solo Deo immediate inducitur nova quantitas cum rarefiunt species eucharisticae, ex suppositione communis opinionis; nec tamen novo miraculo; nam ea voluntate, qua disposuit Eucharistiam esse in Ecclesia, statuit effecturum se circa illas species praesente naturali activo quidquid alioquin eiusdem virtute fieret praesentibus substantiis iam conversis in Corpus Christi et Sanguinem, idque ne fidei meritum nobis deperiret, si species intransmutabiles experiremur. — Haec via improbari nequit *per sensum,* quippe quae salvet omnia, quae sensui patent. *Nec per rationem;* nam arguenti hoc modo dicendi, adimi propriam actionem agenti naturali, dicimus non auferri eam, quae sibi potest competere, nt transmutandi subiectum praesens a forma in formam: sed non propterea concedendum esse perinde posse transmutare aliquid existens extra subiectum.

Contra hoc, [*Oxon.* ib. n. 23.] Deus de facto supplet subiectum respectu quantitatis; ergo pariter supplere potest concursum substantiae absentis respectu quantitatis, tam noviter productae in rarefactione, quam eius quae destruitur ab agente naturali. Huic enim non videtur adimenda haec actio quandoquidem in sua virtute continet formam scilicet quantitatem, et ita quoad esse et non esse eius. — *Respondeo,* [*Oxon.* ib n. 24.] Deum supplere concursum subiecti respectu quantitatis, non esse ita ut dependentia accidentis ad subiectum maneat terminata, aut omnino maneat, quia hoc pacto Deus nequit supplere concursum subiecti, nisi per aliud subiectum, non autem per seipsum. At agens creatum de se limitatur in agendo ad subiectum, vel ad aliquid se habens per modum subiecti recipientis et actionem et terminum eius; causalitas enim subiecti est receptio formae: repugnat autem Deum recipere formam; aliud est igitur Deum supplere causalitatem subiecti respectu accidentis separati, et aliud supplere causalitatem eius respectu agentis creati conservantis. Sed dato etiam, Deum posse ita supplere subiectum respectu corruptionis, aut productionis novae quantitatis, actio illa non esset censenda naturalis, sed supernaturalis et miraculosa, quia nequiret sic agere sine miraculo; et ita Deo supplente vicem subiecti erit novum miraculum, quod agens

naturale agat. Quare ad salvandam actionem causae naturalis non debet fingi novum miraculum, cum sufficiat antiquum; sine enim necessitate nec ipsa miracula multiplicare debemus.

Haec dicta [*Oxon.* ib. n. 20.] sunto iuxta communem opinionem putantium in rarefactione acquiri novam quantitatem. At iuxta dicentes rarefactionem fieri per generationem et permixtionem quorumdam corporum subtiliorum inter partes corporis quod rarefit, salvari posset actio agentis naturalis ad ipsum. Sed tunc difficile est explicatu qua ratione gigni queat ab igne vel a sole corpus subtilius vini speciebus. *Deinde*, mox ac illae species rarefierent, ibi alia est statuenda nova substantia insinuans se se partibus porosis quanti quod rarefit; non ubique ergo adesset Christi Corpus. Mirum etiam videtur si nulla substantia manens eadem omnino rarefieri nequeat in se ipsa per maiorem extensionem.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 27.] dico, non pertinere ad essentiam motus, ut ipse sit talis vel talis entis, nec mutationis, ut sit alicuius aliter se habentis, sicut nec de essentia albedinis, ut sit alicuius habentis albedinem. Sicut ergo forma aliqua in *esse* quieto essentialiter est talis in se, licet nullius sit ut informabilis, ita motus essentialiter est actualitas quaedam potentialis, ut ita dicam, et mutatio est quaedam aliter habitio, licet nullius determinati ad hoc, vel ab illa. Breviter igitur, motus et mutatio esto in hoc mysterio possint esse ab agente creato circa quantitatem, possunt tamen esse ab agente supernaturali, quia non est de ratione eorum habere aliquod subiectum determinatum per modum subiecti.

Ad secundum dico sic: [*Oxon.* ib.] quemadmodum Philosophus concessit necessarium esse subiectum in mutatione, vel in motu, quod subiectum praeexisteret termino formali et esset pars totius termini, ita pariter dixit compositum esse totalem terminum huius productionis. At apud Theologos *antecedens* non est necessarium, scientes Deum absque concursu substantiae seu subiecti ultimate posse transmutare accidentia separata.

Ad tertium dico, [*Oxon.* ib.] manifestum esse qualiter circa quantitatem possit esse alia transmutatio ultra augmentum et diminutionem, ut divisio, et continuatio, et hoc secundum se; rarefactio autem et condensatio secundum accidens. Licet ergo illae species non possint augeri nec minui proprie loquendo, tamen possunt transmutari a quantitate minori ad maiorem, et e converso.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM IN RAREFACTIONE VEL IN PARTE VEL IN TOTO ACQUIRATUR NOVA QUANTITAS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 4. — *Report. ib. q.* 5.
Goffr. quodl. 11. *q.* 3.

Hoc idem quaesitum ut qualitati applicatur expenditur 1. 2. *q.* 52. *art.* 2.

Videtur in rarefactione et condensatione totam praecedentem quantitatem deperdi, et aliam omnino novam fieri. Primo, [*Oxon.* 4. d. 12. q. 4. n. 4.] quia termini motus sunt incompossibiles ex 5. *Phys.*, text. 26.

Sed quando rarefit quantitas movetur a minori ad maiorem; igitur minor quantitas, quae est terminus *a quo,* est incompossibilis cum maiori, qui est terminus *ad quem.* Iste igitur terminus erit omnino novus et alius a termino *a quo* tamquam incompossibilis cum illo.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quaelibet pars rarioris est rarior; ergo quaelibet pars rarioris est maior secundum quantitatem; ergo quaelibet est quanta nova quantitate. — *Si dicas,* tantum sequi esse novam secundum partem, et non omnino novam; *contra,* accipio illud quod est subiectum istius partis quantitatis quae nova est, illud utique est rarius quam fuerit prius; ergo et maiori quantitate quantum. Patet ex prima propositione, quia quaelibet pars rarioris est rarior; ergo maior; et per consequens quantitas illa nova, cuius ponitur subiectum, maior erit quantitate antiqua. Si autem illa quantitas nova non esset omnino alia ab antiqua quantitate, eodem modo tota quantitas totius rari erit maior quantitate totius, et tamen non omnino alia, vel nova: hoc autem est impossibile, quia tunc idem esset realiter distinctum a seipso; quantitas enim magna et parva distinguuntur realiter. — *Vel* formetur ista ratio sic: [*Oxon.*ib.] si quum quantum rarefit, cum nova quantitate quae acquiritur maneret quantitas praecedens; igitur nova quantitas vel recipietur in eodem subiecto, quo est praecedens, vel in alio. Si in eodem; ergo duae quantitates se se mutuo penetrant, quod nemo dixerit. Sed *consequentia patet,* quia non aliud intelligimus per penetrationem dimensionum, nisi duas quantitates in eodem loco et situ, vel eodem subiecto. Si vero recipiatur in alio subiecto; igitur quando aliquid rarefit, tunc esset aggeneratio novarum partium subiecti, in qua nova aggeneratione reciperetur illa nova quantitas. Hoc autem est manifeste falsum; quia tunc non quaelibet pars rarioris esset rarior, quam prius fuit; non haberet enim rarefactum novam quantitatem, cum nova, quae videtur producta, recipiatur in parte subiecti noviter aggenerati. Superest igitur, ut dicatur quoties aliquid rarefit toties destrui quantitatem praecedentem rarefactionem, et aliam omnino novam produci, tamquam terminum rarefactionis.

QUIDAM [*Oxon.* ib. n. 5.] ob haec argumenta tenentes istam conclusionem consequenter inferunt hanc aliam: cum species sacramentales rarefieri contingit etiam ab agente naturali, tunc est motus sine subiecto, vel sine mobili. Et hoc probant sic: accidens virtute divina potest habere esse quietum et perfectum sine subiecto, ut patet in Eucharistia; igitur pariter virtute divina potest habere esse in fieri sine subiecto; igitur motus potest esse sine subiecto cum species sacramentales rarefiunt. — *Deinde* [*Oxon.* ib.] arguunt sicut virtute divina species illae habent esse sine subiecto, ita eadem virtute habent ut ipsis conveniat quicquid habebant in subiecto; ergo quae possunt convenire quantitati dum est in subiecto, conveniunt eidem separatae. Sed quando est in subiecto ipsa potest fieri maior vel minor; ergo quando etiam est sine subiecto potest augeri per rarefactionem, vel minui per condensationem. Sed tunc est motus sine subiecto. — *Denique,* ad essentiam motus non pertinet nisi fluxus ipse formae, vel ipsa forma secundum esse in fieri: sed haec potest esse, esto nullum subiectum aliter se habeat secundum ipsam formam; ergo non est ulla repugnantia quantitatem separatam totaliter in rarefactione etiam ab agente naturali corrumpi, et novam totaliter generari.

Respondeo: [*Oxon.* ib. n. 8.] *prima conclusio,* quam isti tenent, sci-

licet, quod *in rarefactione et condensatione tota quantitas corrumpatur, et tota de novo acquiratur,* videtur falsa. Quod probo: quia non manente eodem subiecto nec manet aliquod accidens in eo subiectatum: si igitur in rarefactione tota quantitas vini corrumperetur, pariter esse desineret quodlibet accidens in ipsa repertum. Secundum enim communem opinionem omnis qualitas vel immediate vel mediate est in quantitate; igitur in vino rarefacto non superessent idem color, sapor, odor, et aliae id genus qualitates.

Respondetur, [*Oxon.* ib. n. 9.] rusticorum esse confugere ad sensum, quandoquidem non sensus, sed ratio debet iudicare de eodem, et de diverso.—*Contra,* secundum Aristotelem, 8. *Physicorum,* text. 26. *Fatuum est quaerere ibi rationem, ubi habemus aliquid certius ratione.* Hic autem habemus experimentum, quod nostris est praeferendum ratiocinationibus. Mirum etiam videtur, si sensus non potest iudicare de numero suorum sensibilium propriorum, cum numerus iuxta Philosophum, 2. *De Anima,* text. 64. sit per se sensibile. — Sed quia posset fieri instantia de radiis solis, quos sensus non apprehendit, utrum sint idem, vel alii continue in medio, cum tamen illud cuius est numerus, vel unitas hic sit proprium sensibile, *aliter arguo sic:* non est verisimile, nec possibile, quantumcumque diversa agentia regulariter inducere eamdem formam post corruptionem eiusdem corrupti. Sed a quocumque rarefiant species sacramentales vini, sive ab igne, sive a sole, inducitur universe talis sapor, color, et odor; ergo oportet eas qualitates esse omnino easdem, quae erant in denso. Si enim ponantur [*Oxon.* ib. n. 10.] novae, ut quantitas, contra est, quia ignis rarefaciens vinum non potest de novo inducere illas, quae in eo sentiuntur qualitates: tum quia ignis non continet in se virtualiter qualitates mixti: tum quia si ponatur quasdam continere, non tamen quantumcumque diversa accidentia secundum genus, vel speciem. Sed si vinum consecratum fuit in uno loco dulce, et alibi amarum, post rarefactionem remanet in istis speciebus dulcedo, et in illis amaritudo, et sic de quibuscumque aliis qualitatibus saporis, coloris, etc.; ergo solus ignis rarefaciens non inducit omnes istas qualitates; ergo non sunt novae, sed illaemet quae praeerant in denso; et per consequens neque quantitas, sine qua istae non possunt manere eaedem, est nova.

Potest etiam argui [*Oxon.* ib.] ex dictis opinantis, qui ponit substantiam esse individuam formaliter per quantitatem. Ex hoc enim necessario hic panis formaliter esset hic panis per quantitatem; ergo corrupta hac quantitate, non manet amplius hic panis, sed alius est panis singularis; igitur in quacumque rarefactione tota substantia prior corrumperetur, et alia produceretur; quod videtur impossibile, et contra rationem. Quia quod talis alteratio requirat statim novam substantiam est dicere, quod non possit esse variatio circa posterius, quod nec est propria passio, nec consequens necessario illud prius, quin simpliciter sit variatio circa prius, quod est manifeste falsum.

Secunda conclusio, [*Oxon.* ib. n. 14.] qua asseritur *etiam ab agente naturali posse esse motum sine mobili, cum ab tali agente possint rarefieri species sacramentales,* non subsistit. Nam quod secundum se totum et totaliter producitur de non *esse* ad *esse,* vel creatur, vel saltem requirit virtutem aequalem virtuti creativae. Sed haec quantitas nova tota,

et totaliter producitur ad esse, secundum opinantem; ergo vel creatur, vel ad id praestandum non sufficit virtus creaturae. *Maior probatur,* quia si totaliter producitur post nihil, patet quod creetur. Si autem post aliquid, et tamen totaliter, hoc aliter non potest esse, quam per totalem conversionem illius in quantitatem. Ad totalem autem transitum unius in aliud non est satis virtus creaturae. — *Deinde,* si nova quantitas secundum se totam succedit praecedenti, quae desinit esse, nova quantitas non est per aliquid intrinsecum sibi alterius rationis per hoc quod alteri succedit. Et hoc probo primo, quia quando succedens est, tunc non est illud cui succedit; ergo propter illud non variatur succedens in se. Secundo, quia ordo posterioris ad hoc, vel ad illud, non videtur variare fundamentum ordinis in se. Sed si nova quantitas nulli succederet, et haberet totale *esse* suum post non *esse,* crearetur, nec posset sic produci nisi a virtute infinita; ergo licet nunc alteri succedat, si tamen tota et totaliter producatur, sequitur ipsam requirere virtutem aequalem creativam. — *Denique,* [*Oxon.* ib. n. 15.] si ista nova quantitas suo contrario succederet, ipsa certe crearetur: sed ita negatio eius includitur in quantitate praeexistente sicut includeretur in contrario si praecederet; nam quodlibet incompossibile simpliciter includit negationem sui incompossibilis, et termini isti ponuntur incompossibiles ex prima conclusione, et nullum habent subiectum commune; ergo aeque sequitur modo ista quantitas nova negationem sui *esse,* sicut si praecessisset suum oppositum.

Pro istius difficultatis solutione duo dicit opinans: *primum,* [*Oxon.* ib. n. 7.] sicuti in potentia subiecti erat, ut ab agente creato post minorem quantitatem introduceretur maior sine creatione, ita in quantitate separata manet haec vis, ut post minorem fiat ab agente naturali maior, et sine creatione. *Secundum* dictum: [*Oxon.* ib. n. 16.] inter minorem, quantitatem, quae est terminus *a quo* motus rarefactionis, et maiorem quae est terminus *ad quem* eiusdem, est habitudo: si autem fieret aliqua alia quantitas, quae non haberet istam habitudinem, proprie crearetur; quia autem hic nova quantitas habet habitudinem ad praeexistentem, cum succedat sibi sine interruptione per fluxum secundum gradus in forma quantitatis, ideo non creatur.

Contra primum [*Oxon.* ib.] de illa vi remanente in quantitate: nihil positivum remanet in accidente separato, quod non fuerit in eo ut coniuncto: sed in coniuncto non fuit aliqua vis, qua de ipso posset produci aliquis terminus, sed tantum quod ipsum poterat esse alius terminus, et poterat produci de potentia subiecti; ergo in ipso separato non est aliqua vis per quam possit habere respectu alterationis, nisi tantum rationem termini; ergo per illam viam non prohibetur in quantitate ista creatio. — *Contra secundum:* si quantitas nova non haberet habitudinem ad quantitatem praeexistentem, proprie crearetur: sed ista habitudo non facit quin creetur; ergo, etc. *Probatio minoris:* haec habitudo non est nisi quaedam successio immediata *esse* quantitatis novae ad praeexistentem: sed huiusmodi successio non prohibet succedens creari. Et potest probari per exemplum, quia non est hic magis immediata successio, quam esse animae ad organizationem corporis: et tamen anima creatur in corpore organico, quia accipit totale esse post non esse; ergo cum eodem modo quantitas, se-

cundum opinantem, accipiat totale esse suum post non esse, seu praecedat aliquid positivum, vel nihil, aut contrarium, id non facit quin ipsa proprie creetur.

Praeterea [*Oxon.* ib. n. 17.] contra *secundam conclusionem* arguo: si per rarefactionem quantitas separata est omnino nova; ergo sub illa non esset Corpus Christi; tamdiu enim manet Corpus Christi sub speciebus, quamdiu manent accidentia, quae nata essent afficere substantias conversas; ergo si nova quantitas est alia omnino a praecedenti, sub ipsa non erit Corpus Christi. Ipsa enim nova quantitas non magis est eadem praeexistenti, quam quaecumque alia quantitas reperta in alia hostia non consecrata; imo minus est eadem, quia ista est incompossibilis praeexistenti, secundum opinantem: illa non est ita incompossibilis; ergo non magis esset Corpus Christi sub nova quantitate, quam sub quantitate non consecrata.

Et si dicas: [*Oxon.* ib.] quantitas haec nova succedit praeexistenti quo pacto alia quantitas non succedit, et ideo Corpus Christi est sub quantitate nova; *contra,* sub nulla quantitate est Corpus Christi, nisi per conversionem et consecrationem: sed per conversionem et consecrationem non accipit esse nisi sub quantitate praeexistente, quae desinit omnino esse, eique succedit nova et alia illi incompossibilis, sicut alia est alterius hostiae non consecratae; ergo per conversionem et consecrationem non est Corpus Christi sub nova quantitate.

Quod vero [*Oxon.* ib.] motus possit esse ab agente creato et sine subiecto, falsum est. Quamquam enim motus in sua ratione formali non includat subiectum aliter se habere per ipsum, non propterea tamen agens creatum potest causare accidens in esse quieto sine subiecto; ergo a simili, vel a maiori, non potest causare accidens in fluxu sine subiecto.

Posset ergo dici, [*Oxon.* ib. n. 8. et 20.] per rarefactionem non produci aliquam novam quantitatem neque ex toto, neque ex parte; sed eatenus rarefactum habet maiorem extensionem quam prius, in quantum rarefaciens de aliquibus partibus substantiae rarefactibilis generat aliqua corpora subtiliora, quam sit illud corpus quod rarefit, quae cum non possint esse simul cum aliis partibus adhuc remanentibus in specie sua (duo enim corpora non possunt esse simul), ideo illae partes expellunt alias de loco suo, ac subinde totum corpus occupat locum maiorem quam prius. Corpus itaque aliquod rarius esse, aliud non est, quam habere plura corpora subtiliora permixta secundum iuxtapositionem cum partibus suis propriis manentibus in propria specie, etsi interim a se invicem distantibus per interpositionem partium subtiliorum de novo generatarum. Nec mirum, aliquas partes eiusdem corporis prius converti in corpus subtilius, quam alias partes, quia aliquae sunt propinquiores ipsi agenti, et facilius proinde et immediatius recipiunt actionem eius, quam aliae magis distantes. Aliae etiam suapte natura possunt esse ad eam transmutationem magis dispositae, quam aliae.

Contra hunc modum dicendi: [*Oxon.* ib. n. 13.] quia tunc in principio alterationis aliqua statim corrumpentur, et ita nova generabuntur. — *Deinde,* sensus discernit ubique subiectum illud alteratum esse uniforme; igitur non habet per hoc quod rarefactum est sibi aliquas partes subtiliores admixtas. — *Tertio,* quia difficile est videre quomodo

in corpore rarefacto possit generari a sole, vel ab igne corpus subtilius vino. — *Et deniqie,* quia mox atque species sacramentales rarefiunt, statim esset ibi alia substantia nova; igitur non ubique esset in illis speciebus Corpus Christi.

Ad primum dico, [*Oxon.* ib.] non statim ac alteratio incipit, fieri corpus maius; nam raritas maior non accipitur nisi ex occupatione maioris loci: non est autem maior occupatio antequam sit calefactio in aliquo gradu maiori notabili, a quo possit esse impressio in rarefactibili, cui scilicet contraria qualitas resistere non possit. — *Ad secundum* dico, [*Oxon.* ib. d. 12. q. 3.] nec sensum discernere in aëre spiritus, seu vapores, ab aëre; et tamen vapores illi vel spiritus non sunt eiusdem speciei cum aëre. — *Ad tertium* dico, quoties est inducta dispositio in passo, ad quem debet sequi substantiae vel partis eius destructio et generatio alterius substantiae, si nequeat alterans per propriam formam substantialem id perficere, cum imperfectius nequeat esse totale principium productivum, vel destructivum perfectioris simpliciter, tunc pro illis effectibus recurrendum esse ad causam universalem, ad influxus nimirum stellarum. Et si haec non sufficiant, ad primam Causam, cuius est omnes naturae defectus supplere, ut expositum fuit *in antec.* — *Ad quartum,* esse eamdem difficultatem ac si admisceretur speciebus vini aliud non consecratum; haec autem solventur infra *art.* 8. Si autem poneretur substantiam novam non continuari praeexistenti, sed esse omnino dissitam ab illa, necessarium est asserere non esse in illa Corpus vel Sanguinem Christi, quod nedum non est inconveniens affirmare, sed est ipsa catholica veritas, quam profitemur.

Ad argumenta pro opinione. Ad primum respondeo [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib. n. 12.] *assumptum* esse verum de primis terminis motus, qui sunt privatio et forma, atque revera hi sunt incompossibiles; sed non esse verum universe de terminis concomitantibus illos terminos primos, ut extitit declaratum supra *q.* 75. *art.* 3.

Et si arguas, [*Oxon.* ib.] hic magis et minus sunt et incompossibilia sunt; *dico,* magis et minus esse extrema incompossibilia, quatenus ultimo vel complete informant propria subiecta, vel sequuntur ad ultimas formas; at non esse incompossibilia, cum minus est aliquid maioris; alioquin tota quantitas aucti esset nova, quod non est probabile, quandoquidem partes carnis secundum speciem, quae manent eaedem, sunt quantae eadem quantitate qua prius, et nihilominus aliqua quantitas partium substantiae, quae advenerunt, nova est.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 12. — *Report.* ib.] ipsum non procedere contra sentientes de rarefactione iuxta modum probabilem quem posuimus, quia nulla esset in rarefacto nova quantitas, cui foret assignandum subiectum, sed nova solummodo generatio corporum subtiliorum. Qui ponerent tamen generari novam quantitatem secundum partem, et non corrumpi praecedentem, sed manere tamquam rarefacti partem, possent distinguere *maiorem:* quaelibet pars rarioris est rarior; secundum formam vel speciem *concedo,* secundum materiam *nego:* quemadmodum est pariter vera illa propositio, 1. *De Generat.,* text. 32. *quaelibet pars aucti est aucta;* vera est enim de partibus secundum formam, non secundum materiam. Intelligendo partes *secundum formam* vel speciem, partes animati habentes virtutem convertendi alimentum

in substantiam propriam, ut *secundum materiam,* quae carent ea virtute; idque contingere potest vel ob eorum parvitatem, vel alia de causa. Ita pariter etsi quaelibet pars rarefacti secundum formam sit rarior, non tamen quaelibet pars secundum materiam; quod contingere posse non est difficile intelligere. Quo posito, rarefactio non esset ad aliquam qualitatem uniformem in toto rarefacto, quod secundum alias et alias partes difformiter se haberet, sicut auctum vivens.

Ad argumenta pro *secunda conclusione. Ad primum dico,* [*Oxon.* ib. n. 18. — *Report.* ib.] ex hoc quod Deus possit facere formam sine subiecto in *esse quieto,* et subinde etiam in *fieri* vel *fluxu,* non sequi posse idem facere agens naturale, imo debere exinde opinantem inferre oppositum, quia agens naturale nequit facere formam in *esse quieto* sine subiecto, multo minus, vel pariter nequibit eam sine subiecto efficere in *fluxu.* — *Secunda etiam ratio* concludit oppositum, quia quantitati in subiecto tantum posset convenire esse terminum motus; igitur idem pariter esset attribuendum ei extra subiectum existenti; ergo oportet assignare subiectum quod ab ipsa quantitate denominetur, quia secundum opinantem subiectum est aliud a termino motus. — *Tertia ratio* tantum probat, Deum posse facere motum sine subiecto, ex eo quod subiectum non ingrediatur essentiam motus; sed non propterea sequitur; idem posse agens naturale, quia tale agens non potest separare omne id, quod non est de essentia alicuius. Non enim magis potest separare formam a subiecto in fluxu, quam in esse quieto, et nemo attribuit illi virtutem separandi formam in esse quieto a subiecto.

ARTICULUS V.

UTRUM EX SPECIEBUS SACRAMENTALIBUS ALIQUID POSSIT GENERARI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 6. — *Report. ib.* — *Quodlib.* q. 10. *S. Thom.* 3. *p. q.* 77. *a.* 5.

VIDETUR ex speciebus Eucharisticis aliquid posse generari. Nam [*Oxon.* 4. d. 12. q. 6. n. 1. — *Report.* ib. n. 1.] quantitas separata praedita est modo substantiae in agendo; ergo pariter sibi inest idem modus cum actu sit separata et patitur; igitur quicquid generari potest de substantia, si ibi adesset, poterit et gigni de quantitate separata, ac proinde ut aliquid ex accidentibus istis de novo fiat, non oportet aliquam substantiam redire.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Agens naturale debite passo approximatum suapte natura illud transmutat; nullo igitur superveniente miraculo transmutatio sequitur naturae potestate: sed substantia conversa in Christi Corpus redire non potest nisi divina virtute; ergo nulla transmutatio circa species sacramentales factu possibilis postulat substantiam redire.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Agens naturale non impeditum necessario agit; ergo non dependet in agendo ab aliqua actione, quae sit immediate voluntatis divinae, quia voluntas divina nullius actionis

ad extra est principium nisi contingenter: necessarium autem a contingente dependere non potest; ergo in horum accidentium transmutatione non requiritur aliquid immediate efficiendum a voluntate divina.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Augustinus, 7. *De Civit.*, c. 30. *Sic Deus res quas condidit administrat, ut eas proprios motus agere sinat.* Ergo sinit agens natura agere motum suae naturae competentem, et per consequens species eucharisticas transmutare citra omne miraculum; ergo et sine subiecto redeunte.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] Species sacramentales possunt nutrire, iuxta Glossam super illud 1. *Corinth.*, c. 11. *Alius quidem esurit, alius vero ebrius est:* ergo transmutari queunt in substanstiam alendi, atque ita ex eis gigni substantia. Hoc autem fieri nullo pacto potest, nisi redeat substantia. Siquidem ex non substantia natura efficere non potest substantiam — *Rursus,* constat experientia, species istas corrumpi posse in ignem, vel in animal generatum per putrefactionem perinde ac corrumperentur si adesset substantia panis. Nequit autem substantia ex eis gigni, nisi talibus speciebus substantia subsit.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 2.] fuit hic opinio D. Innocentii, *De Offic. Missae,* part. 3. cap. *De fractione,* ex his speciebus haud gigni substantiam novam, sed de substantia panis et vini per miraculum ad esse revocata, atque iisdem accidentibus subiecta. — Hanc sententiam, ut probabiliter sustineri queat, *quidam* interpretantur, ut non intelligatur materiae reditus de materia annihilata, aut conversa in Christi Corpus, utrumque enim isti putant factu impossibile, sed de alia materia nova creata a Deo tanta, quanta fuit materia conversa in Corpus Christi; et quidem id fuit apprime conveniens ne Sacramentum deprehendatur, et fidei meritum evacuetur. Sic expositam opinionem, quamvis isti putent probabilem, nihilominus ex sententia statuunt, rem hanc non ita se habere, sed magis ex quantitate, ut habet modum subsistendi per se, educi formam substantialem novam, fierique compositum constans materia atque forma.

Contra, [*Oxon.* ib. n. 3. seqq. — *Report.* ib. n. 3.]primo arguo contra *opinionem,* deinde contra *modum,* quo existimatur reduci ad sensum probabiliorem. Etenim si rediret substantia panis, igitur vel *ante* corruptionem specierum; vel *in* ultimo instanti corruptionis, ut ipsi immediate succedens corruptioni; vel certe *simul* ad corruptionem ipsam in *fieri.* Sed nihil horum dici potest. *Non primum;* quia tunc vel desineret ibi Corpus Christi ante corruptionem specierum, quod non admittitur, quia tamdiu manet Eucharistia quamdiu manent species non corruptae, vel simul esset Christi Corpus cum substantia panis, quod credimus falsum. — Si autem dicatur redire *in ultimo instanti* quando generatur ibi substantia nova; igitur tunc esset simul panis et non panis, quando enim generatur nova substantia panis corrumpitur, et per se tunc panis est ibi primo. — Neque denique redit *dum fit* ipsa corruptio, quia agens corrumpens sensim alterando, non habet opus, seu ex parte sui, seu ex parte actionis, alio subiecto, praeter quantitatem, dependenter a qua, sicut potest fieri prima pars motus, ita et reliquae usque ad terminum eius, et agens potens in partem motus, potest in totum et terminum quando non repugnat magis una pars motus ipsi susceptivo, quam alia. Sed non repugnat illis speciebus una pars alterationis magis quam alia, quamdiu

species illae non corrumpuntur simpliciter, sed solum alterantur; ergo ex parte agentis dum est in fieri alteratio non oportet substantiam redire.

Contra *modum* exponendi opinionem D. Innocentii [*Oxon.* ib. n. 5.— *Report.* ib. n. 4.] arguo: quia aut ponitur materiam redire *in* ultimo instanti quando generatur ibi nova substantia; aut *ante* ultimum instans. *Non ante;* quia tunc durante Eucharistia esset ibi substantia materiae alia a materia Corporis Christi; esset etiam tunc materia sine forma, quod putatur impossibile ab isto; vel saltem esset per miraculum novum sine necessitate positum. Si vero *in* instanti generationis redit materia, frustra ponitur redire, ad hoc ut agens naturale generet ex ea; quia non generat nisi de materia quanta, secundum istum. Qui etiam dicit, neque id posse agens naturale, nisi corrumpat. Sed tunc illam generationem non concomitaretur corruptio; cum sit materia sine forma substantiali; ergo frustra poneretur. — *Deinde,* [*Oxon.* ib. n. 6.] tam materia annihilata, quam conversa redire potest; ergo ex suppositione quod materia rediret, gratis asseritur esse aliam ab annihilita, vel conversa. *Primum probatur,* quia *nihil* sequens annihilationem materiae est eiusdem rationis cum nihilo praecedente creationem eius; ergo est eadem distantia materiae ad nihil praecedens creationem suam, et ad nihil sequens annihilationem ipsius; ergo eadem potentia potest super hanc distantiam et illam. *Secundum* de materia conversa probatur, quia Corpus Christi non aliter se habet per hoc quod panis convertatur in ipsum; ergo e converso posset panis conversus redire eodem modo, quo conversus est in ipsum, absque eo quod Corpus Christi aliter se haberet in se, quia sicut aliter non se habet positive per conversionem panis in ipsum, ita in non habendo, si scilicet rediret panis in ipsum conversus, non aliter se haberet privative.

Alii [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib n. 8.] rem hanc ita declarandam putant: quemadmodum materiae concreata est possibilitas transmutationis ad formam, ita in transubstantiatione, accidentibus manentibus sine subiecto, una concreatur possibilitas transmutabilis, non tantum in formam, sed etiam in ultimum gradum actualis, quae est materia; et per talem possibilitatem potest in illis speciebus generari compositum ex materia et forma. — *Contra hanc opinionem arguo:* hoc purum possibile, secundum opinantem, est terminus creationis; ergo est aliquid extra primam causam, habens entitatem positivam materia inferiorem: sed hoc est falsum, quia dicit Augustinus, 12. *Conf.*, c. 33. *Fecisti, Domine, duo, unum prope te, scilicet Angelicam naturam: aliud prope nihil, scilicet materiam primam;* ergo de facto nihil est inferius materia prima, licet forte possibile sit aliquid inferius creari a Deo. — *Deinde,* materia non producitur per generationem cum sit fundamentum praesuppositum generationi; ergo agens naturale non valet illud purum potentiale admixtum speciebus convertere in materiam primam, vel in compositum, adeo ut actione illa producat materiam primam, vel propriam isti composito. *Postremo,* quamvis in speciebus sacramentalibus revera esset tale purum possibile loco materiae, adhuc frustra poneretur. Ponitur enim ad hoc, ut agens naturale ex eo generet compositum naturale: sed ut ibi est illud purum possibile, non est quantum; ergo cum agens naturale nequeat agere nisi in quantum, frustra omnino ibi poneretur.

Est ergo dicendum, [*Oxon.* ib. n. 11. — *Report.* ib. n. 9.] non posse

quidpiam ex sacramentalibus speciebus gigni, nisi post reditum substantiae sub ipsis. Et quoniam ex transmutationibus possibilibus circa eucharisticas species, quaedam stant cum veritate ipsius Eucharistiae, quaedam non stant, ut veritas resolutionis elucescat, pono sequentia *dicta:*

PRIMUM: [*Oxon.* et *Report.* ib.] Nulla transmutatio, manente Eucharistiae veritate, petit substantiam redire, seu completam, seu incompletam, ut materiam. *Probatur:* quia agens potens in aliquam transmutationem potest in terminum illius, si susceptivum non magis repugnet termino, quam motui: sed in transmutationibus, in quibus manet Eucharistia, agens naturale potest in totum motum, et quantitas, quae est susceptivum, non magis repugnat termino, quam motui; nam non magis sibi repugnat unus gradus qualitatis, ad quem movetur per transmutationem, quam alius imperfectior, quia secundum rationem sui non determinat sibi aliquem gradum qualitatis; igitur agens naturale, absque eo quod sub illis speciebus redeat aliqua substantia, potest transmutare quantitatem, et inducere in illam terminum motus, quem potest efficere, manente Eucharistiae veritate.

SECUNDUM DICTUM: [*Oxon.* et *Report.* ib.] In huiusmodi trasmutationibus, cum quibus manet Eucharistia Sacramentum, de facto non redit substantia aliqua completa, vel incompleta. *Probatur:* nam dum manet Eucharistia sub illis speciebus non est alia substantia, nisi substantia Corporis Christi, accidentia etiam illa sine subiecto existunt: sed neutrum istorum esset verum, si stante Eucharistiae veritate alia substantia rediret; ergo manente Eucharistia nulla substantia de facto redit.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* et *Report.* ib.] In trasmutatione corruptiva Eucharistiae, manente eadem quantitate, quae sit subiectum transmutationis, non est necesse aliquam substantiam redire. *Probatur* eadem ratione, qua probata fuit prima conclusio: agens enim naturale agit in quantum habet subiectum praesuppositum, quod subiectum manet sub motu, et sub termino motus, quatenus ab ipso agente sunt: sed quantitas ipsa separata est sufficiens receptivum alterius motus et termini eius, scilicet alterationis, qua destruatur aliqua qualitas in ipsa substantia, et alia introducatur; ergo pro huiusmodi transmutationibus non requiritur aliquam substantiam redire.

QUARTUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 12. — *Report.* ib. 10.] In transmutatione corruptiva, sive sit per alterationem, sive per motum in quantitate, de facto redit substantia composita, ad quam disponunt accidentia corrumpentis, iisdemque substantia rediens afficitur: redit autem substantia in instanti intrinseco corruptionis, perinde ac si panis substantia adesset, eaque corrumperetur per inductionem novae formae, ac denique redit actione divina non alicuius agentis creati. *Declaratur* per singulas partes; Deus enim statuit illas species tamdiu manere sine subiecto, quamdiu staret Eucharistiae veritas; igitur cessante Eucharistia per transmutationem corruptivam specierum, non sunt ex divino decreto species illae sine subiecto; ergo in ipso intrinseco instanti corruptionis fit sub illis aliqua substantia, sicut in naturalibus in eodem corruptionis intrinseco instanti est in materia nova forma intenta ab agente. — Quod vero ea substantia sit ad quam illa accidentia disponunt, probatur: nam si substantia aliqua redit, ut redire probatum est, alia profecto esse nequit quam ea, quae illis accidentibus potest affici, quia alia substantia capax

non esset recipiendi talia accidentia; igitur talem substantiam redire tenendum est, quae suapte natura convenit illis accidentibus per corruptivam transmutationem inductis. — Quod denique nonnisi a Deo id fiat, patet, quia nullum agens creatum habet sufficientem virtutem activam eam substantiam de nihilo producendi.

Quaecumque [*Oxon.* ib. n. 13. — *Report.* ib. n. 10.] itaque transmutatio circa Eucharistiam, per quam non tollerentur, nec esse desinerent substantiae panis et vini, si adessent, non destruit Eucharistiam; ac proinde ob huiusmodi transmutationes nulla substantia redit, et sub fractione et divisione hostiae, et rarefactis, seu condensatis etiam speciebus, modo non inducatur quantitas repugnans substantiae panis, manet ibi veraciter Corpus Christi. Contra vero etiamsi maneret eadem quantitas, et induceretur qualitas repugnans substantiae panis, non subsisteret veritas Eucharistiae, quia non consistit Eucharistia in sola quantitate, sed et in aliis accidentibus necessario consequentibus substantias conversas, et inducto in quantitate illa calore panis substantiae incompossibilis, desineret ibi esse Corpus Christi, et rediret nova substantia, non quidem ob actionem agentis naturalis, quae haberet sufficiens subiectum ad illum calorem inducendum, ut expositum est *in tertia conclusione*, sed quia Deus non vult illam quantitatem sine subiecto esse, nisi quamdiu sub ipsa maneret propria substantia.

Ad Argumenta. Ad primum dico, [*Oxon.* ib. n. 14. — *Report.* ib. n. 11.] quantitatem separatam non habere aliquem modum positivum substantiae, sed tantum negativum, qualis est actu non inhaerere subiecto; at hunc non sufficere, ut ipsa possit esse subiectum magis quam prius; cuius igitur poterat esse subiectum coniuncta, eius esse potest et separata.

Ad secundum, [*Oxon.* et *Report.* ib.] concedo, non requiri novum miraculum ad actionem agentis naturalis, quamdiu agens illud habet passum; sed quando passum abest, tunc agere non posse nisi per miraculum detur sibi passum. Et porro passum ad generationem requisitum constat viribus naturae sibi esse praesens non posse. Ut igitur naturale agens per actionem agat, opus est, ut per divinam virtutem sub speciebus redeat substantia, non quidem materiam, ex qua agens naturale formam, educat, sed substantiam compositam primam qua reducta, si ulterior generatio de illa expectanda faciendaque sit, potest effici per agens naturale, habens tunc passum sibi conveniens.

Et per idem ad tertium, [*Oxon.* ib. n. 15. — *Report.* ib.] quia agens naturale necessario agit quantum potest agere; sed non potest ad formam substantialem, nisi ibi ultra quantitatem sit aliud receptibile substantiale, quod ut sit requiritur actio divina.

Ad quartum concedo, [*Oxon.* et *Report.* ib.] Deum sinere naturam agere proprios motus, idest actionem quae sibi potest competere naturaliter; at quando accidentia sunt separata a substantia, nequit agens naturale per actionem suam attingere productionem substantiae, quia non est ibi subiectum conveniens de quo producatur, et ideo non sinit tunc Deus agens illud agere quod non potest naturaliter; et ipse immediate producit novam substantiam completam, ut dictum est.

ARTICULUS VI.

UTRUM SPECIES SACRAMENTALES POSSINT NUTRIRE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 4. 5. *et* 6. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 77. *art.* 6.

RESPONDEO dicendum, species sacramentales posse nutrire: non sic intelligendo, ut ipsamet accidentia transmutentur in substantiam rei alendae; sed quoniam destructis dispositionibus substantiae panis convenientibus, per virtutem divinam redit substantia, cui sunt propria accidentia ab alterante inducta, ex qua nutriuntur species illas sumentes. Quae resolutio ex dictis *in praec. art.* patet; et tamen declaratur breviter: nam [*Oxon.* 4. d. 10. q. 6. n. 12.] nutritio est aggeneratio partis substantiae ipsi toti nutrito; cum igitur ex accidentibus non generetur substantia, sicut nec substantiam producere possunt, manifestum est, quod ipsae species sacramentales per se spectatae minime nutriunt, idest non aggeneratur ex ipsis et per ipsa nova pars substantiae eidem nutrito.

Sed quia ad sensum patet, hostiam consecratam posse corrumpi in animatum ex putrefactione genitum, sicuti corrumperetur si revera ipsis subesset substantia panis, manifestum est ipsas nutrire, quemadmodum nutrimentum inservire dicuntur dum sunt in hostia non consecrata, non quidem quatenus, ut dictum est, mera accidentia sunt, sed pro quanto Dei virtute sub ipsis redit substantia.

Quo sane sensu est intelligenda et accipienda Glossa illa super verbis *Corinth.* p. cap. 11. *Alius quidem esurit, alius vero ebrius est,* qua dicuntur species illae sacramentales nutrire suscipientes. Palam est enim, non posse eas transmutari in substantiam alendi, seu ex ipsis aggenerari substantiae partes nutrito, nisi substantia virtute divina redeat. Etenim ex non substantia fieri non potest substantia.

ARTICULUS VII.

UTRUM SPECIES SACRAMENTALES FRANGANTUR IN HOC SACRAMENTO.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 4. — *Report. ib. q.* 5.
— *S. Thom.* 3. *p. q.* 77. *a.* 7.

VIDENTUR species sacramentales non frangi in hoc Sacramento. Illud enim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1. n. 2.] proprie frangitur quod teritur et manducatur: sed in hoc Sacramento proprie manducatur Christi Corpus, iuxta verba ab ipso Salvatore prolata, Ioann., 6. *Caro mea vere est cibus,* ergo Christi Corpus vere manducatur, teritur, et frangitur.

CONTRA. [*Oxon.* ib. q. 4. seqq.] Christi Corpus in Eucharistia habet modum non quantitativum; est enim ibi indivisibiliter; ergo et impassibiliter; igitur nequit teri, aut frangi a suscipientibus, nec digeri susceptum; igitur species sacramentales proprie teruntur, franguntur, et digeruntur.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 12. q, 5. n. 4.] species sacramen-

tales in Eucharistia frangi, idque patere ad sensum; sed tamen probatur ratione: virtus agentis naturalis non diminuitur per hoc, quod accidens est sine subiecto: sed si illae species proprio subiecto inhaererent, utique agentis naturalis virtute frangi possent, et conteri dentibus; ergo etiam idipsum pati possunt quamdiu sunt extra subiectum. — Et porro [*Oxon.* 4. d. 12. q. 4. — *Report.* ib. n. 8.] *divisio* non est proprie mutatio aliqua eiusdem subiecti, sed proprie est reductio partium in actu, quae prius potentia tantum erant in toto, idest, manebant in toto indistincte, quia ad invicem continuatae unum indivisum conflantes, per divisionem vero reducuntur ad actum distincte, et extra totum discontinuatae per destructionem termini communis; quo continebantur et coalescebant in unum.

Sed quodnam est subiectum istius mutationis, vel quasi mutationis? *Respondeo,* [*Oxon.* n. 35. — *Report.* ib.] partes ipsas manentes secundum eamdem entitatem positivam, licet non cum illa praecisione quam significare intendimus, dicentes, partem esse in actu, statui posse subiectum, quia secundum eamdem entitatem positivam erant in toto, et postea extra totum: sed in toto habuerunt continuationem, quae prohibuit illam actualitatem includentem praecisionem; extra totum vero sunt cum praecisione, adeo ut partes transmutentur a forma ad privationem; nec aliqua est hic generatio, sed quasi corruptio citra generationem; siquidem illa omnino entitas, quae nunc est utriusque partis positiva, praefuit, licet non sub illa praecisione, qua intelligitur in actu extra totum, sicuti est post divisionem, per quam corrumpitur illa entitas totius, quae post divisionem superest. Partes igitur quantitatis, quatenus divisibiles per destructionem termini communis, sunt subiectum ipsius divisionis, cui subinde divisibilitati succedit ipsa divisio, tamquam actus.

Ad Argumentum distinguo *assumptum:* quod teritur et manducatur corporaliter, illud frangitur concedo: quod manducatur indivisibiliter et sacramentaliter frangitur, nego *maiorem.* In priori itaque sensu tantum species manducantur, teruntur, franguntur, et digeruntur, non autem Corpus Christi; quod etsi verissime sit cibus spiritualis animae, ac vere etiam sequatur praesentiam ipsarum specierum quae manducantur, quia tamen est in illis indivisibiliter, nequaquam frangitur, aut teritur. Et hoc est quod dicit Augustinus, [*Oxon.* ib. d. 10. q. 1. n. 4.] et ponitur *De Consecr.,* dist. 2. *Ipsum quidem, et non ipsum corpus quod videbatur, manducatur, ipsum invisibiliter, non ipsum visibiliter.* Dicit igitur, manducari ipsum invisibiliter, quia sub eo modo, quo in Euchristia est, invisibilis est et ideo ut ibi reperitur pati, frangi, et teri nequaquam potest.

ARTICULUS VIII.

UTRUM ALIQUIS LIQUOR POSSIT VINO CONSECRATO COMMISCERI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 12. *q.* 4. — *d.* 13. *q.* 1. *n.* 30.
S. Thom. 3. *p. q.* 77. *art.* 8.

Videtur nullus liquor commisceri posse vino consecrato. Etenim terminus communis illius quantitatis, in quo coit liquor additus speciebus sacramentalibus vini, vel esset sine subiecto, vel in subiecto. Si primum;

ergo actione agentis naturalis potest ibi produci aliquid a subiecto separatum, quod naturae viribus attribui non potest. Si autem dicatur esse in subiecto; ergo non apparet quomodo posset esse terminus quantitatis prioris, et separatae.

CONTRA. Manifestum est ad sensum posse vinum consecratum augeri per admixtionem alterius liquoris.

RESPONDEO dicendum, fieri posse ut alius liquor speciebus consecratis vini affundatur, eique subinde continuetur, idque nullo subiecto manente eodem, nisi forte istis partibus contiguatis, *ut art. praec.* dictum fuit de divisione. Quo facto, quantitas erit eadem, non solum identitate continuitatis, sed etiam eadem identitate positiva, quae praecedit continuitatem, quae scilicet est in hac, et similiter in illa quantitate, seu continuentur, seu discontinuentur. Et haec sane difficultas [*Oxon.* 4. d. 12. q. 4. n. 26.] communis est cuicumque unioni, sive divisioni: si enim vel divisio, vel unio est transmutatio, et quaevis eius subiectum, nihil commune invenies, nec profecto manet, nisi entitates partium divisarum vel unitarum; et illa entitas, quando facta est unio, habet aliquid quo caret quando est divisio, scilicet habitudinem unitorum, vel continuationem eorum, loquendo de quantis; atque ita universaliter transmutatio in divisione est privativa, in continuatione vero positiva.

Sed tunc argumentum factum in contrarium facit difficultatem. [*Oxon.* ib.] Pro cuius *solutione* supponendum, punctum esse terminum communem nectentem partes lineae, penes longitudinem, et lineam terminum communem superficiei, et ipsam denique superficiem terminum communem partium corporis secundum profunditatem. Quoniam ergo quisque horum terminorum totaliter unitur (quia indivisibiliter) duabus partibus, quae medio termino illo communi nectuntur, habet quidem duo subiecta, sed inadaequata; adaequatum enim subiectum termini communis sunt partes simul sumptae, quia inquantum praebet effectum suum formalem est illimitatus ad partem unam et alteram. Hi igitur termini communes per se et proxime respiciunt subiecta ipsorum adaequata, remote vero et per accidens respiciunt substantiam, quae est subiectum quantitatis.

Ex quibus patet *ad obiectionem*, quia terminus communis, quo continuantur partes quantitatis separatae partibus quantitatis in subiecto existentis, habet ipsas partes pro subiecto proximo et adaequato; ideo negatur esse extra subiectum, atque id sufficit ad actionem agentis naturalis. Quod si is terminus sit quantitatis in subiecto, et ipse quoque erit in subiecto remoto; sin, ut si existat in quantitate separata, non erit in tali subiecto. Sed id omnino accidit illi termino, ut per accidens quoque respicit subiectum illud remotum, ac proinde ut communicatur quantitati separatae non est in subiecto remoto, non aliter quam mediante subiecto proximo, et mere per accidens, et non per se.

ITERUM ARTICULUS VIII.

UTRUM ALIQUIS LIQUOR POSSIT VINO CONSECRATO COMMISCERI.

Mag. Alensis, 4. *p. q.* 10. *m.* 7. *art.* 2. § 3. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 77 *a.* 8.

VIDETUR aliquis liquor ita vino consecrato posse commisceri, ut inde unum Sacramentum fiat. Siquidem in hoc mysterio accidentia eadem sunt praedita virtute qua pollent dum propriis subiectis inhaerent. Unde Innocentius, *In quo*, inquit, *similitudo deficeret, in eo Sacramentum non esset*. Sed vino in suo esse naturali inest vis convertendi in sui naturam liquorem sibi affusum; ergo et dum manent eius accidentia extra subiectum. Atqui non possunt haec accidentia appositum liquorem convertere in purum accidens nisi eveniat illius transsubstantiatio vel annihilatio; cum igitur naturae viribus nihil annihilari queat, necessario erit hic transsubstantiatio, et subinde conversio in Sacramentum.

2. PRAETEREA. Maioris est virtutis consecratio panis et vini, qua fit conversio in Corpus et Sanguinem Christi, quam benedictio aquae: sed si aquae sanctificatae per benedictionem alia simplex aqua superinfundatur, efficitur et ipsa benedicta; ergo multo fortius consecratum erit vinum speciebus vini appositum consecratis.

3. PRAETEREA. Cum calici consecrato superinfunditur vinum, vel aqua, species illae necessario maiorem occupant locum; ergo Christi Sanguis est sub specie maiori: sed esse praesens amplioribus speciebus non potest, nisi aliud in ipsum Sanguinem convertatur; ergo quod appositum est in Sanguinem Christi conversum fuit virtute sacramentalium specierum.

4. PRAETEREA. Cum calici consecrato apponitur vinum vel aqua, fit una superficies; aut ergo ea superficies est in subiecto, aut extra subiectum. Si in subiecto; ergo si modicum liquoris superinfundatur, desinit esse Sacramentum. Si sine subiecto; ergo totum illud continuum est Sacramentum. — *Responsio:* secundum unam partem est in subiecto; secundum aliam extra subiectum reperitur. *Contra*, apponatur aqua, sicque vino insinuetur, ut ne minima quidem pars supersit, cui non sit penitus admista; igitur tunc non erunt aliquae partes eius continui in subiecto, aliae extra subiectum; ergo tunc saltem liquor affusus est in Sacramentum conversus.

5. PRAETEREA. Accidens cum substantia non occupat maiorem locum, nec efficit quid maius. Similiter nec corpus gloria donatum cum non glorificato. In calice autem non est nisi Corpus Christi glorificatum cum vini speciebus. Si liquor superinfusus manet in suo esse naturali una cum Christi Corpore non occupabit maiorem locum, ac antea occupaverint species vini, quibus est praesens Sanguis Christi. Hoc autem sensu depraehenditur esse falsum; ergo substantia appositi liquoris non manet, sed solum supersunt species ipsius; est igitur conversa.

6. PRAETEREA. Si vini speciebus affunderetur aqua magna in quantitate, Sacramenti veritas non subsisteret, quia species vini absorberentur ab aqua, et in aquae qualitatem transirent; ergo pari ratione si modica infundatur aqua speciebus vini consecrati, in Sacramentum converteretur.

CONTRA. Virtus convertendi vini substantiam in Sanguinem Christi non est collata elemento, sed verbo: ergo quando additur aliquod elementum speciei non fit conversio; manet igitur substantia cum accidentibus; non est proinde tali in facto conversio in Sacramentum.

RESPONDEO dicendum species consecratas non pollere virtute convertendi aliam substantiam in Sacramentum. Cuius rei ratio evidens est, quia superinfusus liquor aliter in Sacramentum converti non posset, quam aut virtute Sanguinis, in quem vini substantia iam conversa supponitur, aut virtute vini, aut certe efficacia specierum. Non primum, quia ille Sanguis est corporis beati, nec habet potentiam convertendi aliquid in se; substantia vini abesse creditur; nihil ergo superest cui id attribuatur, nisi vini accidentibus. Atqui (ut tactum fuit *argumento ad oppositum*) non ipsis speciebus, sed verbis data est a Christo Domino virtus transsubstantiandi substantiam vini in Sanguinem; ergo liquor quicumque vini speciebus appositus non convertitur in Sanguinem Christi.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dicendum, vini accidentia convertere non posse elementum appositum in naturam vini, neque in purum accidens, neque in Sanguinem Christi. — *Et si dicatur:* appositum elementum fit simile vino; ergo transiit in convertentis naturam; *dicimus,* accidentia vini de sui natura non habere potentiam convertendi, sed magis id praestare vini proprietates miraculose existentes in his accidentibus, idque naturaliter, sicuti suapte natura sensum immutant, ac propterea convertere nequire in accidens purum, sed in illud, cui naturaliter insunt vini proprietates.

AD SECUNDUM dicimus, nullam esse assumptam paritatem; nam in conversione aquae simplicis in aquam benedictam est completa commixtio et unio, ad quam sequitur quaedam indivisio sanctificationis, propter quam illa tota aqua ratione unius est sanctificata. At in Sacramentali conversione etsi fiat conversio in aliquid habens proprietates vini, abest nihilominus conversio substantiae appositae in Corpus Christi, quae nonnisi virtute supernaturali repraesentari potest.

AD TERTIUM respondeo, ex suppositione quod Sanguis Christi contineatur adhuc sub vini speciebus, quibus fuit appositum elementum, quamvis Christi Sanguis maioribus sit praesens speciebus, ex hoc tamen non sequi aliquid fuisse conversum in ipsum Sanguinem, sed tantum species illas continentes per affusum liquorem fuisse dilatatas. — *Aliter etiam potest dici,* sine praeiudicio melioris sententiae, hypotesim illam non subsistere; nam quocumque liquore vini speciebus superinfuso ac diviso insinuatoque partibus specierum Sanguinem Christi continentium, non superest veritas Sacramenti. Cum enim humidum parvae quantitatis apponatur humido longe maioris; quia in huiusmodi substantiis non stat divisio secundum materiam, cum non sit ponere divisionem quoad partes secundum materiam fieri usque ad minima, necessario oportet nullam partem speciei continentis permanere in puritate accidentis, cum iam substantia humidi appositi admixta sit complete singulis partibus illius speciei. Quo facto, quoniam in hoc Sacramento, secundum veritatem eius, nihil est, aut esse debeat nisi species continens, atque in casu proposito res aliter se habeat, oportet tunc puritatem et veritatem Sacramenti non subsistere.

AD QUARTUM, cum dicitur: facta appositione novi liquoris fit una

superficies; *respondeo,* hoc utique verum esse, sed tamen aliam quam prius, quia alia est quantitas, eamque novam superficiem in subiecto reperiri, ac propterea desiisse Sacramenti veritatem. Nam cum sit una quantitas et earumdem proprietatum quantum ad omnes partes illius, non est secundum aliquam naturam vel proprietatem distinguere partem a parte, oportet omnino si aliqua pars subiecto inhaereat, et reliquas pariter esse in subiecto. — *Si dicas,* hac appositione fieri non posse completam commixtionem, cum esse nequeat usque ad minima secundum materiam; *responsio:* si quod dicitur verum esset, nusquam fieri posset completa commixtio in liquidis: at completa est mixtio quando assignari nequit aliqua pars secundum existentiam veritatis in mixto secundum materiam, neque secundum speciem, quae sit differens ab alia. — *Verum aliqui* respondent sic: liquor additus non efficit unam substantiam, sed dimensio continuatur dimensioni, et fit una quantitas, cuius una pars superficiei est in subiecto, alia extra subiectum, sicut una pars superficiei potest esse alba, alia nigra. — *Quae responsio* non est recipienda, quia non consona rationi. Humidum enim non est terminabile termino proprio, nec stat divisio in humido quantum ad partes secundum materiam, donec perveniatur ad tantam indivisionem partium et unionem, ut in nulla ex his partibus sit invenire naturam, vel proprietatem aliquam, quam non sit invenire in alia.

Ad quintum respondeo, *assumptum* verum esse de accidente suapte natura subiecto inhaerente; et tale quidem accidens non facit maius cum proprio subiecto, nec locum occupat ampliorem, quia locus subiecti locus est et accidentis. At secus est de accidente, quod virtute supernaturali est habens dimensionem praeter subiectum: tale quidem accidens si apponatur aliud inhaerens subiecto, maiorem occupat locum ac se solo facere possit, quia ex duorum continuatione dimensio additur dimensioni, et necessario sequitur maioris loci occupatio.

Ad sextum neganda est paritas; nam species sacramentales variis modis destrui possunt, sic ut cesset veritas Sacramenti; sed conversio elementi in Sacramentum perfici nequit nisi virtute supernaturali, et ministerio Sacerdotali.

QUAESTIO SEPTUAGESIMAOCTAVA.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIAE, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de forma huius Sacramenti.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Quae sit forma huius Sacramenti. - 2. Utrum sit conveniens forma consecrationis panis. - 3. Utrum sit conveniens forma consecrationis vini. — 4. De virtute utriusque formae. — 5. De veritate loquutionis. — 6. De comparatione unius formae ad aliam.

ARTICULUS I.

UTRUM HAEC SIT FORMA HUIUS SACRAMENTI, *HOC EST CORPUS MEUM,* ET, *HIC EST CALIX SANGUINIS MEI.*

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 2. — *Report. ib.* —*S. Thom.* 3. *p. q.* 78. *a.* 1.

VIDENTUR illae orationes non esse formam huius Sacramenti. Nam talis est natura formae Sacramenti, ut ea a ministro prolata circa materiam debitam, statim perficiatur Sacramentum: sed si quis solummodo pronunciaret verba illa, *hoc est corpus meum: hic est Calix sanguinis mei,* non haberetur conversio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi; ergo illa non est forma huius Sacramenti. *Probatio minoris:* verba sacramentalia, quibus nimirum perficiuntur Sacramenta, debent significare illud quod efficiunt ex vi Sacramenti: sed ex vi consecrationis huius fit sub speciebus verum Corpus et Sanguis Christi; igitur verba quibus forma constat ex vi propria debent significare illud in speciebus contineri. Sed haec verba, *Hoc est corpus meum,* prolata sine praecedentibus, id absolute non significant; nam appositum *meum* significat referri ad personam ipsius loquentis. Quamvis enim minister possit intendere se loqui in persona Christi, non propterea tamen eorum verborum significatum esset, ut per *meum* demonstraretur Corpus Christi, sed magis corpus loquentis; ac proinde etsi non esset propositio falsa secundum intentionem proferentis, tamen proprium significatum ipsius orationis foret intelligendum de corpore proferentis, non de Corpore Christi; igitur illa nequit esse forma huius Sacramenti.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 6.] Nullus Evangelistarum ponit formam, qua utimur in consecratione calicis, imo nec panis. Ut enim legitur *Matthaei,* 26. priusquam Christus Corpus suum et Sanguinem Discipulis tradidisset, multa praemisit; narratur enim accepisse panem, benedixisse, ac dedisse Discipulis, dicens: *Hoc est corpus meum;* similiter et calicem; igitur illa non est forma huius Sacramenti, cum non constet tali forma Christum in conficiendo hoc Sacramento usum fuisse.

3. PRAETEREA. In illis verbis nulla est expressio ministri perficientis Sacramentum; ergo non stat in ipsis ratio formae Sacramenti Eucharistici. *Probatio consequentiae:* in caeteris omnibus Sacramentis ad verba

necessaria pro perfectione eorum additur aliqua expressio ministri, ut in Baptismate, Confirmatione, Poenitentia, et aliis; igitur cum in praefatis locutionibus non exprimatur minister, in eis non est statuenda perfectio formae.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] *De celebr. Missarum,* c. *cum. Marthae,* determinat Papa formam verborum huius Sacramenti esse eam quae in Canone scribitur, eamque Apostolos a Christo accepisse, atque eos successoribus tradidisse.

IUXTA QUOD DICENDUM, [*Oxon.* ib. n. 4. seqq. — *Report.* ib. n. 3.] illam omnino de qua quaeritur esse formam huius Sacramenti, ut tenet Romana Ecclesia, in qua quoniam est vera doctrina de Christi Sacramentis, aliter de ipsis sentire et credere nec possumus nec debemus. Quod et docuerat Ambrosius, lib. 4. *De Sacram.,* c. 4. Et ponitur *De Consecr.,* d. 2. c. Panis est in Altari, *ubi accessit,* inquiens, *consecratio, de pane fit caro Christi; consecratio autem quibus verbis est, et cuius sermonibus? Domini Iesu.* Et infra: *accipe quae sunt verba, Accipite et edite ex hoc omnes, hoc enim est Corpus meum.* Et de calice, *et bibite ex eo omnes, hic est enim Sanguis meus.* Ubi Ambrosius videtur verbum *Accipite* intellexisse, quasi spectaret ad essentiam consecrationis. Sed licet illud ac complura alia sint necessario praemittenda, saltem ut minister rite Sacramentum perficiat, non tamen spectare putandum est ad necessitatem consecrationis; praemittenda sunt ergo verba quae notantur in Canone, ut ex eis vi sermonis significetur et intelligatur illa, *Hoc est Corpus meum,* dici in persona Christi. Quapropter Ecclesia ita totum Canonem contexuit, ut ab illo loco, *Communicantes,* usque ad ea quae post consecrationem sequuntur, *supplices te rogamus Omnipotens Deus,* nullam interponeret orationem, quae non necessario connecteretur cum praecedente, vel per coniunctionem copulativam, sicut, *Hanc ergo oblationem,* vel per pronomen infinitum, ut, *Quam oblationem tu Deus,* et *Qui pridie quam pateretur;* et post consecrationem, *Supra quae propitio;* vel per relationem, ut ibi, *simili modo,* etc.

Quamvis autem [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 2.] alia sit forma consecrationis panis, alia vini, una est tamen unitate integritatis et indivisibilitatis. Ut enim dictum fuit *q.* 73. *art.* 2. quemadmodum Sacramentum istud includit in se duo signa partialia, quae primo signant duo propria signata et proxima, scilicet Corpus et Sanguinem, et remota, scilicet cibationem et potum spiritualem; ita etiam est una consecratio unitate integritatis, et tamen duae consecrationes. Et ita pariter est una forma consecrationis unitate integritatis continens in se plures formas partiales, quarum una est efficax sine alia: quod manifestum est; quia alioquin fideles ante consecrationem Calicis Corpus adorantes essent idololatrae, quod nemo dixerit.

Hanc porro formam unam unitate integritatis, non est putandum esse formam Eucharistiae; cum enim (ut dictum fuit *q.* 65. *art.* 3. et 73. *art.* 1.) hoc Sacramentum sit permanens, neque eius usus consistat in *fieri,* quemadmodum evenit in aliis Sacramentis, nulla verba possunt esse de essentia vel forma eius, quia verba non permanent, sed unum alteri succedit. Proprie ergo ea, de qua quaeritur est forma consecrationis Eucharistiae; qua consecratione cum verbis ipsis elabente, sub speciebus panis et vini superest verum Corpus et Sanguis Christi.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, ut certum est graviter peccaturum ministrum, qui dumtaxat praecitata verba proferret, ita dubium esse utrum consecrasset. Et quidem quod nihil perficeretur probat factum argumentum. Altera ex parte proferens verba ea intentione qua Christus instituit fore proferenda circa materiam debitam, videtur ab tali ministro confici Sacramentum. Et si casus ferret, ut aliquis illa verba tantum pronunciaret, esset sumenda illa materia a Sacerdote rite et canonice perficiente Sacramentum post consummationem, ante tamen sumptionem vini non consecrati, sub conditione: si est consecrata, ut talem sumo, sin, ut non consecrata, et ut quid de quo est incertum. Neque eo in facto est ullum periculum; quia ieiunus est ante perceptionem vini ablutionis. Et si non est consecratum quod percipit, non tamen facit irreverentiam Corpori et Sanguini iam perceptis, quia post sumptionem Sanguinis in altari, statim percipimus vinum purum. Neque esset ulla ratione sub conditione consecranda, quia nulla est hic necessitas, ut in dubie baptizato. — Tenentes absolute non esse tunc panem consecratum, ad argumentum responderent, non sequi ex eo verba antecedentia ingredi formam essentialiter, quia quaedam concurrunt in Sacramentis, sine quibus non perficiuntur, quae tamen non sunt de essentia ipsorum, quia nec materia nec forma, et talis est intentio ministri; essent ergo verba illa antecedentia conditio quaedam necessaria, non autem forma huius Sacramenti.

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* ib. n. 6.] dubitari non posse de certitudine formae, qua utimur iuxta auctoritatem Innocentii supra allegatam. Nec obstat quod nemo Evangelistarum illam, uti habetur in Canone, scriptis suis consignaverint, quia ipsi intendebant narrare rem gestam, non tradere formam consecrandi; ea autem tradidit Christus Apostolis, et ipsi Ecclesiae, in qua multa firmissime tenentur utpote fidem catholicam concernentia, quae nihilominus in Evangeliis scripta non reperiuntur.

AD TERTIUM dico, non esse paritatem de ministro huius Sacramenti, et aliorum. Cum enim huius Sacramenti minister proferat verba consecrationis in persona Christi vel Dei instituentis Sacramentum, a quo assistente ponitur sub speciebus Corpus Christi post consecrationem, ut post dispositionem immediatam ad *esse* Corporis Christi, non ipse minister debet exprimi in forma huius Sacramenti, sed magis ille in cuius persona consecratio pronunciatur. In aliis autem Sacramentis, cum consistant in usu et *fieri*, recte exprimitur minister, qui dicat, *Ego te baptizo, Ego te absolvo,* etc., quia dum ipse exercet actum illum, Sacramentum et perficitur, et confertur: etsi ipsa expressio ministri simpliciter non sit necessaria, quia loquendo de Baptismate non est in verbis Christi instituentis, sed tantum necessario exprimi debent actus et suscipiens. Istud autem Sacramentum est permanens, et ideo nulla verba, nec minister proferens ea, sunt de essentia Sacramenti, sed consecrationis Sacramenti, quae quia perficitur verbis Christi a ministro idoneo, ut inquit Ambrosius [*Oxon.* ib. n. 5.] praeallegatus, *Sermo Christi creaturam mutat,* ipse Christus magis quam minister est exprimendus, ministro apponente dispositionem immediatam ad illam mirabilem conversionem.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM FORMAM SACRAMENTI EUCHARISTIAE PRONUNCIET SACERDOS RECITATIVE, SEU MATERIALITER TANTUM, VEL POTIUS SIGNIFICATIVE, ET FORMALITER.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 2. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 78. *art.* 1.

VIDETUR Sacerdos pronunciare verba, quibus transsubstantiantur panis et vinum in Corpus et Sanguinem Christi, recitative et materialiter tantum, non vero significative et formaliter. Nam [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 11.] Sacramenti Eucharistiae minister profert verba consecrationis eo modo, quo a Christo pronunciata ac instituta sunt: atqui Sacerdos ita se gerendo recitat verba illa in persona Christi; siquidem, ut praescribitur in Canone, dicit: *qui pridie, quam pateretur,* etc., constat autem id de Christo affirmari, cuius demum verba profert consecrando.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 6.] Eadem ratione et modo, quo a Sacerdote pronunciantur verba consecrationis Corporis, proferuntur et verba consecrationis Calicis, vel Sanguinis: sed de his manifestum est non dici ab Sacerdote nisi recitative et materialiter; etenim cum ait, *Hic est calix,* etc. *qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum,* nequeunt profecto ea verba ad Sacerdotem referri, sed ad Christum, cuius Sanguis, cum ea diceret, fundendus erat in remissionem peccatorum; ergo minister recitative tantum et materialiter verba illa profert, et non formaliter et significative.

CONTRA. [*Quodlib.* q. 20. n. 13.] Sacerdos ratione Ordinis, quo praeditus est, tenet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem eius est offerre sacrificium, et oblationis virtutem determinare; quo sane in facto non est dicendus organum praecise, sed etiam minister et dispensator: dispensator autem etsi in persona principalis agentis quae suae sunt curae commissa dispenset, est tamen eorum actuum exequutor virtute ministerialis potestatis, qua est formaliter instructus; ergo pariter Sacerdos Evangelicus, quamquam in persona Christi verba consecrationis recitet, et subinde materialiter, nihilominus ratione Ordinis, quo pollet, cuiusque virtute est minister Sacramentorum Christi, etiam significative et formaliter illa pronunciat.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 11.] *est hic opinio dicentium,* verba quibus conficitur Eucharistiae Sacramentum recitative tantum et materialiter ab Sacerdote proferri. Quam opinionem etiam docet D. Innocent., lib. 4. *De sacrificio Missae,* c. 17. — *Contra,* si recitative tantum, et non significative ea verba pronunciari intelligantur, non subsisteret perfectio Sacramenti. Etenim Sacramenta, vel verba, quibus Sacramentorum perfectio constat, id efficiunt quod significant: atqui Sacerdos haec verba, *Hoc est corpus meum,* recitans sub quacumque intentione, non significant Christi Corpus sub speciebus latere, sed potius corpus Sacerdotis pronunciantis; ergo non subsistit Sacramenti perfectio, cuius veritas in eo sita est, ut sub speciebus panis Corpus Christi divina virtute ponatur, non vero corpus Sacerdotis praedicta verba usurpantis. Opus est ergo

ut Evangelicus Sacerdos in exercitio sui ministerii illis verbis utatur in sensu formali et significativo, utque revera exprimatur Christi Corpus poni et contineri sub speciebus consecratis.

Ac propterea est dicendum, Eucharistiae idoneum ministrum, nedum recitative et materialiter verba consecrationis pronunciare, sed etiam significative et formaliter. *Declaratio:* Sacerdos Evangelicus intelligi potest ut persona quaedam particularis, et ut minister gerens vices, vel induens personam Christi. Et sub priori quidem consideratione recitator est verborum quibus perficitur Eucharistia; id enim manifeste ostendunt verba antecedentia formam consecrationis, et intentio Sacerdotis recensentis quae Christus gessit, cum ineffabile hoc Sacramentum institueret. Ut ergo est quaedam persona particularis enarrans ea quae gesta sunt a Christo pro salute generis humani, recitative et materialiter se habet respectu eorum verborum, quibus historia illa recensetur et exprimitur.

At quatenus ipse minister personam induit Christi, ab ipso verba illa significative usurpari, probat ratio adducta contra relatam opinionem. Etenim id Sacramenta significant quod causant: sed reipsa consecrationis verba causant veram atque realem praesentiam Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini; haec igitur oportet ut significent, ac proinde significative et formaliter a Sacerdote Christi personam induente proferuntur, et quatenus sic significativa sunt oportet Sacerdotem habere intentionem ea pronunciandi, quia intentio illa proferendi, ut a Christo instituta sunt; institutum est autem per ipsa significari quod causant. Porro de formae huius significatione tum speculativa, tum practica amplius infra *art.* 5.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM patet ex dictis; solum enim ostendit, verba illa recitative proferri a Sacerdote, ut quaedam persona particularis est.

AD SECUNDUM respondeo, verba de futuro, quae in calicis consecratione Ecclesia iubet Sacerdotem pronuntiare, recitative tantum proferri; non spectant enim ad formam consecrationis vini, qua forma vinum convertitur in Sanguinem. Adiecta sunt tamen, quia apud Evangelistas et Apostolum ita inveniuntur ad excitandam memoriam sacrificii cruenti, quod Christus obtulit in cruce in remissionem peccatorum.

ARTICULUS II.

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA CONSECRATIONIS PANIS, *HOC EST CORPUS MEUM.*

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 78. *a.* 2.

VIDETUR non esse conveniens forma consecrationis panis illa, de qua quaeritur. Nam [*Oxon.* 4. d. 8 q 2. n. 1. — *Report.* ib.] pronomen *Hoc* aut demonstrat substantiam panis, aut accidentia, et utroque modo esset propositio falsa, aut ostendit Corpus Christi, et tunc virtute eius panis non converteretur in Corpus Christi, quemadmodum nec per istam, *Corpus meum est Corpus meum,* Sacramentum perficeretur. *Quod et probatur;* nam nulla propositio est effectiva, vel operativa, quae vera est nulla posita actione, vel operatione, aeque ac si operatio ponatur:

talis ista, *Corpus meum est Corpus meum;* haec enim non est efficiens conversionis alicuius in aliud, ita nec illa erit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib. n. 2.] In forma Sacramenti tradita a Christo non licet regulariter aliquid interponere: sed hic regulariter interponitur haec coniunctio *enim,* quae non reperitur in forma tradita a Christo, ut patet ex Evangeliis; igitur illa quam adhibet Ecclesia non est conveniens.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Sicut hoc pronomen *Ego* signat primam personam, ita *meum* possessionem; ergo sicut dicens *Ego* de se loquitur, ita dicens *meum* designat illud a se possideri; ergo Sacerdos proferens *meum* exprimit illud esse suum corpus, idest, Sacerdotis: hoc est falsum; igitur forma illa non est conveniens.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib.] *De celeb. Miss.,* c. *Cum Marthae,* Papa determinat formam, quae habetur in Canone, fuisse a Christo institutam, ac traditam Discipulis, atque ab ipsis Ecclesiam accepisse; ergo est conveniens.

RESPONDEO, dubitari non posse formam illam a Christo institutam esse convenientissimam et propriissime significare atque exprimere quicquid ibi geritur a Deo ad eorum prolationem verborum. Ea autem [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 3.] sunt quatuor, scilicet pronomen *Hoc,* verbum *Est,* et in apposito *Corpus* et *meum.* Siquidem coniunctio *enim* non est de essentia formae; graviter tamen peccaret minister qui illam voluntarie omitteret, ob Ecclesiae praeceptum. Causa autem quare ea coniunctio ab Ecclesia addita sit, est, secundum aliquos, ad denotandum ordinem formae consecrationis ad usum materiae consecratae, qui subinde usus non est de essentia Sacramenti; quae causa videtur elici ex contextu verborum, Accipite, *Hoc est enim,* etc., quasi dicat: quoniam talis est consecratio, ideo utimini consecrato. Alia nihilominus ratio potest assignari, cur addita sit coniunctio *enim.* Siquidem Ecclesia noluit aliquam orationem dissutam ponere in Canone; quia igitur ante verba consecrationis praemittitur rei gestae a Christo narratio, ab illo loco, *Qui pridie quam pateretur, accepit panem* etc., et una pars conditionalis separata ab alia nihil significat, ut si dicerem, *Tu es homo dum tu curris,* si oratio complectens verba consecrationis posita fuisset dissuta et inconnexa cum aliis, haud conflata esset perfecta et completa sententia; ideo ut omnis improprietas vitaretur, neve ulla esset inconnexio verborum Sacramentalium in Canone, recte Ecclesia addidit coniunctionem *enim;* ex quo factum est ut appositum admodum antecedentia cum sequentibus necterentur, perfectumque sensum et completam sententiam in animum percipientis gigneret.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 26. — *Report.* ib. n. 18.] dico per pronomen *Hoc* non demonstrari panem, aut accidentia eius, sed singulare entis; siquidem demonstrat pro instanti completae prolationis orationis, idque vel ex virtute sermonis, vel ex intentione proferentis; et nego istam, *Corpus meum est Corpus meum,* esse similem istis, *Hoc est corpus meum.* Et hoc patet, quia ista propositio, *Hoc est ignis,* posset esse operativa et conversiva, quia Deus posset convertere ens demonstratum in ignem; non autem ista, *Ignis est ignis,* quia nulla est conversio possibilis ignis in ignem.

AD SECUNDUM [*Oxon.* et *Report.* ib.] patet ex supradictis, quamo-

brem Ecclesia addendam censuerit coniunctionem *enim* verbis formae consecrationis: non quia arbitrata sit esse perinde consecrationi necessariam seu essentialem, ac illa quibus fuit addita, sed dumtaxat ut apte continuaret necteretque antecedentia cum sequentibus verbis ad continuitatem orationis.

AD TERTIUM concedo, [*Oxon.* et *Report.* ib.] possessivum *meum* ex virtute sermonis oportere, ut denotetur referri ad personam Christi, et ideo necesse esse ut prius fiat mentio de Christo, in cuius persona verba consecrationis proferantur; sicut si dicerem: Christus inquit, *Mea doctrina non est mea,* de virtute istius propositionis significaretur possessivum *mea* referri ad Christum. At id profecto non significaretur, si quis omittens referre, Christum tale quid pronunciasse, statim exordiretur, *Mea doctrina non est mea.* Utrum autem omissis verbis antecedentibus proferens verba consecrationis in materiam idoneam consecraret, dictum fuit *art. praec. Ad primum.*

ARTICULUS III.

UTRUM HAEC SIT CONVENIENS FORMA CONSECRATIONIS VINI. *HIC EST CALIX SANGUINIS MEI.*

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 78. *art.* 3.

VIDETUR non esse conveniens forma consecrationis vini illa, qua dicitur, *Hic est calix Sanguinis mei.* Nam [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] aeque pauca verba videntur sufficere ad consecrationem Sanguinis, sicut Corporis: sed consacratio Corporis concluditur quatuor verbis, ut *in antecedenti articulo* visum est; ergo et haec forma pariter constare debet quatuor verbis, vel si pluribus coalescat, minus conveniens probatur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 5.] Graeci in calicis consecratione alia forma utuntur, dicentes, *Hic est Sanguis meus,* et in quibusdam eorum Liturgiis deest, *mysterium fidei:* in aliis etiam τὸ *Novi Testamenti mysterium fidei* non habetur: illos autem vere conficere Sacramentum sentiendum est; convenientius igitur quam Latini uti videntur forma consecrationis vini.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Formae qua utitur Ecclesia latina in calicis consecratione nemo Evangelistarum meminit; ergo non habet certam firmitatem ex Evangelio.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] *De celebr. Missarum,* c. *Cum Marthae,* Innocentius III. determinat formam Corporis et Sanguinis quae continetur in Canone, fuisse a Christo institutam, ac Apostolis traditam, atque per eos ad nos devenisse.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 5.] quoniam aliqui censent de substantia formae consecrationis Sanguinis esse omnia verba, quibus constat tota illa oratio, *Hic est calix,* etc. usque ad *Haec quotiescumque,* etc. exclusive, videndum est hic, an motiva, quibus ad id affirmandum moventur, subsistant.

Declaratur [*Oxon.* et *Report.* ib.] igitur particulam illam, *Qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum,* esse de substantia formae con-

secrationis calicis; etenim relativum *qui* implicat antecedens, taliter ut sit pars unius totius orationis completae; igitur quaelibet pars eiusmodi orationis est de substantia formae istius consecrationis. Consimiliter multo magis particula, *Novi et aeterni testamenti,* spectat ad essentiam formae illius, quia per haec verba significatur quaedam specificatio eius, quod praecedit, cum dicitur *sanguis.* Ad unam autem eamdemque formam videntur pertinere omnia quae spectant ad eamdem orationem; igitur cum sequentia ad ista, *Hic est calix Sanguinis mei,* vel sint specificativa praecedentium, vel implicativa eorumdem, ac subinde conflent unam totalem orationem, omnia erunt de substantia formae consecrationis Sanguinis.

Verum hae rationes [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib. n. 6.] *non concludunt* propositum. Et *prima* quidem de implicatione non urget; quia etsi in sensu compositionis faciat illa implicatio unam orationem cum praecedentibus, in sensu tamen divisionis sunt ibi duae propositiones et orationes. Unde τὸ *qui pro vobis,* etc. exponitur per haec verba, *et ille pro vobis effundetur.* Unde duae, ut dictum est, coalescunt orationes: prima sequentibus verbis constans, *hic est Calix Sanguinis mei novi et aeterni Testamenti;* secunda vero istis aliis, *et ille effundetur pro vobis in remissionem peccatorum.* Esset ergo tota illa oratio una hypothetica copulativa, et ideo unaquaeque ex propositionibus copulatis habet perfectum conceptum et intellectum, ut haec, *Socrates legit et sedet,* ad differentiam hypotheticarum conditionalium, vel causalium, quarum una non habet perfectum conceptum sine alia, ut si tantum diceretur, *si tu es animal,* nihil complete diceretur; at si adderetur, *si es animal* sis oportet *et substantia,* perfectus conceptus gigneretur in animam audientis. Breviter igitur: in sensu compositionis τὸ *qui* implicat antecedens, estque pars eiusdem orationis, quae non esset perfecta sine sequentibus relativum *qui;* in sensu nihilominus divisionis sunt duae cathegoricae perfectae, quarum quaelibet sine alia habet perfectum sensum et intellectum.

Quod ad *secundam probationem* attinet, [*Oxon.* et *Report.* ib.] quasuadetur verba illa, *novi et aeterni Testamenti,* esse de substantia formae, eo quod sit quaedam specificatio praecedentis partis orationis, cum qua faciunt unam orationem perfectam, quamvis sane hoc concederetur, non propterea sequitur propositum. Ex hoc enim quod aliquid additum faciat orationem unam cum eo cui additur, non debet nec potest inferri illud additum spectare ad formam consecrationis. Nam potuit Christus dixisse, *Hoc est Corpus meum, assumptum de Virgine, et suspendendum in cruce,* sicut dixit de Sanguine, *qui pro vobis effundetur.* Nec tamen quia verba illa addita coalescunt in unam orationem, ideo spectarent ad essentiam formae consecrationis Corporis; ergo nec quaecumque adduntur ad verba illa, quibus significatur praesentia Sanguinis sub speciebus vini, et conversio subinde substantiae illius in ipsum, licet faciant unam orationem, erunt de substantia formae consecrationis Sanguinis. Quemadmodum ergo verba illa, si fuissent addita a Christo ad formam consecrationis Corporis, essent dicenda, non quia simpliciter necessaria, sed quia a Christo instituta ob reverentiam ipsi debitam et devotionem, ita et illa, quae fuerunt addita ad formam Sanguinis, etsi faciant cum praecedentibus unam orationem.

Accedit etiam, [*Oxon.* et *Report.* ib.] quod in verbis, *novi et aeterni Testamenti,* Sancti communiter intelligant implicationem Sanguinis, quo

fuit novum Testamentum confirmatum. Et ita verba illa non praecise important praecedentium quamdam specificationem, sed ex ipsis magis coalescit alia propositio, non praecise determinativa praecedentis, sed de se sensum habens, a praecedenti diversum; nam, *hic est Calix Sanguinis mei,* est una propositio expressiva praesentiae Sanguinis Christi sub speciebus vini. *Novi et aeterni,* etc. hanc aliam faciunt orationem: qui Sanguis est confirmator novi et aeterni Testamenti.

Quoniam igitur [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 7.] non probatur per rationes omnia illa verba, *Hic est Calix,* etc. usque ad illa, *Haec quotiescumque* etc. exclusive, spectare ad formam consecrationis Sanguinis, nec invenitur aliquando id Ecclesiam declarasse, non est affirmandum, nec determinandum aliqua ex illis, post *Sanguinis mei,* esse de substantia illius formae, et aliqua non esse, quia periculum est asserere quod nescitur, sed non est periculum ignorare quod non determinatur. Nec tutum est in istis aliquem praesumere de scientia sua, et reputare se valde peritum in lege, eoque devenire ut dicat: volo uti praecise istis verbis pro consecratione Calicis, seu Sanguinis, quia cum non habeatur firma Ecclesiae auctoritas, aut traditio, quaenam sint praecisa illa verba, talis exponeret se periculo non consecrandi, quaedam omittendo ex illis quae habentur in Canone. Securior ergo est simplicitas: volo ista verba proferre ea intentione, qua Christus esse proferenda instituit; ut quae ex Christi institutione sunt ad formam attinentia, pronuncio ut de forma, et quae ad reverentiam, ad reverentiam. Hoc denique tenendum tamquam certissimum est, Sacerdotem habentem intentionem faciendi quod facit Ecclesia, et legentem distincte verba Canonis a principio usque ad finem, vere conficere Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi.

Quaeres, [*Oxon.* ib. n. 10. — *Report.* ib.] si ante omnia verba prolata contingeret mori Sacerdotem, numquid habendus esset Sanguis tamquam vere consecratus? *Respondeo,* ut dictum fuit *in 1. articulo istius quaest. Ad primum principale,* non esse calicem adorandum nisi sub conditione, si vere consecratum est; neque (*ut loco cit.* de Corpore declaratum fuit) est iteranda super illam materiam consecratio absolute, aut sub conditione, quia nulla est necessitas id faciendi, ut est in dubie baptizato, neque esset semper illa materia servanda, sed circa ipsam ita se gerere deberet Sacerdos, sicut in simili casu de Corpore *loco cit.* praedictum est.

Ex quibus [*Oxon.* ib.] sequitur minus rationabiliter dictum esse, oportere ministrum Sacramentorum scire praecise quae verba pertineant ad essentiam formae eius Sacramenti quod habet conficere. Hoc enim manifeste falsum est, non solum in proposito, sed etiam in Baptismatis, Poenitentiae, et Ordinis Sacramentorum administratione; alioquin enim si quis ignoraret praecisam formam Baptismi, et reipsa baptizaret proferens verba Ecclesiae a Christo tradita, et intendens facere quod Ecclesia facit, non baptizaret, quod plane falsum est, quia laici, a quibus Baptisma collatum Ecclesia dicit esse validum, non baptizarent, cum nesciant quaenam sit eius Sacramenti praecisa forma. — *Et similiter* de Poenitentia sequeretur, quod Iudex non absolveret, si ignoraret quae praecise verba ad formam eius pertineant; et nihilominus omnia quae Ecclesia dicit esse proferenda, pronuncians, sub intentione enunciandi Sacramentalia ut necessaria, et non Sacramentalia ut sunt, vere absolvit.

— *Denique* [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib. n. 7.] fortasse nemo Episcoporum scit, quibus praecise verbis imprimatur in anima Ordinis character; nec propterea tamen est dicendum nullum esse ordinatum in Ecclesia; id enim affirmare esset intolerabilis error. Non oportet ergo Sacramentorum ministrum ita scire formam Sacramentorum, ut nimirum sciat praecise haec, aut illa verba esse formae traditae ab Ecclesia essentialia, et practica, ad quae scilicet sequatur infallibiliter effectus Sacramentorum, ut discernuntur ab aliis eiusdem formae, quia ut dictum est, idiotae valide conficiunt Sacramentum, etsi id discrimen nesciant. Satis ergo est ministrum sufficientem formam Sacramentorum scire, quam proferendo in sensu Ecclesiae et Christi, valide confert et conficit Sacramentum.

Est ergo dicendum, [*Oxon.* ib. n. 6.] propter Ecclesiae auctoritatem supra allegatam dubitari non posse, quin forma, qua utitur Ecclesia latina pro Sanguinis consecratione, sit certa. Sed et certam pariter esse formam quam Graeci adhibent, tenendum est, ex eo praesertim, quod Ecclesia non exprobet illis, quod tali forma utantur, nec dicat eos non consecrare calicem. Ex quo aliqui inferunt, non solum nostram et Graecorum formam esse ad consecrationem sufficientem, verum etiam quamcumque aliam in Evangeliis scriptam sufficere, etsi in Ecclesia Romana de necessitate ministri sit uti ea quae traditur in Canone.

Sed dubium est, [*Oxon.* ib.] utrum ad formam calicis pertineant omnia verba quae clauduntur in Canone a *Simili modo* usque ibi, *Unde et memores*, etc. Et dicendum verba ista, *Hoc facite in meam commemorationem,* sive, *Haec quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis,* non pertinere ad illam formam. Et probatur; quia illa verba non magis pertinent ad Sanguinem quam ad Corpus; Christus enim instituens consecrationem Corporis et Sanguinis sui, mandavit ea fieri in sui commemorationem; igitur si ea verba pertineant ad formam consecrationis Sanguinis, pari ratione spectabunt ad consecrationem Corporis, atque ita quando Sacerdos elevat hostiam, adorare in ea Corpus Christi esset idololatria, quod nemo dixerit; igitur nec poterunt praefata verba pertinere ad formam consecrationis Sanguinis. — *Quod etiam patet* ex hoc, [*Oxon.* ib. n. 7.] quia praeceptum de usu consecrationis, non est de forma consecrationis. Sed illa verba continent praeceptum usus; iubentur enim ministri consecrare Corpus et Sanguinem Christi in memoriam passionis eius, in quo involvitur usus Sacramenti, et perceptio Corporis et Sanguinis Christi. — *Denique,* per memorata verba Christus contulit Apostolis potestatem consecrandi, ordinando eos Sacerdotes. Sed collatio potestatis consecrandi non fit per verba pertinentia ad consecrationem, nam verba consecrationis materiam respiciunt, quae consecratur, vel terminum in quem consecratur; verba autem potestatem conferentia respiciunt potestatem quam conferunt, et illum cui ea confertur potestas. — *De aliis verbis,* [*Oxon.* et *Report.* ib.] quae in forma consecrationis Sanguinis continentur, nunc videndum; et dico ista, *Hic est calix sanguinis mei,* esse formae essentialia; reliqua quae sequuntur usque ad illa, *Haec quotiescumque feceritis,* etc. non constare donec ab Ecclesia declaretur, utrum sint spectantia ad essentiam formae. Ac proinde potius videntur non pertinere.

Et hoc probatur; [*Oxon.* ib. n. 7. — *Report.* ib. n. 6.] quia ad formam

qua utimur nos in consecratione Corporis addunt Graeci: *quod pro vobis tradetur;* constat autem hoc additum non ingredi substantiam formae consecrationis, quia alioquin in Ecclesia latina non conficeretur Eucharistiae Sacramentum, quod opinari nec possumus nec debemus; ergo pariter quod additur ad verba ista, *Hic est calix sanguinis mei,* non pertinet ad essentiam formae illius. Sed sicut sufficienter et complete significatur conversio panis in Corpus Christi, eiusque praesentia sub speciebus, per illa verba, *Hoc est corpus meum,* ita et conversio vini in Sanguinem, et eius praesentia sub speciebus vini, per ista, *Hic est calix sanguinis mei,* et consequenter non indigent essentialiter aliquo additamento, quo mysterium istud conversionis vini in Sanguinem significetur, ac subinde non sunt essentialia. — *Confirmatur,* [*Oxon.* ib. n. 6.] quia non est arbitrandum, praesertim cum id Ecclesia Romana non dicat, quod nec tacituram, aut dissimulaturam fuisse verisimile est, ut fecisse constat in multis aliis articulis, in quibus Graecos redarguit (eosque errasse declarat), Ecclesiam Orientalem non consecrare calicem : sed revera non consecraret si verba illa praememorata essent de essentia formae, quia, ut tactum est in argumentis principalibus, non apponit Ecclesia Orientalis *Novi et aeterni Testamenti mysterium fidei;* igitur non est illud appositum de substantia formae calicis, quia illa non faciunt ad significandum praesentiam Sanguinis Christi, sed potius ad alia significanda usurpantur.

De particula [*Oxon.* ib.] *enim,* quae additur etiam in forma consecrationis calicis, dicendum est, uti dictum est *art. antec.*, spectare ad formam consecrationis Corporis, nempe positam esse ad sermonis continuationem, non ut sit de substantia formae; qui tamen eam scienter omitteret, graviter sine dubio peccaret, quia in re gravi particula spectans ad sermonis connexionem gravis materia est.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.*ib. n.8. — *Report.* ib. n. 5. seq.] ipsum solummodo probare, verba haec, *Hic est calix sanguinis mei,* esse essentialia, et sequentia non esse; quod probabile et tenendum videtur, donec per Ecclesiam catholicam aliud declaratum sit. Hactenus autem non fuit nobis certitudinaliter traditum, an ad essentiam illius formae pertineant aliqua verba post illud, *sanguinis mei,* usque ad *quotiescumque feceritis,* etc., de quibus omnes affirmant formae illius substantiam non ingredi, et ideo periculosum esset hoc affirmare, scilicet verba illa interiecta spectare ad eius formae essentiam, quandoquidem super hoc non habeatur sufficiens auctoritas. Neque id ignorare periculosum esse potest. Nam cum Ecclesiae solius sit id determinare, cuiuscumque personae particularis ignorantia invincibilis est. — Verba autem illa in forma calicis, *mysterium fidei,* non inveniuntur quidem apud Evangelistas, sed praeallegato capite, *Cum Marthae,* dicit Papa, Ecclesiam per traditionem ab ipso Christo instituente accepisse, iisque recte explicari dignitatem Sanguinis Christi; per *Novi Testamenti,* designatur in Christi Sanguine effuso ultima ipsius voluntas. Reliquis, *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum,* exprimitur efficacia Sanguinis Christi, cui proprium est remittere peccata, quatenus nobis promittit remissionem peccatorum. Ideo autem in ista forma ponitur *calix,* quia consecratur Sanguis in ratione potus; liquor vero non habet rationem potus nisi ut in vase; at nihil tale ponitur in consecratione Corporis, quia Corpus conficitur ut cibus: solidum autem habet rationem cibi, esto non sit in vase.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib.] dicendum, eo confirmari quod dictum est in *solutione;* probatur enim non ingredi essentiam formae Sanguinis verba illa, quae addit Ecclesia Latina.

AD TERTIUM [*Oxon.* ib.] dictum est in *primo articulo,* quia multa tradita sunt Ecclesiae ab Apostolis, quae tamen non sunt scripta in Evangeliis. Et in proposito ipsi Evangelistae intendebant narrare rem gestam, non autem tradere formam consecrandi; et ideo mirum non est hanc praeteriisse, nec scriptis eorum inseruisse; eam tamen tradidit Christus Apostolis, et ipsi Ecclesiae, duraturam usque ad saeculi finem.

ARTICULUS IV.

UTRUM PRAEDICTIS VERBIS FORMARUM INSIT ALIQUA VIS CREATA EFFECTIVA CONSECRATIONIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 1. *q.* 5. — *d.* 13. *q.* 1. — *Report. ib. q.* 4. *S. Thom.* 3. *p. q.* 78. *art.* 4.

VIDETUR verbis praedictarum formarum inesse vis aliqua creata consecrationis effectiva; id enim [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2] dicit expresse Ambrosius, lib. 4. *De Sacram.,* et ponitur *De Consecr.,* dist. 2. cap. *Panis,* est in Altari. *Si tanta,* inquiens, *vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecrationem iam Corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat:* attribuit igitur manifeste verbis consecrationis vim commutandi substantias panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5. n. 2.] Sancti declarantes dignitatem Sacramentorum novae legis communiter hanc eis excellentiam attribuunt, *quod scilicet efficiant quod figurant:* sed Eucharistiae Sacramentum est omnium excellentissimum; igitur verbis formalibus istius Sacramenti debemus attribuere virtutem effectivam conversionis materiae, super quam profertur, in Christi Corpus et Sanguinem, non quidem principalem, quae est solius Dei, sed instrumentalem.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 3.] Asserere nullam virtutem, ne instrumentalem quidem, inesse formae Sacramenti Eucharistici, nedum derogat dictis Sanctorum, sed etiam dignitati Sacramentorum novae legis; cum ergo hoc Sacramentum sit prae ceteris dignius, consequens est ut in verbis formalibus eius sit quaedam virtus creata ad conversionem faciendam panis in Corpus, et vini in Sanguinem Christi, non quidem principalis, sed instrumentalis.

CONTRA. Opera miraculosa non fiunt aliqua virtute creata, sed sola virtute divina: consecratio panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi est opus non minus miraculosum, quam creatio rerum, quam tamen creationem nulla creata virtus potest attingere. — *Rursus,* praedicta verba non sunt simplicia, sed ex multis composita, nec simul, sed successive proferuntur; conversio autem praedicta fit in instanti; unde oportet quod fiat per simplicem virtutem; non ergo fit per virtutem horum verborum.

RESPONDEO dicendum, nulla necessitate compelli nos ad ponendum in verbis formae Sacramenti Eucharistiae virtutem aliquam creatam con-

secrationis effectivam, ne istrumentaliter quidem. *Declaratio,* [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5. n. 12.] necessitas eorum quae sunt ad finem ex ipso concluditur fine. Dogma est autem, finem Sacramentorum esse gratiam, vel effectum Dei invisibilem, per quem homo rite Sacramenta suscipiens disponitur ad consequutionem aeternae salutis. Atqui is finis potest sufficienter haberi eo modo quo per Sacramentum intelligitur effici, etiamsi non dicatur Sacramentum exercere aliquam actionem proprie dictam, sive respectu gratiae, quam attingere nequit quum gratia creetur, sive respectu dispositionis supernaturalis praeviae, nam et haec pariter crearetur; ergo frustra astruitur haec actio, sive principalis, sive instrumentalis; haec enim plura necessaria non sunt, nec manifeste ponibilia.

Haec quidem *probatio* omnibus Sacramentis est communis, de qua re late disputatum fuit supra *quaest.* 72. *art.* 4., et quamvis abiudicandam existimemus vim hanc activam physicam formis Sacramentorum, asserimus tamen ipsa gratiam causare, et non tantum per accidens, atque per Sacramenta gratiam consequi, sicut Sancti loquuntur de hac materia. Etenim [*Oxon.* ib.] omnis dispositio necessitans ad formam, quae non est ratio receptivi, potest dici quodammodo causa activa, sive causa instrumentalis respectu formae, quemadmodum merita sunt causa instrumentalis respectu praemii, et tamen meritum non causat active praemium in se, nec aliquam dispositionem mediam, sed praecise ipsummet est dispositio praevia ad meritum, non tamen sicut ratio receptivi; ipsum autem Sacramentum, sive Sacramenti susceptio, est talis dispositio et immediata, non causans aliam mediam inter se et gratiam; ergo ipsa dici potest quodammodo causa activa, vel instrumentalis respectu gratiae. Huius rationis declarationem ampliorem vide *quaest.* 62. *cit.*

Deinde, [*Oxon.* ib. n. 5.] verba consecrationis prolata non attingunt transsubstantiationem, quae est terminus principalis eius consecrationis; nam quoniam transsubstantiatio non fit nisi virtute divina infinita, excedit omnem virtutem creatam. Neque attingere potest dispositionem ullam praeviam ad ipsam transsubstantiationem; quia aut illa dispositio esset in pane, aut in Christi Corpore: neutro modo potest dari. Non enim in Corpore, quia iam non foret dispositio: nec in pane; nam si illa dispositio ponenda foret, necessitas ad transsubstantiationem esset in eodem instanti cum transsubstiantiatione, nam quando est dispositio sit oportet et eius subiectum; simul ergo extaret panis, cui inesset talis dispositio, et transsubstantiatio, quod includit contradictionem. — *Rursus,* pura fictio videtur asserere per verba ista, *Hoc est enim corpus meum,* magis realiter alterari panem, quam per alia verba, ut *hic panis est albus,* et eiusmodi, cum sonus non habeat virtutem aliquam causandi realem alterationem in pane. — *Denique,* [*Oxon.* ib. nn. 7. et 9.] neque ratio naturalis dictat ponendam esse virtutem hanc supernaturalem in forma consecrationis, neque veritas fidei cogit ut astruatur. Atqui sicuti sequenti naturalem rationem non sunt ponenda plura, nisi quae ratio naturalis concludit, ita sequenti ductum fidei non sunt ponenda plura quam veritas fidei requirat. Veritas autem fidei non postulat talem virtutem supernaturalem in verbis consecrationis, quae sunt signa sensibilia atque efficacia ex divina institutione effectus significati per ipsa, et sola divina virtute repraesentati.

Ad Argumenta. Ad primum, quod procedit ex auctoritate Ambrosii, respondeo, ut dictum quoque fuit supra *quaest.* 62. *art.* 4., *vir-*

tutem uno modo posse accipi pro eo quod est ultimum de potentia, *ex p. Caeli et Mundi,* text. 116. Ultimum autem potentiae signi practici est quod significet efficaciter, hoc est praevie et certitudinaliter, nec potest signo, inquantum practicum est, competere maior potentia; et hanc quidem virtutem concedo habere verba consecrationis, et alias formas Sacramentorum, quae recte dicuntur habere virtutem convertendi vel efficiendi quod significant, non quasi realiter id efficiant saltem instrumentaliter, sed quia significative agunt pro illo instanti, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 18.] pro quo convertens, scilicet producens gratiam, agit realiter. Haec igitur virtus Sacramentorum esse nequit aliqua forma absoluta, sed dumtaxat relatio conformitatis signi ad signatum; vel omnimodae conformitatis, si loquamur de virtute Sacramentorum, vel inadaequatae, si fiat sermo de virtute formarum earumdem; nec aliam subinde virtutem astruere voluisse Ambrosium cum loqueretur de forma consecrationis, sentiendum est.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 4. d. 1. q. 5.] Sanctos neutiquam attribuere intendisse Sacramentis eam excellentiam quae ipsis competere non potest, sicuti est virtus aliqua physice agendi quomodolibet principaliter vel instrumentaliter in signatum Sacramentorum vel in aliquod praevium ad ipsum signatum; dixisse ergo putandum est, *efficere quod significant,* quatenus sunt signa certa et infallibilia gratiae vel Corporis Christi, ultimaeque dispositiones, ad quarum positionem Deus infallibiliter causat quod signa illa sensibilia significant.

Ad tertium [*Oxon.* ib. d. 1. q. 5.] patet ex dictis. Quod autem tangitur de excellentia Sacramentorum novae legis in ordine ad Sacramenta legis Mosaycae, expensum est supra, *quaest.* 70. *art.* 4. ut hic aliud non sit addendum.

Ad primum *in oppositum* respondetur: opera miraculosa nulla quidem creatura repraesentare potest tamquam principale agens; potest tamen concurrere instrumentaliter: et hac ratione concurrunt verba consecrationis ad transsubstantiationem. *Contra,* [*Oxon.* ib. n. 4. seqq.] nec nos negamus verba illa esse causam instrumentalem, quatenus sunt dispositio quaedam necessitans ad formam, et non habens rationem receptivi; eiusmodi autem sunt ea signa sensibilia, ut citra omnem superadditam virtutem, ex pactione divina et assistentia, causent, et non per accidens quod significant; fictio ergo videtur praeterea illa habere quamdam virtutem influendi in transsubstantiationem, propter dicta *in solutione,* et ea quae amplius exposita sunt supra *quaest.* 62. *cit.*

Ad secundum respondent: [*Oxon.* ib.] verba, quibus fit consecratio sacramentaliter operantur; unde vis conversiva, quae est in formis, consequitur significationem, quae in prolatione ultimae dictionis terminatur. *Nos dicimus* signa illa sensibilia sacramentaliter operari, aliud non esse nisi ex institutione et assistentia divina habere infallibiliter effectum, et assumi ut instrumentum, ad cuius positionem immediate sequitur gratia, pro qua producenda nulla virtus creata seu finita influere potest; est igitur tali in signo vis et efficacia ponendi signatum; sed eo nomine (ut dictum est) non exprimimus aliquam formam absolutam, sed tantum relationem conformitatis signi ad signatum. Sed de significatione eius signi et efficacia eiusdem *art. seq.*

ARTICULUS V.

UTRUM PRAEDICTAE LOQUUTIONES SINT VERAE.

Doct., Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 78. *a.* 5.

VIDENTUR illae loquutiones quibus exprimitur forma Sacramenti Eucharistici non esse verae. Nam [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 1. — *Report.* ib. n. 1.] istud pronomen, *Hoc,* vel demonstrat pro instanti pro quo profertur, vel pro alio. Si pro illo, tunc non est sub speciebus Corpus Christi, sed magis substantia panis; ergo tunc demonstrat panem vel accidentia eius: pro tali autem instanti propositio illa falsa est; siquidem nec panis nec accidentia sunt Corpus Christi: oratio autem falsa nequit esse forma in Sacramento veritatis. Si vero pro alio instanti demonstret, tunc deberet pronunciari, *Hoc erit corpus meum,* et ita pariter in Calicis consecratione.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Si loquutiones quibus Sacramentum Eucharistiae perficitur forent verae, ipsae causae essent, quando non sunt. Id vero non videtur affirmandum, quia causa non existente nullus effectus est qui illi possit attribui. *Sed probatur consequentia;* nam oratio vera est quando primum est perfecte prolata: eo autem in instanti nihil orationis est; ergo causat quando non est.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 1.] *De celebr. Miss. cum Marthae,* determinatur formam, qua utitur Ecclesia in hoc mysterio, traditam esse a Christo; ergo oportet eas loquutiones quibus conficitur Corpus et Sanguis Christi esse verissimas.

RESPONDEO, [*Oxon.* 4. ib. n. 12.] quidam rem hanc ita fore declarandam putant. Nomen, seu adiectivum seu substantivum, sicut significat sine tempore, sic potest supponere pro supposito cuiuslibet differentiae temporis; tempus enim non est accidens, vel consignificatum pronominis, nec nominis, sed solius verbi; et ideo pronomen, et nomen indifferentia esse ad significandum suppositum cuiuslibet differentiae temporis, nec restringi ad supponendum praecise pro suppositis praesentibus, vel tunc existentibus, respectu verbi praesentis temporis; ex quo fit ut pronomen *hoc* demonstrare queat vel suppositum praesens, vel futurum; potest igitur pronomen *hoc* demonstrare quod nunc est, vel quod statim erit, ut sit sensus: hoc aliquid, quod continetur sub istis speciebus, vel in proximo est continendum, est Corpus meum; quae quidem disiunctiva vera est pro altera eius parte, sic ut intelligatur pronomen demonstrare, non quod nunc continetur, sed quod mox continebitur pro illo nunc, quo prolatio est terminata, quia significatio huius pronominis *hoc* est in demonstrando Corpus, quod statim erit, cum prolatio fuerit terminata.

Vel formetur ista ratio sic: [*Oxon.* ib. n. 13.] secundum opinantem, significatio orationis constituitur ex significato partium, et partes significant quando proferuntur, et ideo pronomen *hoc* cum profertur illud significat quod tunc demonstrat. Sed tunc non potest demonstrare aliquod, quod tunc sub speciebus non continetur, alioquin viderentur ut verae concedendae istae propositiones, *hic ignis est aqua,* vel *hoc*

corpus est aqua, loquendo de igne statim convertendo in aquam, et faciendo talem demonstrationem ad sensum in obliquo, et ad intellectum in recto, et hoc demonstrando corpus quod nunc est vel in proximo erit. Non videtur autem rationabile dicere de aëre statim corrumpendo in ignem, quod *hoc corpus est ignis:* haec enim simpliciter est vera: hoc corpus est aër; et de eodem non dicuntur simul ignis et aër. — *Deinde,* si tunc significant partes orationis quando proferuntur, et ex significatis eorum hoc modo acceptis est significatum totius orationis, secundum quod accepit, consequenter copula *est* quando profertur ponit significatum suum pro praesenti quod significat: sed subiectum pro illa parte disiunctionis non accipitur pro aliquo eodem tempore cum illo, quod importatur per copulam; ergo tota significatio illius orationis non refertur ad aliquid idem, vel ad instans. — *Denique,* disiunctiva non ponit alteram partem determinate, cum fallacia consequentis incidat quoties ex illa altera pars determinate deducitur; igitur si pronomen *hoc* in casu se tenet disiunctive, non determinate ponit respectu praedicati unam partem, scilicet: hoc, quod in proximo erit sub istis speciebus; sicut neque alteram ponit, scilicet quod nunc est sub istis speciebus. Et non efficitur aliquid per istam orationem, etiam secundum eos, nisi ut ipsa est vera; ergo cum sit vera indeterminate, non magis efficitur ut illud quod statim erit sub speciebus sit Corpus Christi, quam illud quod nunc est sub ipsis; et per consequens cum forma Sacramentorum sit effectiva et operativa determinate, quia vere et efficaciter, non salvatur veritas formae in Eucharistia eo modo, quo exprimitur ab isto Doctore.

Propterea aliam viam ineuntes, [*Oxon.* ib. n. 14.] ad *quaesiti* declarationem sequentes subiicimus conclusiones. *Prima est: Conceptus, qui causatur per orationem prolatam, non habetur per eam, nisi in ultimo instanti prolationis orationis. Probatio:* nam conceptus orationis totius et partium eius non habetur ante illud instans, conceptus siquidem totius orationis haberi nequit sine conceptibus omnium partium, ut patet; igitur dumtaxat in ultimo instanti prolationis habetur conceptus orationis. Et hoc confirmatur a simili, quia conceptus formatus per dictionem non habetur ante instans ultimum prolationis eius; ergo nec conceptus orationis totius habetur ante ultimum instans prolationis ipsius. *Patet consequentia:* nam sicut partes dictionis non significant conceptum simplicem, quem dictio significat, ita dictio non significat conceptum aliquem complexum, quem significat tota oratio.

Secunda conclusio: [*Oxon.* ib. n. 15.] *Non oportet in eodem instanti, vel in eodem tempore causari conceptum in audiente per orationem prolatam, et veritatem illius conceptus intelligi, sive unionem extremorum. Probatur;* nam si dicam, *Deus creavit mundum,* conceptus istius orationis causatur in ultimo instanti; tamen veritas eius, seu unio illorum extremorum intelligitur pro primo instanti temporis; non est ergo idem dicere, in quo instanti concipiatur oratio, et pro quo, quia concipitur in ultimo completae orationis, et intelligitur veritas eius pro eo instanti, pro quo extrema denotantur uniri in intellectu, sive extra in re.

Tertia conclusio: [*Oxon.* ib.] *Pro illo instanti denotantur extrema uniri, ac subinde veritas orationis intelligitur, quod significatur per*

verbum copulans extrema. Nam nihil aliud est in propositione quod significat tempus praeter verbum copulans extrema; igitur solummodo ad unionem factam per ipsum est veritas propositionis referenda.

Quarta conclusio: [*Oxon.* ib.] *Verbum cuiuscumque temporis potest consignificare tempus, vel instans.* Patet, alioquin non posset exprimi conceptus de unione extremorum praesenti, praeterita et futura. Si vero non posset consignificare instans praeteritum, si verbum est praeteritum, praesens, si est verbum praesens, futurum, si est verbum futurum, nulla propositio esset vera, in qua exprimeretur unio extremorum, quae non potest esse nisi in instanti; utpote haec, *anima fuit creata,* nec ista, *anima creatur,* nec denique haec, *anima creabitur,* essent verae, et ita de tempore praesenti et futuro formatae pariter forent falsae. — *Ex quibus infero,* verbum consignificare instans, vel tempus proprie dictum pro qualibet eius differentia, pertinere ad tertium modum aequivocationis, qui scilicet est, cum dictio aeque primo plura alterius rationis importat; et hoc pacto est aequivocum hoc quod est verbum consignificare tempus, ad instans, et ad ipsum tempus proprie acceptum, quapropter unum ex alio deducere non licet sine fallacia aequivocationis.

Quinta conclusio: [*Oxon.* ib. n. 15.] *Verbum alicuius propositionis, si est praesens, et consignificat instans, consignificat instans perfectae prolationis totius orationis. Probatur:* quia huiusmodi tempus consignificatur, cum profertur talis oratio: sed unio extremorum, et conceptus totius orationis, intelligitur pro ultimo instanti; igitur tunc quoque consignificatur tale instans. Et ita numquam propositio vocalis potest esse vera, nisi unio extremorum fiat pro tempore, in quo profertur. Ex qua sequeretur complures propositiones vocales non posse esse veras, ut dicendo, *ego bibo, ego dormio,* et huiusmodi, quatenus nimirum verba ista consignificant instantia, quia actus illi nequeunt esse in instanti, nec pro toto tempore prolationis orationis, nec pro parte illius uniuntur extrema; ergo tales propositiones sunt falsae.

Sexta conclusio: [*Oxon.* ib.] *In propositione de praesenti, ubi verbum significat instans praesens, significata omnium partium orationis debent intelligi pro ultimo instanti.* Hoc probatur ex praecedenti, quia secundum Philosophum, 1. *Periher.,* c. 3. *esse* significat compositionem, quam sine compositis non est intelligere; ergo si copula copulasset pro ultimo instanti, pro illo necesse est intelligi significata omnium partium orationis.

Et tunc ponitur *septima conclusio:* [*Oxon.* ib.] *In hac propositione,* Hoc est corpus meum, *totum significatum, et significatum partiale eiusdem debent referri ad instans perfectae et completae orationis.* Etenim ea in propositione, verbum *est* non significat tempus, sed instans, quia unio extremorum est per virtutem infinitam, et consequenter in instanti; igitur significatum partiale et totale illius orationis debent intelligi pro ultimo instanti eiusdem.

Octava conclusio: [*Oxon.* ib. n. 17.] *Demonstratio quae fit per pronomen* hoc *debet referri ad instans completae prolationis; et hoc partim ad sensum, partim ad intellectum,* loquendo in proposito de Corpore Christi. Ita tamen, ut quod demonstratur intellectui, non demonstretur sub disiunctione, sed determinate hoc Corpus Christi, quod sub speciebus continetur.

Nona conclusio est ista: [*Oxon.*ib.] *In singularibus est ordo secundum ordinem universalium quorum sunt singularia.* Nam prius quodcumque universale potest intelligi descendere in proprium singulare, quam contrahatur per differentiam aliquam ad aliquid inferius, tamquam ad speciem: sic igitur ordinantur ista singularia, *hoc ens, haec substantia, et hoc corpus,* et deinceps, usque ad Sortem, ut patet per Avicennam, 1. *Phys. suae,* cap. 1. dicentis, prius nos videre a remotis corpus, quam animal, et prius animal, quam hominem. Quod utique non est intelligendum de universali, quia visus non videt universale, sed de singulari universalioris.

Decima conclusio: [*Oxon.* ib.] *In hac propositione,* hoc est corpus meum, *pronomen* hoc *demonstrat singulare entis, et non per se singulare alicuius minus universalis, quam ens.* Quod probatur primo, quia rationabiliter quaeritur de multis, quid est hoc? non tenetur igitur in suppositione quaestionis quod quaeritur; ergo non supponitur in pronomine *hoc* lignum, vel lapis, quia illud quaeritur; et quidem responso dato, esse quod quaeritur lignum vel lapis, quietatur animus, et desinit ultra quaerere; et per consequens de illo singulari supponitur tantum quod est singulare entis, et quaeritur aliquid speciale sub ente, et quodcumque speciale conveniens est ad responsionem. Alia probatio est quasi grammaticalis, quia adiectivum in neutro genere substantivatum includit in se suum substantivum, secundum Grammaticos: sed non includit nisi hoc quod est aliquid, vel ens; ergo, etc.

Undecima conclusio: [*Oxon.* ib. n. 18.] *Licet in ista propositione,* hoc est corpus meum, *pronomen non supponat per se nisi singulare entis,* tamen illud intelligitur pro singulari alicuius inferioris, et regulariter pro singulari, quod est Corpus Christi. Nam in ultimo instanti pro quo pronomen demonstrat non est ens in aliquo singulari, nisi in hoc quod est Corpus Christi, non intelligendo quidem quod demonstretur absolute Corpus Christi, sed hoc ens, quod est Corpus Christi.

Duodecima conclusio: [*Oxon.* ib.] *Non est idem sensus istarum duarum propositionem.* Hoc est corpus meum: et corpus meum est corpus meum. Etenim quamvis subiectum antecedentis supponat pro subiecto consequentis, alius nihilominus per se est intellectus antecedentis et consequentis; conceptus enim consequentis potest esse certus, et antecedentis dubius: idem autem conceptus non est certus et dubius. Hoc etiam patet convertendo propositionem, quia alius intellectus est, *Corpus meum est hoc,* idest, istud ens, *et corpus meum est corpus meum.*

Decimatertia conclusio: [*Oxon.* ib.] *Haec oratio,* Hoc est corpus meum *est conversiva sive effectiva. Probatur:* quia qui principaliter faceret in instanti pro quo enunciat illud, quod ista oratio tunc signat, ipse principaliter converteret, et vere ea oratio esset dicenda conversiva; illa enim effectiva dicenda est, quae significative agit pro illo instanti, pro quo convertens agit realiter; ergo cum talis sit illa, ipsa erit simpliciter effectiva.

Ex quibus omnibus [*Oxon.* ib. n. 19.] declaratis sequitur propositum, nimirum veras esse illas loquutiones, quibus exprimitur forma Eucharistiae, scilicet, *hoc est corpus meum, hic est calix,* etc., cum totus intellectus earum, et complexionis terminorum, intelligatur pro ultimo instanti prolationis verborum, pro quo demonstrant *hoc* illud, quod tunc est sub istis accidentibus; et verissimum autem est quod tunc existit sub speciebus panis Corpus Christi, et sub accidentibus vini Christi Sanguis;

ergo illae orationes sunt simpliciter verae. Haec vero *Corpus meum est corpus meum,* vera non est, cum effectiva, sive conversiva non sit; nihil enim converti potest in seipsum.

Sed suntne illae propositiones de virtute sermonis verae, iuxta quintam conclusionem? *Respondeo,* [*Oxon.* ib.] quintam conclusionem, et quae sequuntur ex ea non subsistere, ac proinde non videtur eas loquutiones esse veras ex vi sermonis, nisi cum expositione et determinatione ista, quod enunciantur iuxta intentionem proferentis. Et primum *de quinta conclusione* probatur. Nam verbum quando profertur, sicut tunc significat, ita et consignificat tempus: sed quando consignificat praesens et nulla additur determinatio, per quam tempus consignificatum referatur ad aliud praesens, non videtur ex vi sermonis ipsum copulare pro aliquo instanti, nisi pro aliquo instanti prolationis ipsius verbi praesentis; igitur oporteret cum proferuntur verba esse Corpus Christi sub speciebus, quod tamen non est praesens, nisi post eorum prolationem. Sed nec *probatio* quintae conclusionis urget; quia etsi intellectus totius orationis non fiat per eam, nisi in ultimo instanti, ut dicit *prima conclusio,* tamen non fit conceptus unionis extremorum tantum pro illo instanti, ut dictum est *in secunda conclusione. Deinde,* pronomen demonstrativum quando profertur significat quod demonstrat, et ita significat illud quod tunc est demonstrabile; cum autem dicitur, *hoc est corpus meum,* nihil est demonstrabile ad sensum, nisi accidentia, et ad intellectum, nisi quod subest accidentibus.

Potest ergo dici aliquantulum aliter sic: [*Oxon.* ib. n. 20.] de virtute sermonis non habetur, ut conceptus propositionis de praeterito, sive unio extremorum, intelligatur praecise pro ultimo instanti totius orationis, imo si omnino pro instanti concipiendus sit, magis id oporteret intelligi pro instanti completae prolationis ipsius verbi. Partes etiam quando proferuntur significant, et si natura significationis earum talis est, ut non extendat se nisi ad aliquid quod est praesens, quando significant, utique illud significatum debet esse praesens quando partes proferuntur. Verumtamen optime intelligitur tamquam factu possibile hominem determinare se ad exprimendum aliquem conceptum complexum pro instanti, et conceptum omnium partium illius conceptus accipi pro illo eodem instanti ultimae prolationis. Hac enim ratione, disputantes determinant se ad proferendum suos intellectus in suis responsionibus ad idem instans; alioquin numquam respondens posset redargui, quantumvis contradictoria concederet.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 26.] patet responsio ex dictis. Illa enim propositio est vera, non pro instanti quo profertur *hoc,* quia tunc revera ibi adest substantia panis, sed pro ultimo instanti prolationis totius propositionis, quia talis est intentio proferentis, qui ut non intendit exprimere conceptum suum, nisi omnibus orationis partibus prolatis, ita nec intendit conversionem panis in Christi Corpus, nisi post exhibitionem signi a Deo instituti, quod signum est tota illa oratio, et non aliqua pars eius. *Vel potest dici* iuxta octavam conclusionem, pronomen *hoc* demonstrare pro ultimo instanti completae orationis, non demonstrat ergo quando profertur, nec significat esse ibi Corpus Christi, sed cum tota oratio fuerit pronunciata: tunc enim praecise fit conversio panis in Corpus Christi, et ideo propositio, cuius pronomen *hoc* denotat terminum eius conversionis esse praesentem, est vera.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 22.] revera eo argumento convinci orationem illam non esse conversivam quatenus vera est, quia id sibi post conversionem inest. Quomodo ergo, et sub qua ratione erit operativa? Dico, talem esse neque ut veram, neque ut falsam, sed ut neutram, et prior naturaliter sua veritate. Et quidem quod sit prior, probatur; quia omne fundamentum est prius naturaliter relatione sua accidentali: sed propositio, vel conceptus complexus est fundamentum respectu veritatis, quae relatio accidentalis est, potens inesse et abesse ab eo fundamento, sicuti potest esse conformis et difformis rei; Socrate enim sedente, vera est oratio quae pronunciat ipsum sedere, et eo surgente mox falsa evadit; ergo conceptus orationis prior est naturaliter ut in se talis est, quam ut verus.

Et hoc potest declarari exemplo addiscentis; discipulus enim prius concipit aliquam conclusionem non demonstratam, tamquam neutram; quia neque ut falsam, neque ut veram, licet totus per se conceptus eius conclusionis percipiatur; deinde applicata demonstratione ad talem conclusionem, concipitur ab addiscente ut vera; veritas igitur est posterior conceptus ipsius propositionis.

Et si dicas, mirum videri aliquam propositionem esse operativam non ut veram, sed quatenus neutra est; *respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 24.] mirum non videbitur consideranti Deum loco istius orationis, *hoc est corpus meum,* instituere potuisse aliquam propositionem non significativam, ad cuius prolationem a ministro factam, ipse assisteret ad causandum eumdem effectum, quem modo ad prolationem significativae causat; tunc igitur illa non fuisset operativa quatenus vera; et ita in proposito. non est necessarium intelligere veritatem prius naturaliter in forma consecrationis, ut intelligatur effectiva; quia ipsa praecise ut signum quoddam vocale, et in *fieri* extra, est signum efficax consecrationis; quia ut talis dispositio praevia, cui Deus ex pacto assistit ad causandum effectum efficaciter in termino, sive propositio significet effectum, prout nunc est institutum esse significativam, sive significet illum ut propositio vera. Et hoc sive pro tunc quando est dispositio praevia, vel pro instanti, pro quo causabitur effectus significatus, ad quem est dispositio. Qualitercumque igitur propositio se habeat ad illam dispositionem logicam, quae appellatur veritas eius, tenendum nobis pro certo est, ipsam ut signum quoddam vocale esse signum efficax consecrationis, ut dictum est.

Iuxta autem resolutionem, [*Oxon.* ib. n. 25.] ita videtur haec res esse intelligenda: ut in ultimo instanti prolationis secundum ordinem naturae primo sit conceptus propositionis tamquam neuter; secundo ad illum sequatur operatio divina, causans illud, quod omnino designat; et tertio tandem sequatur veritas huius conceptus, ita ut oratio non tantum quatenus vocaliter et continue prolata, prior sit veritate, sed etiam ut habens suum proprium conceptum, licet non ut verum. Sed animadvertendum est tamen conceptum, qui ponitur haberi per orationem in ultimo instanti, nullo modo esse instrumentum Dei ad actionem illam divinam, quam diximus sequi, et intelligi in secundo instanti naturae, quia Deus ad eam actionem ponendam non utitur aliquo sacramentali, nisi sensibili, et ita non conceptus est ultimata dispositio illius actionis, sed oratio sacramentalis includens conceptum.

Et propterea dico, [*Oxon.* ib. n. 23.] praemissam disputationem tredecim conclusionibus comprehensam subtilem quidem esse, et logicam ad veritatem formae huius Sacramenti salvandam. Sed Theologo et Ministro, non disputanti tunc pro quo instanti intelligatur oratio, sufficere, eas orationes quibus constant formae Eucharisticae esse talia signa sensibilia a Deo instituta, ut essent eius instrumenta ad consecrationem, et conversionem illam repraesentandam, quae sequitur ultimum instans prolationis; ita quod Deus assistit illis signis, tamquam quibusdam dispositionibus praeviis efficacibus, adeo ut illis positis complete causet hunc et illum effectum invisibilem. Ut igitur forma est talis dispositio, veritas praecedit actionem Dei, quia est ut signum sensibile in *fieri,* et per consequens in tempore non intelligitur habere suam propriam veritatem; quando etiam habet eam, illa veritas sequitur ordine naturae actionem Dei.

Breviter ergo diceret Theologus, [*Oxon.* ib.] qualitercumque logicus salvet istam propositionem esse veram, saltem non esse orationem sacramentalem ut veram, sed ut tale signum sensibile praecedens forte tempore, et ad minus naturaliter suam veritatem, sicut dispositio continua in tempore praecedit ultimum instans et conditionem cuiuscumque in ultimo instanti, causa etiam praecedit conditionem causati.

ARTICULUS VI.

UTRUM FORMA CONSECRATIONIS PANIS CONSEQUATUR SUUM EFFECTUM ANTEQUAM PERFICIATUR FORMA CONSECRATIONIS VINI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 78. *a.* 6.

VIDETUR forma consecrationis panis consequi non posse suum effectum nisi post prolationem formae consecrationis vini. Etenim [*Oxon.*4. d.8. q.1. n. 4.] corpus perfectum humanum, cuiusmodi est Corpus Christi, non solum includit carnem, ossa, nervos, et caeteras partes solidas, sed etiam sanguinem, et alios humores. Ex vi autem consecrationis panis praecise ponitur et significatur esse sub speciebus Christi Corpus quoad partes solidas, quemadmodum et partes solidae quoque habent rationem cibi; igitur nequit esse Corpus Christi sub speciebus panis ante consecrationem vini; quia tunc ibi poneretur corpus imperfectum, absque scilicet partibus fluidis sub illis accidentibus.

CONTRA. Ex praecedenti oratio illa, *hoc est corpus meum,* pronunciata a Sacerdote debitam habente intentionem est vera; igitur forma consecrationis panis consequitur suum effectum ante formam consecrationis vini.

RESPONDEO, dubitari non posse, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2.] de veritate existentiae Corporis Christi sub panis speciebus post immediatam prolationem verborum consecrationis panis, non solum ob rationem statim tactam *ad oppositum,* verum etiam quia Ecclesia Catholica non errat, nec aliis errandi occasionem praebet, dum facta panis consecratione per verborum prolationem mox proponit hostiam consecratam populo adorandam. Si autem ibi non esset verum Christi Corpus, ut significant adesse verba

consecrationis, daret occasionem populo idololatrandi, dum purum panem pro Christi Corpore adorat, quod nemo Catholicorum dixerit.

Ad Argumentum respondeo ex dictis *quaest.* 73. *art.* 2. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 4.] corpus posse accipi vel pro corpore organico, prout scilicet includit omnia ad ipsum spectantia, seu animata seu inanimata sint, quo pacto includit partes etiam fluidas, quae non sunt animatae; et posse accipi stricte, quatenus praecise includit partes animatas anima Christi, cuiusmodi non est sanguis. Corpus hoc secundo modo acceptum est quid primo diversum a sanguine, totaliter subinde et adaequate significabile per unum signum; et eodem modo sanguis est primo significabile alterius signi. Ex suppositione itaque quod Christi Corpus sine sanguine existeret, ut fuisse in triduo mortis eius perhibetur, adhuc forma consecrationis Corporis efficaciam suam ante Sanguinis consecrationem nancisci potuisset, quia ut vi illius, sub speciebus ponitur Corpus, ut est quid primo diversum a sanguine, ut nempe includit partes ab anima Christi immediate informatas. Quod si primo modo corpus accipiatur, tunc vi quidem consecrationis panis per se et primo ponitur Corpus, sed quia illud est corpus vivum, concomitanter ibi ponuntur quaecumque tale Corpus includit, et praeterea omnia illa, quibus est realiter unitum.

QUAESTIO SEPTUAGESIMANONA.

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIAE, IN OCTO ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de effectibus huius Sacramenti.

Et circa hoc quaeruntur octo.

1. Utrum hoc Sacramentum conferat gratiam. - 2. Utrum effectus huius Sacramenti sit adeptio gloriae. - 3. Utrum effectus huius Sacramenti sit remissio peccati mortalis. - 4. Utrum per hoc Sacramentum remittatur peccatum veniale. - 5. Utrum per hoc Sacramentum tota poena peccati remittatur. - 6. Utrum hoc Sacramentum homines praeservet a peccatis futuris. - 7. Utrum hoc Sacramentum prosit aliis quam sumentibus. - 8. De impedimento effectus huius Sacramenti.

ARTICULUS I.

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM CONFERATUR GRATIA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 1. *et* 3. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 1.

Videtur per hoc Sacramentum minime gratiam conferri. Siquidem [*Oxon.*4. d. 2. q. 1.] in Baptismate renascimur ad vitam spiritualem, atque per gratiam in eo collatam sumus filii Dei adoptivi, et membra Christi; igitur per Baptismum, et non per Eucharistiam datur gratia rite suscipientibus. — *Et si dicas* hoc Sacramentum suscipientes consequi gratiae augmentum; *contra,* per gratiae augmentum magis roboramur in vita spirituali ad resistendum diabolo: sed hoc est proprium Confirmationis, et non Eucharistiae, quae non tribuit robur, sed nutritionem; ergo nec gratiae augmentum tribuitur per Eucharistiae susceptionem.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 2.] Eucharistia est signum sensibile effectum Dei gratuitum, idest, Corpus et Sanguinem Christi efficaciter significans; quamvis igitur contineatur in hoc Sacramento Christus, qui est gratia substantialis, et in quo est omnis gratia etiam accidentalis, nihilominus haec gratia, qua sanctificamur et evadimus filii Dei, per tale signum seu Sacramentum non significatur: sed Sacramentum non tribuit nisi effectum quem significat; ergo cum Eucharistia non significet gratiam, quae potest conferri hominibus, haec per ipsam non confertur suscipientibus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6.] Gratia quae confertur per Sacramenta confertur ex opere operato: sed si per Eucharistiam conferretur gratia ex opere operato, scilicet quatenus Sacramentum est, daretur suscipientibus in quacumque dispositione, ut confertur in Baptismate: hoc autem est falsum; igitur per Eucharistiae Sacramentum non confertur gratia.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 11. n. 3. — *Quodl.* q. 20.] Ioann., 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vita autem spiritualis mundi, idest hominum degentium in mundo, est gratia, quae inest ipsi animae ut est coniungibilis Deo, secundum Augustinum, *De Civit. Dei,* dicentem: *Deus propter hoc dicitur vita animae, quia vita animae non est nisi in coniunctione eius ad Deum, ut ad obiectum;* igitur per Sacramentum Eucharistiae confertur gratia.

RESPONDEO dicendum, Sacramentum Eucharistiae primario et per se significare efficaciter Corpus et Sanguinem Christi esse sub speciebus panis et vini, et nihilominus debite suscipientibus ipsum gratiam quoque accidentalem conferri, tum ex opere ipsius operantis, tum ex virtute Sacramenti. *Et declaratur* [*Oxon.* 4. d. 1. q. 6. n. 11. seqq.] quoad *primam partem;* quia in hoc distinguitur potissimum hoc Sacramentum a caeteris, quia [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 5. — *Report.* ib. n. 7. seqq.] alia Sacramenta per se primo significant gratiam accidentalem, vel magis proprie effectum illum tribui his, qui rite eis initiantur, ad quem utique effectum confertur gratia in Sacramento; hinc diversa Sacramenta diversos causant effectus atque diversa tribuunt munia animae de gratia eadem procedentia; Sacramentum vero Eucharistiae significat primo gratiam essentialem et subsistentem, ipsum nempe Christum, omnis gratiae fontem, et ideo non perficitur usu seu collatione, ut alia Sacramenta, quorum omnium aliqua certa verba sunt forma. Istud itaque cum sit Sacramentum permanens, habet quidem certa verba pro forma consecrationis, quae proinde appellantur recte verba sacramentalia; sed tamen ante usum ipsius est Sacramentum permanens, quia sub speciebus consecratis vere permanet Corpus et Sanguis Christi; igitur hoc est primarium significatum eius, scilicet gratia substantialis, quemadmodum primum aliorum significatum est gratia accidentalis, vel effectus ad quem confertur gratia ipsa accidentalis.

At hoc Sacramento *praeterea* largiri et illum effectum, ad quem consequendum datur rite suscipientibus gratia, *declaratur:* [*Oxon.* 4. q. 3. n. 2.] *tum* quia istud Sacramentum est caeteris excellentius et praestantius; ergo non est denegandum ei id quod aliis tribuitur Sacramentis, quatenus talia sunt; illud autem est conferre gratiam debite dispositis ex opere operato; ergo et per Sacramentum Eucharistiae quoque datur gratia

virtute ipsius Sacramenti: *tum* etiam quia hoc Sacramentum significat nutritionem spiritualem animae: sed nutritio huiusmodi spiritualis fit per gratiae collationem; ergo quatenus nutrimentum spirituale est confert gratiam, et per consequens ex opere operato.

Dices: adhuc nutrimentum spirituale esset si solummodo per ipsum daretur gratia per modum meriti. *Contra,* [*Oxon.* 4. q. 1. n. 4. seqq. — q. 3. n. 2.] esto gratia, quocumque ex motivo detur, sit vita et nutrimentum animae, et ita gratia quae confertur in isto Sacramento ex opere operantis possit ratio nutrimenti appropriari, ex eo quod animae vitam spiritualem conservet, propriissime tamen ratio nutrimenti huic Sacramento attribuitur tamquam proprius effectus eius, ut ab aliis Sacramentorum effectibus distinguitur, et ideo convenientissime sub speciebus panis et vini confertur. De ratione autem nutrimenti est augere vires deperditas per actionem et passionem virium naturalium, et ideo post generationem adhibetur; igitur de ratione etiam spiritualis alimenti, ad cuius proprietates cognoscendas manuducimur ex nutrimento corporali, est augere vires spirituales, quae gratia in sumptione praesertim Eucharistiae datur, ea ratione praecise qua nutrimentum spirituale est; ita ut non conferatur praecise gratia pro ratione meritorum suscipientium, sed detur et amplior virtute Sacramenti, quia nutrimentum spirituale est; et ideo postulat in suscipiente debitam dispositionem, sine qua nihil ipsi prodesset, sicut si corporale nutrimentum non inveniat congruam dispositionem in stomacho cui ingeritur, potius vires contundit et frangit, quam roboret et augeat.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, in Baptismate infundi gratiam regenerationis, at id non impedire quominus per Eucharistiae Sacramentum gratia sibi specifica conferatur suscipienti, per quam augetur ea, quae in Baptismate collata est, vel in Sacramento Poenitentiae. — *Et cum dicitur,* quia augere gratiam est Sacramenti Confirmationis; *respondeo,* [*Report.* ib. q. 1. n. 12.] augetur pro speciali effectu, ad quem ordinatur Confirmatio, *concedo,* pro quocumque alio effectu, *nego.* Datur porro gratia in Confirmatione ex vi Sacramenti, ut confirmati non erubescant palam profiteri fidem, quam in Baptismate susceperunt, et professi sunt; eam igitur ut fortiter defendere et tueri valeant adversus impugnantes confirmantur, et signo Crucis, veluti Christi charactere, sub cuius vexillo se militaturos spoponderunt, in fronte consignantur. At Eucharistiae Sacramentum ad alium omnino effectum ordinatur; quia sicut recenter nati alimento indigent, ut vitam producere et augere vires valeant, ita in Christo regeneratis alimentum spirituale exhibetur, quo stare, perseverare et pervenire ad finem vitae spiritualis possint, quae est vita aeterna, [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 2.] quam promisit Christus panem hunc Caelestem manducantibus, *si quis,* inquiens, *manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* Ioann., 6. Datur igitur gratia digne Eucharistiam sumentibus, ex virtute Sacramenti.

Ad secundum [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 5. — *Report.* ib. n. 7. seqq.] patet *ex dictis,* quia licet Eucharistiae Sacramentum primario non repraesentet gratiam accidentalem ex divina institutione, ut alia Sacramenta, sed magis gratiam substantialem, Christum scilicet Dominum, sub illis speciebus vere et realiter contineri; nihilominus quia species illae panis et vini completam rationem corporalis alimenti, quod in cibo et potu

consistit, demonstrant, secundario quoque virtute Sacramenti gratiam accidentalem conferri significatur; denotatur enim sub illis speciebus spirituale animae nutrimentum celari; et quia nutrimenti est nutritum roborare, confortare et augere, si sit capax et dispositus ad novum robur et vires acquirendas, ideo ex Sacramenti Eucharistiae virtute gratia bene dispositis confertur, et inventa augetur, taliter ut sumens quantumvis dispositus numquam reciperet tantam gratiam sine Sacramento, sicuti donatur per Eucharistiae susceptionem, quia ex opere operato, eiusque Sacramenti virtute datur sibi aliqua gratia, quae ex propriis meritis illi non esset debita.

AD TERTIUM respondeo, hoc interesse inter Baptismi et Eucharistiae Sacramentum, quod per illum renascimur in Christo spiritualiter; per Eucharistiam vero renati alimur spirituali alimento. Sicut ergo qui nascuntur nihil quod in commodum eis cedat comparari possunt, sed totum quod habent a parentibus accipiunt; ita qui renascuntur in Christo, parvuli praesertim, nullam ex seipsis dispositionem ad gratiam ponere valent, et ideo prorsus per Christi merita per Sacramenta ipsis applicata confertur gratia, qua Christi membra efficiuntur. At alimentum [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 2. — *Report.* ib.] datur illis, qui iam vitam acceperunt, et ideo in eis praerequiruntur idoneae dispositiones, quo ipsis alimentum prodesse queat. Sed exinde non sequitur, alimentum ex virtute sua non tribuere ut aliti vires et robur augeantur, ut argumentum deducit, sed tantum alimentum talis naturae esse, quod exigat in eo qui utitur alimento debitas et congruas dispositiones, quod verum est; et ita bonus fidelis disponens se iuxta possibilitatem suam, et sine peccato mortali accedens ad caeleste hoc nutrimentum, vere nutritur, et Christo cibo spirituali unitur et incorporatur per effectum spiritualem, ad quem ordinatur hoc Sacramentum, eiusque susceptio, quae est animae nutritio spiritualis.

ARTICULUS II.

UTRUM EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI SIT ADEPTIO GLORIAE.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 79. *art.* 2.

VIDETUR huius Sacramenti effectus non esse adeptio gloriae. Etenim [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. et 3.] is effectus est Baptismati attribuendus, de quo dixit Salvator ad Nicodemum, Ioann., 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Caelorum.* Effectus autem Eucharistiae est gratiae augmentum ut *art. praec.* dictum fuit. Siquidem est animae spirituale nutrimentum; igitur huic non debet adscribi effectus, quem Salvator alteri Sacramentorum assignat, quia de diversorum Sacramentorum natura diversi quoque effectus dimanant.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 19.] Causa adaequata cur electi gloria caelesti potiantur est Christi passio, quam passionem ipse pro iis, qui ad gloriam fuerant praeordinati, efficaciter Patri obtulit, eam utique acceptanti ut fuit oblata; igitur eius effectus causa non est Eucharistia. *Probatio consequentiae,* quia effectus ultra adaequatam et totalem sui causam aliam non habet nec exigit; ergo si electi gloriam adipiscuntur, quia

Christus pro ipsis suam passionem efficaciter Patri obtulit, vitae aeternae possessio non est attribuenda Eucharistiae tamquam causae.

3. PRAETEREA [*Oxon.*4.d.4.q. 2.] Si Eucharistia aliquo pacto in gloriae adeptionem influeret ut causa; igitur sine ipsa in haereditatis gloriae aeternae possessionem nullus admitteretur; quia enim Baptismus influit in gloriam adipiscendam ut causa, sine ipso vel in re vel in voto nequit aliquis gloria potiri: sed hoc est falsum, cum parvuli baptizati salventur sine susceptione Eucharistiae in re vel in voto; ergo non est causa adeptionis gloriae Caelestis.

CONTRA. [*Oxon.* ib. — *Quodlib.* q.20.] *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita,* Ioann., 6. Quoties enim Christus ut summus Sacerdos offert, panis quem dat, idest caro eius, est mundi vita, vita nimirum hominum viatorum degentium in mundo: sed haec vita principaliter est vita aeterna, ad quam consequendam ordinatur gratia, quae in animabus iustis ab hoc Sacramento diffunditur cum suscipitur; igitur effectus eius est gloriae adeptio.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1.] revera gloriae adeptionem esse huius Sacramenti effectum, idque clare expressisse Salvatorem, cum dixit, Ioann., 6. *Ego sum panis vivus, qui de Caelo descendi si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Disserte igitur attribuit vitae aeternae consequutionem Eucharistico pani; est igitur adeptio gloriae effectus ipsius. *Deinde* — [*Oxon.* 4. d. 9. — d. 8. q. 3.] Eucharistiae Sacramentum institutum est, non solum ut homines viatores eo utentes veluti cibo caelesti et spirituali alerentur, roborarentur, atque ad progrediendum in via Legis Evangelicae, cui in Baptismo nomen dederunt, vires maiores acquirent, verum etiam ut praeberetur illis, qui ex hoc mundo proficiscuntur (unde et *Viaticum* appellatur), quatenus per ipsum ducantur ad terminum aeternae gloriae, qui tanto beneficio dignantur; igitur adeptio beatitudinis ad hoc Sacramentum ut ad causam est referenda. — *Postremo,* [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. — d. 8. q. 1.] vita spiritualis Legis Evangelicae quaedam via est ordinans, ut bene vivens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua praeparatur: sed potissimum adiutorium, quo viatores praeparantur in via, et uberiorem gratiam consequuntur, est Eucharistiae Sacramentum, in quo vere et realiter suscipitur Christus omnis gratiae fons et origo: ergo si observantia Legis Evangelicae facit, ut vivens ad eius praescriptum gloria aeterna potiatur, multo magis in id influere arbitrandum est praestantissimum adiutorium in ea lege a Christo institutum.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1.] dico esse *ad oppositum;* ex eo enim quod attribuendum sit Eucharistiae gratiae augmentum pro statu viae, sequitur pariter adscribendum esse illi gloriae adeptionem ut effectum eius; is enim etsi a gratia sanctificante pendeat, est tamen prius intentus ut finis. Ut primum igitur gratia fuerit in electis aucta ed eum gradum secundum quem Deus praeelegit praedestinatos ad gloriam, continuo rebus humanis erepti donantur gloria ipsis ab aeterno praeparata, sed acquirenda condignis meritis. *Breviter,* in Baptismate renascimur quidem in Christo per gratiam sanctificantem, atque eius familiae adscribimur, extra quam nulla est salus, et ideo dicitur, *Nisi quis renatus fuerit,* etc. Sed adeptio gloria non tantum pendet a Baptismate in adultis, verum etiam ab aliis Sacramentis a Christo institutis,

et praesertim ab omnium praestantissimo, quod Deus exhibendum instituit Legis Evangelicae observatoribus.

AD SECUNDUM respondeo, causam adaequatam adeptionis gloriae esse quidem Christi passionem, non in se, sed quatenus nobis merita passionis eius per Sacramenta applicantur; et ideo dicitur adeptio gloriae esse Eucharistiae effectus, non quia Christus per suam passionem eam non meruerit, sed quoniam ut per Sacramenta nobis Christi merita applicantur, et praesertim per ea quae dicuntur Sacramenta vivorum, oportet et nos cooperari, ut reddita etiam meritis gratia, auctaque ad praescriptum divinae praedestinationis, reddatur gloria ut corona et merces nostris meritis, quatenus uniuntur cum meritis passionis Christi.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6.] neminem adultorum rationis compotem posse vitam aeternam adipisci sine Sacramento Eucharistiae vel in re, si facultas suppetat, vel in voto, si possibilitas illud suscipiendi non adsit; quia alioquin videretur gratiam contemnere, et in hoc graviter peccaret, nec salutem consequeretur aeternam; et quantum ad hoc est eadem ratio de ipsa et de Baptismate, caeterisque Sacramentis. — *Et cum subditur,* quia parvuli baptizati consequuntur beatitudinem sine susceptione Eucharistiae vel in re vel in voto; *respondeo* id verum esse, sed ex eo probari excellentiam Eucharistiae, quod tale Sacramentum sit, ut congrue non praebeatur nisi habentibus usum rationis, et cognoscentibus per fidem sub illis speciebus vere et realiter contineri verum Christi Corpus.

ARTICULUS III.

UTRUM EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI SIT REMISSIO PECCATI MORTALIS.

Doct., Oxon. 4. *d.* 9. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 79. *a.* 3.

VIDETUR effectus huius Sacramenti esse remissio peccati mortalis. Ex dictis enim *art.* 1. virtute huius Sacramenti confertur gratia digne suscipientibus: sed per gratiam sanctificantem remittuntur peccata mortalia: ergo si tribuitur Eucharistiae gratiae collatio ex opere operato, debet et eidem adscribi remissio peccatorum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2.] In forma consecrationis calicis ponuntur haec verba, *qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* igitur huius Sacramenti effectus est remissio peccatorum, eorum scilicet pro quibus Christi Sanguis effusus est: manifestum est autem ea esse peccata mortalia.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 9. n. 1. — *Report.* ib.] 1. ad *Corinth.*, 11. *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit:* manducat autem indigne, qui cum conscientia peccati mortalis hoc caelesti cibo vescitur; igitur susceptio huius Sacramenti non delet mortalia quae invenit in suscipiente, sed magis exinde novo peccato obstrictus invenitur.

RESPONDEO [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib. n. 2.] accedens ad comedendum Eucharisticum panem in peccato mortali, *aut* est conscius eius peccati, probeque se deliquisse recordatur, *aut* saltem meminisse posset

si vellet; *aut* peccatum omnino memoria excidit, sicque oblivioni traditum, ut post diligentem discussionem in mentem non veniat. Habens conscientiam obnoxiam peccato, etsi eius non recordetur, quia omisit facere quod potuit et debuit, si ad Altaris Sacramentum accedere praesumat, ex Eucharistiae sumptione, nedum non mundatur a priori peccato, sed insuper novo irretitur crimine. *Declaratio:* Eucharistiae perceptio significat vescentem magis magisque incorporari Christo per novae gratiae augmentum, quod gratiae augmentum efficitur, ac consequitur quis per spiritualem hanc alimoniam; igitur accedens ad vescendum pane Eucharistico sit oportet spiritualiter membrum Christi, quo dispositus sit comedendo cibo spirituali, de cuius esu gratia, per quam Christi membrum erat, augeatur. Obnoxius autem mortali peccato non ornatur gratia Dei, nec subinde est spirituale membrum Corporis Christi: membra siquidem eius corporis inter se et cum capite charitate nectuntur et coagmentantur; ergo tunc Eucharistia non delet mortale peccatum, nec vivificat accedentem ad Altare, sed magis novo crimine oneratus recedit.

Quod [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib.] si mortale peccatum usque adeo a memoria excidit accedentis ad susceptionem Eucharistiae, ut omni adhibito conatu, diligentique praemissa conscientiae discussione, iuxta possibilitatem humanae imbecillitatis, ad memoriam non redeat, sumens Eucharisticum panem non modo non peccat, sed etiam mortalia crimina modo praedicto oblita de sumptione huius Sacramenti delentur et remittuntur; atque tali in casu deletio peccati mortalis est effectus ipsius.

Ad Argumenta. Ad primum dico, expositum fuisse *art.* 1. qualiter per hoc Sacramentum non conferatur prima gratia, sed eam largitur Deus vel in susceptione Baptismatis, vel per Poenitentiae Sacramentum, iis qui post Baptismum peccarunt; dat igitur Eucharistia gratiae augmentum, et quidem convenientissime quia cibus spiritualis est, et ita per ipsam vires dumtaxat spirituales augentur et roborantur.

Ad secundum [*Oxon.* 3. d. 18.seqq.] respondeo, dictum fuisse *q. prac. art.* 3. ea verba non pertinere ad substantiam formae consecrationis Sanguinis; sed quicquid sit de hoc, dicimus, notanter dixisse Christum suum Sanguinem effundendum pro Apostolis, quibus primo Eucharistiam praebuit, et pro multis aliis, non autem pro omnibus, quia licet satis fuisset pro salute omnium, tamen efficaciter obtulerat Patri praecise pro electis, atque pro iis solummodo fuerat eius passio acceptata. Quantum igitur est de ratione passionis eius, vel meritorum Christi, sufficientissima est pro deletione omnium peccatorum; sed quia merita sua voluit et instituit fore applicanda per Sacramenta, et hac via electos ad salutem pervenire, instituit quoque ut aliqua ex Sacramentis pro deletione peccatorum deservirent per gratiam collatam in ipsis; aliqua vero ad gratiae augmentum adhiberentur. Et priora quidem sunt Baptismus, et Poenitentia; reliqua ut gratiam quam signant causent, requirunt in suscipientibus talem dispositionem, ut sint prius membra Christi per gratiam et ita eorum effectus non est deletio peccati, sed gratiae augmentum, quamvis in aliquo casu et per accidens possint et delere peccata, ut in *solutione* dictum est.

ARTICULUS IV.

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM REMITTANTUR PECCATA VENIALIA.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 9. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 79. *a.* 4.

VIDENTUR peccata venialia per hoc Sacramentum minime deleri. Contrarium enim [*Quodlib.* q. 17. n. 3.] non expellitur aut deletur nisi per contrarium: sed huius Sacramenti effectus non contrariatur peccato veniali; igitur nec deletur tale peccatum, nec remittitur huius Sacramenti virtute. *Probatur minor:* effectus Sacramenti Eucharistiae est gratiae praeexistentis accretio: sed habens quamcumque gratiam potest venialiter peccare; igitur gratia in quocumque gradu non contrariatur peccato veniali, et per consequens nec veniale peccatum remittitur per Eucharistiam, quia per ipsam non deletur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 23. n. 2.] Ad venialium remissionem Sacramentum Extremae Unctionis institutum fuit a Christo; igitur venialia non remittuntur per Eucharistiam. *Probatio consequentiae:* nam si per Eucharistiam remitterentur venialia, videtur superflue institutum Sacramentum Extremae-Unctionis; cum enim prius regulariter sumatur Eucharistia, et postea Extrema-Unctio, non inveniret posterius Sacramentum quod remitteret, si quod ab ipso praestandum erat, praeoccupasset antea susceptum Sacramentum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 7. n. 3.] Eucharistia est spirituale animae nutrimentum; igitur per ipsam remittuntur venialia. *Probatio consequentiae*: per hoc enim quod Eucharistia auget gratiam, pastus eo cibo spirituali magis intensos et subinde magis meritorie elicit actus virtutum; igitur minus habet de venialibus, quia actus virtutis meritorius, cum quo concurrit veniale, est minus intensus, et ideo minus meritorius, quam foret sine illo veniali.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 2. d. 21. q. 1. n. 1.] per hoc Sacramentum deleri et remitti peccata venialia. Quamvis enim peccatum veniale in statu viae, pro quo statu sunt Sacramenta instituta, compatiqueat cum gratia quacumque etiam in perfectissimis, iuxta illud Ioann. in sua Canon., p. cap. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,* ex eo [*Oxon.* 4. d. 17. n. 25.] quod tamen per hoc Sacramentum detur gratiae augmentum et charitatis, consequenter (ut deductum est *in argumento ad oppositum*) suscipientes ferventiores et intensiores actus dilectionis Dei et proximi eliciunt; per eos autem delentur et remittuntur peccata venialia, quae ex tepiditate, concupiscentia fomite aliisque ex capitibus viatoribus insunt; et quamvis anima his letaliter non vulneretur, gravatur tamen, ne adeo ferventes actus virtutis exerceat, quia nequit ipsa simul pluribus actibus esse perfecte intenta. Cum igitur gratiae augmentum radicem peccatorum venialium vel tollat, vel minuat, sequitur, per Eucharistiae Sacramentum, nedum tolli quae invenit venialia quaeque causando actus ferventiores et intensiores virtutis, verum etiam impedire ne multipliciter insint.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: quamvis effectus Sacra-

menti Eucharistiae non contrarietur formaliter peccato veniali, cum esse possint simul, nihilominus [*Oxon.* 4. d. 21. q. 1. n. 5.] contrariantur virtualiter vel causative, quatenus scilicet effectus quem causat gratiae augmentum, nempe actum intensiorem virtutis, et delet peccata venialia quae invenit, et impedit ne adeo frequenter insint ea, quae sine tali augmento committerentur.

AD SECUNDUM dico, revera Extremae Unctionis Sacramentum institutum esse pro deletione venialium; ex hoc tamen non sequi ea per alia Sacramenta, et praesertim per Eucharistiam, non depelli, ut extitit declaratum. — *Et cum dicitur,* tunc Extrema Unctio esset frustra; *dico,* tale Sacramentum Unctionis extremae id habere commune cum aliis Sacramentis, ut sit signum efficax gratiae per ipsum collatae ex opere operato; etiamsi ergo Unctio extrema nullum inveniret peccatum veniale delendum, non propterea esset frustra, quia adhuc gratia per ipsam conferretur. — *Deinde,* ex humanae naturae infirmitate vix, aut ne vix fieri potest ut aliquis sine ullo omnino veniali inveniatur; nam *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus;* et ratio est [*Oxon.* 2. d. 29. — d. 23.] quia voluntas viatoris quantumvis iusti (excepto Christo, et beatissima Matre eius), per hoc quod non coniungitur ultimo fini per gloriam beatificam, potest, et regulariter habet etiam una cum actibus meritoriis aliquod peccatum veniale, quod oritur in nobis ex multiplici capite, licet possit habere, et etiam frequenter habeat actus meritorios sine ullo peccato.

ARTICULUS V.

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM TOTA POENA PECCATI REMITTATUR.

Doct., Quodlib. q. 20. *Oxon.* 4. *d.* 14. *q.* 1. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 79. *a.* 5.

VIDETUR, per hoc Sacramentum remitti tota poena peccati. Etenim [*Oxon.* 3. d. 19.] Christi meritis satisfactum fuit Deo pro omnibus mundi peccatis: sed per hoc Sacramentum applicantur suscipienti merita passionis Christi; ergo non relinquit in suscipiente poenam solvendam pro peccatis; alioquin non bene intelligeremus satisfactum fuisse Deo pro omnibus peccatis mediante Christi passione.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 5.] Eucharistia est excellentissimum Sacramentorum; sed Sacramentum non adeo excellens remittit omnem poenam debitam peccatis suscipientis, uti dictum fuit de Baptismate *q.* 69. *art.* 2.; igitur multo magis Eucharistia debet delere et remittere omnem poenam peccatorum.

3. PRAETEREA. Eucharistia ultra rationem Sacramenti est proprie sacrificium rememorativum oblationis factae a Christo in cruce: sed ut sacrificium est habet virtutem satisfaciendi pro peccatis commissis; unde et applicatur pro defunctis, qui nequeunt amplius mereri; ergo per Eucharistiam remittitur tota poena peccati; illud enim sacrificium habet valorem infinitum.

CONTRA. Ambrosius, et ponitur, dist. 4. *De Consecr., Gratia* inquit, *Dei in Baptismo non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod*

opus, sed gratis omnia condonat. Igitur in aliis Sacramentis a Baptismo, gratia Dei non condonat gratis, sed exigit gemitum et planctum, cordis nempe compunctionem, ut remittat poenam debitam peccatis.

RESPONDEO dicendum, Sacramentum Eucharistiae non remittere poenam debitam peccatis Sacramentum suscipienti, sed requiri praeterea opera satisfactoria pro mensura delictorum per poenam ordinandorum. Quamvis enim per hoc Sacramentum debite sumenti conferatur gratia, qua prior augetur, si tamen iste aliquando peccavit, ut peccavisse supponimus, per culpam illam ordinabatur ad poenam, et quidem aeternam si culpa fuit letalis; commutata autem virtute Sacramenti Poenitentiae poena illa aeterna in temporalem, semper manet obligatio in illo qui peccavit persolvendi poenam, nisi tollatur per solutionem illius vel alterius aequivalentis secundum acceptationem divinam. Quod non est ita accipiendum quasi Deus aliter remittere eam culpam non posset, [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. n. 9. et 17.] nisi per sibi correspondentem poenam, utique enim id est factu possibile. Sed quia legibus divinae providentiae statutum est, peccatum plectendum esse per poenam, nec solvi reatum eius nisi sublato debito in se vel in aliquo aequivalenti; siquidem poena est ordinativa culpae, nec potest relinqui in universo aliqua culpa cui non correspondeat poena ordinativa illius. Ad propositum igitur, poena peccati non remittitur, nisi illa solvatur obligatio. Solvi autem potest et debet per displicentiam de peccato commisso, qua detestemur, odioque prosequamur talia nos gessisse, ac ultro velimus ulcisci in nobis Deo illatas offensas. Nam sicut peccatum avertit a fine et convertit ad creaturam, ita rationabile est ipsum non deleri nisi per motum oppositum, avertentem scilicet a peccato, sive a creatura circa quam fuit peccatum, et convertentem ad Deum, et ita consequenter reatus peccati solvatur et deleatur per sibi correspondentem poenam, tam statutam a Iudice commutante aeternam in temporalem, quam sponte assumptam, et praesertim per ferventem dilectionem Dei et proximi, quae supereminet caeteris poenalitatibus sponte susceptis, et solvit peccatorum reatus, non formaliter, sed aequivalenter. Quatenus igitur Eucharistiae Sacramentum causat ferventiores et intensiores actus dilectionis Dei per charitatis augmentum, dici potest remittere poenam peccati; sed tamen hoc non obstante, solvenda est obligatio ad poenam per ipsam poenam formaliter, sicuti iudicavit esse faciendum minister Sacramenti Poenitentiae.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 15. q. 1. n. 4. — d. 2. q. 2.] *concedo* Christum fuisse causam meritoriam deletionis omnium peccatorum mundi, quatenus promeruit nobis gratiam, qua sanctificamur; et etiam concedo per Sacramenta applicari nobis merita eius, taliter ut Deus intuitu eorum meritorum assistat illis signis ad causandam infallibiliter gratiam, nisi aliquando obstet propria suscipientis indispositio; exigitur ergo in aliquot Sacramentis propria dispositio, et in Eucharistia ut sit membrum Christi per gratiam, quam inventam auget. Iuvant ergo nos Christi merita per Sacramenta applicata, quatenus nostra bona dispositio coniungitur meritis illis, alioquin nihil profuturis, ut patet de indispositis. *Nego* igitur delere vel remittere omnem poenam peccati, quia talis poena vel ordinatio ad poenam non remittitur nisi ipsa sustineatur poena, vel in se, vel aequivalenter. Caeterum hoc Sacramentum

non disponit, nec producit aut infligit ipsam poenam, licet quatenus augendo gratiam qua producitur intensior actus dilectionis aequivalenter solvatur de illa poena, secundum divinam acceptationem.

AD SECUNDUM [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 5. — *Report.* ib. n. 7.] *concedo* Eucharistiam esse excellentissimum Sacramentorum. — *Et cum dicitur* in *minori:* Baptismus non adeo excellens Sacramentum remittit omnem poenam peccati; *dico,* id non provenire ex maiori vel minori horum Sacramentorum excellentia, sed pendere ab institutione divina a qua habent efficaciter signare et causare gratiam. Quoniam [*Oxon.* 4. d. 3. q. 1. seqq. — *Report.* ib.] igitur per Baptismum renascimur in Christo, ut simus in ipso nova creatura, congruum fuit id Sacramentum eum habere effectum, ut ab omni peccato et peccati reatu mundaret suscipientes. At Eucharistia quoniam est spirituale nutrimentum eorum, qui iam in Christo renati sunt, et membra eius capitis esse supponit, subinde per Poenitentiae Sacramentum oportet iam esse a peccatis expiatos, ac per idem Sacramentum fuisse consultum obligationi et ordinationi quam habent peccata ad poenam; et consequenter ipsa Eucharistia poenam non remittit peccatorum, sed vel eamdem quam invenit relinquit, vel fortasse aequivalenter dumtaxat et indirecte remittit aliquam partem eius poenae, ut dictum est.

AD TERTIUM dico, [*Oxon.* 4. d. 14. q. 1. — *Quodlib.* q. 20.] utique Eucharistiam habere rationem Sacrificii, non quando servatur in pyxide, sed cum in missa offertur Deo Trino et Uno. Ea autem oblatio non est accepta nisi sit offerentis accepti, iuxta illud Lucae, 21. *Vidua haec paupercula plus quam omnes misit.* Voluntas vero illa offerens non est voluntas Christi, quia ipse immediate sacrificium non offert. Semel enim id fecit in Cruce, ut dicitur expresse, Hebr., 9. *Neque ut saepe offerat semetipsum;* et, *Christus semel oblatus est.* Est igitur illa voluntas offerens Ecclesiae militantis, ac proinde habet rationem meriti finitam. Non aequivalet ergo illud sacrificium, nec acceptatur ut passio Christi, etsi quando passus est meruerit, ut istud meritum esset ad illud meritum applicabile. Et ita sacrificium missae non omnem poenam peccati remittit, sed partem, secundum quod est accepta Deo voluntas offerens, quae est voluntas generalis Ecclesiae; alioquin mali Sacerdotis missa nullius esset valoris concurrente speciali applicatione sacrificii celebrantis, et attenta dispositione eius, pro quo applicatur.

ARTICULUS VI.

UTRUM PER HOC SACRAMENTUM PRAESERVETUR HOMO A PECCATIS FUTURIS.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 79. *a.* 6.

VIDETUR per hoc Sacramentum non praeservari homo a peccatis futuris. Nam per hoc Sacramentum datur suscipientibus gratiae augmentum, ex dictis *in praecedentibus:* sed gratia quantumvis aucta non praeservat hominem a peccatis; ergo neque per hoc Sacramentum id praestatur. *Probatur minor:* homo quantumcumque iustitia praeditus potest peccare et fieri iniustus: sed si per tale gratiae augmentum praeserva-

retur a peccatis, non videretur posse, vel saltem minus posse peccare; igitur Eucharistiae susceptio non praeservat hominem a peccatis futuris.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 1. d. 17. q. 3.] Radix peccatorum in nobis est lex peccati, de qua scribit Apostolus ad Rom., 7. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Contra autem hanc legem nullum habet effectum Eucharistia, sed magis Baptisma, [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. n. 2.] cuius est vires fomitis concupiscentiae infringere vel minuere; ergo non est Sacramenti Eucharistiae hominem a futuris peccatis praeservare.

CONTRA. Sine gratia non potest homo cavere omne peccatum; igitur plus habens de gratia magis est aptus ad praecavenda peccata: Sacramentum autem Eucharistiae dat digne suscipientibus augmentum gratiae; ergo facit ut praeservetur homo a peccatis futuris.

RESPONDEO dicendum, Eucharistiae Sacramentum praeservare hominem a peccatis futuris. — *Declaratio:* [*Oxon.* 4. d. 2. q. 1. n. 3.] Eucharistia cibus est et spirituale animae nutrimentum; quemadmodum ergo de cibo corporali est ut homo praeservetur a morte corporali quam afferret inedia, ita caeleste hoc alimentum facit ut arceatur ab anima mors spiritualis sibi per letale peccatum inferenda. — *Deinde,* nullum est peccatum ab aliquo homine, etiam per summam malitiam commissum, in quod prolabi non possit alius homo, nisi praeservetur ab eo a quo factus est homo; quo minus ergo quis pluribus flagitiis et malis se obvolvat, a gratia Dei est, praeveniente ac manutenente nostrum arbitrium, ne flectatur in deterius. Quoniam ergo per Eucharistiam digne suscipientibus datur gratia, vel gratiae augmentum, evidens est exinde magis magisque humanam voluntatem roborari, fortioremque fieri ad standum et progrediendum in via mandatorum Dei; quod profecto non fit nisi praecavendo peccata, in quae incideret, nec praecaveret propriis viribus, nisi alias desuper vires accepisset. Quod [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1.] et insinuat Salvator illis verbis, *Hic est panis de Caelo descendens, ut si quis ex ipso manducet non moriatur,* Ioann., 6.: non moriatur, inquit, morte scilicet spirituali, quam inferunt peccata, in quae prolaberentur homo, nisi spirituale robur accepisset ex digna huius Sacramenti susceptione.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: [*Oxon.* 1. d. 17. q. 2.] quemadmodum gratia non mutat voluntatem, quam perficit, ita habens gratiam potest peccare, loquendo de voluntate defectibili finita viatoris. Siquidem respectu actus gratia non est causa prima, sed voluntas quae utitur habitu, et non e converso; nam cum gratia naturaliter moveat, et non libere, actus naturaliter et necessario eliceretur, et non libere, si gratia causa prima foret; potest igitur voluntas gratiam deserere et peccare. Sed quoniam ipsa gratia altera ex parte se habet ad liberum arbitrium ut sessor ad equum, ut ait Augustinus, eadem gratia facit, ut voluntas eam non abiiciat, sed eius potius inclinationem sequatur; et ita legem Dei observando non peccet. Maiorem ergo et minorem habens gratiam eamdem retinet voluntatem, et sic quantum est ex parte sui, eodem modo potest peccare, quamvis potentius habens Dei auxilium fortior sit ad resistendum legi peccati, et ad custodienda divina praecepta.

Ad secundum respondeo, explicatum fuisse qua ratione per Eucharistiae dignam susceptionem dicatur homo praeservari a futuris peccatis. Hoc enim ipso, quod huius Sacramenti sit praebere gratiae augmentum, sequitur hominem evadere spiritu fortiorem ad resistendum peccati illecebris, aliisque exterius ingruentibus tentationibus; unde nec incidit in ea peccata, quibus alias se infecisset. — *Ad id, quod addebatur* de fomite, *dicimus,* [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 2.] fomitem esse in carne vel in aliqua corporali virtute, ac proinde per gratiam quae est in anima non posse formaliter infringi vel diminui, quia inter fomitem et gratiam intelligi non potest formalis repugnantia, cum non sint nata fieri circa idem. Dicitur ergo fomes diminui quantum ad effectum, quem consuevit causare in anima, scilicet peccatum; nam secundum quod gratia augetur fomes minorem habet efficaciam inclinandi ad peccatum. Quia ergo gratia in Baptismo collata hoc Sacramento augetur, magis per ipsum praeservatur homo a peccatis futuris.

ARTICULUS VII.

UTRUM HOC SACRAMENTUM PROSIT ALIIS QUAM SUMENTIBUS.

Doctor, Quodlib. q. 20. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 79. *a.* 7.

Videtur Eucharistiae Sacramentum non prodesse aliis quam sumentibus. Etenim si aliis prodesse dicatur, maxime ex eo, quia Sacerdos valet pro illis, quibus prodesse vult, applicare valorem sacrificii: sed Sacerdos nequit hoc efficere. Nam [*Quodlib.* q. 20. n. 13.] quantum ad virtutem sacrificii Sacerdos est praecise instrumentum et organum quoddam inanime. Licet enim sit organum vivum quantum ad meritum personale in celebrando, quia sic mereri est eius inquantum in se vivit vita gratiae; tamen quantum ad illud bonum quod debetur virtute sacrificii est organum praecise ratione Ordinis, et aeque haberetur effectus ille virtute sacrificii etiamsi Minister non viveret vita gratiae; ergo in eius potestate non est applicare valorem sacrificii pro aliis personis ab ipso.

2. Praeterea. [*Quodlib.* ib. n. 13.] Bonum quod non debetur alicui, ipse non habet virtutem, seu ius attribuendi aliis ab ipso: sed bonum quod virtuti sacrificii correspondet non debetur Sacerdoti inquantum celebrans est, sed tantum quatenus ipse est nuntius offerens petitionem Ecclesiae; bonum autem quod virtute sacrificii debetur, non sibi reponditur, quia eadem esset virtus sacrificii si celebrans esset mortali peccato alligatus.

3. Praeterea. Si alii ab iis qui Eucharistiam offerunt et vescuntur participes fierent spiritualis beneficii, quod Deus virtute illius elargitur, utique ii essent de Ecclesia vel membra Ecclesiae: non videtur autem verisimile aliquem fieri participem et vocari in sortem bonorum promeritorum, de quibus ipse non recogitat quidem, et in quae promerenda nullum habuit influxum. Cum igitur oblatio et participatio Eucharistiae non veniat in mentem complurium membrorum Ecclesiae, eis non proderit oblatio et participatio huius Sacramenti. — *Confirmatur,* Sacramentum hoc ad solum viventes vita spirituali gratiae pertinet;

pro mortuis enim Sacramenta Baptismi et Poenitentiae instituta probantur: atqui fieri potest ut nemo de Ecclesia vivat vita spirituali gratiae; ergo tali in casu, utique possibili, huius Sacramenti effectus non pertingeret ad alios, praeter sumentes.

CONTRA. [*Quodlib.* ib.] Augustinus, in *Enchirid.*, cap. 109. *Non est negandum*, inquit, *defunctorum animas relevari pietate suorum viventium, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur.* Igitur Sacerdos potest pro animabus defunctorum et pro aliis applicare virtutem et valorem sacrificii.

RESPONDEO dicendum, [*Quodlib.* ib. n. 2.] Eucharistiae Sacramentum prodesse non solum iis, qui ipsum percipiunt, sed etiam aliis de Ecclesia. Ad cuius rei evidentiam sciendum, Eucharistiam nedum habere rationem Sacramenti, verum etiam esse unicum novi et aeterni Testamenti sacrificium, quod sacrificium [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 12.] semel peragendum atque repraesentandum per Sanguinis Christi effusionem praesignabant omnes illae cruentae oblationes veteris legis, quae figurae desierunt cedentes in figurati veritatem, hostia praefigurata iam oblata, et per ipsam mentibus in cultum Dei directis. Huius porro sacrificii vis et valor non solum est attendendus et considerandus ex parte Sacerdotis offerentis et meriti personalis ipsius, sed potissimum habere valorem existimandum est virtute meriti generalis Ecclesiae, cuius Christus est caput conflans unum mysticum corpus cum membris eius sibi per fidem et charitatem unitis. Alioquin mali Sacerdotis sacrificium, qui in tali actu gravissime peccat, nulli in Ecclesia valeret, nec quicquam alicui prodesset, quod tamquam a veritate alienum ab omnibus exploditur, et quidem rationabiliter iuxta illud, Ioann., 6. *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Quandocumque enim Christus ut summus Sacerdos offert, idest, Sacerdos in persona eius, panis quem dat, qui panis est caro mundissima ipsius, est mundi vita. Quantumvis ergo indignus et malus sit Sacerdos, qui sacrificium Deo offert, virtute meriti ipsius Ecclesiae cuius Sanctus Sanctorum est caput, prodesse sentiendum est illis pro quibus offertur.

Et vero inter opera meritoria [*Quodlib.* q. 20. n. 3.] oratio magis habet rationem meriti alteri applicabilis; nam de ratione sui est placans Deum, reconciliatque illi eum pro quo orans preces suas offert. Potest autem meritum, vel oratio meritoria in triplici gradu valere et prodesse alicui. *Uno modo* specialissime, qua ratione prodest oranti, modo vivat vita gratiae. *Alio modo* generalissime, quo pacto iuvatur tota Ecclesia; nec enim orans debet aliquem de Ecclesia excludere a merito orationis suae, sed magis habituali intentione includere omnes. *Tertio tandem,* in gradu medio prodest illi, cui per orantem specialiter applicatur. Nam nec primo, nec secundo modo valet illi pro quo sacrificium specialiter offertur; alioquin frustra in Ecclesia forent orationes speciales institutae, quae variae et multae extant in Missali Romano.

Ex quibus manifestum est, Eucharistiae Sacramentum, ut habet rationem sacrificii, prodesse non solum offerenti ipsum, etsi celebrans et offerens potiorem meriti partem accipiat, quia specialissime sibi valet, sed etiam toti Ecclesiae prodest, quatenus membra omnia Ecclesiae habituali intentione includuntur in eius sacrificii oblatione, et adhuc

specialius iuvantur illi, pro quibus speciali intentione offertur; ii enim ultra bonum spirituale quod virtute sacrificii rependitur toti Ecclesiae, ex intentione offerentis magis recipiunt, magisque ipsis debetur, ac iis, qui generali intentione tantum comprehenduntur. — Et amplius idonea *similitudine* potest id *declarari*. Nam [*Quodlib.* ib. n. 14.] quotiescumque in domo aliqua praedivitis domini est bonum aliquod diversis distribuendum iuxta exigentiam vel indigentiam illorum, congruum est dominum non per seipsum ei distributioni faciendae immediate incumbere, sed potius certis quibusdam personis repraesentandam committere. Et revera ita cernimus fieri ut plurimum in domibus bene ordinatis Principum. Aeque ergo vel multo magis debet res ita se habere in domo Dei, quae est Ecclesia, quam Christus Sapientia Patris acquisivit Sanguine suo, ac ordinatissimam aedificavit. Bonum igitur virtute sacrificii Eucharistici membris Ecclesiae communicandum, etsi a Deo immediate donetur, congruum est tamen distribui et impertiri per certos ministros in Ecclesia ex Christi institutione, ei distributioni perficiendae praefectos ac deputatos. Nullis autem magis congruere potest, quam ipsis Sacerdotibus sacrificium Deo offerentibus; nam sicut ipsorum est propriam determinare intentionem pro quo, vel quibus sacrificium offeratur, sic iisdem convenit dispensatorie, vel dispensative determinare cuinam, vel quibus virtute sacrificii bonum, quod impetratur, sit retribuendum.

Ad Argumenta. Ad primum [*Quodlib.* ib.] respondeo, utique bonum quod impetratur virtute sacrificii non obtineri propter merita propria celebrantis, sed potius virtute meriti Ecclesiae, in cuius persona fit oblatio, et cuius intuitu oblatio acceptatur. Concedo igitur Sacerdotem quoad tale bonum taliter impetrandum esse mere organum; nihilominus, quia ratione Ordinis habet et tenet gradum notabilem in Ecclesia, ideo sibi convenit offerre, et oblationis virtutem determinare, in qua re non est praecise organum, sed minister et dispensator.

Ad secundum dico sic: [*Quodlib.* ib. n. 14.] quamvis bonum reddendum virtute sacrificii non debeatur Sacerdoti per se, sed sit tantum bonum Ecclesiae debitum, quia oblatio sacrificii eatenus est et dicitur meritoria, quatenus fit in persona Ecclesiae, quoniam enim Deus acceptat Ecclesiam ut sponsam, ideo acceptat oblationem sacrificii factam in persona eius, pro qua Deus vult rependere tantum bonum; quamquam itaque Sacerdos offerens non sit causa neque effectiva, neque dispositiva respectu Ecclesiae, nec aliquo modo causa respectu boni ut debiti Ecclesiae; quia tamen Minister Ecclesiae est, potest dispensative sive dispositive bonum debitum Ecclesiae specialiter applicare certae personae, vel certis personis, adeo ut respectu talis dispensationis Sacerdos non sit Ecclesiae instrumentum, sed potius eius Minister et dispensator bonorum debitorum virtute obligationis sacrificii factae in persona Ecclesiae.

Ad tertium respondeo, [*Quodlib.* ib. n. 7.] quamvis in iis qui nec Sacerdoti salutare sacrificium offerenti assistunt, nec de tali facto recogitant, non habeatur motus actualis, nec virtualis offerendi Deo hostiam placationis, nec exinde impetrandi bonum aliquod spirituale, est nihilominus in omnibus Ecclesiae membris, qua talia sunt intentio motusque habitualis, secundum quem quisque optat Deum acceptas habere preces Ecclesiae, cuius ipsi membra sunt, et fieri particeps eorum bonorum,

quae Deus earum precum virtute Ecclesiae rependit. — *Ad confirmationem* dicimus, esto fieri possit ut nemo de Ecclesia militante sit Deo amicus per gratiam, spectata cuiusque potentia physica per quam viatores vertere se possunt in deterius, et charitate excidere, esse tamen id penitus impossibile moraliter, [*Quodlib.* ib. n. 24. et 31. — *Oxon.* 3. d. 28. n. 5.] stante illa Christi promissione, Lucae, 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Numquam ergo Ecclesia militans erit sine aliquot membris, quae non sint Christo unita per fidem et charitatem, et cuius intuitu Ecclesiae preces non sint Deo gratae.

ARTICULUS INCIDENS.

AN SACERDOS POSSIT PRO LIBITO DISTRIBUERE BONUM DEBITUM VIRTUTE SACRIFICII, SIC UT ILLUD SPECIALITER REDDATUR CUI IPSE SPECIALITER APPLICAT.

Doctor, Quodlib. quaest. 20.

VIDETUR [*Quodlib.* q. 20. n. 15.] Sacerdos celebrans non posse pro libito distribuere bonum debitum virtute sacrificii, nisi distribuat iuxta beneplacitum Dei. Nam solus Deus est dator illius boni, et quidem dat secundum suum beneplacitum; igitur non tribueretur illi, cui Sacerdos applicat, nisi ipse in applicando conformet se voluntati datoris.

CONTRA. [*Quodlib.* ib.] Si oporteret Sacerdotem in applicando valorem sacrificii conformare se voluntati divinae, nullam haberet ipse auctoritatem applicandi vel distribuendi illud bonum: hoc autem est falsum *ex art. anteced. Prob. sequela:* Sacerdos celebrans nequit regulariter habere certitudinem determinatam de voluntate divina, cuinam potius velit dare bonum reddendum virtute sacrificii, quia neque id regulariter revelat Deus in speciali; nec in Scriptura habetur doctrina de hoc, nisi valde remota et universalis; ergo si numquam applicatio facta per Sacerdotem haberet effectum, nisi fieret secundum beneplacitum divinum, Sacerdos profecto nullam haberet auctoritatem applicandi virtutem sacrificii, nisi multum in universali, eo pacto scilicet quo sibi constaret de voluntate divina.

RESPONDEO: [*Quodlib.* 20. n. 16.] vel habetur doctrina certa de sacrificii applicatione, vel non habetur. Ubi igitur certo scitur cui missa applicanda sit, iuxta eam regulam est sacrificium persolvendum. Nam si contrarium fiat, forte nec ei cui applicatur valet, et ipsi applicanti nocet, quia peccat. Bonum autem correspondens valori sacrificii *tripliciter potest applicari,* nimirum *specialissime, generalissime, et modo medio,* ut tactum fuit *art. praec.* Et duae quidem priores applicationes determinatae sunt ex regula charitatis, quae specialissime est ad seipsum, et generalissime ad omnem proximum, sive ad totam Ecclesiam. *Tertia igitur applicatio* aliquando est determinata ex institutione Ecclesiae, quae in diversis Parochiis instituit diversos Sacerdotes Parochiales, qui tenentur officiare Ecclesias, et celebrare specialiter pro suis subditis. Ita quoque in diversis Collegiis sunt diversi Sacerdotes instituti ad offerendum sacrificium Altaris, et specialius semper pro illis, qui eius Collegii membra sunt. De hoc potest accipi illud 7. q. 1. et notat Hieronymus ad Rusticum Mona-

chum : *In apibus princeps unus; Grues sequuntur unam. Roma autem condita duos fratres Reges simul habere non potuit.* Et sequitur : *singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archidiaconi, et omnis Ecclesiasticus Ordo suis Rectoribus regitur.* Haec ille. Nec tantum requiruntur Rectores in Ecclesia ad correctionem faciendam, sed etiam ad reconciliationem, et veniam impetrandam peccatorum per orationem Ecclesiae et hostiam salutarem, quae in missae sacrificio offertur.

Sed etiam videtur [*Quodlib.* ib. n. 17.] determinari applicatio ex iustitia; ut nempe fiat pro illis, qui provident vel providerunt ministris de necessariis ad vitam sustentandam. Quo pacto multi dotaverunt monasteria, et Ecclesias solemnes Collegiatas, vel etiam minores Ecclesias ad eum finem, ut earum ministri tenerentur celebrare pro illis, pro quibus ipsi intendebant eos obligare. Et porro talis obligatio rationabilis est, ut qui recipit eleemosynas temporales rependat pro eis suffragium spirituale orationis et oblationis. Sicuti de temporali beneficio impendendo pro spirituali opere praedicationis, ait Apostolus, 1. *Corinth.*, 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si carnalia vestra metamus ?* Utique magnum non est. Ex quo ergo licitum, imo rationabile est, ut pro eleemosynis rependatur oratio, ille qui cum eleemosyna sua imponit obligationem orandi pro se, rationabiliter facit, et ita huiusmodi eleemosyna ad quemcumque succedentem semper transit cum onere sibi ab initio imposito.

De [*Quodlib.* ib.] huiusmodi itaque Parochianis, vel Sacerdotibus specialiter deputatis in aliquibus communitatibus, et de iis, qui eleemosynas cum obligatione offerendi sacrificium recipiunt, dicendum est, celebrantem non posse missas vel sacrificii valorem pro libito applicare aliis, sed teneri bonum illud applicare iis quibus obligantur; nam alioquin iniuste agitur subtrahendo debitum iis, quibus iam sese obstrinxit. Quod est intelligendum de applicatione, seu distributione non generalissima, vel specialissima, sed media vel specialiter; quo pacto nequeunt distribuere illud bonum aliis, quibus non aeque obligantur.

Verum [*Quodlib.* ib.] quia nemo praesumitur se et suum Collegium ita alicui obligare, ut non possit de caetero alteri aliqua suffragia promittere, seu distribuere, praesumendum subinde est, intentionem et mentem obligantis se non esse taliter restrictam, ut salva priori obligatione nequeat alios facere participes eius boni, quod sacrificio correspondet. Et tametsi specialis illa applicatio debeatur ei, cui obstringitur, potest tamen ipsa habere multos gradus, in quibus etiam alii admitti queunt ad participationem eiusdem boni, absque eo quod aliquid adimatur illi, cui applicatio debetur in primo gradu. Siquidem applicatio intenta in gradu posteriori non subtrahit aliquid illi, ad quem directa est in gradu priori.

Si quaeras, [*Quodlib.* ib. n. 18.] curatus teneturne prius applicare oblationem suis subditis, vel potius patri et matri? *Respondeo,* de lege naturae videtur magis obligari parentibus, cui legi praeiudicare non potest ulla positiva obligatio; nec aliquis imponens obligationem debet velle Sacerdotem sibi obstringi contra rectum ordinem legis naturae, et ita semper interpretandum est noluisse Sacerdotem ita sibi obstringi, quin possit libere reddere parentibus illud, in quo eis tenetur; quod videtur verum esse etiamsi parentes sint Parochiani alterius Sacerdotis, qui teneatur pro ipsis sacrificium offerre, quia ius naturae sic obligat, ut ei derogari nequeat ex quacumque alia superveniente obligatione.

Quod si [*Quodlib.* ib.] doctrina certa de applicatione sacrificii minime habeatur, ut puta si sermo sit de Sacerdotibus non habentibus Curam, vel Cappellaniam, aut Praebendam, ratione cuius eorum oblatio sit determinata certae personae, vel certis personis, huiusmodi, inquam Sacerdotes pro eorum beneplacito possunt applicare sacrificii valorem medium, idest, non generalissime, quod toti Ecclesiae debetur, nec specialissime, quod sibi attribuere debet, sed valorem medium inter ea extrema, uti expositum fuit. Talis igitur applicatio, cum non occurrat specialis obligatio, et non constet de voluntate divina, cuinam potius in speciali velit eam fieri, probabilius concipienda videtur in communi, puta pro Parentibus, Benefactoribus, Principibus, et Praelatis, iuxta doctrinam Apostoli, 1. *Ad Timoth.*, c. 2. *Obsecro ergo primum omnium fieri obsecrationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt.* Sed et pro mortuis etiam, iuxta illud, 2. *Machab.*, 12. *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare.*

Verum circa istam applicationem, [*Quodlib.* ib. n. 19.] seu distributionem in communi dubitatio occurrit, pro quibus nimirum debeat fieri in gradu priori, et pro quibus in gradu posteriori? Etenim in aliquibus, ut in mortuis, est maior profecto indigentia, quippe qui minime queant pro seipsis mereri, ut homines viatores. Pariter peccatores magis indigent sibi subveniri, quam iusti, qui charitate praediti valent per seipsos merita acquirere: iustum autem videtur, magis indigenti prius auxilium impendere. Altera nihilominus ex parte utilitas maior occurrit. Utilius est enim viatoris gratiam augeri, et ex consequenti merita, quam mortuorum solam poenam remitti, in quo nec augetur gratia, nec crescunt merita. Videtur etiam quis magis obligatus fratri suo existenti in gratia, quam peccatori, qui nec Deum amat, nec a Deo diligitur sicut iustus, et quisque debet magis diligere eum quem Deus diligit, et qui Deum amat, quam qui contrario modo se habet. Quoniam ergo haec res est dubia, tutius videtur concipere applicationem sub hac formula: *Digneris, Domine, oblationem istam specialiter acceptare pro illis, pro quibus nosti me teneri specialiter offerre, et in illo gradu in quo nosti me teneri pro eis.* Et si in speciali determinetur ad aliquem, vel aliquos, tutius est eam fieri sub conditione, *si tibi placet.* Atque ex his patet solutio ad inductum argumentum.

ITERUM ARTICULUS INCIDENS.

AN SACERDOS SOLVAT DEBITUM SIMUL DICENDO MISSAM PRO PLURIBUS, QUIBUS OBLIGATUR.

Doctor, Quodlib. q. 20.

PRO solutione istius *quaesiti* videndum est primo [*Quodlib.* q. 20. n. 25.] quot modis contingere possit Sacerdotem obligari ad celebrandum pro aliis. *Primum* itaque potest esse obligatus ex sola liberali promissione: *secundo* potest teneri ex stricta obligatione. Loquendo de liberali promissione, in potestate promittentis est tantum promittere quantum vult, et ad id praecise velle se teneri, et non ad aliud. Sacerdos igitur non obligatus ad celebrandum pro aliquo, si dicat alicui ob aliquod beneficium ab eo receptum, nulla tamen sibi iniuncta obligatione solvendi debitum:

volo applicare tibi meritum missae, ea obligatio mere liberalis est; atque eo in casu, tantum ille se obligavit, atque adstrinxit ad celebrandum, quantum voluit se obligare.

Stante huiusmodi liberali promissione, [*Quodlib.* ib.] aut obligatione, et alia etiam interveniente obligatione cum alio vel aliis benefactoribus, celebrans unica missa solvit utrumque debitum contractum, scilicet ex liberali promissione, et ob eleemosynae susceptionem. Quia in potestate promittentis fuit tantum promittere quantum voluit, et non plus; ergo reddens sicut intendebat in promittendo solvit debitum. Ut enim habet Glos. in fine super cap. *Ex literis de sponsalibus: Secundum promissionem fit interpretatio, quia liberum fuit, et licitum stipulatori verba late concipere,* ff. de verb. obligat, *quicquid;* spondens ergo et dicens: obligo me ad dicendum missam pro isto benefactore una cum aliis, pro quibus teneor, reipsa celebrando, ut spopondit solvit debitum.

At stricta concurrente obligatione, [*Quodlib.* ib.] aliter est dicendum. Caeterum non intelligitur hic stricta obligatio, qualis est per legalem conventionem, ut inter vendentem et ementem; nec per conventionem quae fit per aliquam commutationem, scilicet rei spiritualis in temporalem, quia illa est simoniaca. Sed stricta et iusta obligatio, quae concurrere potest in casu, est, cum eleemosyna liberaliter offertur, cum mendicatione orationis; et tunc recipiens eleemosynam tenetur ex iustitia impendere meritum orationis suae ei, qui ab ipso emendicavit orationem, quia etsi absque ulla conventione et commutatione, in receptione tamen eleemosynae liberaliter oblatae, obstrinxit se liberaliter ad orandum pro eo, tamquam pro benefactore; idque potest contingere non tantum inter privatas personas, sed etiam inter communitatem et benefactorem, vel benefactores, pro quo, vel quibus aut Praelatus obligat se pro communitate ad satisfaciendum, vel ipsa tota se totam obstrinxit hoc genere obligationis strictae, licet absit, ut dictum est, legalis omnis conventio et commutatio rei spiritualis in temporalem.

Tunc dico, [*Quodlib.* ib. n. 31. seqq.] Sacerdotem, qui se obligavit per eleemosynae receptionem ad celebrandum pro tali benefactore ita specialiter sicut potest Sacerdos pro alio a se celebrare, talem, inquam, unica Missa non posse duabus huiusmodi obligationibus satisfacere. Nam qui tenetur reddere maius bonum, non satisfacit solvendo minus bonum: taliter obligatus tenetur solvere et celebrare duas Missas, quae sunt maius bonum, quam una Missa sit, eaque celebrata pro uno tantum magis ei prodest, quam si eadem pro duobus applicetur; igitur stricta obligatione obstrictus duobus nequit satisfacere utrique per unius Missae Sacrificium; si tamen obligans Sacerdotem ad celebrandum pro se, intendat eum sic obligare. Recipiens ergo in se talem obligationem celebrandi, etiamsi tantum promittat se soluturum pro eo unam Missam, vel etiam in formula generaliori concipiendo obligationem dicat, se esse celebraturum pro illo, adhuc tenetetur dicere missam tantum pro ipso, sic ut non satisfaciat dicendo pro aliis, cum quibus est pari ratione obstrictus. Et ratio est, quia verba obligationis, modo obligatio licita sit, sunt accipienda secundum intellectum quem habet ille, cui obligatio fit, ut habetur expresse [*Quodlib.* ib. n. 26.] 2. q. 5. c. *Quacumque: quacumque arte* (ait Isidorus eo loci adductus) *verborum quis iuret, Deus ita accipit, sicut ille, cui iuratur intelligit.* Et ibid. c. Ecce: *qui per lapidem* (inquit Augustinus

ibi citatus) *iurat falsum, periurus est: si tu illud sanctum non putas sanctum, putat ille, cui iuras non enim tibi, aut lapidi, sed proximo iuras.* Tenetur ergo Sacerdos qui se obstrinxit ad celebrandas singulas Missas pro singulis obligationibus, totidem celebrare Missas, alioquin minime debitum solvit.

Porro [*Quodlib.* ib. n. 25.] ea obligatio debet esse licita et iusta, nec contraria ordini charitatis, quia alioquin non valeret, nec obligatus teneretur solvere eam, praesumendum est enim, neminem se ad illicitum obligare voluisse. Et hoc patet *De iureiurando cap. Veniens.* Ubi dicitur de quodam qui ex certa quadam occasione iurans se obtemperaturum et adhaesurum alienis mandatis, atque cum illi virtute iuramenti mandassent ut contraveniret cuidam priori iuramento iusto, declaravit Papa, ipsum non esse obstrictum ad secundum posterius iuramentum, quia non est praesumendum talem putavisse sibi iniungi ut a priori iusto iuramento recederet, sed credidisse magis sibi alia faciliora et iusta imponenda, ad quae utique virtute iuramenti servanda teneretur.

Sed undenam sciri potest, eum, qui obligat Sacerdotem ad celebrandum pro se, liberaliter illi exhibendo eleemosynam, velle sibi satisfieri, sic ut eadem Missa alteri a se non applicetur? *Respondeo,* [*Quodlib.* ib. n. 26.] *De Sponsalibus* c. *Ex literis,* habetur: *Si aliter non intellexerit quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recurratur, et cogatur uterque verba prolata in sensu illo retinere, quem solent recte intelligentibus generare.* Et Glos. ibi adducit illud ff. *De supellectili legata,* l. *Tabeo: Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina sunt intelligenda.* Quicumque autem recte intelligens existimaret eum, qui obligat Sacerdotem ad celebrandum pro se per eleemosynae exhibitionem, velle obligare ad illud quod est sibi utilius, dum tamen liceat ita Sacerdotem obligari. Sed quod totum meritum personale celebrantis, et quod debetur virtute sacrificii, reddatur isti, est sibi utilius, quam si impertiretur pluribus. Atque id licet, quia non est contra charitatem, ut unusquisque bonum spirituale sibi procuret, quantum potest, sine praeiudicio alterius, quod praeiudicium hic nullum est; quia media applicatio sacrificii, quae nec specialissima, nec generalissima est, sub liberam potestatem celebrantis cadit, pro qua se obstrinxit huic, a quo eleemosynam recepit, atque bonum correspondens tam merito personali celebrantis, quam valori sacrificii applicatum pluribus, minus redditur singulis, quam si uni tantum impendatur, ut *ex antecedentibus* extitit declaratum; ergo ad tale bonum sibi soli reddendum putandum est, dantem eleemosynam recipientem obligare voluisse.

RURSUM ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM IN ALIQUO CASU SPECIALI CELEBRANS UNAM MISSAM SATISFACIAT PLURIBUS OBLIGATIONIBUS.

Doctor, Quodlib. q. 20.

VIDETUR in aliquo casu unica Missa pluribus satisfieri obligationibus Missarum. Etenim [*Quodlib.* q. 20. n. 30.] est rationabilis consuetudo quarumdam Ecclesiarum, ut celebrentur in ipsis Anniversaria pro illis animabus, quorum corpora ibi sepulta sunt, quive dum viverent ibidem

ecclesiastica Sacramenta percipere consueverunt. Si ergo consuetudo ferat, ut nonnisi eodem die una Missa pro mortuis celebretur, si contingat illa die plura Anniversaria concurrere, illis omnibus unica Missa satisfieri videtur; igitur Monachi, et Clerici in Ecclesiis Cathedralibus, et aliis Collegiatis, et etiam Sacerdotes Curati, esto plures una eademque die recurrant obligationes satisfaciendae totidem Missarum celebrationibus, per unicam tamen satisfaciunt. — *Confirmatur,* [*Quodlib.* ib.] quia illi omnes non obligantur ad impossibile, vel omnino ad aliquid quod fieri non solet in illis Ecclesiis, quarum sunt ministri. Si ergo consuetudinis sit, ut eadem die plures Missae pro mortuis solemniter non celebrentur, non tenentur plures persolvere; ergo si nihilominus ad plures celebrandas sint obligati, per unius celebrationem satisfaciunt omnibus, praesertim cum difficultas ista satisfaciendi non oriatur ex aliquo illicito; siquidem licitum fuit illis obligare se ad Anniversaria suorum familiarum in suis Ecclesiis celebranda, quae utique obligatio est interpretanda et intelligenda iuxta rationabilem consuetudinem earum Ecclesiarum, contra quam praesumendum non est tales ministros se obligare voluisse; etsi igitur pauperes religiosi et Sacerdotes non Curati, aut collegiati pro singulis obligationibus teneantur singulas Missas persolvere, propterea quod non liceat eis contrahere maiores obligationes ac satisfacere queant, nec excusari valeant ex eo quod eodem die non possint plures Missae celebrari, quia non debent promittere quod iuste fieri non potest; in Ecclesiis tamen Cathedralibus, et Collegialibus dispar est ratio.

Contra. [*Quodlib.* ib. n. 33.] Obligatio completa, sive quae fit in solidum, quando est alia et alia ad idem in specie, ipsa est ad aliud et aliud solvendum, sicut patet ff. *De obligationibus.* Sed contrahentes plures Missarum quomodocumque celebrandarum obligationes, huiusmodi obligatio est ad aliud et ad aliud in specie; ergo tenentur singillatim omnibus illis satisfacere. *Declaratur assumptum,* quia in tantum eadem die recurrentibus pluribus ad ieiunandum obligationibus, utpote quia in feria sexta simul incidunt quatuor tempora, et vigilia, et ieiunium quadragesimale, quis unico ieiunandi actu omnibus obligationibus satisfacit, quia omnes sunt ad unum actum numero; et ideo cum impossibile sit obligatum eadem die plures actus numero ponere, omnibus illis, ut dictum est, unico ieiunio satisfacit, quia obligatio non est ad impossibile solvi. Cum itaque obligationes Missarum celebrandarum sint ad idem specie, non solvuntur nisi per totidem satisfactiones, et celebrationes quibus omnibus singillatim solvantur.

Respondeo: [*Quodlib.* ib. n. 31.] aut ille cui fit obligatio ab aliqua Ecclesia Cathedrali novit eius Ecclesiae consuetudinem, utpote quod quibuscumque recurrentibus obligationibus non soleat solvi pro omnibus nisi unica Missa; aut ille, cui fit obligatio est penitus ignarus talis consuetudinis. Si ponatur illum, cui Ecclesia obligatur eius consuetudinem scire, ut si Canonicus talis Ecclesiae ordinaret sibi Anniversarium celebrari, videtur sibi et aliis unius Missae celebratione satisfieri. Et ratio est, quia aliquis potest cedere iuri suo; ille igitur qui obligat Sacerdotem, potest cedere ut non teneatur celebrare Missam pro se tantum, sed velle ut celebretur quidem pro se, sed simul cum aliis multis, qui ex iustitia debent percipere de bonis eius sacrificii. Et quamvis interdum

ista cessio expresse non fiat, est tamen rationabiliter interpretandum et intelligendum fieri in animo tam largientis eleemosynam, quam recipientis cum obligatione impendendi illi bonum spirituale, quia uterque, tam scilicet dans liberaliter eleemosynam, quam recipiens, bene novit consuetudinem eius Ecclesiae, quod nempe solitum sit tantum qualibet die una Missa pro defunctis celebrari, etsi interim eadem die plures incidant satisfaciendi obligationes.

Quod [*Quodlib.* ib.] si quis Ecclesiae consuetudinem ignorans eleemosynam praebeat cum intentione obligandi eam Ecclesiam, perinde ac si eam exhiberet alicui simplici Sacerdoti curam non habenti animarum, non videtur huic satisfieri, nisi sibi celebretur propria Missa, sicuti celebraret simplex Sacerdos, si eleemosynam suscepisset, quia peculiaris eius Ecclesiae consuetudo non est exhibenti eleemosynam culpabiliter ignota, propterea quod ipse minime teneatur scire peculiares Ecclesiarum consuetudines; igitur non debet id esse sibi praeiudicio. Si autem ea Ecclesia non tenetur sibi solvere propriam Missam, sicuti simplex Sacerdos, ex illa inculpabili ignorantia detrimentum referret, quod omnino tenendum non videtur. Debet itaque Sacerdos Curatus, vel Collegialis, ut non teneatur ad id, ad quod simplex teneretur Sacerdos, exhibenti eleemosynam suae Ecclesiae consuetudinem ignorantem docere. Qui si nihilominus consentiat, ac recipiat sibi iuxta eam satisfieri, nulla fit ei iniustitia, quae alioquin intervenire videtur.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo: [*Quodlib.* ib. n. 32.] et *concedo,* absolute posse esse rationabiliter consuetum in hac et illa Ecclesia fieri Anniversaria defunctorum inibi quiescentium. Posse item esse consuetudinem rationabilem non celebrari pro defunctis illis in Ecclesiis nisi unicam Missam. At *nego,* in casu posse esse rationabiliter consuetum, ut unica Missa satisfiat multis obligationibus, cum ex iuxtitia exigitur solvi et celebrari tot Missas quot contractae sunt obligationes. Nam aeque requiritur iustitia in Ecclesia Collegiata, sicuti in simplici Sacerdote. Nisi fortasse ille, cui Ecclesia Collegiata tenetur, cesserit saltem implicite iuri suo; ut si fuit probe sibi nota, vel si declarata eidem extitit Ecclesiae consuetudo ante eleemosynae exhibitionem, eique nihilominus fuit consentiens, ac pro se acceptavit. — *Ad confirmationem,* [*Quodlib.* ib.] quod nemo tenetur ad impossibile, vel ad inconveniens; *respondeo,* aliqua duo divisim posse iuste et decenter fieri, quae inter se saltem in casu possunt esse repugnantia, sic ut ambo minime iuste fiant simul. Et ita si ex consuetudine in hac Ecclesia approbata eodem die nequeunt plures Missae celebrari pro defunctis, licitum ei non est pluribus se obstringi obligationibus, ex quibus secundum iustitiam sequeretur plures celebrari, ut alioquin licitum esset, si illa non obstaret consuetudo; si igitur ad unam Missam celebrandam tenetur pro illa die, non debet se ulterius nova obligatione ad aliam celebrandam obstringere, cum stet, ut supponitur, opposita consuetudo, quia nova obligatio induceret ad faciendum aliquid ei Ecclesiae insolitum.

Et cum dicitur, [*Quodlib.* ib.] quia rationabilis consuetudo est, ut Anniversaria celebrentur in propriis Ecclesiis; *respondeo,* aliquid posse esse in se rationabile, quod tamen ad aliud comparatum, est irrationabile et iniustum. Et ita in casu, rationabile esset Anniversarium hac in Ecclesia celebrari, si id compati posset cum ordinatione, et consue-

tudine talis Ecclesiae. Sed quando illa duo stare non possunt simul, rationabile est Anniversarium in tali Ecclesia non celebrari. Vel si Sacerdos omnino velit et eleemosynam pro Anniversario recipere, et consuetudinem suae Ecclesiae servare, debet dare operam, ut Missa propria pro isto ab alio Sacerdote celebretur; quae sunt intelligenda in casu, quo quis saltem implicite non cesserit iuri suo, ut si inculpabiliter talis Ecclesiae consuetudinem ignoraret, et si in eroganda eleemosyna non fuit sibi diserte significata.

Atque idipsum videtur esse dicendum [*Quodlib.* ib.] de Ecclesiis dotatis, quarum ministri ratione ordinationis Ecclesiae, vel eleemosynarum receptarum, iam sunt donantibus, vel certis personis obligati specialiter ad tantum numerum Missarum, ad quot scilicet ipsi sufficiunt, vel ad certum numerum suffragiorum. Nam videtur tales ministros licite sese obligare non posse ad Missas, vel ad talia suffragia aliis solvenda, nisi intendant daturos se operam, ut talia per alios solvantur, qui ut ipsi non sunt obligati.

ARTICULUS VIII.

UTRUM PER VENIALE PECCATUM IMPEDIATUR EFFECTUS HUIUS SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 9. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 79. *a.* 8.

VIDETUR per peccatum veniale nequaquam impediri effectus huius Sacramenti. Nam per Eucharistiae susceptionem delentur peccata venialia, ut supra dictum fuit *art.* 4.; igitur ipsa venialia nequeunt impedire effectum huius Sacramenti; quippe quae agere ad impediendum aliquid non possunt, nisi dum insunt; si ergo per Eucharistiam dimittuntur, et delentur ab anima, impedire Eucharistiae effectum non possunt.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 7. n. 3.] Eatenus veniale posset huius Sacramenti effectum impedire, quatenus esset charitati incompossibile: sed hoc est falsum; quia veniale non impedit quominus actus meritorius habeatur, et gratia infundatur simul cum illo; igitur nullo modo impedit huius Sacramenti effectum.

CONTRA. [*Report.* 4. d. 9. n. 3.] Actus bonus cum quo concurrit veniale est minus intensus, et subinde minus meritorius: actui minus meritorio minor gratia correspondet; igitur venialia impediunt effectum huius Sacramenti, saltem ex parte.

RESPONDEO, [*Oxon.* 4. d. 21 q. 1. n. 3.] veniale peccatum simpliciter minime impedire posse huius Sacramenti effectum, qui est gratiae sanctificantis accretio; quia etiamsi veniale eliciatur una cum actu, quo Sacramentum percipitur, ut cum culpabilis aliqua incidit distractio, adhuc stat cum charitate, quam supponimus habere percipientem Sacramentum eucharisticae unitatis; igitur nec facere potest, quin illa charitas ex virtute Sacramenti augeatur. Sed quia concurrentibus venialibus in actu suscipiendi Eucharistiam, necessario talis actus est minus fervidus et intensus, sicuti ex modicae aquae aspersione etsi non extinguatur ignis, tamen de vehementi fervore eius nonnihil remittitur et

calidae immixta aqua frigida inducit tepiditatem, ita actuale veniale in actu communionis impedit ut non tota illa gratia a Deo infundatur, quae alioquin, si abesset illa culpa infunderetur. Quemadmodum igitur venialia, pro quibus non fuit in hac vita satisfactum, sunt in causa, ut migrans sine culpa mortali ex hac vita, statim non consequatur gloriam finalem, ita quae incidunt in actuali Eucharistiae susceptione, faciunt, ne totalis illa gratia conferatur, quae venialia non ita habentibus confertur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 9. q. 1. n. 4.] per susceptionem Eucharistiae deleri utique venialia, quae inesse inveniuntur; sed non propterea oportet ut depellat ea, quae tunc actu committuntur, et cum ipsa susceptione Sacramenti insunt. Ea igitur etsi simpliciter gratiam infundi non impediant ut mortalia, efficiunt nihilominus, ut minus meritorius sit ille actus, ac proinde minus gratiae conferatur.

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib.] patet *ex dictis,* qua ratione venialia huius Sacramenti effectum impediant, quia non faciunt, ne gratiam suscipientes recipiant, sed ne maiorem eis Deus elargiatur.

QUAESTIO OCTUAGESIMA.

DE USU SEU SUMPTIONE HUIUS SACRAMENTI IN COMMUNI, IN DUODECIM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de usu sive sumptione huius Sacramenti. Et *primo* quidem in communi. *Secundo,* quomodo Christus est usus hoc Sacramento.

Circa primum quaeruntur duodecim.

1. Utrum sint duo modi manducandi hoc Sacramentum, scilicet sacramentaliter et spiritualiter. - 2. Utrum soli homini conveniat manducare spiritualiter hoc Sacramentum. - 3. Utrum solius hominis iusti sit manducare sacramentaliter. - 4. Utrum peccator manducans sacramentaliter peccet. - 5. De quantitate huius peccati. - 6. Utrum peccator accedens ad hoc Sacramentum sit repellendus. - 7. Utrum nocturna pollutio impediat hominem a sumptione huius Sacramenti. - 8. Utrum sit solum a ieiunis sumendum. - 9. Utrum sit exhibendum non habentibus usum rationis. - 10. Utrum sit quotidie sumendum. - 11. Utrum liceat omnino abstinere. - 12. Utrum liceat percipere Corpus sine Sanguine.

ARTICULUS I.

UTRUM DISTINGUI DEBEANT DUO MODI MANDUCANDI CORPUS CHRISTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 80. *a.* 1.

VIDETUR non esse distinguendos duos modos manducandi Corpus Christi. Siquidem hi duo modi esse perhibentur secundum rem et secundum desiderium desiderantium Christi Corpore refici: sed hoc non. *Et*

probatur: quia in caeteris Sacramentis unus est modus suscipiendi, Baptismum enim oportet quemque realiter suscipere, iuxta illud [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3.] Salvatoris Ioann., 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum caelorum;* igitur etiam tantum erit unus modus sumendi Corpus Christi, scilicet realiter.

2. PRAETEREA. Recipiens sacramentum bene dispositus recipit simul realiter seu sacramentaliter et spiritualiter; igitur non sunt distinguendi duo modi manducandi Corpus Christi, cum evidenter coalescant ii duo modi in unum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 2. — *Report.* ib.] *De Consecr.*, dist. 2. c. 47. *Ut quid* (inquit Augustinus) *paras dentes, et ventrem? Crede, et manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare.* Et ibidem cap. 18. inquit Apostolus: *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt; spiritualem utique,* (inquit Augustinus) *eamdem, nam corporalem aliam, quia illi manna, nos aliud. Aliud illi, aliud nos; sed specie visibili. Quod tamen idem est virtute spirituali.* Expresse igitur Augustinus distinguit duos modos manducandi idem Christi Corpus, scilicet spiritualiter, quo pacto manducaverunt Patres in deserto, ac quisque credentium ac desiderantium manducant; et realiter, quo suscipitur sub speciebus panis et vini realiter occultatum.

RESPONDEO, [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] *quadrupliciter* posse intelligi susceptionem vel manducationem Corporis Christi in Sacramento. *Primo* enim potest suscipi Sacramentum, et non sacramentaliter, nec spiritualiter: *secundo,* sacramentaliter, sed non spiritualiter: *tertio,* sacramentaliter et spiritualiter: et *quarto* denique, tantum spiritualiter, et non sacramentaliter. *Et primo* quidem modo Sacramentum suscipiunt illi, qui recipiunt hostiam consecratam, non ut talem, sed quasi unum ex aliis cibis. Et hi secundum Apostolum, 1. *Corinth.*, 11. iudicium sibi manducant et bibunt, quia non diiudicant Corpus Domini, idest non distinguunt a communibus cibis; idque potest contingere, vel ex infidelitate, ut paganus, vel etiam ex contemptu, ut in fidelibus credentibus sub illis speciebus esse verum Corpus Christi. *Secundo* modo recipiunt quotquot credentes in hostia consecrata esse Christi Domini Corpus, ac intendentes recipere communionem, ut in Ecclesia consuevit exhiberi fidelibus, audent tamen accedere cum conscientia peccati mortalis non habentes de eo veram contritionem. Ii quidem recipiunt Sacramentum sacramentaliter, et non spiritualiter, quia minime fiunt participes effectus spiritualis eius, ad quem talis susceptio ordinatur, quae est animae nutritio spiritualis per gratiam datam a Christo.

At *sacramentaliter spiritualiter* [*Oxon.* et *Report.* ib.] recipit Sacramentum bonus fidelis sine culpa mortali accedens, quive diligentem iuxta possibilitatem suam propriae conscientiae fecit inquisitionem. Is ergo vere nutritur, et Christo cibo spirituali unitur et incorporatur, secundum Augustinum, *Crede, et manducabis me, non me convertens in te, sed tu converteris in me.* Sicut enim cibus corporalis convertitur in nutriendum, ita spiritualis cibus in se convertit eum, qui ipso debite vescitur.

Quarto [*Oxon.* ib.] tandem modo percipitur *spiritualiter* et non sacramentaliter, cum bonus fidelis secundum posse suum bene et devote paratus, tamen propter reverentiam abstinet realiter sumere quod con-

cupiscit, vel propter aliquam infirmitatem non potest, vel quia non habet copiam ministri. Iste etsi non sacramentaliter, spiritualiter tamen nutritur, ut diserte significant auctoritates adductae *ad oppositum.* Omnes autem quatuor isti modi ad duos principales reducuntur, nempe ad perceptionem Sacramenti realem, et spiritualem. Duobus enim prioribus modis suscipitur Christus realiter etsi non sacramentaliter, seu spiritualiter. Sunt igitur duo modi manducandi Corpus Christi.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, etiam alia Sacramenta suscipi posse realiter et spiritualiter, et praesertim id verum esse de Baptismate, quia fervide concupiscens baptizari, licet ob defectum ministri eius voti non fiat compos, nihilominus salvabitur, quia desiderio suo recipit gratiam, estque Baptismo flaminis baptizatus. Ita pariter concupiscens cibari pane Eucharistico, si debite sit dispositus, spiritualiter Christum manducat et gratiam recipit. Verumtamem sicuti quantumcumque iustificatus per susceptionem Baptismi in effectu recipit gratiae augmentum, [*Oxon.*4.d.4.q.6.n.4.] nempe ex opere operato, seu virtute Sacramenti, ita manducantes Christum tantum spiritualiter, quamvis acquirant gratiam, qua magis magisque Christo incorporantur, non tamen recipiunt gratiam, quae datur virtute Sacramenti, quia illa tantum tribuitur iis, qui debite utuntur signo illo sensibili a Deo instituto.

Ad secundum dico, utique illos duos modos concurrere posse in eodem actu suscipiendi Eucharistiae Sacramentum, et de facto esse in eo qui bene dispositus accedit, sed non propterea tamen negari posse, re ipsa distinctos esse modos suscipiendi et manducandi Corpus Christi, ut patet in male dispositis, qui iudicium sibi manducant, et ideo non spiritualiter manducant, et in iis, qui alias bene dispositi, et desiderantes vesci Eucharistico pane, ob aliquod extrinsecum impedimentum, re optata potiri non valent.

ARTICULUS II.

UTRUM SOLIUS HOMINIS SIT HOC SACRAMENTUM SPIRITUALITER SUMERE.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 2.

Respondeo [*Oxon.* 4. d. 1. q. 3. n. 7.] pro statu patriae nullum congruit Sacramentum, quia homines beati, ut Angeli, non indigent aliquo sensibili, ut eo manuducantur ad cognoscenda intelligibilia pertinentia ad salutem, quippe qui iam gloria aeterna, ad cuius consequutionem sunt Sacramenta ordinata, plene perfruantur. Quatenus ergo Sacramenta adiutoria quaedam sunt exhibita a Christo in Lege Evangelica, quo eis rite utentes gratiam consequerentur, Legem Evangelicam perfecte observarent, et ad felicitatem aeternam pervenirent, manifestum est solius hominis viatoris esse Eucharistiae Sacramentum spiritualiter sumere. Quapropter [*Oxon.* ib. n. 8.] homo iustus non habens facultatem suscipiendi Corpus Christi sub speciebus ardenter concupiscit vesci Eucharistico pane, ob quod pium desiderium gratia sibi augetur. Cui consonat quod adducitur ex Augustino, dist. 2. *De Consecr.*, c. 64. *Panem caelestem spiritualiter manducare est innocentiam ad altare apportare. Peccata etsi sunt quotidiana,*

non sint mortifera. Neque enim Angeli, aut homines beati ulla habent quotidiana peccata expianda, neque ad altare accedunt Corpus Christi sacramentaliter sumpturi. Atque ita tantum hominum viatorum est Christum spiritualiter sumere eo modo, quo dictum fuit *art. antec.*

Quod [*Quodlib.* q. 20. — *Oxon.* 4. d. 10. q. 1.] si attendamus ad huius Sacramenti finem, qui est gloriae aeternae adeptio, ut extitit declaratum *art.* 2. *quaest. praec.*, iuxta illud Salvatoris, Ioann., 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum,* et *Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita,* cum Angeli, et omnes Beati iam potiantur vita aeterna, ad quam viatores rite hoc Sacramento utentes anhelant et tendunt, dicendum est, non solius hominis viatoris esse panem Eucharisticum spiritualiter manducare; quinimo Beatos omnes longe perfectius eo vesci spiritualiter, et frui gaudiis sempiternis, ad quae ut nos duceret hoc mirabile Sacramentum instituit Christus; unde non semel in divina Scriptura per allegoriam appellatur *Panis Angelorum.* Sed et Salvator huc videtur allusisse, Lucae, 22. *Dico enim vobis* (loquens de Eucharistico pane) *quia ex hoc non manducabo, donec impleatur in Regno Dei.* Et de calice: *non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat.* Quod Origenes, *Homil.* 7. *in Levit.* optime interpretatur de vino et gaudio felicitatis aeternae, iuxta illud Psalmi: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.*

ARTICULUS III.

UTRUM SOLUS HOMO IUSTUS POSSIT CHRISTUM SACRAMENTALITER MANDUCARE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 80. *art.* 3.

VIDETUR solius hominis iusti esse Christum sacramentaliter manducare. Siquidem [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 2.] Augustinus dicit (et refertur *De Consecr.*, d. 2. c. 47.) *Ut quid paras dentes, et ventrem? crede et manducasti.* Sed homo iniustus non credit ut oportet, quia non habet fidem charitate formatam; igitur Christum sacramentaliter non percipit.

2. PRAETEREA. Si homo iniustus Christum sacramentaliter susciperet, eadem ratione brutum, ut mus, hostiam consecratam manducans, sacramentaliter sumeret; nam gratior profecto non est Deo homo peccator ipsis brutis, quibus peccatores in Scriptura comparantur: nemo autem dixerit brutum manducare Christum sacramentaliter; ergo neque hominem iniustum.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib.] *De Consecr.*, dist. 2. c. 46. *Quid est Christum manducare, non hoc solum est in Sacramento Corpus eius accipere. Multi enim indigne accipiunt.* Ubi Glos., *duobus,* inquit, *modis manducatur Christus: uno modo sacramentaliter, quod competit bonis et malis, et spiritualiter, quod est tantum bonorum.* Non solius igitur hominis iusti est Christum sacramentaliter manducare.

RESPONDEO dicendum, et homines malos posse, [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib.] et de facto cum ad altare accedunt Christum sacramentaliter manducare, quamvis non spiritualiter. Tunc enim sumitur Eucharistia sacramentaliter, quando percipitur cum debita intentione et fide

in generali, quae est intentio sumendi quod credit ibi contineri; sive in speciali intendat percipere Corpus Christi, quod sub speciebus per fidem scit contineri. Sed non tantum homo iustus, sed etiam quivis malus Christianus potest accedere ad Sacramentum cum illa generali, vel etiam speciali intentione; igitur etiam mali possunt Sacramentum sacramentaliter suscipere; licet quia ad iudicium sibi sumunt, spiritualiter non percipiant.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, Augustinum intelligere de spirituali tantum Christi perceptione, quae revera nulla est in male Sacramentum sacramentaliter percipientibus. Idque non solum declarari per verba eius adducta prius *ad oppositum, ex cap. praecedenti* eiusdem dist. 2. *De Consecr.*, sed etiam per verba quae ponuntur in eodem cap. *Qui credit,* inquit, *in eum manducat eum, invisibiliter saginatur, quia et invisibiliter renascitur.* Non autem sumens invisibiliter saginatur et renascitur nisi per gratiae augmentum, quae infunditur de novo in anima eius per susceptionem Christi.

Ad secundum, [*Report.* ib.] nego bruta dici posse sumere Christum *sacramentaliter,* quia hoc adverbium specificat modum accipiendi sumentis, et non ipsius assumpti. Quamvis igitur brutum comedat species consecratas, et ita sacramentum, non tamen recipit et manducat illas species tamquam signum illius, quod in ipsis continetur. Sacramento igitur vesci possunt, sed non Sacramentaliter. Quod etiam etsi contingere posset in hominibus, ut dictum est in 1. *art.* si tamen accedant ut sumant signatum ab illis speciebus, vel in generali, vel in speciali, quantumvis impii, sacramentaliter sumunt.

ARTICULUS IV.

UTRUM PECCATOR SUMENS CORPUS CHRISTI SACRAMENTALITER PECCET.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 9. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 80. *art.* 4.

Videtur peccator non peccare in susceptione Corporis Christi. Etenim [*Oxon.* 4. d. 9. n. 1. — *Report.* ib.] nemo peccat in facto quod exhibere tenetur: sed aliquis quandoque, non obstante quod sit in peccato mortali, tenetur percipere Corpus Christi; ergo ipsum sumendo non peccat. *Probatio minoris: tum* quia *de Poenitentiis et remissionibus,* cap. *Omnis utriusque sexus,* expresse iniungitur omnibus Christianis saltem semel in anno Christi Corpus sumere: *tum* quia etiam, d. 2., *de Consecr.*, c. *Relatum,* statuitur et declaratur, Sacerdotes qui consecraverint teneri ad Sacramenti perceptionem: possibile autem est, eum qui consecravit esse in peccato, vel tempore intermedio incidere in peccatum: sed non tenetur confiteri; ad id enim obligatur semel in anno, *ut patet* ex cap. cit. *Omnis utriusque sexus;* ergo licite potest tunc exercere actus sibi convenientes, sicuti est communicare. Et ita Sacerdos poterit pluries celebrare, quantumcumque peccet, sine iterata confessione; nam si praeceptum de semel in anno confitendi sufficit caeteris, quare non satis erit et Sacerdoti?

2. Praeterea. Eucharistia est animae spirituale nutrimentum, quod

exhibetur indigentibus sicuti sunt viatores; et ideo non congruit in statu patriae: sed nemo magis indiget tali nutrimento, quam peccator et Dei gratia destitutus; ergo peccator sumens hoc Sacramentum non peccat.

CONTRA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] 1. *ad Corinth.*, c. 11. *Qui manducat et bibit indigne iudicium sibi mauducat et bibit:* sed talis est quicumque spiritualiter non est membrum Christi, et percipere praesumit Eucharistiam; ergo talis in sumendo Christum novo peccato peccat.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib.] *tripliciter* intelligere contingit aliquem esse in peccato: *primo,* cum actualiter peccat peccato mortali actu interiori vel exteriori: *secundo,* intelligitur aliquis esse in peccato cum post praeteritum mortale peccatum, de quo non recolit, nec poenituit, nec poenitet: *tertio* denique, quando quis revera poenituit de praeterito peccato, illud tamen minime confessus fuit Sacerdoti, nec absolutus in Ecclesia. Tunc pono seguentia *dicta:*

PRIMUM est: [*Report.* ib.] actu mortaliter peccans, si accedat ad Eucharistiae Sacramentum sumendum mortaliter peccat, quia indigne accedit; et ideo, ut ait Apostolus, *iudicium sibi manducat,* hoc est peccata novo peccato cumulat, ob quod durius iudicabitur.

SECUNDUM DICTUM: [*Report.* et *Oxon.* ib.] qui commissi peccati non recordatur, et ad hoc Sacramentum accedit, aut id illi evenit ex negligentia affectata, ut si non curavit diligentem praemittere suorum factorum discussionem, ex qua obliti peccati meminisse potuisset: aut quia facta propriae conscientiae diligenti discussione iuxta possibilitatem humanae imbecillitatis, nihilominus memoriae non occurrit. Et si ex culpabili negligentia non recordetur, talis utique peccat, licet non tam graviter quam primus. Et ratio est, quia tenetur discutere conscientiam propriam priusquam ad Eucharisticum panem sumendum accedat; quod et Apostolus docuit, 1. *ad Corinth.*, cit. *Probet autem se ipsum homo;* idest, videat prius an sit in ipso culpa necessario expiabilis per Poenitentiam, aut non; *et sic de pane illo edat.* Omittens igitur hoc facere sine dubio peccat.

Quod [*Oxon.* et *Report.* ib.] si ea negligentia minime communicanti culpabilis sit, sed praemisso sufficienti examine, nihilominus commissi peccati non recordatur, dicendum est, talem communicando non peccare. *Probatio,* quia post talem propriae conscientiae inquisitionem, contritus et confessus, si mori contingeret, salvaretur: sed non requiritur maior sui discussio ad licite communicandum quam ad secure moriendum; ergo si accedat ad Christi Corpus sumendum, non peccat. Alioquin enim quilibet se exponeret periculo communicando, iuxta illud Psalmi, 18. *Delicta quis intelligit.* Et Ecclesiast., 9. *Nescit homo utrum amore, vel odio dignus sit.* Si igitur oporteret communicantem scire se esse in charitate, cum hoc absque revelatione sciri non possit, quilibet accedens ad Eucharistiam exponeret se periculo peccandi; quod plane falsum est. — *Deniquc,* si illa certitudo esset communicanti necessaria, Eucharistia non foret Sacramentum viatoris, quia nemo viatorum sine speciali Dei revelatione valet id scire; igitur praemissa diligenti discussione, contritione, et confessione, non peccat quis ad Eucharistiam percipiendam accedendo, imo si quae peccata lateant, quorum non recordetur, per istud Sacramentum remittuntur.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib. n. 3.] poenitens de commisso peccato, priusquam ad communionem accedat tenetur sacramentaliter confiteri, si occurrat opportunitas. Quia non solum debet reconciliari Deo, sed etiam Ecclesiae, ut digne recipiat Sacramentum Ecclesiasticae unitatis. Si vero absit opportunitas confitendi, tenetur eam expectare, si id sine scandalo fieri queat. Quod si communionem omittendo scandalum in adstantibus gignatur, ut si Sacerdos indutus recordetur peccati mortalis prius non confessi, nec qui eum audiat Confessarius adsit, tunc ut scandalum evitetur cum contritione et voluntate confitendi tempore opportuno potest celebrare. Atque eadem est ratio de iis qui non celebrant et debent Eucharistiam sumere ex consuetudine Religionis vel Ecclesiae, si non habeat copiam idonei confessarii, possunt ad Sacramentum accedere, ne scandalum oriatur. Nec est dicendum huiusmodi talibus in circumstantiis peccare, quia dilatio confessionis in actu, quae tunc habetur in effectu, non facit, quin illi sint membra Ecclesiae militantis habilia ad eos actus in quibus membra communicant, praesertim cum teneantur vitare scandalum proximi.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib. n. 3.] concedo utique non peccare eos, qui faciunt quod debent cum modis et circumstantiis requisitis; at secus evenire si modo indebito praestetur. *Ad minorem* dico, nullum teneri suscipere Corpus Christi cum conscientia peccati mortalis. — *Et cum probatur,* respondeo: sicut quilibet Christianus tenetur semel in anno communicare, ita tenetur laborare ut sit extra peccatum mortale per Poenitentiam, atque *eodem capite* quod citatur diserte utraque obligatio habetur.

Cum arguitur [*Oxon.* ib.] ex cap. *Relatum,* dico, Sacerdotem priusquam consacret teneri ad laborandum, ut sit extra peccatum mortale. Si autem contingat ut post consecrationem, et ante communionem recordetur alicuius peccati mortalis de quo nec poenituerit, nec confessus sit, debet de eo habere poenitentiam interiorem antequam communicet, et differre poenitentiam exteriorem, donec occurrat opportunitas confitendi. — *Et cum dicitur,* quia non tenetur confiteri nisi semel in anno, ex cap. *Omnis utriusque sexus; respondeo,* praeceptum illud de semel confitendo quotannis, non tantum urgere cum suscipienda est Eucharistia, sed in multis aliis casibus quoque tenentur fideles ad Poenitentiam exteriorem, ut graviter infirmus, de quo dubitatur de imminenti morte. Vel acceptans actum, in quo secundum humanum iudicium exponit se mortis periculo, ut in bello, et similibus. Ita quoque ex speciali lege, dico, teneri Sacerdotem antequam exerceat actum sumptionis Eucharistiae ad poenitentiam exteriorem. Et si quaeras undenam constet de tali lege; *respondeo* ex Apostolo, I. *Corinth.,* II. dicente: *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.*

AD ULTIMUM respondeo, ut renasceremur ad vitam novam in Christo, institutum fuisse Baptisma, et Poenitentiae Sacramentum pro illis, qui iam renati postea gratiam amittunt per peccatum mortale. Letaliter ergo a peccatis vulneratis est quidem medicina parata; sed non per Sacramentum Eucharistiae, quae cum sit nutritio spiritualis animae, nemo nutriri potest, et robur spirituale novum acquirere, nisi vivat vita spirituali per gratiam, sicuti et nemo nutrimentum in se admittit corporale, nisi vivat vita corporali.

ARTICULUS V.

UTRUM ACCEDERE AD HOC SACRAMENTUM CUM CONSCIENTIA PECCATI SIT GRAVISSIMUM OMNIUM PECCATORUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 9. — 2. *d.* 21. *q.* 2. — *Report. ib. d.* 22. *S. Thom.* 3. *p. q.* 80. *a.* 5.

VIDETUR accedere ad Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis esse omnium peccatorum gravissimum. Nam [*Oxon.* 4. d. 9. — *Report.* ib.] ait Apostolus, 1. *ad Corinth.*, 11. *Qui manducaverit et biberit indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini.* Sed qui fuerunt rei Corporis et Sanguinis Domini, idest occidentes Christum, peccaverunt peccato longe gravissimo, ut dictum fuit *quaest.* 47. *art.* 6.; ergo qui indigne ad communicandum accedit committit peccatum omnium gravissimum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 19. n. 13.] Tanta est peccati gravitas, quanta est dignitas eius, in quem peccatur: sed dignitas Christi, in quem peccant indigne ipsum sumentes, est infinita; igitur peccatum indigne communicantium est infinitum, quo cum non possit esse maius, est omnium gravissimum.

CONTRA. [*Oxon.* 2. d. 43. q. 1.] Peccatum in Spiritum Sanctum est gravius peccato indigne communicantium; ergo istud non est omnium gravissimum. *Probatur assumptum:* illud peccatum est gravius altero, quod est irremissibile, et aliud est remissibile: peccatum in Spiritum Sanctum est irremissibile, quia aufert directe a Deo misericordiam, quam non aufert peccatum indigne Christum suscipientium.

RESPONDEO: peccatorum gravitas, aut concluditur ex eo quod magis intensae bonitati opponitur; aut exinde quod sit contra plura praecepta. Et primo modo quidem accedens cum conscientia peccati mortalis ad panem Eucharisticum non committit peccatum gravissimum, quia graviora sunt ea peccata quae immediate respiciunt ipsum Deum, quaeve quantum est ex parte eorum, aut auferunt Deum, aut aliquam perfectionem ipsi intrinsecam, ut Paganorum peccata Deum eiusque providentiam negantium, aut fidelium de eius misericordia desperantium. Peccata autem indebite ad Eucharistiam accedentium, si alioquin sint fideles nihil adimunt de Dei perfectionibus, et ideo ex hac parte minus graviora sunt, quam illa.

Quoniam autem praecepto de communicando unitur praeceptum de diligenti propriae conscientiae discussione et confessione, ut patet ex Apostolo, et ex cap. illo, *Omnis utriusque sexus,* supra, et *art. praec.* adductis, propterea quod Sacramentum Ecclesiasticae unitatis nemo digne suscipere queat nisi sit Ecclesiae membrum, et unitum cum Christo per gratiam, sequitur eum qui indigne suscipit Christum in Eucharistia mentiri facto illo, non solum Ecclesiae, sed etiam Deo, tale Sacramentum instituenti; est ergo talis mendax, violator instituti divini, et sacrilegus, quia facit ne Sacramentum habeat suum effectum, ipsumque Deum in Sacramentis contemnens. Tale nihilominus sacrilegium [*Miscell.* q. 3. n. 18.] habet gradus, quia quamquam ille qui non recordatur commissi

peccati, ex eo quod se discutere neglexit, non excusetur a peccato, minus tamen peccat, quam ille qui bene conscius suorum peccatorum, sciens tamen accedit ad manducandum Eucharisticum panem. Et breviter, quomodo actus debet habere bonitatem maiorem, sive in specie sive intentionis in specie, eodem modo si careat bonitate debita est peior vel gravior privative; at [*Quodlib.* q. 18. n. 18.] si habeat conditionem aliquam repugnantem est gravior contrarie, et ita gravius peccaret, qui accederet ad Eucharistiam, ut ea abuteretur in alios usus, quam qui manducaret cum conscientia peccati, ut praeceptum de communicando adimpleret.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, gravissime quidem peccavisse eos, qui occiderunt Christum; sed non ita pariter peccare qui accedunt ad altare cum conscientia peccati mortalis. Illi enim occidentes Christum tantum peccaverunt, quantum de bono ademerunt, et nihil sub Deo erat melius vita Christi. At indigne ipsum sumentes, iniuriam quidem Deo inferunt, quatenus reddunt vanum signum ab eo institutum, et eam quam non habent cum Christo unitatem mendaciter repraesentantes faciunt iniuriam Christo in speciebus praesenti, nihil tamen ipsi adimunt, et ideo non perinde, ut eius interfectores, peccant.

Ad secundum dico sic: accedens ad communicandum cum conscientia peccati mortalis ea mente, ut faciat iniuriam Christo, utique gravissime peccat. Sed qui accedit ut adimpleat praeceptum, vel lucri gratia, aut alia consimili de causa, etsi, ut ait Augustinus, *Homil.* 26. in Ioann. *Tantae rei Sacramentum ad iudicium percipiat,* non est tamen gravissimum peccatum; et ideo ex alio et alio fine et intentione percipientium potest esse magis et minus grave peccatum.

ARTICULUS VI.

UTRUM SACERDOS DEBEAT DENEGARE CORPUS CHRISTI PECCATORI PETENTI.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Tom. 3. *p. q.* 80. *art.* 6.

Videtur Sacerdos debere denegare Corpus Christi peccatori petenti. Nam [*Oxon.* 4. d. 50. q. 2. n. 7. seq.] duobus malis incidentibus minus est semper eligendum: sed longe peius est tradere Corpus Christi homini indigno, quam ipsum diffamare per negationem communionis; ergo Sacerdos debet denegare Corpus Christi peccatori ad Sacramentum altaris accedere praesumenti.

2. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 5. q. 2. n. 1.] Cooperans alicui ad peccandum mortaliter et ipse pariter letaliter peccat: sed Sacerdos sciens eum qui accedit ad altare esse peccatorem, scit quoque peccaturum in sumptione Eucharistiae; igitur porrigens eiusmodi Eucharisticum panem cooperatur ei ad peccandum mortaliter; ac per consequens tenetur non praebere illi Eucharistiam, ne peccet.

Contra. *De Consecr.,* dist. 2. cap. 67.: *Non prohibeat dispensator manducare pingues terrae in Mensa Domini, sed exactorem moneat timere.* Ubi Glos., ait: *Sacerdos non debet prohibere occultos peccatores sumere Corpus Christi.*

RESPONDEO: aut est sermo de occulto peccatore, aut de publico. Et si loquamur de occulto, dicendum est, Sacerdotem tali peccatori ad altare accedenti non debere denegare Corpus Christi. Etenim [*Oxon.* ib. n. 5.] propter peccatum quod non est notorium, non debet, nec iuste potest Sacerdos interdicere alicui actibus notoriis, cuiusmodi est Ecclesiastici Sacramenti usus, in quo communicant inter se publice fideles. Et quamvis exinde sequatur malum, et grande sacrilegium, quo se inficit indigne recipiens Corpus Domini, id tamen est de illis malis quae non sunt punienda per homines, [*Oxon.* 3. d. 39. n. 5.] sed derelinquenda ultioni divinae; quandoquidem homo, ut homo, vel Sacramentorum Minister, nequeat tale malum, idest, accedentem esse peccatorum sufficienter scire, ac non possit sufficienter eam veritatem docere, eo scilicet modo, quo deberet doceri, ad hoc ut iuste ferretur sententia debita punitiva, quia ergo est tantum peccator occultus, et non publicus, suum non est impedire malum quod sequitur, nec per repulsam ab altari, punire malum quod latet. — *Deinde,* Sacerdos repellendo occultum peccatorem ab Eucharistiae perceptione, procul dubio eveniret, ut tali ex repulsa diffamaretur, et haberetur ut indignus participatione Ecclesiasticorum Sacramentorum, nemine non sciente, nonnisi ob culpam gravissimam a communione repelli non potuisse. Aliquem autem diffamare in re gravissima, peccatum mortale est. Quilibet enim [*Oxon.* 4. d. 21. q. 2. n. 8.] secundum rectam rationem debet diligere famam propriam, atque ita celari suum occultum peccatum, idque ex lege naturae, quae exprimitur Matthaei, 7.: *Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: haec est enim lex et Prophetae.* Minister igitur Sacramentorum arcens occultum peccatorem ab altari mortaliter peccaret. Sed [*Oxon.* 4. d. 5. q. 2. n. 6. seq.] quilibet magis debet in seipso vitare peccatum mortale, quam in alio damnationem; ergo ne peccator occultus gravius peccet sumendo Eucharistiam non debet Sacerdos illi Eucharistiam denegare, sed ultro volenti porrigere, et relinquere tantum sacrilegium divinae ultioni.

Secus autem est dicendum si peccator sit publicus, ut fornicarius, aut huiusmodi. Hunc enim debet et tenetur Sacerdos a communione repellere, quia tunc non diffamatur per occulti criminis proditionem, sed solum propria scandalosa vita per se diffamatum a participatione immaculatorum Mysteriorum Christi iustissime repellit atque arcet. Unde 2. *q.* 1. *cap.* 17. scribitur: *De manifesta et nota pluribus causa non sunt quaerendi testes, ut S. Ambrosius dixit de fornicatore, sententiam exponens Apostoli, ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Omnes enim crimen eius sciebant, neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen.* Unde et capite sequenti notantur ex Augustino haec: *Nos a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari, sive Ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum.* Et ibidem, cap. *Si peccant: Illa corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus. Ea vero corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius.* Potest ergo et debet Sacerdos publico peccatori Eucharistiam denegare, quia non debet sanctum dari canibus. Ex *Matthaei,* 7.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, *assumptum* esse verum si caetera sint paria, si nimirum maius et minus malum sint ex aequo in potestate eligentis; tunc enim debet ipse minus eligere, uti esset subire mortem temporalem, ut evitet aeternam; at si maius malum non sit

aeque in potestate eius, uti est minus, argumentum non concludere. Isto autem in casu non potest Sacerdos eligere publicare peccatum occultum indigne accedentis nisi peccet graviter; quia enim non est notum et scitum debito modo facinus, publice punire non potest. Nam, ut ait Augustinus, loco statim citato, *si solus nosti, quia peccavit, et eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* Tametsi igitur maius malum sit tradere Christi Corpus manducandum peccatori, quam ipsum diffamari de occultis criminibus, nihilominus Sacerdoti maius malum est diffamare peccatorem occultum, quam ipsum ad communionem admittere, quia in illo peccat mortaliter, in isto non peccat, ut patebit *ex sequenti solutione.*

AD SECUNDUM [*Oxon.* ib. n. 6.] nego, Sacerdotem directe cooperari ad peccatum per hoc quod occulto peccatori porrigit panem Eucharisticum; id enim facit dumtaxat indirecte et per accidens; sed culpae quae sequitur ex ea sacrilega sumptione totalis et adaequata causa ipse male suscipiens est. Nec magis peccat in eo Sacerdos, quam peccet medicus, qui diligenter adhibitis artis medicae remediis, nihilominus aegrotus ex sua voluntate male utens bene paratis medicaminibus ea de causa moritur. Actus igitur Sacramenta Ecclesiae dispensandi accedentibus de se bonus est, et iuste fidelibus accedentibus non potest denegari, quidquid tandem in occulto sint; per hoc enim quod ad mensam Domini accedant, ostendunt sese spectare ad Ecclesiam Catholicam, esseque Christo incorporatos, qui in eo facto mentiuntur, non ministri, sed tantum ipsorum accedentium culpa est.

ARTICULUS VII.

UTRUM NOCTURNA POLLUTIO ALIQUEM IMPEDIAT A SUMPTIONE HUIUS SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 32. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 80. *art.* 7.

VIDETUR nocturna pollutio impedire quominus pollutus accedat ad sumendum Corpus Christi. Etenim, *Levit.*, 15. habentur haec, *Vir qui patitur fluxum seminis immundus erit:* sed immundi nequeunt fieri participes immaculatorum mysteriorum Christi; ergo qui noctu pollutionem patitur non debet accedere ad sumendam Eucharistiam.

2. PRAETEREA. Si nocturna pollutio accedere ad altare pollutum non impediret, multo minus id facere prohiberet complexus coniugalis: sed coniuges qui sexum miscuerunt non debent ad Sacramentum Eucharistiae accedere; ergo multo minus qui semine noctu fluunt. *Assumptum patet:* [*Oxon.* 4. d. 32. n. 7.] quia in coniugali complexu non est aliqua deformitas, quam lex prohibeat, sicuti potest esse in nocturna pollutione. *Minor probatur,* ex S. Hieronymo, adducto 33. q. 4. cap. *Sciatis fratres: Et, si panes propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas tetigerant comedi, quanto magis panis ille, qui de Caelo descendit, non potest ab his, qui coniugalibus paulo ante haesere complexibus, violari, atque contingi?*

CONTRA. 27. *q.* 2. *cap.* 24.: *Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, et peccatum illius tuae imputabitur ab-*

stinentiae; igitur quovis tempore licite vir tangere potest uxorem suam; ergo etiam si mane ipsis ad altare accedendum sit; ac per consequens nocturna simplex pollutio sine peccato non impedit Eucharistiae sumptionem.

RESPONDEO dicendum, solummodo mortale peccatum simpliciter prohibere ne fidelis ad hoc Sacramentum accedat, ut dictum fuit supra *art.* 4. Si nocturnae itaque pollutioni minime uniatur peccatum mortale, pollutus simpliciter potest accedere, sicuti et coniuges dantes operam rei venereae, si id peragatur ab eis citra culpam mortalem. Multipliciter autem potest concurrere peccatum mortale cum nocturna pollutione, vel scilicet in causa, quae adhuc multiplex esse potest: vel postquam evenerit, si deliberata voluntate complacet sibi de illa non in genere physico, sed moris, et tunc ut dictum est, simpliciter impedit Sacramenti susceptionem, non quatenus nocturna pollutio est, se quia sibi connectitur culpa mortalis. Fatendum tamen est eos, qui nocturnam pollutionem perpessi sunt, quive coniugalibus haesere amplexibus, minus dispositos esse ad reverenter suscipiendam Eucharistiam; quia actus illi aliqua foeditate corpus inspergunt, et mentem vehementer distrahunt.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, revera in veteri lege fluxum seminis perpessos immundos fuisse, ac sub mortali sese expiari debuisse secundum legem, ut colligitur ex *Numer.*, cap. 15.: *Qui praeterierit se lustrari de aqua praedicta, perhibit anima illa de populo suo.* Quae comminatio ponitur ad designandam transgressionem peccati mortalis. In lege pariter Evangelica, si nocturnae pollutioni uniatur culpa mortalis, ea est quoque expianda per sacramentalem confessionem priusquam quis ad communicandum accedat. Caeterum quia de genere suo eam culpam non involvit, ut nec actus coniugalis, pollutus simpliciter immundus non est, potest subinde absolute ad Eucharistiam accedere absque alia emundatione. Neque [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] obstat quod in veteri lege sub mortali expiari polluti tenebantur; quia caeremonialia illius legis non manent in se, sed in suis significatis in lege Evangelica, cuius veritas umbrae successit veteris legis. Purificationes igitur illae significabant purificationem a peccato, quae fit per gratiam datam a Deo in digna susceptione Sacramentorum, et ideo actus illi, qui ex eorum natura non involvunt peccatum mortale, nec sacramentali indigent expiatione, nec prohibent aliquem a digna susceptione Sacramentorum.

AD SECUNDUM [*Oxon.* 4. d. 32. q. 1. n. 7] ex Hieronymo respondeo, eum intellexisse, non de absoluta necessitate, quatenus aliter licite fieri non posset, sed de congruentia, nam qui rei venereae cum uxore operam dedit, non potest cum debita reverentia accedere ad manducandum Eucharisticum panem, quia talis minus dispositus est ad reverenter percipiendam Eucharistiam. Qui sane videtur esse intellectus verborum Hieronymi; subdit enim post citata verba: *Non quo nuptias condemnemus* (*hoc enim non dicimus*), *sed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Non quasi nimirum id sit contra aliquod praeceptum; verum ad maiorem reverentiam tanti Sacramenti, et debitam mentis et corporis praeparationem.

ARTICULUS VIII.

UTRUM CIBUS VEL POTUS PRAEASSUMPTUS IMPEDIAT SUMPTIONEM HUIUS SACRAMENTI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. q. 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 80. *a.* 8.

VIDETUR cibus vel potus praeassumptus non impedire sumptionem huius Sacramenti. Etenim [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 1. — *Report.* ib.] Christus in huius Sacramenti institutione, suprema coena peracta, ut diserte scribitur in Evangelio, dedit seipsum sub speciebus latentem Discipulis suis, qui omnes per sumptionem cibi et potus necessitati naturae satisfecerant; igitur si quis cibum sumat, et postea ad Eucharistiam accedat, licite facit. Nam non est verisimile Christum in Eucharistiae institutione aliter se gerere voluisse in eius Sacramenti dispensatione, ac postea futurum erat in Ecclesia, si tantum ieiunis licuisset ad sumendam Eucharistiam accedere.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] 1. *ad Corinth. Si quis esurit,* inquit Apostolus, *domi manducet;* quibus verbis videtur innuere, fideles priusquam ad Ecclesiam convenirent, debere in domibus suis esurienti stomacho satisfacere, ne ieiuni ad Ecclesiam convenientes opus haberent immoderatius de speciebus consecratis sumere. Unde et eos *ibidem* redarguit, dicens: *Unus quidem esurit, alius autem ebrius est.*

CONTRA. [*Oxon.* et *Repbrt.* ib.] Augustinus ad inquisitiones Ianuarii, et ponitur *De Consecr.,* dist. 2. cap. *Liquido: Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani dominicum Corpus intraret, quam alii cibi: ideo mos ille ubique servatur.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib.] ad comedendum Eucharisticum panem sacramentaliter et spiritualiter oportere, ut regulariter quisque ad altare accedat ieiunus. Sed intelligendum *duplex* esse ieiunium, scilicet *ecclesiasticum* et *naturale.* Et ieiunium quidem ecclesiasticum, quod scilicet ab Ecclesia praecipitur, non solvitur nisi per aliquam refectionem extraordinariam praeter morem Ecclesiae. Ex quo fit ut huiusmodi ieiunium non frangatur per specierum Sacramentalium susceptionem, neque per medicinalium usum, neque per potum, saltem a comestione, quia per omnia illa non intelligitur aliquis praeter Ecclesiae morem pluribus comestionibus se refecisse, sed unica ab Ecclesia permissa. At ieiunium naturae est carentia omnis omnino cibi suscepti in stomacho, vel in via ad stomachum, adeo ut nihil intret in stomachum a principio illius diei, quo dicatur talis ieiunium naturale servasse. Id porro principium Ecclesia Romana auspicatur a media nocte, quae antecedit communionem, et dies iste artificialis terminatur ad mediam noctem diei sequentis. Quidquid igitur ingeritur in stomachum non per modum cibi, ut saliva, aut alius humor per modum salivae, et non per modum potus non solvit hoc ieiunium naturale. Et de tali naturae ieiunio *est resolutio* intelligenda. — Nec est alia causa *a priori,* nisi divina institutio, quam vel Christum discipulis tradidisse, putandum est, vel ab eis instituendam reliquisse. Quae sane institutio admodum rationabilis videtur ob reverentiam Sacramento debitam, quae regulariter minor est in eo, qui ventrem

cibis refersit, quam in ieiuno; et ut praeterea fideles prius quaererent cibum spiritualem animae, quam carnalem corporis.

Aliquis [*Oxon.* et *Report.* ib.] tamen casus potest incidere, in quo licitum est non ieiuno ad Eucharistiam accedere, ut in gravi infirmitate, cum subest periculum mortis imminentis. Tunc siquidem exhibendum est Eucharistiae Sacramentum infirmo poscenti, esto non sit ieiunus. Est enim viaticum, et ideo dandum ei, qui iamiam ex hoc mundo est discessurus, ut per ipsum ducatur ad optatum terminum felicitatis aeternae. In casu etiam quo Sacerdos per errorem aquam pro vino in calice infudisset, et putans sumere vinum consecratum aquam biberet, tunc licitum est ei, imo debet denuo vinum consecrare et sumere, quamvis non ieiunus ieiunio naturae, de quo dicetur amplius infra *q.* 82. *art.* 4.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 8. — *Report.* ib.] optime respondet Augustinus, ut adducitur cap. cit. *Liquido: Non quia post cibos,* inquiens, *dedit Dominus Eucharistiam discipulis, ideo pransi illud debent accipere, ut faciebant quos Apostolus redarguit,* scilicet, 1. *ad Corinth.*, cap. 11. Et subdens causam quare Christus hoc fecit. *Nam Salvator,* ait, *quo vehementius commendaret mysterii huius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere in cordibus discipulorum; quo autem ordine deinceps servaretur et sumeretur, Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, reservavit docendum.*

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib.] Apostolum eo loci, secundum Augustinum, *loco nuper citato,* reprehendere illos, qui pransi Eucharistiam suscipiebant. Cum ergo ait, *Si quis esurit domi manducet,* non est intelligendum *domi* antequam quis ad Eucharistiam accederet, sed postquam ab Ecclesia recesserit, domumque redierit, inibi monet esse satisfaciendum naturali corporis indigentiae, et non de Eucharistia, qui cibus spiritualis animae sit, et non praebeatur ad saturitatem ventris. Et ideo laudabilis est consuetudo Ecclesiae latinae, quae nemini dispensat Eucharistiam, nisi in modica quantitate, quae non possit suscipi ad crapulam, et interim satis sit ad reverentiam debitam Sacramento.

ARTICULUS IX.

UTRUM NON HABENTES USUM RATIONIS DEBEANT SUSCIPERE HOC SACRAMENTUM.

Doctor, locis infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 9.

Videtur eos, qui carent usu rationis deberi admitti ad huius Sacramenti participationem. Nam [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 2.] ex dictis supra, *q.* 68. *art.* 12. furiosi et amentes sunt baptizandi, ii siquidem se habent ut pueri, qui passim aqua baptismali perfunduntur: sed ea ratione qua amentes admittuntur in familiam Christi, sunt etiam admittendi ad participationem mensae Eucharisticae; igitur non habentes usum rationis debent suscipere Corpus Christi, si alias sint de familia Christi.

2. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 2. q. 11.] Huius Sacramenti effectus est nutritio spiritualis animae: sed anima non habentis usum rationis, ut parvuli baptizati, ex aequo est capax huius spiritualis nutritionis, ac anima iusti pollentis usu rationis; igitur est illi tribuenda Eucharistia, qua gratia augeatur, et anima spiritualiter nutriatur.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 3. q. 3. seqq. n. 1. — *Report.* ib.] Praeceptum de suscipiendo Baptismum obligat ex aequo habentes et non habentes usum rationis; absolute enim protulit Salvator: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum caelorum.* Ioan., 3. Sed sub eadem forma latum fuit praeceptum de sumenda Eucharistia, ut patet Ioannis, 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* ergo pariter et hoc praeceptum obligat omnes, et ita etiam non habentes usum rationis.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. seqq.] Lucae, 22. *Hoc facite,* inquit Salvator, *in meam commemorationem.* Quibus verbis expresse declarat modum nedum conficiendi, verum etiam sumendi hoc Sacramentum. Atqui usu carentes rationis id perpendere, ac recolere nequeunt; ergo praeceptum illud de sumendo pane Eucharistico ad eos non se extendit.

RESPONDEO dicendum, non habentes usum rationis, uti sunt parvuli, et amentes, non teneri nec debere suscipere Corpus Christi. Idque expresse fuit declaratum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ut habetur cap. *Omnis utriusque sexus, De poenit. et remiss.* [*Oxon.* 4. d. 9. n. 1.] *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum.* Carentes autem usu rationis non intelliguntur pervenisse ad annos discretionis, ut valeant discernere inter bonum et malum, honestum et turpe; igitur ii hoc praecepto non tenentur.

Sed de amentibus praesertim evincitur eos admitti non debere ad participationem Corporis Christi, qui scilicet post usum rationis ad insaniam devenerunt. Nam possibile est tales in culpam mortalem priusquam insanirent, incidisse. Sed nequeunt isti priusquam ad altare accedant probare seipsos, et ita de illo pane edere iuxta verba Apostoli; igitur isti non sunt ad communionem admittendi. Quod si semper fuerunt amentes, neque ad Domini mensam admittendi sunt, quia [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 2.] nesciunt diiudicare Corpus Christi, idest, non discernunt ab aliis cibis, et ideo non debet ipsis exhiberi; nam suscipere non possunt cum debita intentione, saltem generali Ecclesiae, neque cum debita reverentia.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 4. n. 2.] amentes et furiosos esse baptizandos, iuxta dicta *loco cit. q.* 68. Sed nego tamen exinde sequi, fore quoque admittendos ad participationem Corporis Christi, quia ad hoc ut tales valide et ad salutem recipiant Baptismum, satis est non habere, nec habuisse positivum dissensum recipiendi quod Ecclesia eo actu praestare intendit, et nulla alia ex parte ipsorum requiritur positiva dispositio; at ut quis ad salutem vescatur pane Eucharistico, requiritur ut habeat intentionem saltem generalem Ecclesiae recipiendi id quod Ecclesia in fractione talis panis dispensat, non panem nempe illum, sed quod signatur per panem; usu autem rationis destitutus nequit hanc intentionem habere, nec percipere potest quod est in tali communione necessario apprehendendum; alioquin manducabit quidem Sacramentum, sed nec sacramentaliter, nec spiritualiter; et ideo non est par ratio de Eucharistia, et Baptismo.

AD SECUNDUM concedo, ex parte animae nihil obstare quominus dum est in gratia alatur spirituali cibo, et eius gratia augeatur, seu sit in eo, qui compos est rationis, seu non; sed ad dignitatem et excellentiam Eucharistiae pertinere ne percipiatur nisi ab eo qui valeat credere et habere in-

tentionem sub illis speciebus recipiendi Corpus Christi, vel saltem id quod intendit tradere Ecclesia sub illis speciebus. Hoc autem nequit competere, nisi iis, qui ad annos discretionis pervenerint, ut ait *Concilium citatum.*

AD TERTIUM respondeo, praeceptum de sumenda Eucharistia declaratum fuisse ab Ecclesia Romana, quam in doctrina Sacramentorum, de fide est errare non posse. Sed [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2.] et eam declarationem insinuatam fuisse a Christo, cum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem,* ut dictum est arguendo *ad oppositum;* et ideo secundum praeceptum non perinde ligat omnes, ut primum de Baptismo, sed tantum ad illud tenentur omnes cum ad annos discretionis devenerint.

ARTICULUS X.

UTRUM LICEAT QUOTIDIE HOC SACRAMENTUM SUSCIPERE.

Doct., Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 1. *et* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p.q.* 80. *a.* 10.

VIDETUR, non solùm licere, verum etiam oportere quotidie hoc Eucharistiae Sacramentum suscipere. Etenim [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 3.] in eo reposita est nutritio spiritualis animae, quod convenientissime fuit institutum, et exhibetur sub similitudine nutrimenti corporalis: sed oportet praecipuum nutrimentum corporale, panem scilicet, et vinum, quotidie sumere; ergo multo magis convenit sumere singulis diebus nutrimentum spirituale animae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 5.] Ad excellentiam huius Sacramenti spectat esse quoddam permanens etiam ante usum, cum caetera Sacramenta consistant in ipso usu et *fieri,* ut idem in ipsis sit Sacramentum et perceptio Sacramenti. In isto autem permanenter voluit esse Christus nobiscum, et nonnisi ut praesto semper esset ipsum suscipere volentibus in illis signis sensibilibus. Sed nisi assidue et quotidie sumeretur, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6.] fideles viderentur gratiam paratam contemnere, in quo certe peccarent; igitur quilibet tenetur quotidie hoc Sacramentum suscipere.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 9.] In ipsa forma consecrationis huius Sacramenti videtur haec obligatio sumendi ipsum quotidie insinuari. Concluditur enim sic: *qui pro vobis et pro multis fundetur in remissionem peccatorum.* Sed quotidie peccamus; ergo quotidie debemus accipere Christi Corpus, traditum in remissionem peccatorum; et hoc est quod dicit Ambrosius, et refertur *De Consecr.*, dist. 2. c. 14. *Si quotiescumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur; quia semper pecco, semper debeo habere medicinam.*

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 9. n. 1. seqq.] cap. *Omnis utriusque sexus, De poenit. et remission.* declaratur et statuitur, fideles nonnisi in Paschate obligari ad Eucharistiae sumptionem; igitur caeteris diebus nulla obligatione et praecepto adstringuntur ad ipsam sumendam. Item Augustinus, et refertur dist. 2. *De Consecr.*, cap. 13. *Quotidie Eucharistiae communionem percipere nec laudo nec vitupero.* Si autem oporteret quotidie sumere, utique vituperaret non percipientes.

RESPONDEO: [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] de obligatione percipiendi Corpus Christi post Ecclesiae declarationem editam in cit. cap. *Omnis*

utriusque sexus, nullus est relictus locus dubitationi; constat enim tantum urgere in Paschatis solemnitate, et non omnes omnino, sed eos tantum qui ad annos discretionis pervenerunt. Tantum ergo hic quaeritur de licita et salubri sumptione Corporis Christi. *Dicendum est ergo,* [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 2.] ut licite et salubriter quis vescatur pane Eucharistico, seu ut manducet sacramentaliter et spiritualiter, oportere *primo* esse immunem a peccato mortali, ut declaratum fuit *art.* 4.; *deinde,* ut credat ibi esse Corpus Christi, atque cum debita reverentia et fervore ad Salvatorem accedat; alioquin enim non recipit accedens effectum spiritualem, ad quem ordinatur talis susceptio, quae est animae nutritio, per gratiam datam a Christo. Quicumque ergo quotidie talis esse potest, licitum est ei et salubre ad Christum omnis gratiae fontem accedere, ut inde abundantius reficiatur. Sed quicumque saeculi distractionibus implicitus debitam reverentiam et devotionem erga hoc Sacramentum afferre non potest, quotidie non debet ad Altare accedere. Sed quia in hoc nulla certa regula videtur posse praefigi, sequenda est sententia Augustini, *loc. cit.* in argumento *Ad oppositum: Dixerit,* inquit, *quispiam non quotidie accipiendam esse Eucharistiam; alius affirmet, quotidie faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum.* Haec ille. Qui nihilominus hortatur fideles, ut omnibus saltem dominicis diebus communicent, *si tamen mens sine affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis,* dicit, *Eucharistiae perceptione, quam purificari.*

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. q. 1. n. 3.] respondeo: quoniam Eucharistia nutrimentum spirituale est, ideo requirit suscipientem esse recte dispositum, alioquin non ad salutem, sed ad iudicium sumitur, iuxta illud Hieremiae, 11. *Quid est, quod dilectus meus fecit in domo mea scelera multa? Numquid carnes sanctae auferunt a te malitias tuas?* Qui bene igitur dispositus non est, non debet ad hoc Sacramentum accedere. — *Et cum dicitur* in *minori,* nutrimentum corporale oportet quotidie sumere, ut naturales vires eius reparentur et augeantur; *respondeo,* si in stomachum male affectum ingerantur cibi corporales, peius se habebit, quia non valet eos digerere, et tantumdem de viribus eius diminuitur, quantum virtus per cibos ingestos obruitur: itaque non expedit cibum corporalem sumere, nisi cum profuturus speratur; ita nec nutrimentum spirituale sumendum est, cum scitur in maius spirituale detrimentum cessurum; atque ita [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6.] non singulis absolute diebus est Corpus Christi percipiendum, sed solummodo cum uniuscuiusque conscientia pie credit esse sumendum.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 5.] illum censendum esse gratiam contemnere, aut saltem non appretiari illam quanti est facienda, qui potest ex actu facili eam lucrari, et non curat ponere illum actum; nunc autem indispositus ad accedendum ad Eucharistiam non potest per actum facilem gratiam Sacramentalem, quae in eo Sacramento confertur per actum facilem, acquirere. Sed [*Oxon.* 3. d. 40.] opus ei est sua peccata Sacerdoti sacramentaliter fateri, et exinde potest ad Eucharistiam accedere. Actus itaque iste percipiendi hoc Sacramentum praesupponit alium actum non facilem, sed maxime arduum et difficilem; et ideo censendus non est gratiam contemnere. Quod si

etiam sit sermo de disposito, gratiam non dicitur contemnere, nisi cum urget praeceptum: illud autem est non de quotidie communicando, sed saltem in Paschae solemnitate.

AD TERTIUM [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. n. 2. seqq.] respondeo, declaratum extitisse *q.* 78. *art.* 3. verba illa, quae notantur *in argumento,* non pertinere ad substantiam formae consecrationis calicis, sed poni praesertim ad recolendum, Christum ea in institutione tanti mysterii protulisse, ut inde devotio excitetur et fervor augeatur. Quidquid tamen sit de hoc, concedo revera Christum effudisse Sanguinem suum in remissionem peccatorum, idest, meruisse nobis gratiam, qua collata reciperemur inter filios Dei adoptivos per deletionem peccatorum. Ut autem facilius eam gratiam promereremur, Sacramenta instituit, sic ut eorum aliqua essent peccatorum depulsiva, ut Baptismus et Poenitentia, per alia vero gratia ipsa augeretur, inter quae primum locum tenet Eucharistia. Quia igitur, ut ait argumentum, quotidie peccamus, tuto non possumus omnibus diebus ad ipsam accedere, ni prius a peccatis expiemur. Et quia non semper parati et idonei sumus ad rite Sacramentum Poenitentiae suscipiendum, nec subinde possumus, nec debemus ad Eucharistiam accedere. Quod si in aliquibus conditiones *in solutione* praetactae probantur concurrere, hi salubriter poterunt pane Eucharistico quotidie vesci.

ARTICULUS XI.

UTRUM LICEAT OMNINO A COMMUNIONE CESSARE.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 80. *art.* 11.

VIDETUR licitum esse omnino a Communione cessare. Illud enim [*Oxon.* 4. d. 9.] licite fit, cuius contrarium illicite exequeretur: sed peccatoribus non licet ad hoc Sacramentum accedere; ergo licite ab eo sumendo abstinent.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3.] Etiamsi quis sacramentaliter Eucharistiam non manducet, potest nihilominus ea spiritualiter vesci, et ita Christo incorporari per gratiae augmentum; igitur iste licite ab Sacramentali Eucharistiae perceptione abstinet, quia si id sibi non liceret, nec gratiam lucraretur per spiritualem manducationem.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 9.] Cap. *Omnis utriusque sexus, de Poenit. et remiss.* statuitur, ut quilibet fidelis, qui ad annos discretionis devenerit, propriis peccatis sacramentaliter confessis, saltem in Paschatis solemnitate Sacramentum Eucharistiae reverenter suscipiat; igitur non licet omnino a Communione cessare.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 13. q. 3.] non solum ex Ecclesiae instituto, verum etiam ex Christi Domini mandato, non licere cuiquam fidelium penitus a suscipiendo Corpore eius abstinere. Id enim expresse praecepit ipse, Ioann. 6. omnibus dicens: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Sub poena igitur damnationis aeternae iniunxit et edixit se in Eucharistia manducandum. Qui autem omnino a Communione cessaret esset istius mandati contemptor et fractor; ergo omnino illicite id faceret.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 9. n. 5.] respondeo, utique peccatoribus non licere ad hoc Sacramentum accedere; sed non propterea tamen eximuntur a praecepto divino declarato per Ecclesiam de sumendo saltem in Paschae solemnitate Corpore Christi. Quod ergo tunc reperiantur indispositi, ipsorum inexscusabilis culpa est, quia tenentur satagere et conari ut tunc sint extra peccatum mortale, ut facere possunt accedendo ad Poenitentiam Sacramentalem. Quod si facere non studeant, transgrediuntur sine dubio et ecclesiasticum et divinum praeceptum.

AD ALIUD [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 2.] respondeo ex dictis supra *articulo* 1. fidelem iustum Christo spiritualiter vesci, aliud non esse, nisi concupiscere ipsum manducare sacramentaliter, et non posse vel ex defectu ministri, vel aliquo consimili accidente, aut certe nolle ob humilitatem. Qui ergo utiliter vult Christum manducare spiritualiter, non potest, nec debet habere voluntatem non sumendi sacramentaliter, cum opportunitas occurrerit, vel praeceptum urserit, quia tunc nec gratiam ob tale desiderium reciperet; et si esset tempus adimplendi praeceptum, etiam mortaliter peccaret.

ARTICULUS XII.

UTRUM LICEAT SUMERE CORPUS CHRISTI SINE SANGUINE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 80. *a.* 12.

VIDETUR non licere sumere Corpus Christi sine Sanguine. Istud etenim [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. n. 5. — q. 3. n. 4.] Sacramentum est unum unitate integritatis, non indivisibilitatis. Et quemadmodum ex panis et vini substantia constat integritas alimenti corporalis, ita Christus voluit, ut earumdem substantiarum species significarent integrum alimentum animae: sed nemini licet accipere dimidium Sacramenti, figurativum non totalis et completi animae alimenti; unde nec solum Corpus, aut solum Sanguinem, sed utrumque legitur in Evangelio Christum discipulis tradidisse; ergo non licet sumere Corpus Christi sine Sanguine.

2. PRAETEREA. Ut Sanguis est primum signatum a speciebus vini, et a Corpore contradistinctus, aut tribuit proprium effectum spiritualem animae, aut non. Non est autem dicendum, non tribuere; quia tunc frustra esset. At si tribuit proprium spiritualem effectum, Sanguinem non sumentes ipso carerent. Id autem praeterquam quod videtur iniuste fieri, est contra finem institutionis Christi, qui voluit ut per sumptionem Corporis et Sanguinis sui gratiam acquireremus in via, et gloriam in patria; ergo ex Christi institutione tam Corpus, quam Sanguis est sumendus.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 4.] *De consecr.*, dist. 2. cap. *Comperimus,* praecipitur Sacerdotibus celebrantibus, ut Corpus et Sanguinem Christi sumant; et subditur ratio: *quia divisio eiusdem Sacramenti sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Sed est eadem divisio Sacramenti si quis tantum Corpus percipiat, et non Sanguinem sub speciebus vini; igitur illicitum est manducare panem Eucharisticum, et non percipere Sanguinem.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2.] B. Laurentius erat Dominici Sanguinis dispensator, ut ipsemet dicebat ad Xystum Pontificem dum ad martyrium ducebatur: ab Apostolis igitur usque ad ea tempora fuit mos in Ecclesia Catholica ut Corpus Christi sumentibus etiam Sanguis propinandus praeberetur; igitur nemini videtur licere sumere Corpus sine Sanguine.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9.] Ecclesiae Romanae mos est laicis, et non celebrantibus, ut praebeatur quidem Christi Corpus sub speciebus panis, at Sanguis nequaquam sub speciebus vini: Ecclesia autem Romana errare non potest in his, quae ad Christi Sacramenta pertinent, ut habetur cap. *Ad abolendam, De Haereticis.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 4.] Missam non celebrantibus licitum esse sumere Christi Corpus sine Sanguine, idest absque eo quod sumant Sanguinem sub vini speciebus. Quamvis enim ex Christi institutione, quoties Sacerdos celebrat teneatur in pane et vino conficere et perficere hoc Sacramentum, ac toties Corporis et Sanguinis Christi participem se praebere, illi nihilominus qui non celebrant, nec sacrificant, possunt, et (post Ecclesiae Romanae ordinationem) debent tantum Corpore Christi esse contenti. Sub speciebus enim panis totus Christus realiter continetur, ac subinde ad ipsum digne accedentes totam gratiam sacramentalem recipiunt, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1.] ipsique Christo incorporantur, ac vita aeterna digni efficiuntur. Et licet primarium specierum vini significatum, idest Sanguinem minime percipiant, gratiam tamen accidentalem, quod est utrarumque specierum secundarium significatum, donat illis Deus, perinde ac si Sanguinem ipsum bibissent. Cum igitur [*Report.* 4. d. 13. q. 2. n. 4.] totus Christus tribuatur suscipientibus seu sub una, seu sub altera specie, provide ab Ecclesia sancitum est, ut tantum sub speciebus panis laicis hoc Sacramentum exhiberetur, tum ut consuleretur venerationi tanti Sacramenti, dum abest omne periculum Sanguinis effusionis; tum ne redderetur difficilior usus eiusdem Sacramenti, ut alioquin evenisset in quibusdam regionibus, in quibus nulla aut modica est vini copia, eoque non utuntur nisi de longinquo importato; tum denique ne daretur occasio simplicibus credendi maiorem virtutem esse in duabus speciebus, quam in una.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. et 3. n. 4.] respondeo: cum totus Christus veraciter sit sub utraque specie, quamcumque laicus sumat, si digne id faciat, eius anima integre spiritualiter alitur, quia nihil ipsi deest, quod sit ad salutem necessarium. Si ergo ultra hoc aliquis fructus proveniat in suscipientes Sanguinem, hoc potest compensari in laico si maiori devotione et fervore accedat ad Altare. Et denique si eo frustretur, dignius est, ut habeatur ratio venerationis Sacramenti, quae certe tanta esse non posset, si circumferretur calix ad propinandum Sanguinem fidelibus per Ecclesiam, et per vias ad aegrotos, quia periculum esset ne effunderetur, et plerique cum stomacho reliquias aliorum biberent. — *Et cum dicitur,* Christus in utraque specie hoc Sacramentum confecit, ac Apostolis tradidit; *respondeo,* exinde tantum sequi eos, qui hoc Sacramentum conficiunt, ex divina institutione debere sub utraque specie consecrare et sumere; at non constare propterea unumquemque fidelium utramque speciem sumere debere. Si

Si dicas, id haberi ex illo Ioann., 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: respondeo,* particulam *et* ibi se tenere non copulative, sed disiunctive, idque non raro inveniri in Scriptura, ut Levit., 20. *Patri, matrique qui maledixerit sanguis eius super eum,* quo in loco manifestum est particulam copulativam gerere vicem disiunctivae. Et ita in proposito, cum Christus seorsim utrique speciei expresse tribuerit vim sanctificandi accipientes, ut ex eodem cap. 6. Ioann. patet, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum,* et, *Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducet non moriatur,* ad salutem laicis satis est sumere Christum sub panis speciebus.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 2. — *Report.* ib.] species vini habere proprium significatum contradistinctum a significato specierum Corporis, illudque non recipere non suscipientes praedictum signum, loquendo de significato primario earumdem specierum; quamvis de facto concomitanter illud ipsum primum significatum specierum vini reperiatur in primo significato specierum panis, quia Corpus Christi continet Sanguinem, animam, et subinde divinitatem, cui est unitus ille homo. Verumtamen significatum secundarium earumdem specierum, quae est gratia accidentalis a Christo diffusa in animas digne eum recipientium, ex aequo continetur in una tantum specie, ac in utraque; tali igitur significato non defraudantur qui una tantum specie vescuntur, et ideo consequuntur finem institutionis istius Sacramenti. Et licet daretur maior gratia in Sanguinis perceptione, iniuste tamen laicis non subtrahitur quod ad debitam reverentiam Sacramenti conducit, praesertim cum aliunde possit id compensari. Tametsi igitur ad repraesentandum Sacrificium cruentum oblatum a Christo in Cruce, ex divina institutione teneantur sacrificantes, vel Missam celebrantes consecrare et perficere hoc Sacramentum in utraque specie, ac Sacrificio ita perfecto in primis se participes fieri, qui tamen non sacrificant hoc praecepto non adstringuntur.

Ad tertium patet ex statim dictis, [*Oxon.* ib. q. 3.] quia sacrificantes debent ex Christi institutione Sacrificium in utraque specie perficere, et percipere, nec sine grandi sacrilegio possunt illud dividere. Sed est alia ratio de aliis qui non sacrificant, sed tantum ad communicandum accedunt; ii siquidem Sacrificium non dividunt, sed de eo participant, qua in participatione totum Christum recipiunt, et omnem gratiam ad salutem necessariam, ut dictum est, propterea acquiescendum est Ecclesiae determinationi, quae ipsis interdixit iustis de causis Sanguinis participatione.

Ad quartum dicendum, [*Report.* 4. d. 13. q. 2. n. 4.] morem utique fuisse in Ecclesia admittere fideles ad participationem Sanguinis Christi, atque munus Sanguinem in calice distribuendi spectasse ad Diaconos; sed eum morem fuisse ab Ecclesia revocatum, et contrarium introductum ob iustas causas, quarum aliquae tactae fuerunt *in solutione.* Ad quod potissimum Ecclesia devenit, quia etiam in primitiva Ecclesia plerumque fideles tantum Christi Corpus sumebant. Et omittendo quod Salvator ipse post resurrectionem, cum ad mensam accubuisset cum duobus discipulis euntibus Emmaus, in pane tantum consecraverit, in cuius distributione agnitus fuit ab illis, *Actuum,* 2. habetur: *Erant autem per-*

severantes in doctrina Apostolorum et communione fractionis panis, nulla facta mentione de participatione Sanguinis, et quidem quibusdam ex illis fidelibus non poterat praeberi. Cum enim Apostoli tunc de novo conversis permitterent observantiam legis veteris, quam et ipsimet observabant, ut patet ex iisdem Actibus Apost. *cap.* 21. inter eos fideles erant multi Nazaraei, quibus interdictus erat vini usus, *Num.;* 6. ii ergo non sustinuissent percipere Sanguinem Christi sub speciebus vini, et altera ex parte nequaquam Apostoli eos admisissent ad Communionem fractionis panis, si ex Christi institutione oportuisset fideles communicantes etiam Sanguinem in speciebus vini sumere.

QUAESTIO OCTUAGESIMAPRIMA.

DE MODO QUO CHRISTUS USUS EST HOC SACRAMENTO, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de usu huius Sacramenti, quo Christus usus est in prima sui institutione.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

1. Utrum Christus sumpserit suum Corpus et Sanguinem. - 2. Utrum Iudae dederit. - 3. Quale Corpus sumpserit, aut dederit, utrum scilicet passibile, vel impassibile. - 4. Quomodo se habuisset Christus sub hoc Sacramento, si fuisset in triduo mortis reservatum, aut consecratum.

ARTICULUS I.

UTRUM CHRISTUS SUMPSERIT SUUM CORPUS ET SANGUINEM.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 81. *art.* 1.

VIDETUR Christus non sumpsisse suum Corpus et Sanguinem. Etenim [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1.] a Christo hoc Sacramentum institutum fuit, ut esset signum efficax et infallibile gratiae datae in nutrimentum spirituale animae digne ipsum suscipienti: sed in Christo nequivisset hanc rationem signi efficacis et infallibilis habere, quia per eius Sacramenti susceptionem nulla gratia data fuisset Christo. Habuit enim [*Oxon.* 3. d. 13. q. 2.] summam gratiam a primo instanti conceptionis suae, et ideo nulla alia potuit ei superaddi; fuisset ergo tunc signum inefficax, et non verum, quod non est dicendum.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. seq.] Sub speciebus consecratis continetur totus Christus; si igitur Christus suum Corpus et Sanguinem sumpsisset, totus Christus fuisset in seipso bis acceptus, et replicatus, idest totum Corpus in toto Corpore, totus Sanguis in toto Sanguine, et tunc non extitisset idem ut antea, sed auctus, et replicatus, quae videntur absurda et inverisimilia.

3. PRAETEREA. Non videtur asserendum de Christo aliquid, quod Scriptura divina non commemorat, et praesertim id est affirmandum de

gestis eius circa hoc Sacramentum, cuius institutionem, formam, et materiam diligentissime Evangelistae, et Paulus annotarunt: sed nemo ex ipsis narrat Christum suum Corpus et Sanguinem sumpsisse; ergo sumpsisse non est asserendum.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 4. q. 6. n. 3.] Christus antequam legem Baptismi aliis imponeret voluit in seipso Baptismum suscipere; ergo prius quam etiam iniungeret fidelibus susceptionem sui Corporis et Sanguinis, eadem ipse primum sumpsit, quia Act. 1. *Coepit Iesus facere et docere.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] Christum primo suum Corpus et Sanguinem sumpsisse, ac deinde Apostolis praebuisse; Magister enim moralis eo efficacior est in docendo, quo studuerit opere complere et repraesentare prius quae docet, exinde enim promptius recipitur eius doctrina, atque ad exhibita exempla sectanda discipuli animantur: Christus est unicus et efficacissimus Magister suorum fidelium; igitur quemadmodum ad Sacramentum summae necessitatis, uti est Baptisma, exemplo suo adhortatus est credentes in ipsum, ita ad mysteria sui Corporis et Sanguinis percipienda suo exemplo allicere voluit primo Apostolos, et in eis omnes fideles, imo omnes omnino homines, quandoquidem absolute et simpliciter ad omnes seu fideles, seu infideles videatur ea comminatio pertinere, *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Et hoc est quod ait Hieronymus *ad Hedibiam,* q. 3. et refertur *De Consecr.,* dist. 2. cap. 87.: *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus ipse conviva, et convivium, ipse comedens, et qui comeditur.*

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 4.] respondeo et concedo, sumptionem Eucharistiae non habuisse in Christo eum effectum, ad quem institutum fuit; quia, ut tangitur in argumento, gratia ipsius non potuit augeri, quia summam habuit; nec propterea tamen sequitur. tunc Sacramentum illud signum non verum fuisse, quia licet in Christo significare non potuerit practice tunc gratiam *fieri,* verissime tamen significabat gratiam *inesse.*

AD SECUNDUM dico, [*Oxon.* 4. d. 10. q. 2. et seqq.] declaratum extitisse *q.* 76. *art.* 5. Christum in hoc Sacramento non esse uti est corpus in loco, quia reperitur sub speciebus indivisibiliter et totus in qualibet parte specierum. Cum itaque suum Corpus sumpsit et Sanguinem, auctus minime fuit, quia eius Sanguis vel Corpus non erat in seipso quantitative, aut dimensive, sed omnino sub modo indivisibili, atque ita perinde se habebat quoad dimensionem, ac prius, et non aliter quam se habeant alii id Sacramentum percipientes.

AD TERTIUM est *duplex* responsio: [*Oxon.* 1. d. 26.] *prima,* multa fecisse Christum, quae minime inveniuntur scripta in Evangelio, ut diserte scribitur *Ioann.,* ult.; inter illa igitur potuit fuisse et istud, et consequenter non probari per negativam auctoritatem oppositum *resolutionis,* pro qua stat congrua ratio, et Sanctorum auctoritas. — *Aliam responsionem* tangit Glos., super cit. cap. *Nec Moyses. De Consecr.,* dist. 2. estque Isidori super Leviticum, nempe Evangelistas utique annotasse quod Christus suum Corpus et Sanguinem sumpserit in ultima coena; dicunt enim Iesum accepisse panem et calicem, ac exinde dedisse. Per hoc enim quod scribant *accepisse,* non est intelligendum sumpsisse in manibus, ac discipulis distribuisse, sed accepisse, idest primum ipsum man-

ducasse panem Eucharisticum, ac bibisse Sanguinem suum, et postea Discipulis distribuisse.

ARTICULUS II.

UTRUM CHRISTUS DEDERIT IUDAE CORPUS SUUM.

Doctor, loc. infr. cit. — S. Thom. 3. *p. q.* 81. *a.* 2.

VIDETUR Christus Corpus suum Iudae non dedisse. Nam Dominum non latebat consilium et propositum Iudae prodendi seipsum Iudaeis, ac proinde sciebat esse penitus indignum recipiendi Eucharistiae Sacramentum: non est autem probabile Christum voluisse indignum admittere ad participationem sui Corporis, quippe qui mandaverit in Evangelio, *Matthaei,* 7. Sanctum non esse dandum canibus.

2. PRAETEREA. Si Christus Corpus suum Iudae tradidisset, maxime quando ei intinctam panis buccellam porrexit, quia, ut notavit in Evangelio Ioannes, capite 13. *post buccellam statim introivit in eum Satanas.* Sed Augustinus, *Tract.,* 62. in Ioannem, negat Christum ea in panis buccella Corpus suum Iudae tradidisse; ergo numquam dedit.

CONTRA. Origenes, *Tract.* 35. in Matthaeum super illud, *qui intingit mecum panem in paropside,* Dionys., *De Eccl. Hierarch.,* p. 3. c. 3. aliique permulti docent Iudam perinde ac alios Apostolos participem extitisse Sacramenti Corporis et Sanguinis Christi.

RESPONDEO dicendum, revera Christum dedisse Corpus et Sanguinem suum Iudae perinde ac caeteris Apostolis, ut notatur ex Augustino, 1. q. 1. c. *Christus.* Quod etiam videtur convinci ex Marci, 14. de calice dicentis: *Et biberunt ex eo omnes.* Et quidem si de calice omnes biberunt, de pane omnes pariter manducaverunt. Et porro hoc congruum erat; sicuti enim Salvator ad praebendum exemplum in se credituris voluit baptizari, et vesci suo Corpore, et Sanguinem bibere sub speciebus panis et vini, ita ad instruendos Ecclesiae pastores, et Sacramentorum dispensatores, qualiter occulte malos non conveniat a Sacramentis participandis arcere, Iudam, de cuius malitia tunc Ecclesiae non constabat, voluit ad participationem sui Corporis et Sanguinis admittere. Et quidem si aliter Salvator tunc circa Iudam sese gessisset, eique communionem denegasset, ex eo exemplo multa incommoda, dissensiones, odia, et scandala fuissent postea in Ecclesia oritura. Caeteri enim Sacramentorum dispensatores, utpote ignorantiae et passionibus obnoxii, non raro in deneganda peccatoribus Eucharistia errassent, et odia inter fideles seruissent. Id autem de lege naturae minime licere, declaratum fuit *quaest. antec. art.* 6.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo: si Salvator participationem huius Sacramenti Iudae denegasset, iustissime fecisset, quia tunc ille erat tanti mysterii percipiendi penitus indignus. Nec ex eo, si factum fuisset, debuissent Sacramentorum ministri sumere argumentum, quod eadem facere, idest prodere occultos peccatores sibi ipsis liceret, quia iuste Deus prodit et revelat quandoque occulta peccata hominum, ut patet de Achan, *Iosue,* 7. *et alibi,* esto districte id sit hominibus interdictum. Nihilominus, quia venerat suo exemplo Legem Evangelicam confirmaturus, noluit tunc revelare occultam malitiam Iudae, quod non diu post accidit,

sed magis ad percipienda immaculata Corporis et Sanguinis sui Sacramenta una cum aliis admittere.

AD ALIUD dico, buccellam illam, de qua fit sermo apud Ioannem *loco citato,* non fuisse panem Eucharisticum, ut expresse vult Augustinus, sed panem intinctum. Non sumpsisse propterea tunc Iudam Corpus Domini, sed una cum aliis quoque Apostolis distributum est post coenam peractam, ut ex Augustino notatur, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 8. — q. 1. n. 2.] *De Consecrat.,* dist. 2. cap. *Liquido.* Tunc enim, scribit Matthaeus, 26. *Accepit Iesus panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: accipite, et comedite. Et Accipiens calicem dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes.*

ARTICULUS III.

UTRUM CHRISTUS SUMPSERIT ET DISCIPULIS DEDERIT CORPUS SUUM IMPASSIBILE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 4. *et* 7. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 81. *a.* 3.

VIDETUR Christus non sumpsisse, nec dedisse Corpus suum discipulis passibile, sed impassibile. Etenim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 7. n. 1.] si Christus Corpus suum passibile manducandum praebuisset, quoniam corpus vivens erat, ex eo dolore et passione affectum esset: sed quando Christus hoc Sacramentum instituit, et Discipulis dedit, non venerat hora patiendi corporaliter: Passio enim sibi ex Iudaeis imminebat, non ex Apostolis; igitur tradidit Corpus suum illis impassibile.

2. PRAETEREA. Christum esse sacramentaliter sub speciebus panis et vini, cum talis modus praeseferat esse totum in toto, et totum in qualibet parte, *aut* partes eius Corporis sese penetrabant ad invicem, ut una esset in alia, *aut* unaquaeque remansisset in sua naturali positione, sine quantitativa extensione. *Si primum,* videtur fieri id non posse in corpore passibili sine maximo eius dolore, modo habeat sensum, ut revera tunc Christus habebat. *Si secundum* admittatur, nec modus quantitativus est separabilis a corpore vivente passibili, sine eius dolore; quia talis modus est corpori quanto naturalis; igitur exhibuit se Christus manducandum in hoc Sacramento impassibiliter.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Homo vivens vita mortali et modo passibili semper indiget respiratione aëris et inspiratione; suffocatio enim sive in aqua, sive in aëre, contingit ex eo quod non possit homo respirare, ut dicitur in lib. *De respiratione.* Sed Christus sacramentaliter existens nequit respirare, quia aër non est ipsi localiter proximus, cum non sit Christus in Sacramento ut in loco; igitur oportuit omnino semper ipsum in Sacramento fuisse sub modo impassibili.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 4. n. 2.] Innocentius, *De Offic. Missae,* p. 3. c. 10. *Tale Corpus dedit Christus discipulis suis, quale habuit:* sed habuit tunc mortale et passibile; ergo passibile quoque dedit Apostolis in Sacramento, et passibile ipse sumpsit.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 16. q. 2. n. 5.] Christum sumpsisse ac dedisse Apostolis Corpus suum passibile; nam Corpus Christi esse passibile, aliud non est quam gloriam, qua a principio conceptionis

suae perfundebatur anima eius quoad portionem superiorem, non redundare in portionem inferiorem, ut factum fuisset, nisi a Deo miraculose esset impedita. Sed cum Salvator Sacramentum hoc instituit, deditque discipulis suis, non extitit ea redundantia gloriae in inferiorem portionem et in Corpus; igitur sicuti erat passibile sub existentia naturali, ita et sub sacramentali. *Declaratur minor:* [*Oxon.* 4 d. 10. q. 4. n. 10. seqq.] quia omnia absoluta quae insunt illi Corpori in una existentia, insunt et in alia: habet enim utrobique eamdem quantitatem et qualitates; non potuisset ergo existere in Sacramento Corpus illud sub modo impassibili et glorioso, quin eaedem qualitates infuissent sibi in existentia naturali; igitur esse debuisset quoque impassibile in naturali existentia, et ita nequiisset pati et mori, quod est falsum. Quod vero eadem gloria, seu impassibilitas illud Corpus affecissent sub utroque modo existendi, probatur: quia absolutum non variatur propter variationem respectuum *ubi,* vel sibi similium; ergo non variatur absolutum aliquod in Corpore Christi propter *ubi* in naturali existentia, et propter praesentiam in Eucharistia, quae assimilatur respectui ubicali. Absolutum enim naturaliter prius inest ei, cuius est, quam respectus fundatus in illo absoluto,et ita priusquam intelligatur Corpus Christi habere respectum ad istud et illud *ubi,* intelligitur habere quantitatem propriam, et omnes qualitates in ea repertas ut in subiecto, ac per consequens gloria illius Corporis ex qua fuisset impassibile infuisset sibi sub utroque modo existendi, et ita utrobique ex natura sui fuisset impassibile et immortale, quod est plane falsum.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 10. q. 6. n. 11.] ex eo quod Corpus Christi ante resurrectionem fuit passibile et mortale, bene sequi, quod si vulnerabatur in cruce, et continuitas partium eius per inflicta vulnera dividebatur, sequi, inquam, ex eo pariter divisum iri in Eucharistia, si ibi tunc reperiri contigisset. At non sequi eodem modo pati potuisse in Eucharistia primo, et consequenter etiam in existentia naturali. Non sane quoniam in Eucharistia impassibile erat, sed potius quia sub modo illo aptum non fuit ut reciperet aliquem dolorem vel noxam, quia ad hoc ut recipere posset aliquam impressionem materialem et quantam, debebat fuisse in loco sub modo extensivo et quanto. Christus autem in Eucharistia neque localiter, [*Oxon.* 4. ib. q. 9.] neque dimensive extitit, et propterea nihil quod sibi incommodum esset ab aliquo agente creato recipere potuit.

Ad secundum dico, [*Oxon.* 4. d. 10. q, 4.] Christum in Eucharistia retinere suam naturalem positionem, sic ut una pars sit extra aliam, perinde ut in propria naturali existentia existit. *Et cum arguitur,* quia nequit separari modus naturalis eius sine incommodo, et dolorifica impressione; *dico* hunc modum naturalem existendi dimensive aliud non esse, quam carere relatione extrinsecus adveniente, qua partes locati commensurantur partibus locantis, et ideo nullum incommodum et dolorem eam carentiam Christo attulisse.

Ad tertium nego, [*Oxon.* ib. n. 6.] Christum ut in Eucharistia respirare aërem, aut inspirare, quia sub eo modo non competit sibi aliqua actio corporalis primo. *Et cum infertur,* igitur ut ibi vivere non potuisset, quia suffocatus esset; *respondeo,* etsi in Eucharistia tunc Christus respirare nequiisset, nihilominus pulmonem refrigeratum habuisset, sicuti habebat in existentia naturali, quia frigus per aërem attractum in existentia

naturali primo concomitanter eumdem effectum produxisset in Christo, quatenus in Eucharistia existente, ut proinde modus ille ipsi nec mortem, nec ullum dolorem aut incommodum afferre valuisset.

ARTICULUS IV.

UTRUM SI HOC SACRAMENTUM TEMPORE MORTIS CHRISTI FUISSET SERVATUM, VEL CONSECRATUM, IBI MORERETUR.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 6. *et* 4. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 81. *art.* 4.

VIDETUR in praedicto casu futurum fuisse ut in Eucharistia Christus non moreretur. Mors enim [*Oxon.* 4. d. 10. q. 4. n. 10.] Christi accidit ex inflicta extrinsecus passione: sed quatenus ipse in Eucharistia reperitur nequit quidquam ab ullo extrinseco pati. Cum enim quodlibet tale agens agat per actionem extensam corporaliter, exigit necessario passum extensum in loco sibi proportionaliter praesens: Christus autem in Eucharistia neque in loco est, neque habet modum quantitativum; ergo si dum moriebatur in Cruce fuisset in Eucharistia, ibi nequaquam mori potuisset.

2. PRAETEREA. Ex dictis *quaest.* 73. *in incid. art.* 5. si Corpus Christi esse desineret sub modo naturalis existentiae, non sequitur necessario pariter desiturum esse in Eucharistia; igitur si tempore mortis Christi confectum fuisset ab aliquo Apostolo Sacramentum Eucharistiae, Christus ibi existens mortuus non esset, alioquin modus ille sacramentalis necessariam connexionem habuisset cum naturali.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 6. n. 7.] Si dum Christus agebat vitam mortalem et nutrimento corporali indigam, fuisset in Eucharistia, quatenus sacramentaliter existens concomitanter nutritus esset per nutrimentum acceptum sub modo naturali existens; ergo pariter si ex defectu nutrimenti, vel ex passione extrinsecus illata mori contigisset in existentia naturali, mortuus quoque esset in existentia sacramentali.

RESPONDEO ergo dicendum, futurum fuisse ut Christus in Eucharistia moreretur, si inibi extitisset dum moriebatur in Cruce. *Et declaratur:* nam [*Oxon.* ib. n. 8.] mors aliud non est, quam separatio animae a corpore, sic ut materia supersit cum formae privatione. Quando igitur ex violentia passionis separabatur anima a Corpore Christi pendentis in Cruce, si repertus quoque esset in Eucharistia, Corpus illud animam habere non potuisset, sic ut ab ea informaretur, alioquin eadem materia simul informata et non informata extitisset ab eadem forma, id autem implicat manifestam contradictionem; ergo oportuisset Christum utrobique mori. Nec ista contradictio potest solvi, eo quod eadem anima comparetur ad diversos modos existendi, qui sunt *naturalis* et *sacramentalis,* quia Corpus illud existere in Cruce et in Eucharistia non est nisi aliud et aliud *ubi,* vel quasi *ubi* habere. Sed nec negatio absoluta, nec affirmatio absoluta insunt secundum *ubi,* verum independenter ab huiusmodi respectibus, quippe qui in illis praedicatis fundentur. Animam autem informare corpus, et non informare, est affirmatio et negatio absoluta; igitur impossibile est Corpus Christi informari potuisse ab anima eius, ut in Eucharistia, si ab eodem corpore in reali existentia separata fuisset.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM respondeo, concedendo, Christum ut in Eucharistia pati aut mori non potuisse, sic ut primo sibi ut sacramentaliter existenti passio aliqua aut mors inferretur; sed tamen potuit concomitanter mori, si in existentia reali mortuus esset, ut de facto morti traditus fuit.

AD SECUNDUM dico, utique non sequi ex desitione Christi sub modo naturali ipsum desinere sub modo sacramentali, nec e converso, ut *loc. cit.* fuit declaratum; quia desinere sub uno aut altero modo est desinere esse *secundum quid,* et non simpliciter, quod salvatur sub utroque modo existendi. Nihilominus, seu in uno, seu altero modo existendi corrumperetur esse ipsius Christi per separationem a corpore, necessario sequeretur idem ubicumque, et qualitercumque esset ob rationem factam; et fundatur in hoc, quia per talem separationem destrueretur *esse* simpliciter illius hominis, et non tantum *esse secundum quid,* sicuti est extensive, vel inextensive existere.

ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM CHRISTUS IN EUCHARISTIA POSSIT PER ALIQUAM VIRTUTEM NATURALEM TRANSMUTARE ALIQUID ALIUD A SE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 7. — *Report. ib.*
S. Thom. 3. *p. q.* 81. *a.* 4. in solutione.

VIDETUR Christus speciebus Eucharisticis praesens sua naturali virtute transmutare posse aliquid aliud a se. Nam [*Oxon.* 4. d. 10. q. 7. n. 1. — *Report.* ib.] secundum Philosophum, 9. *Met.,* text. 2. *Potentia activa est principium transmutandi aliud inquantum aliud:* sed Christus ut in Eucharistia praeditus est activa potentia; insunt siquidem ei omnes formae absolutae quas habet in existentia naturali; pollet igitur principio transmutandi aliud, atque ita per tale principium transmutare potest aliquid aliud a se.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Homo vivens vita mortali semper nutritur: sed dum Christus erat mortalis, eius Corpus in Eucharistia vivebat vita mortali; ergo pariter ut in Eucharistia alimentum in substantiam eius convertebatur; sua igitur naturali virtute transmutabat aliud a se.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Christus in Eucharistia existens eadem pollet potentia activa, quam habet ut in Caelo: nec in Eucharistia est impedita; ergo secundum talem potentiam poterit exire in actum eius, et consequenter movere Corpus suum motu locali.

CONTRA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Omne agens physice agendo repatitur, 3. *Physic.,* text. 8.: sed Corpus Christi ut in Eucharistia non potest physice pati; ergo nec agere.

RESPONDEO: [*Oxon.* et *Report.* ib.] in homine *quaedam potentiae* sunt mere spirituales, ut intellectus et voluntas: *aliae* sequuntur naturam corporis viventis, quales sunt potentiae animae vegetativae: *tertium denique genus* potentiarum sequitur ad corpus animatum anima sensitiva, uti sunt sensus externi, et interni.

Hac distinctione praemissa, sit PRIMUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 2. —

Report. ib.] Christus in Eucharistia non potest uti aliqua potentia activa corporea, sive consequatur ad animam vegetativam, sive ad totum animatum, *Probatio:* omnis potentia activa corporea requirit passum sibi secundum locum debite approximatum: sed huiusmodi potentiae Christi in Eucharistia existentis nequeunt esse alicui secundum locum approximatae; ergo quatenus in Eucharistia non possunt habere passum debite approximatum, uti requiritur ad eorum actionem. *Assumptum* patet, 7. *Physic.,* text. 8. et 9. ubi probatur, oportere agens corporeum esse passo approximatum mediate, vel immediate.

SECUNDUM DICTUM, [*Oxon.* ib. n. 3.] Christus in Eucharistia potest uti quacumque potentia activa spirituali. Nam potentiae spirituales exiturae in actum non postulant ut sint alicubi localiter, nec exigunt dependere in agendo a quantitate extensa. Si esset igitur aliquis Angelus praesens Christo in Eucharistia, posset anima Christi ipsum illuminare, eique loqui loquutione mentali, perinde ut Angelus cum alio Angelo sese gereret istis in actibus mentalibus. Etenim talis illuminatio et locutio non requirit nisi principium activum sufficiens in illuminante et loquente, et subiectum capax ex parte illuminati, et forte approximationem secundum *ubi* definitivum.

TERTIUM DICTUM: [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib. n. 3.] Christus in Eucharistia potest habere actionem spiritualem quidem ex parte principii, sed tamen corporalem ex parte termini. cuiusmodi est actio Angeli, qua movetur secundum locum, quare movet corpora. Ea siquidem actio est spiritualis ex parte principii, et corporalis ex parte termini. Est enim actio potentiae motivae non organice qua movetur corpus secundum partes. Hanc itaque potentiam non organicam habet anima Christi, et omnis alia anima intellectiva; ergo quatenus Christus est in Eucharistia esse potest principium motus. Quod vero animae omnis rationalis sit habere hanc potentiam motivam non organicam, ex eo videtur, quia nulla apparet ratio denegandi ipsi hanc perfectionem, quam manifeste habent Angeli. Nulli autem naturae denegandum est quod esset in ea perfectionis, nisi de causa repugnantiae constet. Nam secundum Philosophum, 2. *De Generat.,* in fine, *dignificanda est natura semper secundum melius, quantum possibile est.*

Et porro [*Oxon.* ib. n. 4. et 5.] potentiam hanc inorganice se movendi habent omnes Beati, qui non solum movere se se possunt successive, sed etiam statim et immediate transferre totum corpus ad quodvis *ubi,* et habuerunt quoque in via, esto non secundum actum; nec tamen inerat eis frustra, sicuti nec frustra nunc in Patria habent sensum gustus sine actu. Est igitur eadem potentia etiam in anima Christi, quantum ad usus possibilitatem, qua potest movere aliquod corpus secundum se totum, sicut Angelus potest movere. Hac etiam fortassis usus est Christus dum erat viator, ut quando elapsus est e manibus Iudaeorum, qui ducentes eum ad montem voluerunt ipsum praecipitare; quando etiam elapsus est de manibus parentum, et mansit in Hierusalem, ut patet secundum Origenem super illud Lucae, 2. *Cum factus esset Iesus annorum duodecim.* Anima igitur Christi ut in Eucharistia poterit uti ista potentia movendo species illas. Et forte sic aliquando mota est Hostia a Christo immediate. Ad cuius potentiae exercitium opus non est, ut Christus prius moveat Corpus suum, sicut nec

oportet Angelum prius movere se localiter ad hoc ut corpus sibi approximatum moveat localiter.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 6.] dico, eam potentiae activae descriptionem esse intelligendam quantum est ex parte sui; sed interim multa impedimenta posse occurrere, et ex parte habentis potentiam, et ex parte obiecti, vel etiam medii, quominus valeat in actum exire. Et ita contingere in casu de existentia Christi in Eucharistia, in qua nullam potest exercere potentiam corporalem, ob causam dictam *in solutione.*

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* et *Report.* ib.] Corpus Christi in Eucharistia concomitanter nutriri, si nutritur in existentia naturali, at exinde non sequi potentiam nutritivam in Eucharistia agere. Nutritio enim non est nisi aggeneratio partis ipsius substantiae nutritae, quae aggeneratio est utique per actionem virtutis nutritivae, non ut inextensive in Eucharistia, sed quatenus sub suo naturali modo existentis.

Sed numquid corpus mortale in Eucharistia existens indigeret nutritione si non haberet modum existendi naturalem? *Respondeo* [*Oxon.* 4. d. 10. q. 6. n. 13.] minime indigere nutritione, respiratione, et aliis, quae vitae mortali protrahendae communiter necessaria sunt; et rationem esse, quia corpus vivens ut sacramentaliter existens, manet in eadem dispositione naturali, in qua primo ponitur praesens sacramentaliter, qua ex ratione talis modi existendi est permanens donec corrumpatur per actionem extrinseci contrarii. Sed ut est in Eucharistia nequit pati ab aliquo agente corporeo, neque ulla eius pars propter inextensionem agit aut patitur ab alia; ac proinde nec partes ita existentes sunt in fluxu, quarum restauratio a nutritione dependet; neque pulmo patitur a calore, ut subinde exigat respirationem et refrigerationem ab aëre attracto.

AD TERTIUM dico sic: [*Oxon.* 4. d. 10. q. 7. n. 6. — *Report.* ib.] potentia motiva Christi organica et corporalis licet sit in Corpore Christi in Eucharistia existentis, nequit nihilominus esse principium actus sui in corpore, quatenus inextenso, quia illa potentia requirit partem extra partem, non tantum in toto, sed etiam in comparatione ad locum, ad hoc ut per unam partem motam localiter moveat aliam. At potentia alia loco motiva non organica potest in actum suum etiam ut in extensive existens, sicut in Caelo; et consequenter secundum istam potest movere corpus aliud sibi approximatum, non secus ac Angelus posset, etsi interim nequeat movere Corpus suum quatenus inextensum in ordine ad locum, quia taliter existens illud corpus non subest alicui potentiae motivae, nisi divinae.

RURSUM ARTICULUS INCIDENS.

UTRUM CORPUS CHRISTI FUISSET CORRUPTUM CONCOMITANTER IN EUCHARISTIA, SI IN TRIDUO MORTIS ESSET CORRUPTUM IN EXISTENTIA NATURALI.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 10. *q.* 6. — *Report. ib.*

VIDETUR Corpus Christi oportuisse corrumpi in Eucharistia, si corruptum esset in existentia naturali. Nam [*Oxon.* 4. d. 10. q. 6. n. 8. —

Report. ib. n. 7.] ex *art.* 4. cum moriebatur in Cruce etiam mortuum fuisset in Eucharistia, si tunc inibi reperiri contigisset; ergo pariter utrobique debuisset corrumpi. *Probatio consequentiae:* nam in tantum mors sequutura erat utrobique in quantum alias esset manifesta contradictio in formis vel praedicatis absolutis nullam habentibus dependentiam ad aliud et aliud *ubi:* sed eadem contradictio, et in iisdem praedicatis sequeretur si in sepulchro corruptum fuisset, et non in pyxide, si ibi extitisset; ergo utrobique corrumptum fuisset.

CONTRA. [*Oxon.* et *Report.* ib.] Quod non est nequit corrumpi: sed fieri non posset ut Christi Corpus, aut aliqua pars eius reperiretur in Eucharistia si corrumperetur in existentia naturali; igitur tunc nequiret corrumpi in Eucharistia.

RESPONDEO dicendum, Corpus Christi non potuisse concomitanter corrumpi in Eucharistia, sicut in sepulchro, vel quoad existentiam naturalem fuisset primo corruptum. *Et declaratur;* [*Oxon.* et *Report.* ib.] nam illud proprie et vere corrumpitur, cuius forma desinit *esse* manente materia cum privatione illius formae: si Corpus autem Christi corruptum fuisset in existentia naturali, ut dum mansit in sepulchro, eius materia manere non potuisset sub speciebus Eucharisticis cum privatione formae. Quod ostenditur per hoc, quia anima per se et primo perficit suum primum perfectibile, nempe corpus organicum, partes autem non perficit nisi quatenus sunt aliquid primi perfectibilis; ergo forma corporeitatis esse desinente nihil est formatum ab anima. Et universim quando aliquid competit primo toti, et parti nonnisi quia toti, destructo toto in ordine ad illud, pars non habet eumdem ordinem ad idem. Atqui primum signatum Eucharistiae est corpus compositum ex materia et forma; ergo non manente aliquo toto sub ratione primi signati, nihil eius remanet tamquam signatum eius per se. Sed separata forma corporis a materia in existentia naturali non manet illud primum signatum eius per se sub Eucharistia; quia tunc eadem materia simul haberet et non haberet eamdem formam; ergo sub speciebus Eucharisticis nihil omnino manet istius signati. Nam non manet materia sub forma, tum propter contradictionem, tum etiam quia in eo casu non intelligeretur forma illa corrumpi: neque materia sine omni forma, quia materia non continetur sub speciebus, nisi quatenus est pars Corporis Christi: neque denique materia sub alia forma, quia tunc simul haberet et non haberet illam aliam formam. Nulla autem alia forma ab ea, quae est forma Corporis Christi, potest reperiri sub speciebus Eucharisticis virtute consecrationis. Cum igitur ad corruptionem Corporis Christi in existentia naturali sequatur manifeste non superfuturam materiam eius in Eucharistia cum privatione talis formae corporeitatis, dici non potest illud Corpus ut in Eucharistia concomitanter aut alio modo corrumpi.

Si dicas, [*Oxon.* ib.n.9. seqq.] extitisse declaratum *quaest.* 73. *in inc. art.* 5. Eucharistiam cum omni veritate eius posse perseverare, etiamsi Christi Corpus nullibi haberet existentiam naturalem; ergo esto Christi Corpus corruptum fuisset in sepulchro, nihilominus sub Eucharistia non desiisset. *Respondeo,* si Christi Corpus desineret esse sub modo naturalis existentiae, non foret ea desitio nisi *secundum quid,* quia sub modo sacramentali adhuc esse perseveraret, et non deesset illi Corpori nisi respectus ille extensionis ad *ubi,* quem habebat in existentia naturali, et

ita nulla est hic contradictio. At si semel intelligatur in naturali existentia corruptum, subinde est ibi materia sine forma, quam propterea nequiret illa materia habere sub Eucharistia, quia id implicat contradictionem omnino, et altera ex parte materia non est sub speciebus, nisi quia est pars essentialis Corporis Christi: separata autem ab materia forma corporis non est amplius pars corporis; ergo omnino desinit esse sub speciebus, atque ita per corruptionem illius Corporis in esse naturali desineret *esse* sub modo sacramentali, quia eius materia ut sub speciebus nequit transmutari a forma ad privationem, sed magis ad formae desitionem desineret esse pariter et ipsa.

AD ARGUMENTUM respondeo, [*Oxon.*4.d.10.q.4.n.3.]non esse paritatem de morte Christi, et corruptione Corporis eius, quia Corpus Christi ut est in Eucharistia, seu ut est primum signatum specierum panis, atque sub eis contentum, non includit animam Christi, nec accidentia, nec Sanguinem ipsius; et ideo Corpus ut primo perfectibile ab anima, et Sanguis habere possunt duo signa omnino distincta per se primo eorum signatorum significativo; nihilominus licet corpus animam essentialiter non includat, involvit tamen essentialiter materiam et formam corporis. In triduo ergo mortis Christi potuit fuisse ita vera Eucharistia, sicuti nunc est; quia species illae significassent essentialiter illud quod modo signant, idest Corpus Christi ut primo perfectibile ab anima eius; et consequenter si desinebat esse vivum illud Corpus in existentia naturali, separata fuisset etiam anima in esse sacramentali, et interim vera Eucharistia superfuisset. Quia tamen ad corruptionem eius Corporis, superesse non posset primum signatum specierum, quod conflatur ex materia et forma corporis, ideo nec permaneret veritas Eucharistiae. Ex quo patet *ad formam argumenti,* quia destructa forma corporis in existentia naturali per corruptionem, illico totaliter desineret esse totum signatum per species Eucharisticas, non tantum scilicet forma corporis, sed etiam eius materia, quia [*Oxon.* 4. d. 10. q. 6. n. 10.] contra veritatem huius Sacramenti est partem corporis contineri hic, nisi prius contineatur totum corpus, et per consequens materia sine forma nulla ratione continebitur sub illis speciebus. Non superest ergo in corruptione ex hypothesi Corporis Christi in sepulchro fundamentum ullum de quo ea praedicata contradictoria dicantur.

QUAESTIO OCTUAGESIMASECUNDA.

DE MINISTRO HUIUS SACRAMENTI, IN DECEM ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ministro huius Sacramenti.

Et circa hoc quaeruntur decem.

1. Utrum consecrare hoc Sacramentum sit proprium Sacerdotis. - 2. Utrum plures Sacerdotes simul possint eamdem hostiam consecrare. - 3. Utrum dispensatio huius Sacramenti pertineat ad solum Sacerdotem. - 4. Utrum liceat Sacerdoti consecranti a communione abstinere. - 5. Utrum Sacerdos peccator possit conficere hoc Sacramentum. - 6. Utrum Missa mali Sacerdotis minus valeat, quam boni. - 7. Utrum haeretici, schismatici, vel excommunicati possint conficere hoc Sacramentum. - 8. Utrum degradati. - 9. Utrum peccent a talibus communionem recipientes. - 10. Utrum liceat Sacerdoti omnino a celebratione abstinere.

ARTICULUS I.

UTRUM CONSECRATIO HUIUS SACRAMENTI SIT PROPRIA SACERDOTIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *a.* 1.

VIDETUR consecratio huius Sacramenti non pertinere tantum ad Sacerdotes. Nam [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 1. — *Report.* ib.] laicus potest sumere Eucharistiam : sed sumptio est finis consecrationis, et consequenter melior simpliciter et nobilior ipsa consecratione, sicuti finis est nobilior iis quae sunt ad finem ; ergo aeque vel magis laicus potest consecrare, atque adeo non est solius Sacerdotis hoc Sacramentum conficere.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. — *Report.* ib.] Quivis debita intentione proferens verba a Christo instituta confert Baptismum; ergo pariter quilibet proferens verba a Christo instituta super materiam debitam, scilicet super panem et vinum, istud Sacramentum conficiet. *Probatur consequentia ;* quia tam necessarium ad salutem est Baptisma, quam Eucharistia, ut patet ex verbis Christi Ioann., 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1.] Sacramentum Confirmationis solus Episcopus conferre potest, cuius quoque tantum est Chrisma conficere: sed longe maioris excellentiae est Christi Corpus quam Chrisma, quo confirmantur fideles baptizati; ergo tantum Episcoporum erit conficere Sacramentum Eucharistiae.

CONTRA. *De summa Trinitate et fide cath.*, cap. *Firmiter,* § *Una vero. Hoc Sacramentum nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Iesus Christus.*

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 4.] de fide esse solos Sacerdotes posse hoc Sacramentum conficere, ut patet ex statim citata Ecclesiae declaratione, accepta ex verbis Christi, Lucae, 22. dicentis: *Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Verba enim illa ad

Apostolos prolata fuerunt, quibus in Ecclesia succedunt Episcopi, sicuti Discipulorum successores sunt Sacerdotes, vel Presbyteri, ut expresse habetur dist. 21. c. *In novo Testamento.* Accepta est etiam a Paulo, 1. *ad Corinth.*, cap. 10. *Panis,* dicente, *quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est? Quem frangimus nos,* inquit, scilicet Apostoli, et Discipuli Christi, ac subinde omnes Ecclesiae Episcopi ordinem Sacerdotalem habentes, caeterique Presbyteri, vel Sacerdotes. Si enim quilibet fidelis posset hoc Sacramentum conficere, non oporteret aliquem alium eis frangere, sed unusquisque posset hoc Sacramentum conficere, et deberet de suo sacrificio communicare.

Sed ulterius probatur *resolutio;* quia [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib.] conficere Eucharistiam ut principalis causa, idest transsubstantiare panis et vini substantias in Corpus et Sanguinem Christi, nulli potest competere creaturae, sed absolute est opus solius Dei; ergo nulla creatura id facit; sed dumtaxat potest esse ministerialis causa. Atqui nemo potest esse minister alicuius causae principalis liberae, nisi ab ipsa tale ministerium acceperit; igitur quoniam solummodo Apostoli et Discipuli, et consequenter Episcopi et Sacerdotes acceperunt a Christo potestatem illam ministerialem, nemo alius ab illis poterit hoc Sacramentum conficere. Quod vero solummodo isti hanc potestatem a Christo acceperint, patet ex loco citato Lucae, 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Potestas ergo istud Sacramentum perficiendi ad eos transfusa est ad quos illa verba dirigebantur. Illi vero erant Apostoli adstantes institutioni huius Sacramenti. Neque dici potest datum tunc fuisse a Christo praeceptum de manducatione, non de consecratione Eucharistiae, quia ex intentione Christi per verba insinuata intelligitur principaliter loquutum fuisse de consecratione, et perfectione huius Sacramenti, dum ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Simul significavit potestatem conficiendi tradidisse, et iniunxisse ut facerent in memoriam suae passionis. Et etiamsi accessorie, et secundario fuerit praecepta manducatio, ipsa certe nequit fieri nisi et Sacramentum conficiatur, et istud non conficitur sine commissa potestate, quae nullibi in Scripturis collata legitur, nisi *loco citato.*

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 20. — *Report.* ib.] respondeo, sumere Eucharistiam esse magis commune et necessarium, quam conficere; magis autem necessarium, etsi in se aliquando sit nobilius, quandoque nihilominus pluribus competere, quam minus nobile, seu quod est minoris nobilitatis; et rationem huius esse maiorem sive communiorem necessitatem. In proposito, Christus expresse docuit se velle sumi in Eucharistia a quolibet Christiano, Ioann., 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* At consecrationem, sive dispensationem noluit perinde esse communem, quia non oportebat. Possunt enim pauciores dispensare, aut conficere quam sumere. Et ita non omnibus, quibus iniunxit Sacramenti perceptionem, dedit potestatem conficiendi, sed Apostolis tantum eorumque successoribus per ipsos ordinatis et ordinandis.

Ad secundum [*Oxon.* 4. d. 7. q. 1. n. 3. — 3. d. 40. n. 4.] dico, non esse paritatem de Baptismate, et Eucharistia; eatenus Deus voluit illud conferri posse a quolibet ministro usum rationis habente, et verba necessaria proferre valente, quatenus est Sacramentum extremae necessi-

tatis, sine quo salutem nemo consequi potest. At sine Eucharistiae Sacramento, et parvuli, et carentes usu rationis possunt ad aeternam felicitatem pervenire. Sed nec adultis usu rationis pollentibus est necessarium necessitate medii. Satis est enim illis, si facultas non adsit, ne contemnatur. Ob ergo talem necessitatem Deus dedit unicuique potestatem conferendi Baptismum; at conficiendi Eucharistiam nemo habet auctoritatem et potestatem, nisi sit ordinatus Sacerdos secundum claves Ecclesiae, qua in ordinatione constituitur in gradu excellenti in Ecclesia, taliter ut possit in Corpus Christi verum et mysticum. Sine igitur tali potestate nihil fieri potest, etiamsi proferantur cum intentione consecrandi verba consecrationis.

Ad tertium respondeo sic: [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1. n. 3. — d. 7. q. 1. n. 4.] non solus Episcopus potest baptizatos confirmare, sed etiam quivis Sacerdos, si id sibi permittatur a summo Hierarcha, qui est Pontifex Romanus; ac subinde (ut dictum fuit *q.* 72. *art.* 11.) quilibet Sacerdos ratione sui ordinis, ob quem tenet gradum notabilem in Ecclesia, habet potentiam remotam chrismandi, reducibilem ad actum per supremam summi Pontificis potestatem. Sed quicquid sit de hoc, dico: ex eo quod maioris excellentiae sit Corpus Christi quam Chrisma, non sequitur solum Episcopum posse conficere Corpus Christi, quia solummodo illi convenit benedicere Chrisma, et baptizatos confirmare. Illi enim quorum interest introducere alios in familiam Christi et constituere in gradu notabili in Ecclesia, cuiusmodi sunt Episcopi, qui chrismant, et conferunt ordines ratione dignitatis et principatus in Ecclesia, habent aliquos actus sibi peculiares et proprios, qui non congruunt nisi parem potestatem habentibus. Ex eo [*Oxon.* 4. d. 6. q. 10. n. 12.] quod tamen evexerunt aliquos ad gradus illos excellentes, sicuti est Sacerdotium, statim competit illis potestas conficiendi Eucharistiae Sacramentum; licet exinde, quia inferioris sunt dignitatis et sub Episcopis, non habeant omnes illos actus in Ecclesia, in quos possunt Episcopi. Et porro id fuit congruum, quia posse super Christi Corpus verum maioris est necessitatis, quam chrismare, et Ordines conferre; et pauci id repraesentare valentes sufficiunt in Ecclesia, cuius contrarium accidit in conficiendo Eucharistiae Sacramentum, quia omnes diebus festis tenentur audire sacrum, et certis temporibus communicare, quae utique non possunt in Ecclesia a solis Episcopis praestari.

ARTICULUS II.

UTRUM PLURES SACERDOTES POSSINT UNAM ET EAMDEM HOSTIAM CONSECRARE.

Doct., Oxon. 4. *d.* 6. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *a.* 2.

Videtur plures Sacerdotes non posse unam eamdemque hostiam simul consecrare. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 2. n. 2. — *Report.* ib.] idem effectus non potest esse a duabus causis totalibus; ergo nec eadem hostia consecrari a duobus Sacerdotibus. *Antecedens patet,* quia impossibile est aliquem effectum ab causa essentialiter dependere, qua non existente, nihilominus talis effectus esset; sed si ea hostia ab uno tantum

consecraretur Sacerdote, vere consecraretur etiamsi alius Sacerdos non existeret; igitur ille alius concurrens nequit influere in effectum, qui sine ipso esset futurus.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Quamvis actio ponatur subiectari in passo, tamen ut intelligitur exire ab agente, plurificatur secundum numerum agentium, et maxime quando plurificantur formae, sive instrumenta secundum quae fit actio; si ergo plures Sacerdotes concurrant ad unius Hostiae consecrationem, plures quoque erunt consecrationes activae: sed cuilibet actioni correspondet propria passio; ergo erunt plures consecrationes passivae, et ita plura Sacramenta.

CONTRA. [*Oxon.* et *Report.* ib. q. 2.] Plures baptizantes valide possunt unum eumdemque baptizare, ex *quaest.* 67. *art.* 6. ergo pariter plures Sacerdotes eamdem Hostiam consecrantes Sacramentum perficiunt.

RESPONDEO dicendum, plures Sacerdotes posse unam et eamdem Hostiam consecrare. *Declaratur,* quia minime verisimile est unum Sacerdotem per prolationem verborum consecrationis irritum et nullum reddere factum alterius: si autem unus tantum Sacerdos ea verba pronunciaret super materiam debitam, Sacramentum perficeret; ergo etiam perfectum erit si etiam alius eadem verba super materia eadem proferat. Et porro mos est in Ecclesia Romana, ut quoties Episcopus Ordines confert, Archidiaconus iubeat ordinatos in Sacerdotes proferre verba consecrationis, atque habere intentionem consecrandi, quam habet Episcopus celebrans.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico *assumptum* esse verum de causis principalibus inducentibus effectum physicum. Transsubstantiatio autem panis in Corpus Christi non est a ministris verba proferentibus, sed a solo Deo. Ministri igitur [*Oxon.* 4. d. 3. q. 2. n. 3.] per prolationem certorum verborum sunt causae tantum morales, quatenus ad positionem signi a Deo instituti ponitur sub speciebus illis signatum per potentiam supernaturalem; et ideo nulla est hic repugnantia, neque ex parte relationis signi, quae cum sit relatio rationis potest fundari super diversis fundamentis, quae tamen unum integrant fundamentum; neque ex parte effectus producti, quia non attingitur a ministris, sed solum a Deo de qua difficultate videndus *art. cit. quaest.* 67.

AD SECUNDUM respondeo, [*Oxon.* 4. d. 6. q. 2. n. 4.] ex parte ministrorum verba consecrationis pronunciantium esse plures actiones; at pluribus illis actionibus correspondere unam consecrationem passivam, unumque Sacramentum. — *Et cum dicitur:* unicuique actioni correspondet propria passio; *respondeo,* id verum esse cum actio est a causa totali; nam pluribus trahentibus navim una passiva tractio correspondet, quia illi plures unicam integrant causam totalem activam. Ita et plures eamdem Hostiam consecrantes efficiunt unam causam totalem, cuius quilibet est causa partialis. Vel si ponantur causae totales, quoniam non physicae, sed morales sunt, ut dictum fuit superiori *in responsione,* non oportet tot esse consecrationes passivas quot sunt activae, quia cum consecratio non sit nisi transsubstantiatio, quae immediate a Deo fit, ipsius non intelligitur nisi unica causa principalis; tametsi ponatur ab illa causa talis effectus ad positionem plurium signorum totalium a se institutorum.

ARTICULUS III.

UTRUM DISPENSATIO HUIUS SACRAMENTI PERTINEAT SOLUM AD SACERDOTEM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *a.* 3.

VIDETUR non ad solum Sacerdotem pertinere dispensare Corpus Christi fidelibus. Habetur enim [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 1. — *Report.* ib.] in legenda Beati Laurentii Diaconi Ecclesiae Romanae, iniunctum ei fuisse a Xysto Pontifice ut Sanguinem Christi dispensaret. Dicebat siquidem ad illum, cum ad martyrium duceretur: *Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici Sanguinis dispensationem.* Igitur Diaconorum quoque interest Corpus Christi dispensare.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib.] Sacerdotis solius est conficere hoc Sacramentum ex *art.* 1. Perfectio autem eius consistit in consecratione; igitur dispensatio seu usus istius Sacramenti non spectat ad munus Sacerdotis, quia usus sive dispensatio non ingreditur consecrationem; ac per consequens ad dispensandum nulla peculiaris requiritur potestas, quae necessaria est consecrationi perficiendae.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 20.] *De consecr.,* dist. 2. cap. 29. *Pervenit ad notitiam nostram, quod quidam Presbyteri, in tantum parvipendant divina mysteria, ut laico, vel foeminae sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis. Quod quam sit detestabile omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Sancta Synodus, ne talis temeraria praesumptio ulterius fiat; sed Presbyter per semetipsum infirmum communicet.* Haec ibi expresse; igitur solis Sacerdotibus attribuitur, vel declaratur esse munus dispensandi Corpus Christi.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib.] ad solum Sacerdotem ex officio pertinere dispensare fidelibus Corpus Christi. Posse nihilominus Sacerdotes, vel Episcopum, si id necessitas postulet, committere Diaconis dominici Corporis dispensationem. Et *prima pars* declaratur ratione congrua ex Politia temporali. In qualibet enim bene ordinata Politia actus principales Reipublicae ad aliquam personam principalem, idest tenentem gradum notabilem et excellentem in Republica, spectant, ut nemini sub illa persona liceat eos actus exercere. In Hierarchia autem Ecclesiastica, qui teneat gradum excellentem est solus Sacerdos; ergo convenientissimum est, quemadmodum causa talis status competit solummodo illi conficere Eucharistiam, ita et potestatem tale Sacramentum aliis dispensandi penes ipsum tantum residere. — *Confirmatur,* quia non minoris reverentiae vel auctoritatis est posse super Corpus Christi verum, quam super Corpus Christi mysticum: sed super Corpus Christi mysticum solus Sacerdos habet potestatem; aeque ergo vel magis ob reverentiam Corporis Christi veri Sacerdoti praecise convenit auctoritas Sacramenti conficiendi, et regulariter dispensandi, quia in Ecclesia dignior persona Sacerdote nequit inveniri, cui congrue attribuantur illi actus super Corpus Christi verum.

Quod vero urgente necessitate possit Diaconis a Presbytero, vel Epi-

scopo committi ut Eucharistiam dispensent, liquet ex dist. 93. c. 18. ubi haec habentur: *Praesente Presbytero Diaconus Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget.* Si autem necessitas aut aliqua alia rationabilis causa non occurrat, non decet Diaconum hoc Sacramentum ministrare; quod eadem dist. 93. cap. 16. dicernitur his verbis: *Non oportet Diaconos panem dare,* idest, *Corpus Domini,* secundum Glossam, *sine licentia Sacerdotis,* quae ut sit rationabilis ex rationabili quoque causa debet promanare. — Porro [*Oxon.* 4. d. 24. q. 1. n. 7.] urgente necessitate posse Diaconum etiam sine licentia Presbyteri, ut quia ob absentiam nequit commode haberi, Corpus Domini porrigere fidelibus, constat ex cit. dist. 93. c. *Diaconus,* ubi dicitur: *Sacri Corporis praerogationem, sub conspectu Pontificis, seu Presbyteri* (*nisi his absentibus*) *ius non habeant* (Diaconi) *exercendi.* Et Glossa: *Ubi necessitas exigit, et Presbyter est absens, potest Diaconus etiam iure suo baptizare, et Corpus Christi erogare infirmis.*

Sed numquid inferioribus Clericis licite id committeretur, supposita semper necessitate? *Dico* hoc ipsum aliis Clericis a Diacono non esse iure divino interdictum; videtur ergo necessitate urgente posse per Clericos inferioris ordinis indigentibus subveniri. *Et si antiquitus licitum erat laicis Sacramentum secum domum deferre, ac sibi ipsis ministrare, potiori iure idipsum fieri potest per ministros Altaris. Sed et nunc viget apud Graecos mos, ut ipsi laici sumptam de manibus Ministri Eucharistiam ori iniiciant; quapropter si, ut dictum est, adsit necessitas, decentius id peragere poterunt Clerici. Nec contra hoc facit Canon. cit. ex cap.* Pervenit, *ubi Presbyteri iubentur per seipsos Christi Corpus dispensare; quia statutum est servandum prout loquitur, extra casum necessitatis.*

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 20. — *Report.* ib.] concedo, Beato Laurentio commissam fuisse a Beato Xysto Pontifice Dominici Sanguinis dispensationem, et admodum congrue; quia Sanguis non dispensatur nisi in Calice: tangere autem Calicem conceditur Diacono. At Christi Corpus non dispensatur nisi species tangantur, quas manibus contrectare solius est Sacerdotis, sicuti et Sacramentum perficere; quod regulariter est intelligendum, quia in casu necessitatis bene potest Diaconus de licentia Presbyteri expressa, vel interpretata, si absens esset, species consecratas contingere, et Christi Corpus dispensare, ut *in solutione* dictum fuit.

Ad aliud dico, [*Oxon.* ib. n. 3. — d. 24. n. 7.] quamvis dispensare Christi Corpus sit aliud quid a consecratione Eucharistiae, esse nihilominus actum excellentem circa Corpus Christi verum; adeoque nemini regulariter et ex officio competere et congruere, nisi tenenti gradum excellentem in Ecclesia ratione Ordinis: iste est solus Sacerdos, qui ut habet potestatem et actus super Corpus Christi mysticum, ita et super Corpus Christi verum: actus, inquam, sunt conficiendi, et dispensandi fidelibus idem Christi Corpus.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONSECRANS TENEATUR SUMERE HOC SACRAMENTUM.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 8. *q.* 3. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *a.* 4.

VIDETUR Sacerdos consecrans non teneri ad sumptionem Sacramenti Eucharistiae. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 4.] aliorum Sacramentorum minister, ut Baptismi, non tenetur, imo nec debet seipsum baptizare, fierique per seipsum eius Sacramenti participem; ergo pariter nec debet sumere hoc Sacramentum, sed aliis distribuere potius postquam perfecerit.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 10. q. 1.] Legitur in Ecclesiastica historia interdum in speciebus consecratis carnem et sanguinem apparuisse; sed caro humana et sanguis non sunt cibi convenientes celebrantibus; homines enim esse humanam carnem et cruorem bibere plane horrescunt; ergo Sacerdos non tenetur sumere. Imo et Salvator cum de hoc Sacramento instituisset sermonem, *Ioann.* 6. cum quidam arbitrarentur oportere proinde vesci humanis carnibus, et sanguinem bibere horrore concepto retro abirent, addidit: *Verba quae locutus sum vobis spiritus et vita sunt;* significans, ab eis doctrinam spiritualem carnaliter fuisse intellectam; cum igitur in Sacramento Christus apparet corporaliter non est sumendus, etiam ex ipsius Christi doctrina.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 4.] Saltem in aliquo casu Sacerdos non tenetur percipere utramque speciem. Conficientes enim oportet Sacramentum sumere ieiunos: sed si quis ex errore proferret verba consecrationis calicis super aquam atque eum errorem in gustando aquam deprehenderet, non foret amplius ieiunus; ergo postea non teneretur, nec deberet, percipere Sanguinem. — *Et si dicatur* [*Oxon.* ib. n. 6.] eo in casu teneri ad consecrationem vini, quo sacrificium perficiatur: *contra,* ex tali facto sacrificio assistentes scandalum non modicum conciperent; ergo tunc praestat, ad scandali occasionem amovendam, non sumere Sanguinem, ac per consequens non semper celebrans tenetur sumere hoc Sacramentum, saltem quoad utramque speciem.

4. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Sacerdos in die Parasceves recipit tantum Corpus, et non Sanguinem; igitur non oportet Sacerdotem celebrantem sumere utramque speciem.

CONTRA, *De Consecr.,* dist. 2. cap. *Relatum,* haec habentur: *Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti.* Et mox in contrafacientes subiicitur et statuitur poena: *Talis a communione uno anno repulsum se noverit.* Quod autem utramque speciem teneatur sumere, expresse scribitur eadem dist. 2. cap. *Comperimus, ut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur,* (nempe Sacerdotes celebrantes) et subditur ratio: *Quia divisio eiusdem Sacramenti sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

RESPONDEO dicendum [*Oxon.* ib. — *Report.* ib. n. 5.] Sacerdotes celebrantes, ex divina institutione et strictissimo Ecclesiae praecepto, teneri ad susceptionem Sacramenti iam perfecti in utraque specie. Etenim ad integritatem istius Sacramenti ex aequo spectant species panis et vini, simul continentes Corpus Christi verum, et eius Sanguinem ex divina

institutione, quam ipse Christus primum repraesentavit, et sumpsit, et ita faciendum omnibus Sacerdotibus mandavit; igitur quicumque Sacerdos vel in utraque specie non consecraret, vel consecratum Sacramentum in utraque specie sumere contemneret, contra Christi faceret institutionem, et grandi se sacrilegio contaminaret.

Alia etiam *ratio* [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] insinuatur in praeallegato cap. *Relatum, De Consecr.*, dist. 2. Nam Eucharistia non tantum est Sacramentum, verum etiam sacrificium, sacrificiorum omnium veterum consummativum, et rememorativum oblationis factae a Christo in Cruce, qua seipsum Patri obtulit pro mundi peccatis, quam oblationem et sacrificia seu oblationes Legis Mosaycae et naturae praefigurabant. Secundum autem Augustinum, 10. *De Civitate,* cap. 5. *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacrum signum est;* sacrificii nimirum invisibilis, quo sacrificans cor contritum et mundum offert Deo. Ut ergo offerens sacrificium ostendat, se sacrificium quoque interius et invisibile Deo obtulisse, opus est ut percipiat et participet de sacrificio exteriori, ut exinde gratia ac benedictionibus caelestibus repleatur; alioqui facto mentiretur, ostenderetque suum interius sacrificium minime Deo placuisse, et ideo participare negligere de exteriori sacrificio. Quod insinuatur in praedicto cap. illis verbis: *nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* et ideo concluditur: *Ergo modis omnibus tenendum est, ut quotiescumque sacrificans Corpus et Sanguinem Iesu Christi Domini nostri in altario immolat, toties perceptionis Corporis et Sanguinis Christi participem se praebeat.*

Et ex hoc patet ad PRIMUM ARGUMENTUM; [*Oxon.* ib. d. 8. — *Report.* ib.] Ministri enim aliorum Sacramentorum ab Eucharistia non tenentur de Sacramentis quae aliis conferunt participare, quia ipsa tantum Sacramenta sunt, nec praeterea rationem habent sacrificii, ut Eucharistia, quam proinde Eucharistiam offerens, ut complete, iuxta Christi institutionem, tenetur offerre et perficere, ita et de utraque specie participare, ut significetur et sacrificantem ipsum ad invisibile sacrificium pertinere. Non sic intelligendo quasi oblatio hostiae non consecratae pertineat essentialiter ad sacrificium, quia tantum caeremonia sacrificii est, cuius essentia consistit in consecratione, et tandem consummatur per sumptionem; et ideo haec omitti nequit, iuxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. Qui edunt hostias participes sunt altaris;* quod adducitur cap. cit. *Relatum,* atque infertur per hoc eam sumptionem esse iuris divini.

AD SECUNDUM respondeo: [*Report.* 4. d. 10. q. 9. n. 16.] quamdiu Christus in forma hominis, vel carnis, aut sanguinis in Eucharistia apparet, non esse sumendum ab iis, quibus ita apparere et cerni dignatur, quia (ut bene tangitur *in argumento*) realiter quidem vult sumi in isto Sacramento a fidelibus, sed spiritualiter, idest quatenus manet sub speciebus modo illo mirabili occultatus, quem modum sacramentalem et inextensum nuncupamus. At propterea non sequi pariter non esse sumendum cum sic apparere et cerni non vult, quia ipse contrarium praecepit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem;* quod praeceptum suo exemplo confirmavit, ac Ecclesia gravissimas poenas statuit in eos, qui aliter facere ausi essent.

AD TERTIUM respondeo, [*Oxon.* ib. n. 5. — *Report.* ib.] in casu illo teneri Sacerdotem infundere vinum in calice, consecrare, et sumere. — *Et*

cum dicitur, ex Ecclesiae praecepto oportere communicantem esse ieiunum; ergo si perciperet non ieiunus, peccaret. *Ad hoc respondeo sic:* quando concurrunt duo praecepta, superioris scilicet et inferioris, si in aliquo casu nequeant ambo servari, attendendum et servandum est praeceptum superioris, et posthabito praecepto inferioris; quia si inferior casum praevidisset, non sanxisset legem contra expressam voluntatem superioris, imo mandasset legem superioris servari. Et ita hic ex divina institutione tenetur Sacerdos in utraque specie consecrare et sumere, et de Ecclesiae mandato oportet accedere ieiunum; fortius in casu obligat Christi praeceptum, quam Ecclesiae; imo istud non obligat; et ideo tenetur Sacerdos perficere sacrificium et sumere; et talis utique est praxis in Ecclesia, in qua etiam mos est, ut in die Parasceves particula posita in calice percipiatur cum vino non consecrato; verisimile autem est vinum citius descendere in ventrem, quam particulam, quae masticatur; tunc igitur de Ecclesiae consuetudine Sacerdos percipit Eucharistiam non ieiunus. Ieiunium ergo non est conditio ita necessaria Sacerdoti communicanti sicut conficere et sumere utramque speciem. Sed et praeceptum de ieiunio in communicante leve est in comparatione ad praeceptum sumendi utramque speciem in celebrante; quod patet ex cit. cap. *Relatum,* ubi aliter faciens repellitur a communione per annum, appellatur reus dominici Sacramenti, et sacrilegus; qui autem non ieiunus citra necessitatem accederet, peccaret utique mortaliter, sed non notatur ibi esse sacrilegium, nec reliqua quae dicuntur de dividentibus Sacramentum dum celebrant. — *Cum obiicitur* de scandalo [*Oxon.* ib. n. 6. — *Report.* ib. n. 7.] dicendum, esse scandalum Pharisaeorum, acceptum scilicet, non datum; factum enim illud in se bonum est, et necessarium. Quilibet autem causam nesciens, debet iudicare Sacerdotem facere quae scit esse facienda. Qui autem nosset causam utique factum approbaret. Potest etiam sine omni scandalo id fieri. Potest enim in cornu altaris recipere in calice vinum ad sufficientiam, si aliqua pars aquae remanserit in calice, exinde recipere se ad medium Altaris, et super materiam illam verba necessaria pronunciare ab illo loco, *Simili modo,* usque ad illud, *Haec quotiescumque feceritis.* Et Sanguinem sine ullo scandalo bibere.

Ad quartum dico, [*Oxon.* et *Report.* ib.] Sacerdotem in die Parasceves non conficere Corpus Christi, sed sumere Hostiam consecratam die praecedenti; *resolutionem* autem procedere de Sacerdotibus conficientibus; ii tantum nequeunt una speciem sine altera conficere ex divina institutione, atque utramque percipere tenentur; licet ergo Sacerdos in praedicta die Parasceves habeat actum aliquem Sacerdotis, offerendo orationes pro se et pro populo, actum tamen principalem, qui est conficere Corpus Christi, non exercet, et ideo vescitur Corpore, et Sanguinem non bibit in propria specie, quia non praecedente consecratione ad hoc non tenetur, sicuti et laici manducant Corpus Christi in speciebus panis, et Sanguinem non percipiunt in speciebus vini.

ARTICULUS V.

UTRUM MALUS SACERDOS EUCHARISTIAM CONSECRARE POSSIT.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *a.* 5.

VIDETUR malus Sacerdos Eucharistiam consecrare non posse. Nam [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 1. — *Report.* ib.] 1. q. 1. c. *Multi saecularium,* adducitur illud Malachiae, 2. *Maledicam benedictionibus vestris,* quod uno modo exponitur sic, *Maledicam quicquid a vobis benedicitur,* quae comminatio dirigitur ad malos Sacerdotes; igitur quicquid a talibus benedicitur, a Deo maledicitur, ac per consequens per ministerium eorum nihil simpliciter benedicitur, ac proinde per ipsos Eucharistia non conficitur, quae perfici non potest sine divina benedictione.

2. PRAETEREA. Ibidem cap. *Sacerdotes,* estque Hieronymi, super cap. 3. *Sophoniae: Sacerdotes qui Eucharistiae serviunt, et Sanguinem Domini populis eius dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam, imprecantis facere verba, non vitam: et necessariam esse tantum solemnem orationem, et non Sacerdotum merita, de quibus dicitur: Et Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino.* Diserte igitur hic asseritur Sacerdotes malos non conficere Eucharistiam; ii enim videntur putare Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam.

CONTRA. [*Oxon.* ib. — *Report.* ib.] Praeallegato cap. *Multi saecularium,* scribitur: *sive per malos ministros intra Dei Ecclesiam dispensetur* (idest conficiatur Eucharistia), *Sacramentum tamen est, quia Spiritus Sanctus mystice illud vivificat.* Et subditur de omnibus Ecclesiae Sacramentis: *Virtus divina secretius operatur in eis, et divina solummodo haec est virtus sive potestas, non humanae efficaciae.*

RESPONDEO: [*Oxon.* et *Report.* ib.] aut est sermo de absolute et simpliciter posse, ad eo ut si facere attentet quod intendit faciat; aut de *ordinate* posse; quae distinctio generalis est in omnibus Sacramentis, quia plura requiruntur ut ordinate conficiantur et ministrentur, quam ut absolute et simpliciter perficiantur. Et quoad *secundum* membrum distinctionis patet ex *quaest.* 80. *art.* 4. qualiter accedens ad Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis mortaliter et gravissime peccat, quia grandi se inficit sacrilegio; accedit enim ad Sacramentum Ecclesiasticae unitatis, ostendens se esse membrum Christi, eique magis incorporari, a quo tamen est seiunctus per peccatum. Patet etiam ex *art.* 8. *eiusdem quaestionis* oportere regulariter celebrantem et accedentes ad Eucharistiam esse ieiunos ieiunio naturali; requitur ergo etiam haec conditio ieiunii ut ordinate hoc Sacramentum perficiatur, carentia poenae prohibitivae administrationis Sacramentorum, et vestimenta debita, et tempus congruum, de quibus *in sequentibus* erit sermo.

Loquendo [*Oxon.* ib. n. 3. — *Report.* ib.] igitur de *absolute* et *simpliciter* posse, dicendum, Sacerdotem malum habere potestatem Eucharistiam conficiendi, et reipsa consecrare si facere attentet. Etenim ad simpliciter hoc Sacramentum perficiendum essentialiter requiritur materia debita et minister idoneus. Et de materia quidem dictum fuit *quaest.* 74.

Ut autem sit minister idoneus, tres concurrere debent conditiones: prima ut sit Sacerdos; secunda, quod possit proferre verba consecrationis; et tertia denique ut possit habere intentionem debitam, faciendi nimirum quod Ecclesia facere intendit. Et duae posteriores conditiones sunt etiam aliorum Sacramentorum ministris communes; carens enim usu rationis, aut impotens proferendi verba necessaria, nequit aliquod Sacramentorum ministrare. Sed ulterius Eucharistiae ministrum oportet esse Sacerdotem, ut habetur *De Summa Trinit. et fide catholica,* capite *Firmiter,* et declaratum fuit supra *art.* 1. Concurrentibus igitur his omnibus in Sacerdote quantumvis malo, ut nimirum super materiam debitam proferat verba consecrationis cum intentione faciendi quod Ecclesia facere intendit, Eucharistiae Sacramentum perficiet, modo praemittat ad minus illa verba, quibus significatur se proferre verba consecrationis in persona Christi, non in persona propria.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* ib. n. 19. — *Report.* ib.] potest exponi illa *Glos.* super verba citata Malachiae, *Quicquid a vobis benedicitur,* supple: in quantum mali estis, quia mali, ut tales adulando benedicunt malis, quibus Deus veraciter maledicit. At in confectione Eucharistiae Sacerdos non benedicit inquantum malus, sed inquantum habet in benedicendo et consecrando intentionem Ecclesiae, quae Deo est accepta, eique benedicit.

Ad secundum dico, Hieronymum intelligere malos Sacerdotes Eucharistiam conficientes male, idest inordinate facere, quia, eo in facto graviter peccant, non autem velle eos nihil absolute facere; quia ut diserte scribitur praeallegato cap. *Multi saecularium,* sive in bonis, sive in malis ministris virtus divina concurrit ad perficienda Sacramenta, modo ex parte ministrorum, quicumque tandem illi sint, concurrant et ponantur ea, quae Christus instituit, et quibus voluit Ecclesiastica Sacramenta constare, scilicet determinata materia, et verba necessaria.

ARTICULUS VI.

UTRUM MISSA MALI SACERDOTIS MINUS VALEAT QUAM MISSA BONI SACERDOTIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *Quodlib. q.* 20. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *a.* 6.

Videtur Missa seu boni, seu mali Sacerdotis aequalem semper valorem habere. Nam [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. n. 2. seqq.] Sacramentum Baptismi a quovis ministro sive bono sive malo conferatur ratione Sacramenti, vel ex opere operato aequalem effectum habet, saltem in parvulis, ut dictum est *quaest.* 69. *art.* 8. Sed [ib. 4. d. 13. q. 2. n. 19.] Missa etiam ex Christi meritis habet valorem; igitur quandoquidem illa merita semper eadem sint respectu quorumcumque ministrorum, sequitur Missam mali Sacerdotis aequaliter valere, ac illam quam celebravit bonus Sacerdos.

2. Praeterea. [*Oxon.* 4. d. 5. q. 11. — d. 3. q. 2. n. 6.— d. 6. q. 5. n. 2. seqq.] Valor Sacramentorum pendet ab intentione ministri intendentis facere quod Ecclesia illis in actibus facit; et tunc Deus ad talium signorum positionem infallibiliter causat effectum Sacramentorum: sed

tam bonus, quam malus Sacerdos conficiens Eucharistiam habet eamdem intentionem, faciendi scilicet quod Ecclesia facit, et in utroque Sacramento causatur a Deo idem effectus primarius, realis nimirum praesentia Christi sub speciebus; ergo etiam idem effectus secundarius, qui est Sacrificii valor.

3. PRAETEREA. 1. quaest. 1. c. *Quod quidam, § De his. Sacramentorum sanctitas in perversis hominibus, sive qui intus sunt, sive qui foris, constat impollutam atque inviolabilem permanere.* Idem quoque habetur c. *Multi saecularium;* igitur quicumque Sacerdos quantumcumque malus potest habere sanctitatem Sacramentorum eamdem cum bono, atque ita idem est valor Missae mali et boni Sacerdotis.

CONTRA. [*Quodlib.* q. 20. n. 20. seqq.] Missae sacrificium non praecise ratione rei contentae in ipso acceptatur, sed etiam quia offertur Deo, cui oportet esse gratam et acceptam offerentis voluntatem. Unde si Iudaei obtulissent Patri mortem Christi, non fuisset ea oblatio Deo accepta, quia sibi displicebat voluntas occidentium Christum; est igitur acceptum Missae sacrificium Deo, et ratione rei contentae, et ratione voluntatis offerentis, quae est voluntas Ecclesiae sponsae dilectae: sed voluntas ista Ecclesiae militantis conflatur et constat voluntatibus operantium in gratia, cui deinde voluntati Deus rependit praemium spirituale; igitur cum contingit celebrantem esse malum, minus bonum retribuitur Missae eius, quam si esset et operaretur in charitate; quia voluntas offerens non habet tot bonitates, vel tantam acceptabilitatem, quantam haberet si celebrans non esset malus.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 19.] Sacramentum Eucharistiae confectum seu a bono, seu a malo Sacerdote esse semper idem et aequale; at Missam boni Sacerdotis esse meliorem; quippe cui maius praemium spirituale correspondeat ac retribuatur a Deo. *Et declaratur:* nam oblatio sacrificii habet efficaciam pro illo, pro quo offertur ex opere operato, intuitu scilicet passionis Christi, cuius memoria in Missa recolitur, sicuti etiam alia Sacramenta, alioquin sacrificium mali Sacerdotis nihil prodesset iis, pro quibus offertur, quod communiter erroneum reputatur; ergo oblatio facta a malo Sacerdote aequalem habet efficaciam ex opere operato, ac illa quam facit bonus Sacerdos. Minister enim huius Sacramenti in persona Christi offert Deo sacrificium passionis ipsius Christi rememorativum, et offert tam voluntate Christi, quatenus offerendum instituit, quam voluntate habituali membrorum Christi, seu Ecclesiae militantis. Istius itaque corporis mystici, capitis scilicet et membrorum, una est voluntas grata atque accepta Deo; ergo gratum quoque et acceptum erit ipsi talis voluntatis sacrificium et oblatio, quicumque tandem sit nuntius et minister eius oblationis; et per consequens semper erit id sacrificium eiusdem valoris ex opere operato, quia capitis Ecclesiae merita semper sunt eadem coram Deo, et membrorum voluntas est una cum voluntate Christi hoc sacrificium instituentis, et offerri praecipientis; atque adeo quoties offertur semper prodest, et eodem modo confertur illis, quibus applicatur quicquid ex sui institutione per ipsum tribui statutum fuit; id enim est ipsum prodesse ex opere operato. Et porro, eorum pro quibus applicatur, si inter vivos agant, non remittit peccata mortalia, quia id tantum Poenitentia praestat, sed impetrantur per ipsum dona poenitentiae et contritionis, et ita mediate peccata re-

mittit; impetrat tamen remissionem poenae temporalis in vivis et defunctis, et venialium condonationem.

Et nihilominus [*Quodlib.* ib. — *Oxon.* ib.] mali Sacerdotis Missam diximus minus valere et prodesse in his, pro quibus celebratur: sacrificium enim quamvis de se habeat valorem, et sit impetrativum bonorum spiritualium reddendorum illis pro quibus offertur (uti dictum fuit *quaest.* 79. *art.* 7.), hunc tamen valorem et vim impetrandi exercet in actu secundo ipsa oblatio, quatenus ab offerente est, atque is valor Missae eo magis prodest, quo sanctior est minister offerens. Causa siquidem tanto efficacius agit, quanto perfectius applicatur, si causalitatis ipsius exercitium ab applicatione pendeat. Nam sacrificii applicatio in ordine ad acceptationem divinam, et impetrationem bonorum cupitorum perfectius applicatur, quando ipse minister offerens magis est Deo gratus. Et hoc quidem communiter contingit in omni gratia quae per impetrationem datur; exauditur enim magis persona magis grata; igitur boni Sacerdotis Missa habet maiorem vim impetrandi, quam Missa eius, qui ea in oblatione peccare supponitur. Et ratio praedictorum tacta est *in argumento ad oppositum:* quia nempe minister offert sacrificium in persona Ecclesiae militantis, quae sola potest mereri, et sola indiget bonorum quae consequi satagit: minister autem qui est in peccato non meretur ex parte sui, ut Deus reddat aliquid boni spiritualis, imo potius demeretur; igitur maiora dona dantur a Deo illis, quibus sacrificium applicatur, si a bono ministro persolvatur.

Ad Argumenta. Ad primum respondeo, [*Quodlib.* ib.] etiam Missae sacrificium ex opere operato semper habere aequalem valorem a quovis ministro offeratur, sicuti et Baptismi Sacramentum ex opere operato aequalem effectum suscipientibus tribuit. Sed hoc interesse inter unum et aliud Sacramentum, quia Baptisma sacrificium non est, ut Eucharistia. Quoniam ergo sacrificium est, requiritur persona sacrificans, vel offerens; quae si displiceat ei, cui fit oblatio, ut omnis peccator displicet Deo, ex totali illa oblatione conflata ex meritis Christi et offerentis, quibus per peccata privatur, non redditur, nec impetratur tantum boni, sicuti impetraretur, si offerens esset Deo gratus.

Ad secundum concedo [*Oxon.* 4. d. 5. q. 11. — d. 3. q. 2. n. 6.] requiri necessario in ministro intentionem, sive malus sit sive bonus, faciendi quicquid Ecclesia facere intendit; et exinde verum confici Sacramentum, et poni sub speciebus a Deo effectum primarium; at secundarium effectum, quem consequeretur offerens ut minister est, non pendere ab eius intentione, sed a gratia, per quam oportet ipsum esse membrum Christi, ut eius gratiam in sacrificando consequatur pro se, et pro iis, quibus sacrificium applicatur, et impetrare intendit dona supernaturalia, qua sacrificans est.

Ad tertium dico [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 19.] per malos ministros Christi Sacramenta non pollui, sed semper habere aequalem valorem et efficaciam, quatenus Sacramenta sunt, quia illum habent ex meritis Christi; sed nihilominus mali ministri oblationem non posse esse perinde gratam acceptamque Deo, uti boni Sacerdotis, cum in illo actu iudicium sibi accerset, et ideo nequire eius Missam tanti valoris esse, uti fuisset si in charitate existens celebravisset.

ARTICULUS VII.

UTRUM HAERETICI, SCHISMATICI, ET EXCOMMUNICATI POSSINT CONSECRARE.

Doct., Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *a.* 7.

VIDENTUR haeretici, schismatici, et excommunicati conficere non posse Eucharistiae Sacramentum. Etenim [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 6.] Sacerdos non offert sacrificium in persona propria, sed in persona Ecclesiae, cuius est minister: sed haeretici, schismatici, ac excommunicati sunt ab Ecclesia praecisi, nec communicant cum membris Ecclesiae; ergo tales ministri celebrando non conficiunt Sacramentum. *Assumptum* patet ex eo, quia Sacerdos dicit *Offerimus* tibi, et non dicit *offero,* nempe in persona totius Ecclesiae, et non in persona propria.

2. PRAETEREA. 1. q. 1. c. 71. estque Augustini: *Extra Catholicam Ecclesiam non est locus veri sacrificii:* sed eatenus Eucharistia verum sacrificium est, quatenus non subsistit Sacramenti veritas forma consecrationis incassum pronunciata; ergo ab iis qui sunt extra Ecclesiam Eucharistia perfici non potest.

3. PRAETEREA. Ibidem c. 73. estque Innocentii Papae ad Alexandriae Episcopum scribentis: *Arianos praeterea caeterosque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine poenitentiae, et Sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum cum Sacerdotii, aut ministerii cuiuspiam suscipi debere dignitate.* Sed sine sacerdotali dignitate perfici non potest Sacramentum Eucharistiae; igitur qui extra Ecclesiam sunt nequeunt consecrare.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2.] 1. q. 1. c. *Quod quidam* habentur sequentia: *Sacramentorum sanctitatem in perversis hominibus, sive qui intus sunt, sive qui foris, constat impollutam atque inviolabilem permanere.* Ergo Sacramenta Christi possunt perfici etiam ab illis qui extra Ecclesiam vagantur, si sint ministri idonei, idest, habentes a Christo potestatem conficiendi, quia Sacramentis non perfectis nulla est eorum sanctitas.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* ib. n. 6.] Ministros ab Ecclesia praecisos, uti sunt haeretici, schismatici, ac excommunicatione maiori percussi, modo habeant ordinem Sacerdotalem, posse simpliciter Sacramentum Eucharistiae perficere, seu consecrare, etiamsi quis esset haereticus circa Eucharistiae misterium, non credens sub illis speciebus contineri realiter Corpus Christi. Ut enim [*Oxon.* ib. n. 3.] dictum fuit supra art. 5. ad simpliciter posse, sic nempe ut sequatur simpliciter effectus, requiruntur character Sacerdotalis, materia debita, prolatio verborum a Christo institutorum, et intentio; ergo concurrentibus omnibus in praecisis ab Ecclesia revera Sacramentum conficiunt.

Et quod maius est, [*Oxon.* ib. n. 6. — 4. d. 6. q. 5. n. 2. seqq.] praecisus ab Ecclesia etiam hostiam consecraret, licet non crederet in Eucharistiae Sacramento vere et realiter contineri Christi Corpus, modo intenderet facere quod Catholici Sacerdotes facere intendunt, vel quod

Ecclesia in prolatione eorum verborum intendit, vel quod Christus faciendum instituit. Stante enim tali intentione, conficeret Sacramentum, esto circa illud esset haereticus. Quod enim Eucharistia conferat gratiam, aut quod in ipsa reperiatur realiter Christi Corpus, est finis utique intentus a consecrante Eucharistiam, sed est finis principalis et remotus; finis autem minus principalis et proximus est facere quod Christus faciendum instituit, vel Ecclesia efficere intendit. Ille autem finis remotus non est necessarius ad hoc ut iste actus consecrandi dicatur intentus a proposito, et humanus, sed sufficit ut habeat finem proximum et minus principalem. Igitur, stante errore circa finem principalem, potest Sacerdos praecisus et haereticus consecrare Eucharistiam, de qua re dictum fuit etiam *quaest.* 64. *art.* 8.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 6.] (quo motus Magister, 4. *dist.* 13. *cap.* 1. negavit haereticos conficere Eucharistiam, et eorum celebrationem Missam dici posse, quia sancti Angeli, ad quorum missionem Missam dictam esse putat, qui huius mysterii celebrationi assistunt, tunc non adsunt quando haereticus, vel schismaticus hoc mysterium temerare praesumit). Ad hoc igitur *respondeo* sic: quamvis oblatio fiat in persona Ecclesiae, eam tamen oblationem non pertinere ad rationem consecrationis, nec necessario requiri ut offeratur. Offertur enim hostia non consecrata, quae est caeremonia quaedam praeambula ad sacrificium, non ad consecrationem. Nec [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 4.] oportet Sacerdotem, qui ex errore aquam pro vino consecravit, vinum in calice infusum offerre ut consecret, sed satis est iterum repetere verba illa *Simili modo,* ut diximus supra *art.* 4. Sacerdos igitur in persona Ecclesiae offert, sed in Christi persona consecrat, cuius Corpus et Sanguinem vere et realiter sub speciebus adesse pronunciat, et ideo ponens signum ab ipso institutum infallibiliter sequitur effectus, si ponatur ut signum, idest, si proferantur verba per actum humanum, habentem intentionem finis, seu in universali, seu in particulari, non remoti, sed proximi, quia circa remotum potest iste errare, et non credere in illum finem, sicuti dicitur, 2. Priorum, *Contingit scire omnem mulam esse sterilem, et dubitare de hac mula.*

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 2.] Augustinum negare extra Ecclesiam reperiri verum sacrificium ratione effectus, ut ait Glossa *ibidem,* quia hoc pacto solummodo bonus Sacerdos, qui rite omnia peragit, offert verum sacrificium, idest, ex ea oblatione et perceptione recipit effectum spiritualem, quod est gratiae incrementum.

Ad tertium dicit Glossa, Pontificem nolle eos Sacerdotes vel Clericos recipi cum dignitatis executione, idest, ne permittantur exercere Ordines quos habent; exinde tamen non sequitur huiusmodi Sacerdotes non esse perfecturos sacrificium, si Ordinis executionem, vel exercitium temere attentarent, ut patebit *art. seq.*

ARTICULUS VIII.

UTRUM SACERDOS DEGRADATUS POSSIT SACRAMENTUM CONFICERE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *art.* 8.

VIDETUR Sacerdos degradatus non posse Sacramentum conficere. Nam [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 5. — *Report.* ib.] cum degradatur fit non Sacerdos; igitur aufertur sibi potestas Eucharistiam conficiendi; exinde enim spoliatur privilegio clericali, et traditur curiae saeculari.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib. n. 4. — *Report.* ib.] Potens aliquid ministerialiter conferre, idipsum potest ministerialiter auferre, imo magis potest, iuxta illam regulam, *facilius est destruere quam construere:* sed aliquis Ecclesiae Minister potest conferre, et confert Sacerdoti potestatem conficiendi Eucharistiam; ergo et aliquis minister Ecclesiae potest eumdem ea potestate privare; et per consequens cum quis degradatur eam potestatem amittit.

3. PRAETEREA. Si per degradationem Sacerdos non amitteret potestatem consecrandi Eucharistiam, sed dumtaxat nequiret ordinate facere, seu conficere; igitur degradatus perinde se haberet ac excommunicatus, aut suspensus, quia nec isti possunt licite et ordinate celebrare, et Sacramentum conficere; esto alias absolute et simpliciter possint. aliquid autem plus interesse videtur degradatum inter et excommunicatum.

CONTRA. [*Oxon.* ib. n. 2. — *Report.* ib.] 1. q. 1. cap. *Quod quidam: Nulla causa ostenditur cur ille, qui Baptismum non potest amittere,* ius *amittere possit baptizandi.* Ergo a simili, qui Ordinem Sacerdotalem amittere non potest, nec iure conficiendi privari potest: sed nullus Sacerdos potest amittere potestatem Sacerdotalem, quia character est indelebilis; ergo Sacerdos, quantumvis degradatus vel depositus, potest Sacramentum Eucharistiae conficere.

RESPONDEO igitur dicendum, Sacerdotem degradatum posse simpliciter Eucharistiae Sacramentum conficere. Ut enim [*Oxon.* ib. n. 3.] dictum fuit supra *art.* 5., ille censendus est materiam debitam simpliciter et absolute consecrare posse qui est Sacerdos ordinatus iuxta claves Ecclesiae, potens debitam habere intentionem, et necessaria verba proferre: degradatus autem non amisit Ordinem Sacerdotalem et potestatem ei annexam, quae sequitur ex Ordinis charactere indelebiliter impresso in anima; igitur si degradatus attentet consecrare, ac caetera necessaria concurrant, omnino Sacramentum conficiet.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM dico, [*Oxon.* ib. n. 5.] degradatum non fieri non Sacerdotem nisi quoad potestatis Sacerdotalis exercitium; nam degradans non delet, nec delere potest characterem Sacerdotalem a degradato; manente ergo illo stat et potestas conficiendi Corpus Christi. — *Et cum dicitur,* spoliatur degradatus privilegio clericali, et traditur curiae saeculari; *respondeo:* non est essentiale Ordini habere illud privilegium; quia non semper clerici illud habuerunt, sed videtur Constantinus primum illud concessisse, vel concessum a

Romano Pontifice ratum habuisse, atque ut eo libere frui permitterentur suis subditis praecepisse. Tale igitur privilegium non est necessario et essentialiter cum Ordine annexum, sic ut eo sublato necessario tollatur et Ordo. Sed reipsa Sacerdos qui degradatur illud privilegium non amittit. Nam in causa sanguinis vel quasi in causa sanguinis non judicatur ab alio, quam a judice ecclesiastico. Si autem a judice ecclesiastico tradatur degradatus curiae saeculari puniendus, judex saecularis est in tali casu minister et executor sententiae pronunciatae in foro ecclesiastico, quia nemo alius quam judex ecclesiasticus posset eum tradere iudici saeculari puniendum; committitur igitur sibi tamquam ministro iudicis ecclesiastici, et per consequens non spoliatur privilegio, sed eodem modo illo privilegio fruitur, ac si iudex ecclesiasticus adhiberet ministrum saecularem in punitione Clerici a se iudicati.

Ad secundum [*Oxon.* ib. n. 4.] *nego assumptum;* quia Deus non instituit eum, qui fuit minister conferendi Ordinem, posse esse ministrum quoque ablationis eius potestatis, quam voluit esse ab anima suscipientis indelebilem. Nec regula adducta valet in ministerialiter agente in Sacramentis. Pro quo adduci potest illud Apostoli, 2. *Corinth.*, cap. ult.: *Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in aedificationem.*

Ad tertium [*Oxon.* 4. d. 25. q. 1. n. 3.] quoniam legitime depositus vel degradatus non legitur postea restitutus bene tamen excommunicationis sententia percussi haud difficulter in pristinum restituuntur, modo resipiscant, sequitur manifeste, excommunicationem esse poenam canonicam medicinalem, ut scilicet ii qui sentiunt se ab fidelium communione separatos redeant ad cor, humilientur, et ita Ecclesiae unitati iterum incorporentur; e contra vero degradationem et depositionem esse poenam ultimam, et sine spe reintegrationis latam. Hoc igitur est quod addit ad excommunicationem (nam de suspensione liquet esse poenam ad tempus inflictam) degradatio; caeterum neutra privat Sacerdotem potestate Sacerdotali, ut dictum est.

ARTICULUS INCIDENS.

QUAENAM SIT POENA MINISTRI NON RITE ET ORDINATE CELEBRANTIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2.

Quicumque rite et ordinate intendit celebrare, primum opus est ut sit Ordine Sacerdotali ornatus, atque omnis canonici impedimenti expers, quod impedimentum appellatur poena canonica, de qua nobis est hic sermo. Nam de impedimento quod est culpa dictum fuit *quaest.* 80. *art.* 4. Poena [*Oxon.* 4. d. 25. q. 1. n. 3.] igitur canonica *est aliqua prohibitio actus exercendi, vel gradus recipiendi, qui alias competerent non prohibito.* Harum aliquot poenarum non fundantur super aliquam poenam, vel defectum naturalem, cuiusmodi sunt *degradatio, irregularitas, excommunicatio maior, suspensio ab executione eorum, quae sunt Ordinis, simonia, infamia,* et quaedam alia huiusmodi ad ista reducibilia, ut sub infamia potest contineri esse publicum peccatorem, quod etiam comple-

ctitur multa, scilicet publicum fornicarium, publicum usurarium, et huiusmodi.

Aliquae autem poenae canonicae [*Oxon.* ib. et nn. seqq.] fundantur super defectus *naturales.* Non enim voluit Ecclesia quascumque personas defectuosas ministrare in altari. Et merito, quia in veteri lege, *Levit.,* 21. ponitur lex homini, qui habuerit maculam ne accederet ad offerendum Deo suo panem, neque ad ministrandum ei. Et tametsi plerumque tales defectus non sint culpabiles habenti, recte nihilominus talibus defectibus Ecclesia poenas canonicas adiunxit; quia pusilli videntes tales in naturalibus defectuosos ministrare scandalizarentur. Quicquid autem sine peccato mortali potest dimitti, vitandum est, si eius causa oriatur scandalum pusillorum. Gratia ergo talis scandali vitandi, et magis propter reverentiam debitam Sacramento, Ecclesia interdixit notabiliter defectuosis, ut sunt mutilati, vel horribili infirmitate tabidi, ut leprosi, et similes, altaris ministerio sub variis poenis canonicis, quae notantur in Canone, *dist.* 25. et *Extra de corpore vitiatis.*

Quaenam [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 10.] est igitur poena ministri attentantis ac facere audentis *contra prohibitionem Ecclesiae? Respondeo,* si non est Sacerdos, et attentet facere quae Sacerdotis sunt, non solum peccat mortaliter, et ex defectu potestatis nihil omnino facit, sed etiam irregularis est, ut expresse habetur *De Clerico non ordinato ministrante,* cap. 1. et 2. Et universim quicumque exequens vel attentans actum alicuius Ordinis in quo non fuit ordinatus irregularis est, sicuti est manifestum ex *citato titulo in diversis capitulis.*

Poena [*Oxon.* ib.] pariter ministrantis in quocumque ex praefatis impedimentis canonicis, videtur esse irregularitas, sicuti habetur, *Extra de Clerico excommunicato vel deposito in diversis capitulis.* Et maxime si ministrans sciat talem poenam sibi fuisse inflictam. Caeterum si ignorat, aut laborat ignorantia iuris, vel facti. Et ob priorem ignorantiam non excusatur, quia exponens se ad tantum actum, qualis est ministerium altaris, tenetur scire iura secundum quae potest, vel non potest debite et ordinate exercere illum actum; quae si nesciat, magis ex tali ignorantia eius culpa videtur aggravari.

Ignorantia autem *facti* excusat, [*Oxon.* et *Report.* ib.] ut habetur in praeallegato titulo, cap. *Apostolicae.* Et hoc est verum, nisi fama veridica et publica sibi manifestet se tali canonico impedimento esse irretitum. Quod probatur ex his quae habentur in eodem titulo, cap. *Illud Dominus,* dicitur enim ibi: *Cum si nonnisi per famam de sententia contra eum lata constaret, peccare non credidit, si divina officia, quantumcumque solemniter, celebravit.* Et subditur: *Quia in dubiis via tutior est eligenda, si de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare.* Et denique concluditur: *Cum eo misericordiam facientes, poenam quam Canon his, qui post excommunicationem divina praesumpserunt celebrare, infligit, non duximus infligendam.* Papa igitur misericorditer relaxat dubitanti poenam, quam incurrit ex Canone is, qui celebravit divina, postquam innotuit sibi per famam de excommunicatione in ipsum lata.

Inter [*Oxon.* ib. n. 11.] huiusmodi tamen canonica impedimenta non concluditur *minor excommunicatio,* adeo ut ex ipsa poena sequatur irregularitatis. Quamquam enim celebrans cum ipsa graviter peccet, non

tamen irregularitatis notam incurrit, ut habetur *Extra, De Clerico excommunicato,* cap. *Si celebrat.*

De peccatore autem publico, [*Oxon.* ib.] seu notorio certum est, ipsum priusquam poeniteat Sacramentum conficiendo mortaliter peccare, non solum quia est in peccato mortali, sed quia scandalizat. Sed incurrit ne conficiendo irregularitatis poenam? Forte non invenitur in Canone inflictam esse hanc poenam publico peccatori celebranti. Quamvis enim dist. 32. cap. *Nullus,* interdicatur omnibus audire Missam Presbyteri quem indubitanter sciunt concubinam habere, atque exinde videatur sequi prohiberi talem Presbyterum Missam celebrare, quia magis ipse adstringitur ad cavendum quam audiens ne audiat, et consequenter celebrando contra praeceptum Ecclesiae facere videatur; nihilominus ista consequentia non est necessaria in poenis, quia poenae non sunt ampliandae, et quandoque prohibetur communicatio cum isto ut corrigatur, non tamen propterea infligitur isti poena irregularitatis, si exerceat talem actum. — Et idem posset dici de *usurario,* [*Oxon.* ib. n. 12.] etiam dum maneat in peccato usurae. — Sed quid de *infami,* qui de peccato poenituit, sed nondum est in integrum restitutus, fitne irregularis celebrando? Dico, non incurrere in irregularitatis poenam, nisi inveniatur inflicta in iure Canonico. — Caeterum *simoniacus* videtur esse simpliciter irregularis, iuxta illud decretum dist. 32. c. *Maritum,* ibi enim inter non promovendos nominatur ille qui per emptionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam obtulit. Et 1. q. 1. c. *Eos qui,* Papa Gregorius ipsos omnino simoniacos damnat, ac deponendos auctoritate Apostolica censet. Et de hoc habetur *Extra de Simonia in textu, et in Glossa.* Ergo simoniacus videtur simpliciter inhabilis propter poenam Canonicam ad exercendum actum Ordinis, sicut omnino est deiiciendus a Clero, secundum auctoritatem adductam.

Nulla ergo conditio [*Oxon.* ib.] ex parte ministri requisita, et non observata facit ipsum irregularem, nisi defectus Sacerdotii, aut alterius Ordinis, quem exercet, vel alia poena simpliciter prohibens, et removens ab exercitio Sacerdotii; et per consequens Sacerdos non prohibitus per talem poenam conficiendo non incurrit irregularitatem; nec ergo propter peccatum, nisi sit tale cui annectatur prohibitio canonica, nec propter non ieiunium, nec propter carentiam ornamentorum debitorum, nec breviter propter quaecumque alia sub praedictis non contenta incurritur irregularitas.

ARTICULUS IX.

UTRUM LICEAT AB EXCOMMUNICATIS VEL HAERETICIS SEU PECCATORIBUS COMMUNIONEM RECIPERE, ET EORUM MISSAM AUDIRE.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *d.* 5. *q.* 2.
S. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 9.

VIDETUR licere a praecisis vel a publicis peccatoribus communionem recipere. Nam [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1.] licitum est a talibus hominibus

Sacramento Baptismi initiari, saltem in extrema necessitate; ergo in pari necessitate positis licitum quoque erit Eucharistiam sumere; utrumque enim Sacramentum est ad salutem necessarium.

2. PRAETEREA. Ideo licitum est ab haereticis et improbis Sacramentum Baptismi recipere, quia servata Ecclesiae forma, quam et Christus instituit, verissime tale Sacramentum ab illis confertur: sed [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 2. seqq.] ex dictis supra *art.* 7. praecisi, quantumlibet mali, modo sint Sacerdotio initiati, vere conficiunt Corpus Christi; igitur licebit verum Christi Corpus de manibus eorum sumere.

CONTRA, [*Oxon.* ib. n. 11.] dist. 32. c. 5.: *Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Unde etiam Sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit.* Idem quoque reperitur *cap. sequenti.* Et 24. q. cap. *Si quis,* et cap. *Coepit Hermenegildus,* habetur non licere ab haereticis communionem accipere.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 4. d. 25. q. 1. n. 16. seqq.] de manibus excommunicatorum, et haereticorum non licere Christi Corpus accipere. Et quoad *excommunicatos* liquet 11. q. 3. c. *Cum excommunicato,* et multis *aliis capitulis,* ubi expresse habetur cum ipsis neque orare, neque loqui, neque vesci, sive publice sive clam licere, adeo ut secus facientes in minorem excommunicationem incidant ipso facto, excommunicandi per sententiam nisi resipiscant. Qui igitur communicat cum excommunicatis mortaliter peccant. (*Quae iura intelligenda sunt de excommunicatis per latam sententiam declaratis, aut de publicis Clericorum percussoribus, taliter ut factum nulla possit tergiversatione celari; non vero de excommunicatis a iure, in quam tamen excommunicationem eos incidisse Iudex non declaravit, iuxta Constitutionem editam* in Concilio Constantiensi sub Martino V. *et confirmata* in Basileensi *tempore quo legitimum fuit*).

Quod *haereticos* attinet, [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 6.] supponendo esse nominatim excommunicatos non licet ab eis sacram communionem sumere, ut diserte notatur 23. *q.* 1. cap. praeallegato *Coepit.,* ubi a Beato Gregorio dignis laudibus extollitur S. Martyr Hermenegildus, eo quod a perfido Episcopo Ariano noluerit sacrilegae consecrationis communionem recipere, quo facto in gratiam Patris reverti potuisset. Ea ergo communione reiecta iussu impii Patris occisus Martyr Christi efficitur.

De Sacerdotibus *improbis* et *peccatoribus* [*Oxon.* 4. d. 13. n. 3. seqq.] distinguendum est; aut enim est sermo de occulto malo, adeo ut vita eius non sit scandalo populis, aut de publice et notorie malo, notorietate nimirum facti, vel iuris, seu per iudicis sententiam. Et de prioribus dicendum, licere a talibus Sacramenta recipere; quia propter peccatum quod non est notorium non debet aliquis in actibus notoriis vitare proximum. Si autem Eucharistiae minister est notorie malus notorietate facti, et ab Ecclesia toleratur, nec repellitur a ministerio Sacramentorum, ut si est Parochus, cui ex officio incumbit Christi Sacramenta suis parochianis dispensare, licitum est accedere ad ipsos, ac de manu eorum Eucharistiae Sacramentum suscipere, praesertim cum omnes ex Ecclesiae praecepto communicare tenentur, ut in Paschatis solemnitate. Et ratio est, quia quamdiu tales tolerantur ab Ecclesia aeque retinent suum ius, ac quicumque alius non malus, ministrandi Sacramenta; ergo cum non sit in potestate Paro-

chianorum (ut diserte habetur dist. 28. cap. *Consulendum*) repellere ipsos a tali ministerio, licite ad ipsos accedunt pro susceptione quorumcumque Sacramentorum. Si vero nulla adest necessitas ad tales accedendi, quia scilicet non urget praeceptum, et habent copiam aliorum ministrorum non notorie malorum, debent ad illos pro suscipiendis Sacramentis accedere, quia tunc sine causa darent occasionem illis peccandi; etenim malus minister in administratione Sacramentorum peccat.

Quod si malus Sacerdos, [*Oxon.* ib. n. 11.] sit publice malus notorietate iuris, aut per illam sententiam deiectus est a suo ministerio, et tunc peccat accedens ad illum pro suscipienda Eucharistia, quia debet quilibet se conformare sententiae Ecclesiae; aut non est deiectus, nec privatus suo munere, sed toleratur ab Ecclesia, et tunc dicendum est sicut de publico malo notorietate facti.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 4. d. 5. q. 1. — d. 13. q. 2.] concedo, licitum esse in casu necessitatis Sacramentum Baptismi a quibusvis recipere, sed non proinde idem licere circa Eucharistiae Sacramentum; quia Baptismus est necessitate medii necessarius, sic ut nemo sine illo salutem consequi queat, et ideo instante necessitate, si nemo alius adsit, suscipiendus est a ministro etiam praeciso; at non oportet suscipere Eucharistiam a praeciso ministro, quia tunc nullum vel letalem habet effectum, ut scribitur 24. q. 1. *sed illud Augustini;* ubi tactam rationem affert Glossa et subdit: *quicumque accipit Baptisma accipit Christi Corpus sed non convertitur,* quia, ut habetur *De Consecr.*, dist. 4. cap. *Nulli est aliquatenus ambigendum: In Baptismate quisque membrum Christi efficitur, nec alienatur ab illius panis, calicisque consortio, etiam antequam panem illum comedat,* etc., idest per Baptisma suscipiens Christo incorporatur, evaditque membrum eius, ac per consequens si tunc ex hoc saeculo abscedat, aliis Sacramentis non indiget, si eorum particeps esse non possit.

Ex his patet ad secundum; non enim ex eo prohibentur fideles a praecisis membris Eucharistiam suscipere, quia ab illis Sacramentum non conficiatur non servata Ecclesiae unitate, sed quoniam sine Eucharistiae reali susceptione decedentes fideles salutem consequi possunt, et ideo non expedit, nec debet de manibus haereticorum et praecisorum sacrilegae consecrationis sacramentum suscipere, ut ait praeallegatus Gregorius.

Ad Argumentum *in oppositum* quatenus facit contra secundam partem resolutionis, *respondeo,* [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 11.] Canonem illum fuisse declaratum per Gregorium IX. Extra *De cohabitatione Clerici cap. finali,* ubi dicit non esse huiusmodi malos ministros evitandos, *nisi peccatum eorum sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in iure, aut per evidentiam rei, quae tergiversatione aliqua celari non possit.* Et ibidem cap. *Vestra: Sine dubitatione,* inquit, *teneatis, quod a Clericis et Presbyteris quamquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina mysteria audiantur, et alia recipiantur Sacramenta.* Quae omnia pretacta sunt *in solutione.* Unde et Glossa super allegatum cap. *Nullus,* ait, eum Canonem quandoque fuisse latae sententiae; sed hodie non esse.

ARTICULUS X.

UTRUM LICEAT SACERDOTI OMNINO A CONSECRATIONE EUCHARISTIAE ABSTINERE.

Doctor, Quodl. q. 20. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 82. *art.* 10.

VIDETUR licere Sacerdoti poenitus a Missae celebratione cessare si nulla occurrat obligatio, cui satisfaciendum sit per Sacrificium. Nam [*Oxon.* 4. d. 6. q. 1.] etsi Baptismus ob summam eius necessitatem possit a quolibet conferri indigenti, nihilominus eius et aliorum Sacramentorum minister proprius est Sacerdos: sed Sacerdoti non habenti curam animarum licitum est cessare ab administratione Baptismi, et aliorum Sacramentorum; ergo pariter poterit licite abstinere a consecratione Eucharistiae.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 19. — d. 25. q. 1.] Nemo tenetur facere quod nequit ordinate et utiliter facere: sed interdum Sacerdos reperitur ab exequutione suorum Ordinum suspensus, at excommunicatus, vel indispositus ob culpam letalem; ergo tunc non debet celebrare, quia mortaliter peccaret; alioquin si ad celebrandum teneretur, esset in lege Dei perplexus, quod non est dicendum, vel commodum ex propria malitia reportaret, quia ab obligatione absolveretur, quam alii probi haberent.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Non raro accidit, ut Sacerdos aliqua horribili infirmitate, ut lepra, aut morbo caduco corripiatur, aut aliquod membrum ad celebrandum necessarium amittat: sed si isti ex Ordine Sacerdotali tenerentur Eucharistiam conficere ob insequentia praedicta impedimenta, non excusarentur a celebratione Missae; igitur Sacerdos ex Ordine non tenetur Eucharistiam conficere.

CONTRA. Quando minister confert ministerialiter Sacramentum Ordinis, Deus imprimendo characterem in anima suscipientis dat potestatem conficiendi Eucharistiam; ergo non licet Sacerdoti omnino a consecrando Eucharistiam abstinere. *Probatur consequentia,* quia si licite Sacerdos id penitus omittere posset, igitur frustra data fuisset ei talis potestas a Deo: Deus autem nihil facit frustra; ergo, etc.

RESPONDEO dicendum, [*Oxon.* 3. d. 20. n. 3. — 3. d. 9. n. 2.] minime licitum esse Sacerdoti omnino a celebrando abstinere. *Probatio:* homo viator constans anima et corpore tenetur secundum proprium statum et conditionem, non solum actibus animae internis protestari summam reverentiam summo Deo Creatori, Conservatori, et Reparatori, sed etiam actibus externis, qui interiorum sint signa, quibus innuat se fateri summam esse in Deo dominationem, eique deberi summam reverentiam, quia summum bonum, et dominus universorum. Hinc in Lege naturae, et Mosayca aliqui ritus et sacrificia erant instituta, quibus Deo debitus honor exhibebatur; nec licite ea poterant omitti statis diebus; ergo etiam in Lege Evangelica licite non potest omitti exhibitio et repraesentatio Sacrificii a Christo instituti, quo reddatur debitus cultus et honor Deo, tempore saltem congruo ab Ecclesia determinato; ergo [*Oxon.* ib. n. 5.] sicuti populus die dominico tenetur interesse oblationi illius Sacrificii quod in Missa offertur, ut patet *De Consecr.*, dist. 1. c. *Missas,* ita et Sa-

cerdos non legitime impeditus eo die tenetur celebrare, et offerre Sacrificium pro se, et pro populo, et per consequens licite non potest Sacerdos omnino cessare a Missae celebratione. — *Deinde,* [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 18.] Sacerdos ob ordinationem et gradum suum, quo non est altior in Ecclesia militante, est mediator inter Deum et Ecclesiam; ergo nequit licite omittere ea, quae ipsi competunt ratione status, in quo habet potestatem super Christi Corpus verum, et mysticum: sed de ratione status mediatoris est reconciliare, vel magis unire extrema inter quae mediat; ergo sine iniuria sui muneris et sine culpabili omissione non potest cessare omnino ab isto actu: sed tunc officio mediatoris fungitur cum offert Eucharistiae Sacrificium Deo pro Ecclesia, quae sibi spiritualiter assistit in offerendo; ergo saltem diebus cultui Deo specialiter deputatis debet tam salutare Sacrificium offerre. Sed quisque debet facere quod non licite omittit. — *Postremo,* [*Quodl.* q. 20. — *Oxon.* 4. d. 4. q. 6.] ex regula charitatis quisque tenetur potissimum ad seipsum, et generaliter ad omnem proximum: sed Sacerdos per Sacrificii oblationem potest sibi ipsi plurimum prodesse et acquirere bona spiritualia, et toti Ecclesiae secum offerenti idem sacrificium; ergo contra regulam charitatis faceret penitus omittendo Missam celebrare; igitur id inculpabiliter facere non potest, quia nec seipsum, nec proximum diligeret, imo gratiam videretur contemnere, quam per actum facilem posset lucrari.

Ad Argumenta. Ad primum [*Oxon.* 4. d. 8. q. 1. — *Report.* ib.] respondeo, caetera Sacramenta ab Eucharistia non habere rationem Sacrificii, et ideo Sacerdotem, qui ad ea ministranda ex alio titulo non obligatur, vel non urgeat necessitas aliqua, non teneri ad ea impertienda fidelibus; at quia in Eucharistia ultra rationem Sacramenti habetur propriissima sacrificii essentia, quod unicum in Lege Evangelica Christus instituit, ideo Sacerdos, alias idoneus, sine culpa nequit penitus illud omittere, tenetur enim offerre, tum ad exhibendum debitum cultum et honorem Deo, tum quia est mediator inter Deum et Ecclesiam et ideo debet pro Ecclesia orare, et offerre Sacrificium, cui infallibiliter reponditur a Deo bonum spirituale.

Ad secundum respondeo, [*Oxon.* 4. d. 4. q. 5. — 4. d. 9.] quamdiu Sacerdoti interdicta est ab Ecclesia ordinis exequutio, non debet celebrare, neque tunc ad celebrandum tenetur; et ideo in Lege Dei perplexus non est. Neque illum proinde commodum reportat, imo magnum detrimentum patitur, quia privatur omnibus illis bonis spiritualibus, quorum particeps fieret, si celebraret. At non excusatur per peccatum, cui non est annexa censura ecclesiastica, quia tenetur satagere ut sit extra peccatum mortale, et si in ipso reperiatur debet ad Poenitentiae Sacramentum recurrere, cuius si copiam habere nequeat, et urgeat necessitas celebrandi, ut in die dominico, debet corde poenitere, cum voto confitendi quam primum licuerit, ut dictum fuit *q.* 80. *art.* 4.

Ad tertium dico, [*Oxon.* 4. d. 25. q. 1. n. 9.] Sacerdotes, quibus supervenit aegritudo horribilis, vel mutilatio aliqua notabilis membrorum, conficere non posse hoc Sacramentum, non ex defectu auctoritatis, sed quia Ecclesia rationabiliter huiusmodi a ministerio Altaris arcet, et ob reverentiam Sacramenti, et ad vitandum scandalum pusillorum; quidquid enim sine peccato mortali potest dimitti vitandum est, si ex exercitio eius oriatur scandalum pusillorum, ut etiam supra in *incidenti art.* 8. *notatum fuit.*

QUAESTIO OCTUAGESIMATERTIA.

DE RITU HUIUS SACRAMENTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de ritu huius Sacramenti.

Et circa hoc quaeruntur sex.

1. Utrum in celebratione huius mysterii Christus immoletur. - 2. De tempore celebrationis. - 3. De loco et aliis quae pertinent ad apparatum huius celebrationis. - 4. De his quae in celebratione huius mysterii dicuntur. - 5. De his quae circa celebrationem huius mysterii fiunt. - 6. De defectibus, qui circa celebrationem huius Sacramenti occurrunt.

ARTICULUS I.

UTRUM IN HOC SACRAMENTO CHRISTUS IMMOLETUR.

Doctor, Quodl. q. 20. — *S. Thom.* 3. *p. q.* 83. *art.* 1.

VIDETUR non immolari Christus in hoc Sacramento. Etenim [*Quodl.* q. 20. n. 22.] *Hebr.*, 9. dicit Apostolus: *Christus semel oblatus est:* scilicet a seipso offerente passionem suam Patri: sed ea unica oblatio extitit eius immolatio in Cruce; ergo non immolatur cum Missae Sacrificium offertur.

2. Et ex hoc arguitur 2.; quia [*Quodl.* ib.] quando Christus immolatus est tradens semetipsum passioni, idem fuit offerens et oblatum, idem Sacerdos et hostia; sed cum offertur in Sacrificio Missae non est idem Sacerdos et hostia, ut patet; ergo Christus in hoc Sacrificio non immolatur.

CONTRA. *De Consecr.*, dist. 2. cap. 52.: *Semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in Sacramento.*

RESPONDEO dicendum, in hoc Sacramento Christum immolari. — *Declaratur:* [*Quodl.* ib.] cum dicimus, Christum immolari in hoc Sacramento, non est id accipiendum, quasi rursus immoletur, ut semel in Cruce factum est; sed immolatur quatenus hoc in Sacrificio fit specialissima commemoratio oblationis, quam Christus obtulit in Cruce, iuxta illud Lucae, 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Immolatur etiam, quia per Missae Sacrificium specialius in ipsum celebrantem, in eos quibus applicatur, et in totam denique Ecclesiam redundant beneficia passionis Christi, quia per ipsum Christum Deus largitur gratiam et spiritualia dona omnibus, qui illis percipiendis inveniuntur idonei, atque id infallibiliter, quia merita passionis Christi, per quae Deus in hoc Sacrificio obsecratur, postulant, ut Deus toti Ecclesiae celebranti, et iis pro quibus applicatur reddat de condigno tantum bonorum spiritualium, quantum oblatio, et ratione rei contentae et ratione offerentis, meretur. Et hoc insinuavit Salvator illis verbis, Ioann., 6.: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Etenim in hoc Sacrificio Christus quidem est principalis offerens, sed non immediate; offert enim per Sacerdotem, habentem voluntatem Christi, et Ecclesiae. Quotiescumque igitur Christus

ut summus Sacerdos offert Sacrificium, Sacerdos enim nonnisi in persona eius offert et perficit, panis quem dat, idest caro eius, est mundi vita, quia praesertim per hoc sacrificium salutare participat Ecclesia effectum et fructum passionis suae, cuius memoria potissimum in hoc Sacrificio recolitur.

AD ARGUMENTA. AD PRIMUM [*Quodl.* ib.] dictum est, qua ratione in hoc Sacramento Christus immolari dicatur, quia scilicet recolitur memoria passionis eius, et effectus participamus immolationis olim peractae in Cruce.

AD SECUNDUM dicendum, [*Quodl.* ib.] Sacerdotem Sacrificium offerentem, in persona Christi offerre, quemadmodum in eius persona verba consecrationis pronunciat, et Sacramentum perficit.

ARTICULUS II.

UTRUM CONVENIENTER SIT DETERMINATUM TEMPUS CELEBRATIONIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 83. *a.* 2.

VIDETUR minus convenienter fuisse tempus Missae celebrandae determinatum. Etenim [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 1.] Christus hoc Sacramentum instituit in novissima coena, quando et Eucharistiam consecravit; igitur convenientius videretur vespertinis horis Sacramentum istud celebrari, quam ante meridiem, quia magis Christi institutionem imitaremur.

2. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] In hoc Sacramento recolitur specialis memoria Christi passionis; ergo potissimum deberet confici in die Parasceves, quando Christus in Cruce passus est: sed tunc non perficitur istud Sacramentum; ergo incongrue videtur institutum, et repraesentari in Ecclesia.

3. PRAETEREA. [*Oxon.* ib.] Ut quis salubriter hoc Sacramentum recipiat, extra casum necessitatis debet esse ieiunus a media nocte; igitur transacta medietate noctis licitum esset hoc Sacramentum perfici, adeoque incongrue videtur institutum, ut initium expectetur diei, vel aurora.

4. PRAETEREA. In die nativitatis Domini celebrantur tres Missae, et non in aliis diebus: sed nihil magis distat ab eo quod hoc sacrificium repraesentat, quam dies illa; nam nativitas et mors Christi summe opponuntur; ergo incongrue celebrantur tres Missae, quibus ter fit commemoratio mortis Christi, in die nativitatis eius.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 15.] Circumstantiae in quibus celebratur Missae Sacrificium ordinatae sunt per Ecclesiam Catholicam, quae Spiritu veritatis ducitur et regitur; igitur convenienter.

RESPONDEO, [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 18.] *primo* videbimus de tempore idoneo Missae celebrandae, et *deinde* de eius congruitate constabit *ex solutione argumentorum.* De *primo* igitur dicendum est, a principio diei usque ad nonam Missam congrue posse celebrari. Non intelligendo quidem, nec accipiendo principium diei ab ascensu solis super horizontem nostrum; sed ab illa hora, ex qua radii solares illuminant hemispherium nostrum, et secundum auctores in libro *De Crepusculis,* incipit quando

sol est sub horizonte ad decem, vel octo gradus, quorum ascensus non continet spatium ultra medietatem horae, et quintam unius horae. Quod autem non ante illum terminum licitum sit celebrare, probatur ex dist. 1. *De Consecr.*, cap. *Nocte sancta nativitatis,* ubi iubentur Presbyteri noctu Missam celebrare, et Hymnum Angelicum in ea solemniter decantare, etc. Et eadem dist. cap. *Solent.*, § *In ieiuniis ordinatur: in Sabato Sancto circa noctis initium Missarum solemnia esse celebranda.* Et ratio est, quia illa pars diei artificialis, quae est post nonam Sabbati Sancti, computatur cum nocte praecedente diem Dominicam, unde in benedictione Cerei dicitur: *Haec nox est,* etc. Et in oratione: *Deus, qui hanc sacratissimam noctem.* Tantum igitur ex Ecclesiae ordinatione, aut privilegio licitum est ante initium aurorae Missam celebrare.

Terminus autem celebrationis, [*Oxon.* ib.] ultra quod tempus non licet Eucharistiam conficere, hora nona est, ut colligitur ex consuetudine Ecclesiarum. Qui quidem terminus maxime attingitur in diebus ieiuniorum, quando regulariter in Ecclesiis collegiatis consuevit circa horam nonam Missa de ieiunio celebrari.

Istam autem circumstantiam temporis concomitatur quoddam necessarium ad faciendum tractum temporis in celebratione Missae ordinata, quacumque hora diei artificialis fiat, scilicet legere introitum orationes, et Epistolam, sicuti in Missalibus secundum usum Ecclesiae Romanae notatur, sine quibus praemissis nullus ordinate conficit, nec forte absolute quis consecraret, nisi praemitteret ad minus illa verba, quibus significatur se pronuntiare verba consecrationis in persona Christi, non in persona Sacerdotis.

Ad Argumenta. Ad primum dico, cur Salvator vespere voluerit coena peracta hoc Sacramentum instituere, dat rationem Augustinus, [*Oxon.* 4. d. 8. q. 3. n. 8.] et refertur dist. 2. *De Consecr.*, cap. *Liquido: Quo vehementius,* inquiens, *commendaret mysterii huius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere in cordibus discipulorum.* Et subdit: *quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat reservavit docendum.* Ecclesia ergo Spiritus Sancti ductu alio respexit, cum sancivit intra praedictum tempus Missas esse celebrandas. Et plures rationes habuisse ita statuendi habentur in textu et glossa praeallegati cap. *Nocte Sancta. De Consecr.*, dist. 1. quarum prima fuit, quia hoc Sacramentum ad tempus gratiae pertinet, quod per diem significatur, secundum Paulum *ad Romanos,* 13.: *Nos praecessit, dies autem appropinquavit.* Sequentes etiam tanguntur in textu capitis: reliquis vero temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandae, quia et eadem hora Dominus Crucifixus est (lingua nimirum Iudaeorum, ut habetur *De Poenit.*, dist. 1. cap. *Perniciose*) *et super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur.*

Ad secundum dicendum, ex hoc ipso quod hoc Sacramentum est repraesentatio dominicae passionis, congrue institutum fuisse ne in die Parasceves perficeretur, quia ubi res in seipsa et in propria specie manens geritur, non congruit per signa et alienas species repraesentari; praesente enim veritate cessat omnis umbra et figura eius. Convenientissime igitur [*Oxon.* 4. d. 3. q. 4. n. 19.] Ecclesia statuit in Parasceves die non esse faciendum per Missae Sacrificium commemorationem passionis Christi, quia ea ipsa die peracta fuit.

Ad tertium [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2.] patet ex dictis *ad primum,*

quibus de causis Ecclesia id tempus in celebrando servari statuerit. Et sane qui ei decreto et consuetudini stare non curaret et notabiliter transgrederetur sine Ecclesiae concessione, proculdubio peccaret.

AD QUARTUM [*Oxon.* ib. n. 18.] respondeo ex glossa super citatum caput, *Nocte Sancta,* Ecclesiam statuisse in die Nativitatis tres Missas celebrari iustis de causis; nam voluit celebrari primam ante diem, ut significaretur tempus ante legem quando eramus in tenebris; secundam in aurora ad innuendum tempus ipsius legis, in quo non plena cognitio Dei habebatur; et tertiam denique in die, ad ostendendum tempus gratiae, in quo per Evangelium plena cognitio Redemptoris et Mediatoris habetur.

ARTICULUS III.

UTRUM OPORTEAT HOC SACRAMENTUM CELEBRARI IN DOMO ET IN VASIS SACRIS.

Doctor, Oxon. 4. *d.* 13. *q.* 2. — *Report. ib.* — *S. Thom.* 3. *p. q.* 83. *a.* 3.

VIDETUR [*Oxon.* 4. d. 6. q. 9. n. 4.] non oportere Eucharistiae Sacramentum perfici in domo, et vasis sacris; imo si fiat, id frustra et incongrue fieri. Huiusmodi enim res, domus scilicet, et vasa sacra, in quibus hoc conficitur Sacramentum, inanimes sunt; ergo incapaces quavis sanctificatione; igitur frustra atque incongrue sanctificantur et consecrantur.

CONTRA. [*Oxon.* 4. d. 11. q. 3. n. 15.] Catholica Ecclesia Spiritu Sancto dirigitur; ergo quemadmodum per hoc exponit Scripturas eo spiritu, quo conditae sunt, ita et quaecumque circa Christi Sacramenta statuit, ab eodem Spiritu directa fuit, atque ita convenientissime.

RESPONDEO, ut in *art. praec.* processimus, ita hic *primo* recensebimus quae a Sacris Canonibus circa praesens *quaesitum* sanciuntur, et *postea ad argumentum,* in quo tangitur de convenientia, seu congruitate. Quantum igitur ad *locum* seu *domum,* [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 13.] in qua peragenda sunt huius Sacramenti mysteria, dicendum, omnino oportere esse sine canonico impedimento, ne scilicet sit domus, vel locus, vel Ecclesia interdicta; et ulterius, ut sit convenienter disposita et praeparata et per convenientem sanctificationem. Et *primum* quidem est simpliciter necessarium; nam celebrans in loco interdicto facit contra Ecclesiae expressam prohibitionem, et ita inordinate facit. *Secundum* etiam est necessarium, nisi casus necessitatis occurrat, ut patet per illud *De Consecr.,* dist. 1. cap. *Sicut,* ubi dicitur: *non in aliis, quam Domino consecratis locis, idest tabernaculis a Pontificibus delibutis Missas cantare, et celebrare licet.* Idem habetur cap. sequenti. Et cap. *Hic ergo* et cap. sequenti scribitur: *Nullus Presbyter Missas celebrare praesumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de caetero voluerit esse Sacerdotii.*

Quod vero [*Oxon.* 4. ib. — *Report.* 4. ib.] occurrente casu necessitatis non sit necessaria talis Ecclesiarum vel locorum sanctificatio, habetur eadem dist. cap. *Concedimus,* ubi exponitur casus, ut si Ecclesiae in patria sint propter bella, vel aliis de causis destructae, *tunc*

in Cappellis cum tabula consecrata missas interim celebrari permittimus, donec Ecclesiae ipsae restaurari queant. Et in glossa tangitur alius casus de itinerantibus, cum scilicet quis de via penitus nequit accedere ad aliquam Ecclesiam consecratam, quod regulariter est verum de navigantibus, et caeteris huiusmodi. Non est enim verisimile Ecclesiam impedire voluisse observantiam illius praecepti Decalogi, *Sanctifica Sabbatum,* (quod ipsamet interpretata est de Sacro audiendo in die dominico, *De Consecr.,* dist. 2. cap. *Missas*) per aliquod praeceptum minoris obligationis, quale est de praeparando loco per consecrationem ad Missam celebrandam. Nam non debet quis restringi, et prohiberi ne observet magis necessarium per obligationem ad minus necessarium.

Sed quaenam, et ubi sunt loca consecrata? *Respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 14. — *Report.* ib.] Ecclesias Parochiales, et Collegiatas esse consecratas regulariter loquendo, vel benedictas, quae iisdem fruuntur privilegiis, quibus gaudent consecratae, ut habet gloss. cap. finali *De Consecrat. Ecclesiae;* requiritur tamen consecratio Altaris, sive illud sit fixum, sive mobile. At oratoria, quae dicuntur cappellae, non possunt haberi quae sint consecratae, nisi de licentia Episcopi, ut notatur, dist. 1. *De Consecr.,* c. 33. *Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, et ibi orare, Missas autem ibi celebrare non licet;* nisi auctoritate Episcopi, vel in casibus necessitatis, secundum glossam. Istius praeterea loci requiritur ornatus, quod praesertim est intelligendum de Altari. Nam ad Ecclesiae ornatum satis est lumen, et Crux, nec aliud in Canonibus invenitur decretum, ut habetur cap. *Nemo, De Consecr.,* dist. 1. *Nemo Ecclesiam aedificet antequam Episcopus Civitatis veniat, et ibidem crucem figat, etc. et ante praefiniat qui aedificare vult, quae ad luminaria sufficiant.* Et *De celebr. missar.* cap. ult. De eo qui sine igne et aqua sanctificabat dicit Papa: *Mandamus, quod officio et beneficio ipsum prives perpetuo.*

Altare autem [*Oxon.* ib.] debet esse lapideum, ut patet *De Consecr.,* dist. 1. *Altaria si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur.* — At vasa propinqua sunt calix, et patena, quae debet esse aurea, vel argentea, vel saltem de stamno. Et habetur cap. *Calix.,* dist. 1. *De Consecr.: Calix Domini cum patena, si non ex auro omnino, ex argento fiat; si quis autem tam pauper est, saltem et stamneum Calicem habeat, de aere aut aurichalco non fiat, quia ob vini virtutem aeruginem, vel rubiginem pariter et vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, vel vitreo praesumat Missas celebrare.* De vitreo autem rationabile est, ne propter eius fragilitatem Sanguis Domini periculo exponatur. De ligneo propter imbibitionem humoris.

Tam vero Altare, [*Oxon.* ib. n. 15.] quam praedicta vasa debere esse consecrata, habetur, dist. 1. *De Consecr.,* cap. *Ecclesiae,* et cap. *Concedimus,* et duobus cap. sequentibus. Extra, *De Consecrat. Ecclesiae.* De vasis vero habetur, dist. 1. *De Consecr.,* cap. *In sancta hac.* Et cap. *Vasa. Porro* Altare, sive sit fixum, sive portatile non admodum interest, quia in uno, aut altero oportet Missas celebrare, ut habetur. *Extra de privilegiis, et excessibus privilegiatorum: In his, quae ad cultum cum Fratribus Minoribus, et Praedicatoribus duximus indulgendum, ut ubicumque fuerint sine Parochialis praeiudicio, valeant cum Altari viatico celebrare.* Quidam perperam hoc privilegium inter-

pretantes, asserunt eos Fratres illo uti non posse, nisi de suorum Praelatorum assensu, quam expositionem reiicit *ibidem* Honorius III subdens: *Cum autem nihil eis conferret licentia memorata, sine qua idem Praelatis annuentibus liceret, eisdem mandamus, quod interpretatione huius reprobata, dum tamen ab aliis, quae iuri parochiali prorsus conveniunt, abstineant, datam eis licentiam celebrandi, etiam nostra auctoritate non differant publicare, ita quod dicti Fratres ex indulgentia nostra gratiam videantur consecuti.*

Si obiicias ex hoc capitulo: igitur non est licitum uti Altari viatico nisi ex privilegio; *respondeo,* [*Oxon.* ib. n. 16.] verum esse quod infertur, si loquamur de usu indifferenti huiusmodi Altaris, scilicet nulla habita ratione loci consecrati, vel non consecrati; sed quantum ad usum eius in loco consecrato, de iure communi id licere. Nam ante dedicationem Altaris in Ecclesiis quibuscumque communiter celebratur cum Altari parvo et portatili.

Denique Altare sive fixum, sive mobile, oportere esse non enormiter fractum, statuitur *De Consecr. Ecclesiae,* cap. *Quod in dubiis.* Et cap. *Ad haec si Altare.* Ubi dicitur: *Quod si lapis benedictus fuerit imminutus debet iterum benedici.* Addendum tamen est oportere esse hoc Altare tobaleis duabus, ubi mos est Ecclesiae, consecratis, coopertum atque ornatum, et quod magis interest, utendum est corporali de sindone munda, sic ut tale corporale cooperiat ad minus locum Calicis, et Hostiae, quae debent collocari super Altare consecratum, sive totum immobile consecratum sit, sive super mobile, ubi requiritur usus eius.

Postremo [*Oxon.* ib. n. 9. — *Report.* ib.] praetermittendum non est, ad rite et ordinate celebrandum debere esse ministrum indutum vestimentis Sacerdotalibus huic ministerio convenientibus, ut habetur *De Consecr.,* dist. 1. cap. *Vestimenta.* Ubi et dicitur, vestimenta Ecclesiae, quibus Deo ministratur, debere esse sacrata et honesta, iisque non uti, quam in Ecclesiasticis et Deo dignis officiis. Quaenam autem sint ea indumenta, exponit Innocentius, *De Off. Missae,* p. 1. cap. 10. *Sunt,* dicens, *Sex indumenta communia Episcopis, et Presbyteris, scilicet amictus, alba, cingulum, stola, manipulus, et planeta.* In quibusdam tamen locis consuetudo obtinuit, ut non oporteat cingulum benedici, et ita non apparet quin liceat uti cingulo non benedicto.

Quibus omnibus addendum, celebranti omnino oportere praesto esse aliquem repraesentantem in persona totius Ecclesiae, quo denotetur ipsum esse mediatorem inter Deum et Ecclesiam offerentem Sacrificium Deo pro Ecclesia, quae sibi spiritualiter assistit in offerendo.

Ad Argumentum respondeo, [*Oxon.* ib. n. 17.] non consecrari Ecclesias, Altaria, vasa, in quibus Eucharistiae conficitur Sacramentum, et Sacerdotalia denique indumenta, quasi haec omnia alicuius sanctitatis et gratiae caelestis capacia sint; sed quo per consecrationem et benedictionem Deo dedicentur, atque ita cultui divino praeparentur, ut patet *De Consecr.,* dist. 1. cap. *Hic ergo.* Illis etiam consecrationibus et benedictionibus, deiicitur et expellitur potestas tenebrarum, si forte talibus in locis ac rebus cultui divino dedicandis et praeparandis vim ullam haberet. Et ideo *praeallegato capite* sancitur, ut Ecclesiae, quas pollui sanguinis effusione, aut seminis emissione, contingit, rursus benedicantur, quia supponitur instinctu inimici id gestum fuisse. Hoc etiam ma-

xime congruum esse probatur cit. dist. c. *Tabernaculum,* ex eo quod Israëlitas, in quibus tantum umbrae Sacramentorum Christi fuisse noscuntur, Templum solemnissime Deo dedicasse Scriptura testatur; verba sunt ista: *Si enim Iudaei, qui umbrae legis deserviebant, haec faciebant, multo magis nos, quibus veritas patefacta est, et gratia per Iesum Christum data est, templa Domino aedificare, et prout melius possumus ornare, eaque divinis precibus et sanctis unctionibus suis cum altaribus, et vasis, vestibus quoque, et reliquiis ad divinum cultum explendum utentibus devote et solemniter sacrare debemus.*

ARTICULUS INCIDENS.

QUAENAM SIT POENA CELEBRANTIUM SINE PRAEDICTIS CONDITIONIBUS LOCI, VASORUM, ET INDUMENTORUM.

Doctor, 4. *d.* 13. *q.* 2.

RESPONDEO [*Oxon.* 4. d. 13. q. 2. n. 17.] ex defectu praedictarum conditionum non incurri irregularitatem, nisi in duobus casibus: *primus* si scienter quis celebret in loco a iudice interdicto. *Alius* vero cum sacrum peragitur in calice non idoneo. Circa *primum* notandum, locum sive Ecclesiam posse esse interdictam *a iudice,* vel *a iure.* Tunc censendus est locus a iure interdictus, cum polluitur effusione notoria seminis vel sanguinis. Extra, *De Consecr. Eccl.,* cap. ult. Quo casu tali in Ecclesia celebrare peccatum quidem est, non tamen incurritur irregularitas, quia non invenitur expressa in iure. Quod si eam effusionem sanguinis vel seminis privatim et non publice fieri contingat, nec peccatum quidem incurritur a celebrante, quia nec locus reconciliatione indiget: Extra. *De adult. significasti.*

At si Ecclesia [*Oxon.* ib.] interdicta sit a iure, sive a iudice per sententiam, sive a Canone, et a iudice per declarationem interdicto subiecta, scienter in ea celebrans dicitur incurrere irregularitatem. Quod probatur per cap. *Postulasti,* Extra. *De Clerico excommunicato ministrante,* et cap. *Tanta,* Extra, *De Excess. Praelatorum.* Sed utrumque capitulum commode posset exponi, non de poena, in quam inciderit celebrans, sed incurrenda per declarationem iudicis. Neutrum enim capitulum est iuris expositivum, neque etiam iuris positivi responsivum; tametsi ergo celebrans peccet, non videtur tamen esse simpliciter irregularis; imo *primum cap.* videtur loqui de poena suspensionis, quae alia est ab irregularitate.

Quoad secundum casum, [*Oxon.* ib. n. 17.] de defectu scilicet Calicis idonei, dubium est an propter hoc irregularitas incurratur. Nam poena illa depositionis, quae habetur Extra. *De celebr. Miss.,* cap. ult. infligitur propter multa, nempe quia ille, de quo loquitur Pontifex, non utebatur Calice debito, nec aqua, nec igne, et ita dubium est, an ex defectu uniuscuiusque eorum singillatim, debeat eadem poena depositionis infligi; constat enim cum inflicta fuit omnia simul concurrisse. Probabilius est incurrere eamdem poenam ob unumquodque illorum separatim; quia quodlibet seorsim dignum est tali poena, et continet gravem irreverentiam in ministerio, et abusum. Et ideo poena inflicta

videtur ad singula referenda, maxime cum nullum ex eis sit alterius circumstantia.

Denique [*Oxon.* ib. n. 9.] in celebrantem sine ornamentis, *art. praec.* enumeratis, vel omnibus, vel aliquibus, vel non consecratis non invenitur in Canone poena irregularitatis inflicta; et quoniam ea poena est iuris positivi, ubi lata non reperitur, minime incurritur.

ARTICULUS IV.

UTRUM CONVENIENTER ORDINENTUR EA QUAE CIRCA HOC SACRAMENTUM DICUNTUR.

ARTICULUS V.

UTRUM EA QUAE IN CELEBRATIONE HUIUS SACRAMENTI AGUNTUR SINT CONVENIENTIA.

ARTICULUS VI.

UTRUM POSSIT SUFFICIENTER OCCURRI DEFECTIBUS CIRCA CELEBRATIONEM HUIUS SACRAMENTI OCCURRENTIBUS, STATUTA ECCLESIAE OBSERVANDO.

Circa hos tres ultimos articulos, ineffabile Eucharistiae Sacramentum concernentes, nihil peculiare ex Doctore occurrit dicendum, quod in antecedentibus praesentis quaestionis *non fuerit annotatum. Sed plura cupientibus videndus Magister Alensis* locis *ubi ipsum indigitavimus, et praesertim* in Canonis expositione.

FINIS TOM. V.

IMPRIMATUR:

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

JOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX RERUM

A

pag.

Absoluto non repugnat esse sine respectu omni, qui non est ad causam primam 830
Absoluta nullam subeunt variationem per respectus extrinsecus sibi advenientes 846
Absolutum novum in humana natura pro fundanda relatione unionis ad Verbum adstruere non oportet 19
Abstrahentium non est mendacium quomodo intelligendum sit exponitur. 128
Abstractum et concretum differre penes modum significandi 832
Accidentia haud distingui mutuo per subiecta, bene vero per proprias singularitates 378
Accidens quodlibet supernaturale est simpliciter perfectius quovis accidente naturalis ordinis 584
Accidens nullum reale absolutum esse potest in diversis subiectis . . . 587
Accidens esse posse sine subiecto quare negarent Philosophi, ubi Aristotelis subtilis explicatio 831
Accidentis ad subiectum gemina habitudo, una informantis ad informatum altera posterioris ad prius . . . . . 3 et 9
Accidens nullum habere modum substantiae 14
Accidens producit cognitionem Dei, nullam tamen substantiam 887
Accidentia ad praeviam alterationem agentia non attingunt ultimum gradum qualitatis incompossibilem formae corrumpendae 879
Accidentis primum per se significatum cuius sit generis 867
Accidentia in subiecto separato a solo Deo conservantur 895
Accidens absolutum in Eucharistia utrum reperiatur in subiecto . . . 876
Accidens sive separatum sive unitum subiecto eamdem causat alterationem. 885
Accidens esse subiectum accidentis tripliciter probat Doctor 876
Accidentis per se significatum est inhaerentia, denominatum est forma inhaerens absoluta vel respectiva 870
Accidentibus separatis nullum novum esse positivum advenire potest, nisi quod actu non inhaerent 891
Accidentis separati et coniuncti eadem est ad Deum dependentia, sed diversimode terminata 870
Accidentibus separatis inesse vim agendi realiter et intentionaliter . . . 879
Accidens potest intelligi non intellecto subiecto conceptu exprimente essentialia ipsius, sed non conceptu quietativo 871
Accidentia absoluta divinitus existere posse sine subiecto 870
Accidens esto sit extra subiectum, inest tamen sibi aptitudo ad inhaerendum 881

pag.
Accidens esse non posse principium substantiae effectivum 885
Actio nulla corporalis competit Christo ut in Eucharistia primo. . . . 982
Actionem nullam habet Verbum super Christi animam, quae non sit toti Trinitati communis. 168
Actionem causarum naturalium impedire non est in potestate voluntatis createae. 517
Active egisse B. Virginem in formatione suae prolis perinde ac aliae matres, sed in instanti virtute divina. 351
Actio B. Virginis in conceptione Christi non fuit praeventa, ideoque verissime cooperata fuit Spiritui Sancto ut principaliori operanti . . . 353
Actus virtutis circa tristabile est magis meritorius quam circa delectabile. 464
Actus meritorius stare potest cum actuali culpa venialis peccati. . . . 726
Actus naturalis non est quid a voluntate elicitum, sed eiusdem inclinatio in propriam perfectionem 365
Actus beatificus adaequatur potentiae intensive non vero extensive . . 241
Actus externus est talis, qualis ab interno reputatur iuxta rectum dictamen. 279
Actus meritorius non est in potestate voluntatis createae, nisi passio sit eidem principium merendi 93
Adam scivisse Incarnationis Mysterium independenter a suo peccato habet S. Thomas. 30
Ab annihilationem an requiratur negatio extra genus 815
Admirationem, quae est passio humanitatis vere in Christo extitisse . . 196
Ad adorationem aliquam Deo exhibendam diebus dominicis saltem nos obligari 285
Ad aliquando Deum adorandum adoratione latriae tenemur et obligamur. ib.
Adultera retinet potestatem in corpus alterius coniugis, sed usum amisit. 331
Adoptione omni longe excellentior dignitas habetur in Christo 270
Adoptivus filius Dei quare nequeat dici Christus ut homo 269
Ad adoptionem tria requiruntur 265
Adoptio inter homines est ex defectu, in divinis ut communicatur perfectio 267
Admirari secundum quem modum Christus potuerit 197
Ad *non velle* absolutum non sequitur *nolle* absolutum. 194
Adoratio *Latriae* quo laudabilior, eo detestabilior idololatria. 279
Adoratione una et eadem esse adorandam divinitatem Christi, atque eius humanitatem; de adorationis speciebus . . . . . ib.
Adultum baptizandum oportere ut habeat intentionem recipiendi Christi Sacramenta 699
Adultus quilibet rationis compos simpliciter tenetur ad aliquando Deum diligendum 285
Ad actus moralis bonitatem requiritur concursus omnium circumstantiarum quarum aliqua deficiente sequitur in actu bonitatis defectus 456
Aequalitatem in creaturis fundari super unitatem naturae. 376
Affirmatio et negatio absoluta in oppositis relativis non sequitur . . . 800
Agens naturale cur nequeat formam eamdem numero corruptam reproducere, etsi non annihiletur. 816
Agens naturale agere non potest nisi in quantum 904
Agens et patiens communicare in materia, quomodo intelligendum. . . 881
Aliqua repugnant respectu virtutis createae quae sunt simpliciter possibilia. 801
Aliqua seorsim considerata esse possunt iusta et rationabilia secus unitim accepta. 955
Aliquid in sé esse potest rationabile quod tamen ad aliud comparatum irrationabile, atque iniustum invenitur . . . . . ib.
Animam Christi quoad commodi affectionem haud fuisse perfecte in termino. 200

pag.
Animam Christus ut Deus posuit in morte effective, sed non separavit eam a divinitate 489
Angelus in primo instanti peccasset, non propterea eius peccatum redundaret in Deum tamquam eius auctorem 365
Angelum in primo suae creationis instanti peccare potuisse . . . . . ib.
Anima separata cur nequeat seipsam corpori suo unire, et quomodo talis unio habita fuerit a Christo. 511
Anima beata movere potest proprium corpus inorganice 535
Animatio Corporis Christi non praecessit duratione eius a Verbo assumptionem, alioquin homo ille fuisset in se personatus. 358
Anima Christi etsi in morte fuerit a corpore separata, unita tamen erat divinitati 488
Anima a corpore separata nequibat caro de Verbo cui uniebatur praedicari, quia non suppetunt vocabula eius facti expressiva. 487
Animatio Corporis Christi non praecessit duratione eius a Verbo assumptionem, alioquin homo ille fuisset in se personatus 358
Animam Christi cognoscere infinita cognoscibilia in Verbo dupliciter posse intelligi 139
Animam ad certum gradum gratiae non esse determinatam, et ideo sub quocumque eiusdem gradu quietari 111
Animam rationalem extitisse medium *quo* assumptionis naturae humanae. 86
Anima rationalis Corpori Christi unita fuit ut per se actus eius perinde ac in caeteris hominibus, adeo ut oppositum damnetur ut execranda haeresis 45
Animae Christi non subdebantur penitus appetitus sensitivus aliaeque potentiae irrationales 166
Anima Christi respectu proprii corporis non erat omnipotens dum fuit in vita mundi . . . . . ib.
Anima Christi quamdiu corporis forma passibilis extitit obnoxia passionibus corporis doloriferis. 183
Angelus nequit movere Christi Corpus in Eucharistia non ex natura rei, sed speciali Dei dispositione. 851
Anima Christi beata et una passibilis erat de potentia Dei absoluta . . 184
Annihilatio non est actio Dei positiva 821
Aptitudo est eadem realiter cum re cuius est aptitudo. 832
Apostolorum praedicatione pariter Christi comprobata est divinitas . . 427
Appetitivae cuicumque virtuti propria correspondet cognoscitiva. . . . 185
Applicatio Missae seu valoris sacrificii quotupliciter fieri possit 949
Applicatio Sacrificiorum ex iustitia debetur iis qui provident ministrorum sustentationi 950
Aqua calici non affusa adhuc mysterium perficeretur, sed graviter Minister peccaret si omissio esset ei imputabilis 782
Aquam vino affundendam in modica quantitate; qua vero ratione in vinum convertatur triplex est modus dicendi. 783
Aquae vino affusionem esse quidem de necessitate Ministri, non autem Sacramenti 782
Aquinatis distinctio declarans, quomodo et quare Christi anima non videat omnia in Verbo, non probatur Doctori 137

B

Beatam Virginem de Tribu Iuda ex parte patris fuisse, de Levitica vero ex parte matris suae 331
Bonum summum ad quod ordinatur meritum, non confertur nisi post operis exhibitionem 247

pag.

Beatorum corpora sunt incorruptibilia ex defectu causarum inductivarum corruptionem, aliter fuit incorruptibile Corpus Christi 501
Beati expertes sunt omnis tristitiae esto nolint hominum peccata . . . 445
Beatos non indigere auxilio Angelorum ut obviam Christi procedant. . 535
Bonum quod virtute sacrificii impetratur non obtinetur propter merita celebrantis, sed virtute meritorum Ecclesiae 948
Bona supernaturalia dari potissimum in ordine ad gloriam 116
Baptisma regulariter duos praestat effectus in suscipiente, characterem nempe et gratiam sanctificantem 701
Baptismi veritas non subsistit si constet non servatam fuisse formam a Christo traditam. 664
Baptismi quot species. 668
Et quodnam Baptisma et quomodo praestantius sit. 670
Baptismi iteratio si permitteretur magna foret occasio hominibus delinquentibus 663
Baptisma verissimum est tam in Ecclesia Latina, quam apud Graecos; et qua de causa in eius forma aliqua sit variatio inter utrosque . , 562
Baptismo Christi fuisse baptizandos ad salutem, qui Ioannis baptismo fuerant baptizati. 404
Baptismo quare initiandi sunt Amentes et usu rationis carentes, non item ad Eucharistiam admittendi 971
Baptismus ut est medicina adversus originale peccatum esse legis novae peculiare Sacramentum 397
Baptismum conferre in casu necessitatis convenientissime et foeminis concessum est 675
Baptismum conferre urgente necessitate competit cuicumque supposito intellectuali 673
Baptismum potest valide etiam conferre non Baptizatus, et quomodo . . 677
Baptismum conferre per se et primo Episcoporum est atque Presbyterorum aliis gradibus Ecclesiasticis de illorum mandato competit. . . 673
Baptismus cur solemniter conferatur in Paschatis et Pentecostes Solemnitatibus 667
Baptismum Ioannis nisi Dei nutu baptizasset Christus in se ipso non admisisset; illumque Christi baptismum praefigurasse 398
Baptizando non congruit ante Baptismum Sacramentorum Christi participem fieri 697
Baptizandus an sit furiosus vel amens 710

C

Conceptus qui in se non est unus per se, de nullo uno per se enunciatur. 47
Capitis praerogativam inesse Christo respectu hominum principaliter quoad animas, minus principaliter vero secundum corpora 115
Capitis influentiae dantur potissimum ratione operum meritoriorum . . 116
Carnem Christi in Patribus haud esse potuisse peccato obnoxiam . . . 341
Caro purior ac solidior ex alimento meliori ac puriori generatur, valde fluida vero ex impuro et corrupto. 171
Carnem Christi, utpote ex purissimis sanguinibus B. Virginis efformatam, ex Adamo fuisse desumptam 333
Causa, cur vera est quaecumque propositio, est unitas, et cur sit falsa attribuendum est dualitati 207
Causa qua talis nullam accipit a causato suo quolibet perfectionem . . 138
Causa nulla finita producere nequit actum, sive effectum infinitum. . . 27
Causatum idem nequit a pluribus causis dependere in eodem genere causandi. 68

pag.
Causa secunda respectu causae primae non est instrumentum, et quare. 228
Causa prima supplere potest causalitatem omnem extrinsecam causae secundae 831
Character non est gratia, neque ulla virtutum Theologicarum 594
Characterem esse formam absolutam probabiliter potest sustineri et rursus defendi esse respectivum quia neutra pars potest evidenter improbari. 602
Character ad quam qualitatis speciem pertineat 605
Characteris nomine quid intelligant Theologi, et quaenam sint eiusdem proprietates 593
Chrisma de necessitate Sacramenti oportere esse ab Episcopo consecratum. 743
Christi Corpus in Eucharistia soli divinae potentiae subest quoad motum 986
Christi animam omnino praeditam esse debuisse scientia beatorum. . . 127
Christi Corpus ratione causarum naturalium intrinsecarum seu extrinsecarum fuisset corruptum; verum non ita factum fuit ex divina virtute impediente causas suas, etsi diutissime in sepulchro mansisset 501
Christi passio ex circumstantia suppositi, et congrua de ratione acceptari potuit pro infinitis 28
Christi Incarnatio non fuit a Deo volita occasione peccati, sed magis per se intenta independenter ab hac causa 29
Christi animam revera summa gratia praeditam extitisse, et quomodo τὸ *summum* accipi potest negative, et positive 103
Christi Corpus in eodem instanti fuit organizatum et animatum, sed in diverso signo naturae 357
Christi Corpus quod non fuerit gloriosum ex miraculo factum est . . . 172
Christi mediatione nemo hominum indiguisset, si natura esset de omnibus individuis assumpta 80
Christi animam ornatam fuisse gratia habituali. Virtus est dispositio perfecti ad optimum 93
Christi comestio post Resurrectionem fuit vera, non apparens seu ficta. 82
Christi anima undenam tantum timoris concipiebat 99
Christi voluntatem recipere posse summam fruitionem a Deo creabilem; at nequaquam valere summam elicere; cum sit perfectior Angeli voluntas. 106
Christi Corpus esse nequit realiter praesens ubi non fuit sine omni mutatione 806
Christi persona cur composita dici nequeat, et duarum naturarum adunatio in Christo simplicitatem non excludat . . . . . .
Christi conceptio fuit quidem naturalis quoad substantiam, sed supernaturalis quoad modum.. 44
360
Christi carnem in Patribus haud esse potuisse peccato obnoxiam. Nec vere Christus extitit Adami naturalis filius 341
Christi Corpus non extitisse in antiquis Patribus secundum aliquid signatum. 340
Christi Corpus et Sanguis sub speciebus panis et vini quoadusque perseveret 834
Christo in triduo mortis deerat aliquid, quod habebat vivens 88
Christo etsi non infuerint passiones, non propterea existimandum nec infuisse virtutes morales. 95
Christo viatori opus non fuisse habitibus infusis fidei, atque spei . . . 96
Christum omnibus Spiritus Sancti donis excellentius ornatum fuisse ea tamen non esse alios habitus ab virtutibus moralibus 98
Christus in triduo mortis hominem non fuisse resolvitur Theologice 490, Metaphysice 492, ac Logice. 495
Christum citra omne meritum donatum fuisse summa fruitione creabili, ad decorem et pulchritudinem status beatorum pertinet 243
Christum meruisse etiam penes portionem superiorem, et quamobrem. . 241

pag.
Christum in Abrahae lumbis non fuisse decimatum, B. vero Virginem fuisse decimatam perfectius prae caeteris omnibus. 342
Christum reperiri realiter in Sacramento Altaris, non est ex conversione substantiae panis in Corpus, et vini in Sanguinem ipsius 787
Christum fuisse hominem in triduo mortis suae est omnino falsum de veritate sermonis 495
Christum Dominum per scientiam acquisitam scivisse ac didicisse omnia 156
Christum ab hominibus nihil omnino addidicisse declaratur 159
Christum vere et recte dici, et esse Patri subiectum 249
Christum interrogasse Doctores in templo, non ut addisceret sed ut doceret. 160
Christum etiamsi beatum per superiorem portionem mereri potuisse . . 119
Christum esse filium Dei per adoptionem, non est de mente Augustini. 53
Christum per inferiorem portionem passionem voluisse, etsi conditionate eamdem noluerit. 193
Christus non habuit cognitionem intuitivam perfectam de omnibus in genere proprio 131
Christus nedum per passionem meruit, sed etiam per portionem superiorem, et independenter a passione. 119
Christus nulla necessitate cogebatur convertendi se ad phantasmata in intelligendo. 146
Christus non solum Hominum, sed et Angelorum est verissime caput. 118
Christus carebat potentia, quae exire potuerit in actum peccaminosum. 176
Christus cur dicatur conceptus de Spiritu Sancto, non item de Patre et Filio . . . . . 345 seqq.
Christus non est Creatura sed Creator, tam loquendo de creatione stricte quam generalius sumpta 212
Charitas participata non efficit Viatorem inobliquabilem 255
Christus unde dicendus sit filius Dei naturalis 57
Christus in Eucharistia pati aut mori non poterat *primo* 984
Christus omnimoda causa meritoria extitit aperitionis ianuae Paradisi. . 247
Christus non potuit aliquid intuitive intelligere in genere proprio, nisi motus ab obiecto sic cognito 146
Christus patientiam non didicit ab hominibus quasi eam virtutem docentibus 160
Christus eo modo, quo aliquid didicit, ita et profecit, non quomodocumque. 158
Christus qua ratione creatura appellari queat, declaratur 23
Christi ex merito, seu passionis eius intuitu est omnis Sacrificii valor. 1000
Christus qua ratione etiam Angelis meruerit gratiam, et gloriam . . . 119
Christus est infidelium caput quia et pro eis moriens gratiam meruit, per quam possent salvari 117
Christus per scientiam acquisitam profecit, et declaratur modus. . . . 158
Christum legem Moysi custodire et servare decebat, donec adesset tempus illam abrogandi, aut perficiendi 394
Christus minime est, neque etiam dicendus ens per accidens 48
Christus scivit omnia scientia acquisita, abstractive tamen, non intuitive. 158
Christus nonnisi per communicationem idiomatum dicitur omnipotens. . 164
Christus nullam ab Angelis scientiam didicit, aut illuminationem habere potuit 161
Christum esse causam moralem omnium gratiarum et donorum longe Deo acceptiorem, ac illi Adae culpa displicuerit 22
Christus vere timuit ex nolitione conditionata partis sensitivae, non vero qua absolute voluit passionem 195
Christus secundum quod homo est creatum: esse falsam propositionem declaratur; et qualiter verum sensum habere queat, esto improprie. . 219
Christus est quidem homo creatus, at nequaquam creatura 213

pag.

Christum non fuisse venturum ut Redemptorem in carne passibili nisi Adam peccasset, sed magis ut est glorificator et Princeps, exponi possunt Scripturae et Patrum auctoritates. 30
Christus in primo suae conceptionis instanti fuit perfectissime comprehensor et beatus 366
Christus quia numquam fuit extraneus semper comprehensor extitit pulchra congruentia de actu beatifico animae Christi 367
Christus in primo suae conceptionis instanti fuit per summam gratiam sanctificatus, adeo ut rectissime dicatur Sanctus Sanctorum 361
Christus in Eucharistia concomitanter nutriretur si nutriebatur in existentia naturali 986
Christus ut in Eucharistia quibus potentiis potuisset seu posset uti . . 985
Circumcisio erat remedium contra originale peccatum ante legem latam, et dispositio praeparans ad Baptismum 732
Concretum quodlibet cuiuscumque generis non habet creatum pro superiori. 214
Confirmationis Sacramentum definitur, eiusdem materia tum proxima, tum remota, simulque forma explicantur 740
Confirmatione simpliciter est praestantior Baptismus; haec illi secundum quid praestat. 755
Confirmationis Sacramentum necessario praesupponere Baptismum in confirmato. 748
Confirmationem imprimere characterem in anima ex facti congruentia declaratur. 745
Confirmationis Sacramentum quo tempore fuerit institutum non habetur certitudo in Scriptura 740
Confirmatio est initerabilis, imprimit characterem; in lege tamen canonica non invenitur statuta poena irregularitatis iteranti 747
Confertur nobis per Christum excellentius beneficium cum datur prima gratia, quam secunda 32
Confirmationis et Baptismi differentia quoad effectus eorum Sacramentorum. 746
Confirmationis ministrum ordinarium esse Episcopum; posse tamen per summum Pontificem id munus committi et Presbyteris 753
Cognitiones duae perfectissimae de eodem obiecto, et eiusdem rationis sunt incompossibiles 133
Cognitione intuitiva Christum latebant plura in genere proprio 131
Cognitio imperfecta quando resolvatur in perfectam et quando non resolvatur 132
Cognitio intuitiva imperfecta supponit perfectam, qua non habita nec illa haberi potest. 131
Congruentiae ob quas non decuit Christum venisse sub mundi initium. 33
Congruentiae suadentes Christum nasci de foemina decens fuisse . . . 335
Consecrationis verba citra grave peccatum iterari non possunt 663
Contradictoria de Christo minime enunciantur, licet de ipso dicatur esse passibilem, et impassibilem 220
Conversionem panis in Christi Corpus esse necessario instantaneam . . 835
Convenientissime Dei filium carnem assumpsisse. 72
Cooperatam fuisse B. Mariam ad inductionem omnium formarum Corporis Christi 356
Corpora duo esse in eodem loco non minus impossibile est, quam unum esse in duobus locis 795
Corporis dimensiones sine dimensionibus locantis esse possunt. . . . ib.
Corpore eodem praeditum fuisse Christum post resurrectionem quo et per quod pertulit passionem et mortem 513
Corpori eidem qua ratione convenire possint oppositae relationes . . . 800

pag.

Corpus Christi domini vere realiter contineri in augustissimo Eucharistiae Sacramento 786
Corpus mortale ut in Eucharistia nulla indiget nutritione, nec aliis quae vitae mortali protrahendae sunt necessaria 986
Corpus esse pluribus in locis sub modo quantitativo facilius videtur, quam Sacramentaliter 795
Corpus Christi non extitisse in antiquis Patribus secundum aliquid signatum 340
Corpus est incommunicabile ut *quo* non item anima. Nec partes personae nonnisi in toto sunt personabiles 87
Corpus Christi esto esset ubique, non propterea foret immensum . . . 773
Corpus Christi concomitanter corrumpi non potuisset in Eucharistia, si primo corruptum esset in existentia naturali 987
Corpus acquirens novum *ubi* nec deserens antiquum unam tantum habet mutationem 806
Corpus esse posset ubique per Dei potentiam, non tamen ideo foret immensum 798
Corpus Christi forte non per dotem subtilitatis, sed magis virtute divina una fuit cum aliis corporibus et qua ratione non immutata corporis forma aliis sub diversa specie apparuerit 513
Corpus gloriosum posse in se convertere non gloriosum non est inconveniens 527
Corpus gloriosum una esse posse cum aliis corporibus non gloriosis. . 513
Corpus idem esse quantitative in pluribus locis, opinio tenens fieri non posse de potentia Dei absoluta . . . . . 794 seqq.
Corpus humanum animatum in se pro aliquo durationis instanti subsistens persona est 359
Creata substantia cur nequeat quamlibet dependentiam terminare . . . 58
Creatam aliquam entitatem esse intrinsecus incommunicabilem fieri non posse videtur 17
Creatam personalitatem potius in negativo, quam in positivo consistere Scotus sentire videtur licet problematice loquatur . . . . . ib.
Creata substantia cur terminare nequeat dependentiam accidentis sibi non convenientis 7
Creata quamvis sit natura humana, non propterea Christus est creatura; et quare 214
Creatione stricte accepta ea per se creantur, quae fiunt a causa prima ex nihilo sui 212
Creatum omne qua ratione respectu Deitatis esse valeat accidens . . . 9
Cur Christus a Ioanne baptizari voluerit 406
Cur pro praesenti statu non valeamus attingere singularia sub propria ratione 144

D

De absoluta Dei potentia dari potest prima gratia non intuitu passionis Christi 434
Declaratio cur haec sit vera: HOMO EST DEUS, quamvis immediata non sit. 203
De congruitate temporis Passionis Christi, ubi et opinio dicentium Christum, luna quartadecima passum, ac tertiadecima Pascha celebrasse cum discipulis suis: sed non esse ita sentiendum ostenditur 446
De convenientia mortis Christi in ligno Crucis 437
De Dei misericordia est, ut non teneamur ad omnia omnino quae possumus, sed solum ad praecepta Decalogi 434

pag.
Dei virtute fieri posse ut corpus sit ubi prius non erat non relicto priori loco . 792
De Dominio animae respectu corporis eiusque potentiarum 452
Dei summa misericordia elucet in creatione summae gratiae creabilis. . 104
De intuitiva cognitione Christi visibilium in genere proprio et in Verbo. 150
De iustitiae originalis munere est, ut sensitivus appetitus rationi non contradicat 180
De facto Christi voluntas summa potitur fruitione Dei elicitive. . . . 106
Defectus nostrae mortalitatis Christus libere, ac sponte assumpsit. . . 172
Defectus humanae naturae subeundi non fuit ulla in Christo necessitas . 173
Defectuum humanorum causam curando Christus omnes curavit atque sanavit. 174
Delectatio absoluta quaedam qualitas est 185
Delectatio in potentia ab obiecto illi conveniente procedit . . . . . ib.
Deletio peccati mortalis non est effectus Eucharistiae, nisi inculpabiliter quis eius non recordetur 939
Daemones dubii erant de veritate Incarnationis ideo contra Christum accenderunt Iudaeos, sed certiores facti de manibus illorum studebant eripere 459
De multiplici Paschatis intelligentia secundum D. Innocentii doctrinam . 447
Demonstrativum pronomen significat quod demonstrat 931
Deo quicquid ex terminis non involvit contradictionem esse possibile est sentiendum 795
Dependentia naturae humanae ad Verbum divinum est alterius rationis a dependentia causati ad causam 2
Dependentia relationis ad fundamentum est essentialis. 878
Dependentia ad Deum eadem est accidentis separati et coniuncti sed diversimode terminata 870
Desinente Christi Corpore sub modo naturali non sequitur desinere oportere sub modo Sacramentali. 767
Deus operatur ad actus liberos voluntate libere agente, et se determinante . 232
Deus nullius vult malitiam, sed mala fieri permittit ut maius eliciat bonum 458
Deus non vult aliquem invitum adscribi familiae Christi, nec iustificari . 699
Deus ita libere et contingenter electos ordinat ad gloriam ut absolute potuerit non praedestinare 25
Deus per se ipsum haud supplere potest concursum subiecti 895
Deum non alligasse potentiam suam Sacramentis, et posse independenter ab eis gratiam causare 742
Deus circa species facere decrevit quicquid fieret a causa naturali si substantia adesset 895
Deum revera Christum in mortem, tradidisse propter generis humani peccata et redemptionem a diaboli servitute 455
Diabolus agnoscere potuisset B. Virginis integritatem si permissus fuisset, nec videtur Christum exisse de utero clauso per dotem subtilitatis, sed virtute divina 381
Diabolus per modum externae gubernationis est omnium malorum caput. 124
Differentia substantialis qua ratione *qualitas* 14
Dignitas adest in Christo longe excellentior omni adoptione. 270
Discursum non oportere praecedere ut habeatur actus electivus voluntatis. 365
Dispositio necessitans ad formam, quae non est ratio recipiendi dici potest causa effectiva 925
Divinam naturam esse terminum primum unionis naturae creatae minime repugnat 63
Divinam unam Personam posse assumere naturam creatam aliis non assumentibus 64

pag.
Divisio specierum habet ipsas partes pro subiecto, et quomodo. . . . 908
Divisio continui quaedam corruptio est sine generatione . . . . . ib.
Dolores et passiones omnes Christus sustinuit quae ipsum non dedecebant. 439
Dolorem Christi de Passione acerbissima extitisse maximum et aequivalentem doloribus omnium hominum in hac vita agentium. 441
Doloris et tristitiae exacta explicatio. 185
Dolor immoderatus in parte sensitiva natus est impedire rationis usum. 188
Dolor inest homini ex parte sensitiva ipsius, tristitia autem afficit animam secundum se 187
Dolorem sensibilem verissime in Christo extitisse ex passione et morte, quam pertulit. 185
Dolor quo afficiebatur Christus in cruce sibi etiam infuisset in Eucharistia nec mori potuisset in cruce nisi etiam in Eucharistia mortuus esset . 864
Dominium rei posse ab usu eiusdem separari practicis exemplis declaratur 331
Duliae cultu Sanctos eorumque Reliquias esse colendos 289
Duobus concurrentibus praeceptis cuius mandato sit obtemperandum si una stare nequeant. 997

E

Ecclesia cur statuerit tempus Missarum celebrandarum esse debere matutinis horis. 1014
Ecclesiis Vasis et ornamentis divino cultui inservientibus quid conferat consecratio 1012
Ecclesia iuste interdixit notabiliter defectuosos a ministerio Altaris . . 1006
Ecclesiae cum sit declarare quaenam verba pertineant ad consecrationem calicis, ignorantia in persona particulari invincibilis est 923
Ecclesiae tam Latinae quam Grecae Ministros conficere et consecrare calicem certum est 922
Ecclesia cur Laicis Communionem sub utraque specie interdicat . . . 976
Ecclesia exponit Scripturas eo spiritu quo conditae sunt, et a Spiritu Sancto dirigitur 811
Ecclesiae capitis praerogativa ita est Christo propria, ut nequeat alteri convenire de potentia Dei ordinata 122
Ecclesiae caput de potentia Dei ordinata nisi unum esse minime potest. 114
Ecclesiae capiti nisi dedisset Deus summam gratiam citra merita non summe manifestarentur Dei Misericordia et Iustitia . . . . . ib.
Ecclesiae capitis dignitatem esse Christo Domino propriam declaratur . 113
Effectiva vis in verbis consecrationis superflue omnino astruitur . . . 924
Ei, quod necessario non est imperfectum omnis repugnat imperfectio. . 58
Electi et reprobi omnes sive Angeli sive homines ad Christi regnum pertinent 292
Electi prius erant praeordinati ad gratiam et gloriam finalem, quam passio Christi esset praevisa ubi de merito Christi respectu aliorum . . . 245
Electi per prius ad gloriam ordinantur, quam in eis praevideatur peccatum 29
Electi ita libere et contingenter a Deo ordinantur ad gloriam ut absolute potuerint ad eamdem ab ipso non praedestinari 25
Ens nullum est singulare formaliter per aliquid alterius generis . . . 875
Essentiam Divinam esse non posse rationem terminandi dependentiam naturae humanae ad Verbum, licet diversimode sit in tribus Personis. . 37
Esse hominem in Deo, dicit quid illi extrinsecum et accidentale . . . 209
Esse humanum Deo quidem adventitium non vero ipsi Christo. . . . 218

pag.
Esse increatum nonnisi denominative de Christo enunciatur 220
Essentia Divina esto sit ratio formalis efficiendi unionem hypostaticam, non tamen est ratio formalis eam terminandi 61
Essentiam Divinam sub proprietate personali, tamquam sub conditione sine qua non esse rationem terminandi dependentiam naturae creatae ad Verbum improbatur 37
Essentialia verba consecrationis calicis quaenam sint . . . . . 922 seqq.
Esse non est aliud quia ab essentia. 886
Esto maioris excellentiae sit Eucharistia quam Chrisma non propterea solius Episcopi est Eucharistiam conficere 991
Est Christi humana natura impeccabilis de congruo et de potentia Dei ordinata, non vero simpliciter et necessario 179
Eucharistiam, sive Corpus Christi manducare quadrupliciter potest intelligi 958
Eucharistiae effectus alius ab effectu Confirmationis. 936
Eucharistia qualiter praeservet hominem a peccatis futuris 945
Eucharistiam ab Excommunicatis recipere non licere nec ab Haereticis. 1008
Eucharistiam cur magis sumere tenentur celebrantes, quam alia Sacramenta conficientes 996
Eucharistia qua necessitate sit necessaria et eiusdem sumptio communior quam confectio 990
Eucharistiam Sacramentaliter et spiritualiter sumentes qui effectus consequantur 958
Eucharistiam non sumens cur non sit dicendus gratiam contemnere, et quando sumenda 973
Eucharistia minime est sumenda si Christus in ea apparere dignetur. . 996
Eucharistiae effectum esse vitae aeternae adeptionem 938
Eucharistiae sumptione non remitti poenam debitam peccatis, sed alias solvendam relinqui. 943
Eucharistia Sacramentum permanens independenter ab usu ipsius . . . 935
Eucharistia sola habet rationem Sacrificii, quod unicum est in lege Evangelica 1011
Eucharistiam solos Sacerdotes posse conficere, est dogma fidei 989
Eucharistiam dispensare Fidelibus ex officio solius Sacerdotis est, casu tamen potest id Diaconis committi aut etiam necessitate urgente possunt sine mandato id sibi munus assumere 993
Eucharistia ita vera potuit fuisse in triduo mortis Christi uti modo est . 988
Eucharistiae finis intrinsecus est refectio spiritualis fidelium 774
Eucharistia non dependet ab eo quod non est Sacramentum aut aliquid eius. Confutatio Caietani ex Hiquaeo notabilis. 766
Eucharistiam cur Christus in ultima coena instituerit ubi et quaedam congruentiae optime declarantes huius Sacramenti institutionem 764
Eucharistiae Sacramentum est unum, non unitate indivisibilitatis, sed unitate integritatis idipsum egregie declarat Alensis 759
Eucharistiam esse novae legis Sacramentum praestantissimum — Verba sunt forma consecrationis, non Eucharistiae 758
Eucharistiae Sacramentum revera a Christo in Azymis institutum fuisse . 777
Eucharistiae in Sacramento Christum vere subesse speciebus ostenditur ex Scripturis idipsum declaratur congruentiis 757
Eucharistiae veritas ostendit identitatem Corporis Christi viventis et mortui . 497
Eucharistiae Sacramentum an in qualibet quantitate panis et vini confici queat, est problema in doctrina Scoti 773
Eucharistiam in voto, non in effectu adulto esse necessariam ad salutem. 761
Eucharistiae Sacramenti species sunt materia et fundamentum relationis signi; ipsa significatio est forma 758
Eucharistia potuit ita vere fuisse ante Incarnationem uti est modo . . 767

pag.

Evam malorum caput appellandam minime fore, licet prior peccaverit . 124
Exacta declaratio verborum in calicis consecratione pronunciandorum. . 923
Ex aqua simplici et sanctificata fit ut tota sit benedicta sed non ex speciebus vini et liquore apposito fit unum Sacramentum 911
Excommunicatio minor non inducit irregularitatem 1006
Ex diversitate fundamentorum oritur diversitas dependentiarum 76
Ex efficientis ad eumdem effectum diversitate recte non concluditur diversitas in effectu 133
Ex hypostatica unione natura assumpta est impeccabilis non formaliter sed virtualiter, et quomodo 179
Ex hypostatica unione natura assumpta non est necessario beata atque impeccabilis in actu primo, est tamen beata et impeccabilis de congruo et de potentia Dei ordinata 178
Ex hypothesi quod creata personalitas sit quid positivum non probatur fieri non posse ut terminet aliam naturam; sed in sententia tenente esse formaliter negationem duplicis dependentiae est evidens rei impossibilitas 60
Ex inclinatione naturae ad proprium suppositum tantum sequitur reperiri posse in pluribus divisim, non simul. 70
Existentiam Christi Sacramentalem non dependere essentialiter ab existentia eiusdem sub modo naturali 766
Ex necessario non sequitur contingens, quia consequens includitur in antecedenti 177
Explicatur causa veritatis huius: *Deus est homo.* Sed tamen ex se haud esse evidentem, sed ex suppositione revelationis 202
Extensio quantitatis duplex, altera in se, altera in ordine ad locum . . 843
Ex unione ad Verbum nullam natura humana subiit intrinsecam mutationem 178
Ex unitate specifica obiecti concludi potest unitas specifica actus . . . 142

F

Faciens naturale praesupponit passum, quod est in potentia ad terminum 209
Factio *secundum dici* concomitatur factionem realem activam, qua *verbum factum est homo.* . . . . . ib.
Fallacia est consequentis cum ex disiunctione altera pars determinate infertur 928
Falsum in se de nullo vere dicitur, nec aliquid de ipso 495
Ficte accedens ad Baptismum recipit Characterem sed non gratiam . . 728
Ficte idest indispositus accedens ad Baptismum non recipit gratiam, et talis baptizatur quidem in Christi nomine, sed non in Christo . . . 726
Ficte baptizatus de fictione poenitens quomodo, et quam gratiam recipiat declaratur, et explicantur circa hoc dicta Sanctorum. 729
Ficte baptizatus non iterum baptizandus, sed oportet eum de fictione serio poenitere 727
Fictus in Baptismo quis dicatur; et quotupliciter fictio possit evenire. . 726
Fidei cognitio aliqua ratione est excellentior omni cognitione naturali, aliqua vero ratione minus nobilis 860
Fidem ministri non esse pro perfectione Sacramentorum necessariam, et quid debeat intendere minister baptizans 635
Fidem in Mediatorem profiteri tenentur omnes post lapsum, nec prodest illam dumtaxat profiteri actu interno, sed externo etiam 574
Fidem, et spem non habere locum in beatis constat ex earumdem obiectorum specificatione 97

pag.
Fides est necessaria intellectui corpori unito pro statu isto, non intellectui separato 861
Fides de Creatore semper fuit necessaria; ita et fides de Redemptore . 113
Fieri potest ut actus meritorius versetur circa aliquid quod non sit in potestate merentis 315
Figura quantitati superaddit tantum relationem 894
Figura necessaria est corpori humano, ut animari possit 842
Filiationis relationem in Christo ad Matrem eius non esse fundamento identificatam, et quare? 379
Filiationis relatio nequit esse consubstantialis naturae 380
Filiatio vera et propria super quibus fundetur 347
Filios homines adoptare per gratiae infusionem est totius Trinitatis . . 266
Filius naturalis Adae Christus extitit, nec ex consequenti in illo accipere potuit originalem iustitiam 341
Filius adoptivus vere quinam censendus, seu quaenam conditiones ad veram adoptionem necessario requirantur 265
Filium Dei naturalem esse Christum qua homo. Rationem vero qua hoc probat S. Thomas non approbat magister Scotus. 269
Filius Mariae est Christus post Resurrectionem filiatione eadem qua prius; et quare? 376
Filius Mariae Christus est aliter ac Deus sit et dicatur Dominus creaturarum 375
Filius naturalis est Christus B. Mariae sed non naturaliter genitus . . 360
Filium Spiritus Sancti Christum dici non posse, esto de Spiritu Sancto sit conceptus. . . . . 345 seqq.
Filium Dei assumere non debuisse naturam humanam ex omnibus individuis eius, quia nec mereri gratiam eis potuisset, nec officium mediatoris obire 80
Finitum unum alteri finito esse potest incompossibile 111
Foemina Mare imperfectior, utraque tamen causa est activa prolis. . . 349
Fomes qua talis peccatum non est 303
Fomes qua ratione per Sacramentorum susceptionem intelligatur minui . 946
Fomes peccati magis imminuitur cum gratia magis augetur 181
Fomes peccati cum gratiae plenitudine non est compossibilis 180
Fomitem non aufert gratia originale expellens, secus si fuit non inesse peccatum 303
Fomite cur caruit B. Virgo, cum alias poenalitates et passiones sustinuerit ib.
Fomitem peccati in Christo locum habere nequaquam potuisse 180
Fomiti peccati cur non subiiciebatur Christus, qui subiiciebatur poenalitatibus 181
Forma dans actum secundum dat quoque primum 886
Forma quae est principium assimilandi est pariter principium agendi. . 879
Forma consecrationis Eucharistiae quaenam sit? Unica est unitate integritatis 914
Forma Sacramenti Eucharistiae operativa est, non quatenus vera, sed ut neutra 932
Forma tantum intensive infinita indivisibilis et immultiplicabilis est . . 25
Forma caeli non aufert ab eius materia potentias respectu aliarum formarum. 169
Formam eamdem ab agentibus diversis induci naturaliter non est possibile 898
Formam consecrationis panis consequi suum effectum priusquam proferatur forma consecrationis vini. 933
Fruitio est nobilissima operatio, quatenus inest obiecto nobilissimo . . 94
Fuit ex sanctificatione Beatae Virginis fomes omnino sublatus 303
Fundamenta opinandi in Christo reperiri praecise unum *esse*. 224

pag.

Fundamentum assumptionis non fuit Christi Corpus, sed natura vivens anima intellectuali 359
Futurum illud simpliciter est, in quod influunt causae superiores, illud vero secundum quid in quod influunt causae impedibiles ab aliis 501

G

Gaudium et tristitia in anima Christi non opponebantur; et quare . . 183
Gaudium et tristitia quomodo sunt opposita et incompossibilia 189
Genealogia Christi convenientissime ab Evangelistis texitur 335
Generatio Christi naturalis fuit quoad substantiam, sed supernaturalis quoad modum, alioquin vera Mater Christi non extitisset 339
Generationes passivas ad plurificationem naturarum plurificari 370
Generationis respectu quomodo se habeat in Matre sanguis menstruus et an ex ipso debuerit reformari Corpus Christi 339
Genitum gignenti in forma substantiali assimilatur, et super quibus vera filiatio fundatur 347
Gloria animae redimendae non est tantum bonum, quantum gloria animae Christi 29
Gloriam recte velle non potest quisquam Beatorum maiorem illa quam ipsi de facto contulit Deus 110
Gradum aliquem addi gratiae summae Christi, est quid incompossibile . 105
Gratia ampliori donata fuit B. Virgo Maria, quam omnes sancti simul . 307
Gratiam et gloriam pro nobis mereri haud potuisset Christus nisi fuisset Viator 199
Gratiam Sacramentalem differre a gratia habituali, et a caeteris virtutibus atque donis. Ubi et de gratia speciali cuiusque Sacramenti 582
Gratiam unicam reperiri in Christo in gradu quidem excellentissimo; indeque fieri ut sit hominum et Angelorum caput 120
Gratiam Christo datam non potuisse esse intensiorem aut perfectiorem . 110
Gratiam summam esse unica creatione creabilem 103
Gratiam Christo datam non ad mensuram, est tantam esse, quanta fieri potuit 105
Gratiam summam potest Angelus recipere, quia summum gratificabile, ergo et anima Christi 103
Gratiam tantam Deus Christi animae contulit, quantam potuit conferre, potuit autem summam 104
Gratiam Christi habitualem unionis hypostaticae fuisse sequelam . . . 112
Gratia maxima esse potest infimi perfectibilis in natura forma 111
Gratia Christi summa est terminis circumscripta, et subinde finita . 108 seqq.
Gratiam sanctificantem minime medium extitisse ne congruentiae quidem, ut partes naturae Verbi Personae hypostatice unirentur 90
Gratiam summam de potentia ordinata nequit Deus non dare animae Christi 93
Gratia cur requiratur ad meritum non item ad hoc ut natura humana personetur in Verbo 91
Gratia summa in gratias reliquas influit, non item summa natura si crearetur in alias naturas haberet influere 114
Gratia sanitatum, et fides ab imperio pendent voluntatis 101
Gratia summa Christi quia satis esset infinitis hominibus, non ideo est intrinsecus infinita 109
Gratia per Christum diffusa in animabus digne suscipientium Eucharistiam ex aequo continetur in una ac in utraque specie. 977

pag.
Gratias omnes gratis datas, et signanter Prophetiam in Christo extitisse. 101
Gratiae causas nec univocas, nec aequivocas esse Sacramenta sed tantum morales, et ut causa moralis suum continet effectum, ipsa continent illam. 583
Gratiae inaequalitas unde et quomodo ex parte causae meritoriae; et ex ratione Passionis Deo oblatae 725
Gratiae plenitudinem de facto nulli alteri a Christo Domino Deus dare statuit 107
Gratiae augmentum omnino modum atque mensuram habere 104
Gratiae plenitudinem esse Christo propriam iuxta leges praesentis providentiae; non vero de potentia Dei absoluta 107
Grecae Ecclesiae Ministri tenentur servare formam ipsius Ecclesiae . . 562

H

Habitum gratiae sanctificantis non praecessisse unionem hypostaticam in Christo. 54
Habitus scientiales animae Christi, quae tamen expers erat speciei divinae essentiae quinam fuerint 154
Hominis proprium denominativum quodnam sit, et unde derivet esse *humanatum?* 202
Homo qui est Christus supponit pro persona, in qua ipse homo subsistit. 221
Homo non est terminus generationis nisi quatenus anima informat corpus organicum humanum 491
Homo undique perfectus absque moralibus virtutibus esse minime potest. 95
Homo sicut per Theologicas virtutes perficitur in ordine ad Deum; ita per morales perficitur circa omnia alia a Deo . . . . . ib.
Humana natura in Christo perinde se habuit quoad passionem ac si Verbo non fuisset unita 452
Humana natura ad fundandam relationem unionis ad Verbum aliquo novo absoluto minime indiget 19
Humanitatem Christi esse adorandam adoratione latriae 281
Humanum corpus animatum in se pro aliquo durationis instanti subsistens persona est. Et B. Virgo haud esset Dei mater si homo in ea conceptus persona fuisset 359
Humidum termino proprio non terminatur 912
Hyperduliae cultu B. Virgo Maria, est prosequenda, sed Latriae nequaquam. 288
Hypostatica unio, et humana natura, neutra est ratio summae diligibilitatis. 282
Hypostatica unione fieri, ut, quae dicuntur de Deo, dicantur de homine. 205
Hypostatica unio necessario esse quid creatum, nec dicere de suo primario conceptu aliquid absolutum, sed est formaliter relatio non communis sed disquiparantiae. 49
Hypostatica unio et Beatifica ad invicem comparatis hypostaticam esse maiorem beatifica quoad assumptionem, non quoad actum secundum . 52
Hypostaticam unionem et beatificam proprie non esse comparabiles inter se. ib.
Hypostatica unio sicut est ab omni alia unione diversa ita et modus praedicandi exinde ortus est diversus 48

I

Identitas Corporis Christi viventis et mortui declaratur. 497
Idiomatum communicatio in quibus praedicatis fiat, aut secus? 216
Idiomatum communicatio qua ratione fiat et verificetur in Christo. . . 450
Idiomatum communicatio in Christo tantum denominativa est 136

pag.

Idem non est instans prolationis orationis et instans pro quo intelligitur unitas eius. 928
Ieiunio naturali ieiunus debet quis ad Eucharistiam sumendam accedere, et quibus in casibus liceat sic non ieiuno . . . . . 969 seqq.
Ieiunium duplex naturale, et Ecclesiasticum; utrumque declaratur . . . ib.
Ignorantia Iuris seu Divini seu Canonici non excusat, quin iterum conferentes vel suscipientes Baptisma non incidant in irregularitatem . . 664
Ignorantia facti si probabilis et prudens videatur excusat a poena irregularitatis. 665
Ignorantiam nullam locum in Christo habere minime potuisse 181
Ignorantia iuris non arcet irregularitatem ab exercente Ordines cum impedimento, bene tamen ignorantia facti 1006
Illuminationes Hyerarchicas non fieri iuxta ordinem naturarum, sed gratiarum 162
Imaginem Christi Domini Latriae cultu esse adorandam 286
Imago. 286
Immobiliter Corpus Christi esse in Eucharistia respectu virtutis finitae quoad motum proprie dictum 851
Immolari Christus in Eucharistia qua de causa dicatur 1012
Imperfectius secundum speciem potest corrumpere perfectius; secus de imperfectiori secundum genus 888
In adoptione tria necessario concurrere oportet 265
In anima intellectiva non est aliud *quod* agit, et *quo* agit 880
Incarnationem utique a Trinitate operatam esse, sed convenienter Spiritui Sancto appropriari; et quare 343
Incoepisse esse vere dici de Christo; et cur Sancti id concedere nolebant. 218
Incipere esse de virtute sermonis importat incoeptionem secundum quodcumque *esse simpliciter*. . . . . ib.
In Christi Corporis efformatione nulla pars altera prior fuit sed omnes simul 355
In causis subordinatis inferior non est in potentia propinqua ad agendum nisi posita actione causae superioris, agitur ibidem de modo quo B. Virgo egit ad formationem Corporis Christi 350
Incarnationem differri usque ad finem mundi non fuit conveniens, et quare? 35
Incarnatio Divini Verbi ad redimendum genus humanum necessaria fuit tantum necessitate consequentiae et praesuppositionis 24
Incarnationis possibilitatem ex via continentiae virtualis, et obedientialis declarantes, evadere non possunt inconveniens, quod non magis una Persona, quam aliae, naturae creatae dependentiam terminaret . . . 38
Incarnatio Divini Verbi non fuit a Deo volita occasione peccati, sed potius independenter ab hac causa fuit per se intenta 29
Incarnationem Christi esto non consequatur gratia unionis ad Verbum, per se tamen Christus non est filius Dei adoptivus 56
Incarnationem efficere est totius Trinitatis, terminare esse potest unius praecisae Personae, uti de facto id tantum Filio convenit. 65
Incarnatio qua ratione ab Augustino dicitur summa gratia 53
Incommunicabile aliquid esse tripliciter potest intelligi, videlicet actu, aptitudine, et potentia 17
Inclinari ad extrinsecum perfectibile pertinere ad appetitum sensitivum . 185
Incommunicabilitatem *ut quod* esse naturae identificatam, non item incommunicabilitatem *ut quo* 78
Independenti de possibili convenit terminare omnem dependentiam. . . 58
Independens ex ratione simpliciter independentis non concluditur posse, quamlibet terminare dependentiam. 8
Indigne Christum sumentium, et ipsum occidentium peccata longe disparia. 965

pag.
Indigne sumentium Eucharistiam ex alio, atque alio fine magis et minus graviter peccant. 965
Indigne Christum sumentes in Eucharistia qualiter peccent 964
In eodem instanti, quo natura personaretur in se nata est personari in alio et non prius nec posterius. 54
In eodem signo sive instanti animationis, in quo debuisset infuisse culpa fuit sanctificata B. Virgo. 296
In eodem instanti durationis Christi Corpus fuit organizatum et animatum, sed in diverso signo naturae 357
Infinitum bonum non fuit vita creata Christi, nec subinde summe diligenda . 284
Infideli baptizato confertur character, non vero gratia 701
Infinitatem in receptiva extensivam non arguere intensivam 140
Infinitum cur non sit alteri componibile tamquam pars totius?. . . . 5
Infinitum subsistens est a finito independens 4
Infinito potest aliquid addi in linea formalis, non virtualis aut eminentialis continentiae 5
In homine iusto duplex existit Dei similitudo 265
Inhaerere aut in alio esse dupliciter intelligi posse. 831
In hoc mysterio Incarnationis num possit, et quomodo dici verbum assumpsisse humanam naturam in athomo. 45
Inhaerentia est accidens inhaerentis albedinis. 871
Inhaerentia non est accidentis proprietas, sed magis accidens eius. . . 872
In instanti primo non inest gratia, ergo inest culpa non sequitur. . . 300
In ipso conceptionis instanti sanctificata fuit B. Virgo non a culpa quae inerat, sed quae infuisset, nisi esset per gratiam praeventa 299
In generatione prolis non pertinere ad Patrem omnem virtutem activam. 352
In generationibus naturalibus quae necessario concurrant. 355
Ingressa gloriam caelestem minime fuisset Beata Virgo, si ante Christi mortem decessisset. 295
Innocentia simpliciter maius Dei beneficium est, quam Poenitentia. . . 301
Innocentia praestantius donum est, quam poenitentia 298
In peccata non labi expetibilius est, quam post lapsum ab illis liberari. 301
In primo omnino suae conceptionis instanti Corpus Christi oportuit fuisse animatum 357
Instantiae notabiles contra catholicam veritatem assumptionis humanae naturae; et magis notandae earumdem solutiones. 6
Instrumenta artificialia non sunt activa formaliter, sed tantum receptiva cuiusdam effectus ordinati ad effectum ultimum 580
Instanti pro quo subiectum natum est recipere formam, inest privatio eius si abest. 300
Institutio Baptismi quare facta in aqua. 742
Intellectui creato obiectum proportionatum est omne ens creatum . . . 859
Intellectus Christi est omnium merita et demerita cogniturus priusquam sententiam ferat. 543
Intellectus animae Christi clarius videt divinam Essentiam, quam quaecumque alia creatura 141
Intellectum animae Christi comprehendere divinam Essentiam fieri omnino non potest 135
Intellectus creatus perinde recipere potest visionem omnium, et paucorum. 140
Intellectum animae Christi recipere cognitionem infinitam, vel infinitas cognitiones, nulla apparet repugnantia 139
Intellectum animae Christi attingere nequivisse singularia per species inditas specierum. 144
Intellectus Angelicus non est capax amplioris perfectionis quam anima Christi, esto ille sit perfectior intellectus. 142

pag.

Intellectus animae Christi essentialiter non est perfectior si intelligat infinita 139
Intellectum animae Christi videre omnia in Verbo habitualiter non actualiter. 137
Intellectus humanus pro praesenti statu nihil attingere potest nec ab aliquo moveri, nisi contineatur sub quidditate rei sensibilis 145
Intellectus infiniti solius est actu intelligere omnia intelligibilia. . . . 152
Intellectus ex sua natura non necessario alligatur potentiis sensitivis in intelligendo 146
Intellectum separatum posse cognoscere mysteria gratiae si permitteretur uti propria virtute 861
Intentio recipiendi Baptismum quare sit necessaria in adultis, non vero in pueris et amentibus 699
Intentio habitualis satis non est, nec actualis necessaria sed sufficit virtualis, ad sacramenta perficienda, quae tres intentiones explicantur. . 633
Intentio habitualis quare pro perfectione Sacramentorum non sufficiat. . ib.
Inter Incarnationis extrema nulla est proportio quasi inter quantum et quantum, sed illa tantum, quae est passivi ad activum, et e contra . 23
Interdicto in loco celebrans an sit irregularis ex sententia Iudicis . . . 1018
Intuitiva cognitio postulat distantiam determinatam. 864
Ioannis Baptismo Christum congrue baptizatum fuisse et convenienti tempore; apertique sunt Caeli ac super eum, Spiritus Sanctus descendit in columbae specie. . . . . 408 seqq.
Ioannis Baptismum suscipientibus non conferebatur gratia ex virtute Baptismi, sed ex opere operantis 399
Ioannem vere et congrue baptizasse per congruentias declaratur . . . 397
Ioannis Baptismate haud delebatur peccatum originale. . . . . ib.
Irregularitatem nemo potest infligere toti Ecclesiae, nisi Ecclesiae Caput. 665
Irregularitas quo in casu incurratur vel non incurratur 1007
Irregularitatem num incurrat Celebrando publicus peccator . . . . . ib.
Iste homo (demonstrato Christo) *incoepit esse* ex virtute sermonis esse propositionem veram 217
Iudaei cur peccaverint inferendo Christo necem, quam Deus voluit . . 234
Iudex saecularis cum eius Curiae traditur degradatus puniendus, est minister et exequutor sententiae dictae in foro Ecclesiastico. 1004
Iudicandae personae duplex consideratio, secundum quam duplex iudicium. 547
Iudiciaria potestas quaenam, et quomodo Christo conveniat . . . 540 seqq.
Iudicium et corporum resurrectio competunt Christo homini ut imperanti imperio tamen subauthentico 542
Iudicii nomine quid intelligendum veniat, quid requirat eius completa ratio, et cui principaliter competat iudicare. 540
Iudicium finale et universale hominum praeter particulare, quod ultimo vitae periodo peragitur, esse oportere congruentiis declaratur. . . . 546
Iudiciaria potestas Christo super quibus data fuerit. 545
Iudicii diem et horam Christum qua homo est haudquaquam ignorasse . 182
Iustitia originalis debita non est cum inest anima gratia sanctificans . . 303
Iustitiae originali gratia aequivalet quantum ad acceptationem divinam . 294

L

Laicum posse quidem valide conferre Baptismum, sed licite nonnisi urgente necessitate. 673
Laicos in Communione utramque speciem sumere non est ex Christi institutione 977

pag.

Latria est virtus non quidem Theologica sed moralis, contenta sub iustitia, qua redditur superiori quod sibi debetur 279
Latriae cultum exhibendi ratio duplex potest poni; ita et hyperduliae . 284
Latriae actus quo laudabilior, eo detestabilior idololatria 279
Latriae adoratione adoranda ita duplex natura, sicuti utraque in termino adorationis includitur 282
Latriae adoratione esse adorandam Christi humanitatem, etsi natura humana non sit ratio adorandi Christum latria 281
Latriae cultu Christi Crucem esse prosequendam, et quare 287
Latriae actum tria necessario ad sui integritatem requirit. 286
Latriae cultus semper Christo debetur, qualiscumque ponatur ratio adorandi ipsum 280
Latriae cultu quare Crux Clavi etc. colantur, non item Beatissima Virgo Maria 289
Lex quaelibet speciales ritus caeremonias et Sacrificia praescripsit . . . 286
Liberi arbitrii rationem potentia deficiendi vel peccandi minime ingreditur; sic et discursum per accidens requiri ad deliberandum 232
Liberi arbitrii usu carere non sequitur ad impotentiam peccandi . . . 363
Liberi arbitrii usu perfecto Christum in primo suae conceptionis instanti praeditum fuisse. . . . . ib.
Libertas tanta est in Christi voluntate quanta esset si Verbo non foret unita 168
Liberum arbitrium in Christo erat confirmatum in bono ex beatitudine . 177
Liberum arbitrium non fuit in Christo ut in caeteris viatoribus deficere valentibus; sed ut reperitur in Deo et in Beatis 232
Liberum arbitrium perfectissime erat in Christo . . . . . ib.
Licet in humana natura Christi non sit ullum motivum quo debeatur ipsi cultus latriae; tamen ut unitur Verbo divino ita est adoranda . . 282

M

Magis vel primo diversa non magis vel primo sunt inter se repugnantia. 202
Magis et minus qua ratione sint termini incompossibiles 901
Maiores in Ecclesia magis explicite credere tenentur ea quae in Scripturis continentur quo valeant simplices, quorum curam gerunt, instruere. . 459
Malum summum haud influere in mala particularia directe 124
Malum Sacerdotem conficere Eucharistiae Sacramentum, sed gravissime peccare. 998
Mariae Filius sicut non diceretur sua aeterna relatione Pater, si carnem de Virgine assumpsisset, sed alia, ita et nunc de Filio 372
Martyres atrocibus subiecti tormentis ex miraculo usu rationis non exciderunt 188
Materia nec per se nec per accidens esset in praedicamento, si non pertineret ad substantiam rei materialis 493
Materiam pertinere ad quidditatem rei materialis et nisi ingrederetur substantiam rei, forma non faceret unum per se cum materia. 492
Materia multipliciter accipitur a Philosopho; per ipsam potest essentia corrumpi potentia remota tantum, non proxima 494
Mater prolis suae verissime extitit B. Virgo perinde ac aliae foeminae concipientes via naturali, nec in ista sicut in illis fuit necessaria successio 353
Mater causa inferior in generatione prolis, pater superior; utraque tamen activa 349

pag.
Matrem Christi esse et verissime dici debere Beatam Virginem et quo sensu negaverit Damascenus ipsam esse Matrem Christi appellandam . 371
Matrem Dei esse appellandam, cum ita revera sit B. Virginem Mariam declaratur quo pacto ipsa sit et dici debeat Mater Dei 372
Matrimonium verum extitit inter B. Virginem et Iosephum sponsum eius. 330
Mediatores inter Deum et homines cur non sint Angeli, sed Christus. 291
Mediator Christus est qua Ecclesiae caput, et in quantum homo . . . 292
Mediatorem esse inter Deum et homines, qua ratione praecise Christo conveniat 290
Mediatione Christi nemo hominum indiguisset, si Verbum de omnibus individuis carnem assumpsisset 80
Medium est duplex, alterum *quod,* et alterum *quo* 85
Mens creata nequit perfecte quietari nisi in Essentia infinita ut existens est in tribus hypostasibus. 142
Menstruus sanguis quomodo se habeat respectu generationis. 339
Mereri haud sibi potuisse Christi animam unionem hypostaticam, aut fruitionem, aut divinae Essentiae visionem 242
Mereri Beati minime possunt quia perfectissime sunt coniuncti Deo secundum affectionem tam commodi quam iustitiae et penes affectionem commodi Christus non erat in termino 240
Mereri nihilominus potuit, et de facto meruit Christus, quamvis peccare non potuerit 241
Mereri undenam Christus potuerit et meruisse Christum etiam penes portionem superiorem, et quamobrem. . . . . ib.
Mereri quid sibi non potuerit Christus declaratur 242
Mereri Christum incepisse in primo suae conceptionis instanti 365
Merita nulla potuerunt in ordine ad promerendam Incarnationem . . . 35
Merita B. Virginis aliorumque Sanctorum accelerationem Incarnationis congrue promeruisse . . . . . ib.
Meriti ratio explicatur, et declaratur Christum revera meruisse inter homines agentem tum sibi tum aliis. 239
Meritum quo in casu praemium excedere intelligatur 246
Meritum nullum inveniri posse nisi in actu elicito voluntatis 243
Meritum vel satisfactionem Christi Domini non esse valoris infiniti . . 27
Meritum ad mercedem et satisfactio ad iniuriam compensandam ordinem dicit. . . . . ib.
Meritum est in voluntate formaliter, etiam cum actus merendi non sunt in ipsa. 192
Meruisse etiam nobis Christum gratiae augmentum, gratiamque poenitendi post lapsum 247
Meruisse Christum indirecte quomodo sit intelligendum 243
Meruit sibi Christus impassibilitatem animae et corporis indirecte tamen. 244
Meruit Christus in primo suae conceptionis instanti ob mortem sequuturam, et ab ipso acceptatam 499
Minister inordinate faceret indeterminatae quantitatis materiam consecrando. 773
Minister cur non exprimatur in confectione Eucharistiae sicut in aliis Sacramentis 915
Ministrum Sacramentorum scire quae praecisa verba pertineant ad formam eorum non oportere 921
Ministrum Sacramenti Eucharistiae idoneum quaenam reddant 999
Minores et Praedicatores posse celebrare in portatili sine licentia Episcopi 1016
Miracula per Christum edita ipsius divinitatem sufficienter ostendebant . 427
Miracula faciebat dum inter homines Christus ageret, divina et non humana virtute. 425

pag.
Miracula Christus edebat imperando ut Deus, unde alia ratione Christus, alia caeteri Sancti miracula faciunt 425
Misericordia et veritas magnifice ac mirabiliter elucent in oblatione facta a Christo in Cruce ut est summus Sacerdos offerens, idemque et hostia oblata 259
Missa unica an et quando pluribus obligationibus possit satisfieri . 954 seqq.
Missa unica solvitur debitum contractum, et satisfit liberali promissioni. 952
Missa pro quibus potissimum sit applicanda 950
Missae Sacrificium quo in gradu prosit ei cui applicatur 947
Missae seu Sacrificii valor idem est, seu a bono seu a malo Sacerdote Missa celebretur 1000
Missae boni Sacerdotis qua ratione maius bonum spirituale correspondeat. 1001
Missae tamen boni Sacerdotis maius praemium spirituale correspondet. 1000
Missae rite celebrandae quaenam conditiones requirantur, et quibus sub poenis 1013
Missae Sacrificiun ipsi celebranti potissimum prodest 947
Modum convenientiorum sanandae nostrae miseriae non extitisse quam Christi vitam passionem et doctrinam 435
Modum quatitativum haud esse quanti passionem 788
Modus naturalis consequitur rem cuius est modus 843
Mori Christum conveniens fuit pro comprobanda in ipso humani corporis veritate 485
Mors quomodo fuerit Christo meritoria, et magis ac esse potuerit in quovis alio 498
Mortem Christum subire propter duo potissimum capita conveniens fuit. 484
Morte occumbere Christum non debuisse per morbos, sed per violentiam extrinsecum illatam. 485
Motum ad corruptionem in Corpore Christi Deus inchoari voluit, sed nequaquam perfici. 502
Motus vel mutatio datur in relationibus extrinsecus advenientibus. . . 599
Motus essentialiter est actualitas entis potentialis 896
Mutatio qua talis propriae dicitur de subiecto; est triplex ex Philosopho. 824
Mutatio quoad respectum realis praesentialitatis non repugnat corpori glorioso 792
Mutationem localem communiter concomitantur quatuor motus et octo termini. 805
Mutatio duplex propria et communis, prior est inter privationem formamque eius; posterior complectitur quamcumque inductionem sive praecesserit privatio sive non 357
Mutatio secundum *ubi* et qualitates tertiae et quartae speciei petit manere eamdem in Eucharistia 894

N

Nativitas Christi quam congrue Iudaeis per Angelos, Gentibus per stellam sit manifestata 388
Nativitatem pertinere ad naturam non ad personam 368
Natura humana in Christo fuit causa secunda meritoria 238
Natura creata non dependet ad Verbum ut ad relativum, sed qua quid subsistens est independens 38
Natura assumpta si dimitteretur, non oporteret corrumpi aliquod absolutum 40
Natura de Adamo progenita convenientissime a Filio Dei fuit assumpta. 80
Natura irrationalis uniretur in unitate suppositi, non personae 76

pag.

Natura una pluribus personalitatibus creatis posset personari si fieri potest, ut sit in pluribus personis increatis 69
Natura humana in Christo an sit in praedicamento substantiae? . . . 42
Natura humana metaphysice non est accidens Verbo Dei. 47
Natura humana per se non praedicatur de Verbo logice; an vero logice per se sit vera ista Christus est homo examinatur . . . . . ib.
Natura ex se est disposita ad personari in alio, sed non ad meritorie operandum. 54
Natura singularis habet immediate negationem dependentiae ad alienam personam 16
Natura humana cur non sit in Verbo Divino violenter. 18
Natura creata perfectissima haud continere potest inferiora se virtualiter. 155
Naturam universalem non esse assumptibilem, quia nec existens est . . 79
Naturam unam creatam simul a pluribus assumi Personis contradictionem involvit . . . . . 69 seqq.
Naturam alienam sustentare dupliciter intelligi potest, effective et terminative. 59
Naturam humanam uniri Personae Divinae quid sit 2
Naturam humanam Christi cur sequebantur communes hominum defectus quamdiu versaretur in hac vita mortali 170
Naturaliter erant Christo nolita quaeque contraria et disconvenientia . . 234
Naturale et supernaturale in quo differant. 859
Naturae humanae defectus Christum sequebantur non ex demerito ullo, sed ex naturae ipsius conditione 171
Necessitas astruendi in Christo plures habitus scientiales. 135
Negatio disparata non arcet a termino omnem entis rationem, quia non est incompossibilis suae affirmationi 817
Negatio extra genus non subest potentiae Agentis primi, et quare quod corrumpitur non annihilatur. 814
Nocturna pollutio de genere suo non impedit sumptionem Eucharistiae, ut nec complexus coniugalis. 968
Non omnem virtutem activam respectu generationis ad Patrem pertinere. 352
Notitia actualis in genere proprio est iuxta virtutem naturalem ipsius intellectus 144
Nulli creaturarum intellectualium est debita perfectio cuius sunt capaces. 265

O

Obiecta quomodo ex propria ratione videantur esse ordinata et disposita. 30
Obiectum esse praesens non oportet oculo concomitanter videnti illud. 865
Oblationis in Missae Sacrificio faciendae regula 951
Obligatio est duplex altera ex liberali promissione, altera stricta . . . 951
Obligatio inter dantem Eleemosynam et Missam Celebrantem, qua ratione iusta sit 952
Omissa omni disputatione logica circa formam Sacramenti Eucharistici quid a ministro sit necessario tenendum. 933
Omne accidens in Eucharistia caret subiecto propinquo vel remoto. . . 877
Omni in ordine essentiali stat unitas prioris cum multiplicitate posterioris naturaliter. 377
Omnis passio mathematica demonstratur de accidentibus 876
Operationes divinae et humanae fuere in Christo impermixtae ac inconfusae 237
Operationes spirituales *primo* Christo inexistere posse ut in Sacramento existenti 862

pag.
Oratio est necessaria ut medium ad finem 252
Orare idest sua desideria exhibere, et offerre Deo, competere Christo quatenus homo . . . . . ib.
Orationem Christi semper exauditam fuisse, quoties non conditionata sed absoluta fuit 254
Orationem operibus meritoriis praestare, et in quo? 947
Orationis meritum quotuplici in gradu possit applicari . . . . . ib.
Orationis pronuntiativae conceptus non habetur nisi in ultimo instanti prolationis ipsius 918
Orationis totius significatum debet referri ad idem tempus vel instans . ib.
Orationis veritas est pro illo tempore quod per copulam significatur . . ib.
Originalem culpam contrahendi debitum sequitur omnes filios Adae et etiam B. Maria, sed culpa haec adfuit, quia praeventa est ne inesset . 299
Originalem culpam contrahendi debitum B. Virgini infuisse 295
Originale peccatum qua ratione sit deterius malum, quam peccata actualia. 32
Originalis noxae multo magis expers fuisse debet B. Virgo, si fuit expers omnis actualis, etiam eius, quae gratiae sanctificanti non est incompossibilis 297

P

Pane manente stare posset Eucharistiae veritas, si Deus ita instituisset . 810
Panis et vini substantiae quare dicendae sunt, non annihilari in conversione 814
Panis et vini substantias non superesse in Sacramento Eucharistiae firmiter tenendum est ob Ecclesiae auctoritatem 810
Panis in conversione quare dici non possit annihilatus. 815
Panis post consecrationem quomodo esse desinat, num per conversionem vel per annihilationem. 820
Partes cum sunt natae esse totius denominare nequeunt aliarum suppositum, nisi ut existunt in suo toto 489
Partes assumebantur a Verbo mediante natura, cuius partes erant. . . 89
Parvulos Iudaeorum et infidelium posse invitis parentibus baptizari, et quomodo 704
Parvulos aquis baptismalibus intingi oportere ad salutem. 703
Parvulos in utero materno constitutos baptizare non licere ratio quae pro hoc adducitur improbatur. 706
Passio Christi praecise non extitit causa meritoria praedestinationis Sanctorum. 276
Passio quoties non est ex virtute, tunc ipsa passione est actio laudabilior, secus si de virtute fiat, ut aliquis patiatur 463
Passio Christi non fuit simpliciter necessaria pro redimendo humano genere. 432
Passionis irae Christum minime expertem extitisse 198
Passionem Christi praecise ipsius humanitati esse attribuendam. . . . 449
Passio Christi ex suppositi circumstantia et rationis congruitate acceptari potuit pro infinitis 27
Passio ex virtute et laudabilior actu virtutis circa delectabilia 26
Pati Christum in Eucharistia quare non contingat, etsi ibidem habeat corpus passibile 982
Peccata commissa et non commissa perinde donantur idest ex Dei gratia non committuntur, et commissa per gratiam remittuntur 301
Peccatores ad Baptismum accedentes non tenentur peccata quibus sunt obnoxii confiteri Sacramentaliter 697

pag.

Peccatori baptizato non esse imponenda opera satisfactoria de peccatis commissis 695
Peccatori se non atterenti aut conterenti de peccatis praeteritis non esse Baptismum impendendum. 694
Peccati gravitas unde sumatur, et quae peccatorum sint gravissima . . 964
Peccatores publicos esse ab Altari repellendos ubi et explicatur: *de duobus malis minus est eligendum* 966
Per Eucharistiam remittuntur peccata quae latent inculpabiliter, memoriter non occurrunt 940
Per absolutum *nolle* efficax declinatur odioque prosequitur nolitum . . 194
Perfectibilia unius rationis perfectione quoque unius rationis indigent. . 93
Persequens matrem utero gerentem parvulum, persequitur et filium . . 707
Per se existenti ratio in natura humana alia est a ratione personalitatis. 12
Personalitas Divina complet substantialiter naturam a Verbo assumptam. 225
Personalis proprietas est formaliter ratio terminandi naturae creatae dependentiam ad Verbum Divinum non vero essentia tribus communis . . 37
Personalitas Verbi extitit medium congruentiae respectu summae gratiae Christo collatae 90
Personalitatis ratio pro connotato tantum importat dignitatem non vero formaliter 78
Personalitatem creatam esse quid positivum minime oportet 13
Personales proprietates in Divinis ex se ipsis sunt formaliter independentes 7
Personalitas creata si in positivo consisteret Christus esset expers ultimae perfectionis individualis 17
Personalitas suppositalitas, et subsistentia, qualiter distinguantur . . . 41
Personalitatis creatae ratio videretur assumptibilis, si foret quid positivum. 15
Personalitatis rationem concomitatur negatio dependentiae actualis et aptitudinalis 12
Persona divina non intelligitur aliquid effective communicare naturae creatae ob dependentiam eiusdem ad Verbum. 38
Persona per quamnam independentiam, seu dependentiae negationem constituatur 18
Personam unam plures simul assumere naturas, nulla apparet repugnantia. 70
Persona Divina sicut habet possibilitatem terminandi dependentiam alterius naturae, ita et in humana natura est possibilitas dependendi ab tali independenti 12
Personam Divinam assumere humanam naturam, seu eius dependentiam terminare nulla est repugnantia. . . . . 4 et 7 et 8
Personam verbi in duabus subsistere naturis est infallibile fidei dogma sed non propterea Christi persona composita est appellanda 43
Persone Divinae plura conveniunt ut est subsistens in natura creata quae non conveniunt illi in se consideratae 211
Personae conceptus haud univoce dicitur de creata et Divina Persona. . 18
Personae Filii Dei tantum facta est terminatio unionis naturae creatae ad ipsam ac propterea ratio terminandi hanc dependentiam esse nequit alii personae communis. 39
Personae divinae non repugnat *simpliciter communicari sed secundum quid*, ideo creata persona differt a perfectione Personae Divinae. 16
Pie facturos Principes cogendo omnes in suis regnis Christianam fidem profiteri 704
Plures Personae nequeunt terminare eamdam naturam. . . . . 67 seqq.
Per passionem suam Christus quidem meruit, sed multo magis per actus dilectionis Dei, et proximi 277
Purificationem posterioris non sequitur plurificatio prioris. 796

pag.

Poenam canonicam nemo Doctorum et Glossatorum canonum potest statuere, sed solus Papa 747
Poena Canonica quid sit? aliquae huiusmodi fundantur super naturales defectus, aliquae e converso 1005
Poena etiam capitis statuta est in eos qui ordine Sacerdotali non insigniti Missam audent celebrare 1006
Poenis et passionibus subiecta fuit B. Virgo, ut sibi mereretur et nobis. 298
Praeceptum de Confessione Sacramentali facienda urgere multis in casibus 963
Praeceptum non habendi Deos alienos, tum negative, tum affirmative obligat. 285
Praeceptum de usu consecrationis non pertinet ad formam consecrationis. 922
Praedestinatio in aliis a Christo respicit personam, in Christo vero terminatur ad naturam humanam quae ad unionem et gloriam praeordinabatur 279
Praedestinatio Christi qua ratione sit exemplar praedestinationis omnium aliorum 275
Praedestinatio Christi quatenus est caput omnium Sanctorum fuit meritoria causa eorumdem Sanctorum praedestinationis 277
Per praedestinationem homo qui est Deus ordinabatur ad tantam gloriam, et ad unionem hypostaticam. 273
Praedicari aliquid nequit de subiecto ultimate, nisi ad formalem subiecti rationem pertineat 207
Praedicatio superioris de inferioribus est praedicatio formalis 202
Praedicata *Creatoris et creaturae* in Christo sunt contradictoria, et quare. 221
Praedicatum cum *distrahitur* fit ut vera sit praedicatio, quae erat sine tali *distractione* falsa. 220
Praedicatum *creaturae* non enunciari de Filio Dei, et quare 206
Praerogativam capitis inesse Christo respectu hominum principaliter quoad animas, minus principaliter vero secundum corpora 115
Praerogativa capitis ecclesiae est sic Christo propria, ut de potentia ordinata Dei alteri nequeat convenire 122
Praesentia nova Corporis Christi ad species non est mutatio realis; ac terminus mutationis eiusdem reductive spectat ad *ubi* 806
Praesentiam Christi in speciebus non esse vi conversionis formaliter, sed Dei potestate eo aducentis corpus illud 805
Praesentia Corporis Christi posset haberi simul cum substantia panis. . ib.
Praesentia Corporis Christi esse non potest per se terminus conversionis panis in Corpus Christi 804
Praesentia sacramentalis non est ubicatio seu circumscriptio 849
Praesumendum est neminem ad illicitum se obligare voluisse 953
Possibilitatem assumendi humanam naturam, vel ex continentia eminentiali vel ex potentia obedientiali eiusdem concludi improbatur, media vero ipsam declarandi probabiliora quaenam sint. 10
Posterius generatione est prius corruptione exponitur quando verificetur . 889
Potentia generandi est vis vegetative virtutis 351
Potentia causae inferioris remota est cum causa principalis non agit . . 353
Potentia faciendi omnia, cur nequeat alicui creaturarum communicari . . 163
Potentiae creaturae tantum convenit etiam annihilare, et ubi illa desit esse, non potest haec altera potentia reperiri 165
Patientiae obiectum non est *simpliciter* eligibile, sed *secundum quid* . . 191
Potestas faciendi miracula in Christo quare, et quomodo fuerit 165
Prior in accidente est ratio dependentiae ad independens, quam inhaerentiae ad subiectum 13
Privilegium exemptionis a foro saeculari Clericis vel Constantinus primum concessit, vel ea immunitate a Romano Pontifice donati ut fruerentur permisit, vel mandavit. 1004

pag.

Prius natura anima assumebatur a Verbo, ac esse posset gratiae subiectum. 90
Prius est naturam esse personatam in se vel in alio, et exinde habitibus ornari . . . . . ib.
Prius secundum consequentiam non semper est prius causaliter. . . . 88
Proportio activi ad passivum est inter Verbum divinum et naturam creatam 5
Propositio haec: *Christus secundum quod homo est Deus*, qualiter vera sit declaratur 221
Propositionis istius: *Homo factus est Deus*, vera est praedicatio; et vere et proprie homo factus est Deus 210
Propositiones tres pro dissolvendis argumentis difficillimis contra sententiam tenentem idem corpus esse posse in pluribus locis 797
Propositiones multae de unica reali passione cum veritate possunt enunciari. 209
Propositionem hanc: *Deus factus est homo*, esse veram declaratur . . . 208
Propositio haec: *destructo priori destruitur posterius* declaratur 880
Purus homo in altera providentia satisfacere Deo potuisset, adeoque non fuit simpliciter necessaria Christi passio 433

Q

Quadruplex esse potest variatio circa species Eucharisticas 894
Qualitas propria substantiae a quo agente inducatur 890
Qualitates in Eucharistia esse corruptibiles virtute agentium naturalium. 892
Qualitas consequens substantiam secundum speciem non a qualitate, sed a substantia generatur. 890
Qualitatem non corrumpi *in nihilum* sed in aliam qualitatem vel in gradum alium eiusdem speciei 893
Qualitatum ordo penes ordinem substantiarum sequitur cui ordini non correspondet genus quantitatis 874
Qualitas quomodo propinquior substantiae quam quantitas 875
Qualiter B. Virgini conveniat esse *gratia plenam* 307
Qualiter intelligendum, *Cui plus dimittitur plus diligit* 302
Qualiter voluntas sensitivi appetitus non erat in Christo voluntati rationali contraria. 236
Qualiter Christus est unus, et non duo, esto in ipso duae sint naturae. 223
Qualiter haec: *Christus secundum quod homo est creatura:* verum sensum habere queat, esto improprie, declaratur. 219
Qualiter de Christo contrarie recte enuncientur 218
Qualiter Christus sit omnium hominum caput, sed diversimode. . . . 117
Quaecumque Deus iubet ut faciant homines, recte operantur, secus de iis quae fieri permittit. 455
Quae necessario concurrant in generationibus naturalibus; tamen in Christi Corporis efformatione nulla pars fuit altera prior, sed omnes simul . 355
Quaedam corruptio est divisio continui sine generatione 908
Quae necessaria fuissent patri naturali in generatione filii non ita erant respectu Spiritus Sancti 354
Quaenam simpliciter credenda ab omnibus fidelibus quae dumtaxat a maioribus in Ecclesia quaenam vero explicitè non credenda a quoquam nisi declaratio Ecclesiae accedat atque credenda proponat 635
Quacumque dispositione intellecta in materia, adhuc ipsa est in potentia contradictionis ad animam intellectivam 511
Quae sunt simul in tertio non sunt simul inter se, si tertium sit illimitatum 789

pag.
Quae per infusam scientiam Christo praesentia erant nequibat addiscere per acquisitam 134
Quae recte dicantur consequi nostram naturam, et a nobis contrahi . . 173
Quae dependentia impediat terminare dependentiam alterius 877
Quaenam verba non pertineant manifeste ad formam consecrationis calicis 922
Quamobrem Sacerdotium Christi dicatur a Propheta esse secundum ordinem Melchisedech 263
Quamobrem attribuitur Spiritui Sancto ratio Doni 267
Quamvis potentia re ab essentia esset distincta in Christo; tamen de facto non fuit separata, alioquin haud mereri potuisset. 227
Quamobrem cum reduplicatione falso de Christo enuncietur praedicatum *creaturae* 220
Quamobrem ob cognitionem plurium effectum non perfectius cognoscatur causa 138
Quam ob causam oportuit Christum habitibus fidei atque spei fuisse expertem 97
Quamvis Patri non conveniat mitti ipsi tamen non repugnat incarnari . 66
Quamobrem ad personalitatem, et non ad naturam unio formaliter terminet
Quamlibet naturam creatam esse assumptibilem a Persona Divina. . . 76
Quantitas quomodo est ratio formalis essendi in loco 789
Quantitas non determinat sibi certum gradum qualitatis, secus est de substantia 889
Quantitas separata est sufficiens receptivum alterationis 905
Quantitas separata a subiecto nonnisi ab agente supernaturali corrumpitur 892
Quantitas dimensiva Corporis Christi qua praeditum est in caelo, tota est quoque in Sacramento Eucharistiae 846
Quantitas non est ratio formalis essendi in loco 849
Quantitas separata sine qualitate non sentiretur pro praesenti statu ubi sermo de sensibili proprio et communi 880
Quantitatis ad quantitatem oppositio non est formalis, sed virtualis. . . 847
Quantum esse Christi Corpus in caelo, et non quantum in Eucharistia contradictionem involvit . . . . . ib.
Qua ratione per Christi Sacerdotium dicantur expiari peccata 259
Qua ratione Christi Corpus fuerit efformatum ex purissimis Mariae sanguinibus 337
Qua ratione B. Virgo cooperari potuit Spiritui Sancto in instanti . . . 338
Quare caro ab anima separata non denominabat suppositum Verbi . . 487
Quare B. Virgo non sit Mater Patris et Spiritus Sanctis esto sit Mater Dei 373
Qua ratione Spiritus Sanctus dedisse dicatur B. Mariae Virgini virtutem generativam 353
Qua ratione Christi claritas post resurrectionem non videbatur a discipulis 517
Qua ratione aqua mystice praefiguret unionem Corporis Christi cum membris eius 781
Quare Christus dicatur conceptus de Spiritu Sancto, non item de Patre et Filio 346
Qua ratione Beatissima Virgo extitit verissime Mater prolis suae perinde ac aliae foeminae concipientes via naturali, dilucide explicat Doctor . 352
Qua ratione fiat ac verificetur idiomatum communicatio in Christo . . 450
Qua ratione quove modo diabolus sit et dicatur caput omnium malorum. 124
Quidquid aliae Matres praestant in filiorum conceptione idipsum effecit et praestitit B. Virgo Maria 337
Quid intelligendum veniat cum dicitur: *Christus est conceptus de Spiritu Sancto* 345
Quidquid non includitur in natura dicitur Deus ex gratia operari. . . 90
Qua ratione Christus meruit etiam Angelis gratiam et gloriam. . . . 119

pag.

Quare secundum Philosophum nihil est corruptibile nisi quod habet materiam 893
Quid inter Prophetiam, et fidem infusam differentiae intersit 102
Quidquid inest Christo in Caelo independenter ab *ubi* necessario etiam sibi inest ut in Eucharistia 840
Quoad portionem inferiorem absolute nequiit Christi voluntas ab divina voluntate discordare, sed tantum *conditionate* 234
Quod natura humana intelligatur actu non dependere ad aliud, non proinde intelligitur personata 359
Quod est *non ens* esse nequit ratio fundandi relationem realem . . . 603
Quod per se competit parti de toto pronunciatur per accidens 824
Quodlibet creatum posse converti in quodlibet, quidque necessario requiratur ad formalem conversionem 826
Quod natura humana intelligatur actu non dependere ad aliud, non proinde intelligitur in se personata 359
Quod est in se primo personabile, illud in alio primo personatur. . . 85
Quo aliquid ab finito intellectu sciatur, non oportere ipsum habere speciem infusam. 157
Quod est per se unius generis potest alia genera denominare 869
Quod a Deo dependet nequit ab ulla creatura corrumpi 895
Quomodo Christus extiterit simul hostia oblata, et Sacerdos offerens . . 257
Quomodo intelligendum est, Verbum assumpsisse *humanam naturam* . 207
Quomodo Christus Dominus in hac vita vero timore timuit 166
Quo formaliter homo est homo non est relatio; est autem homo humanitate 491
Quomodo explicari possit B. Virginem caruisse debito contrahendi culpam originalem. 310
Quomodo Christi mors fuerit miraculosa, et una naturalis, et unde moriturus in Cruce valide clamaverit 452
Quomodo Christus per passionem et mortem meruit exaltari 482
Quomodo Christus fuerit causa meritoria omnis gratiae datae et dandae membris Corporis sui mystici 463
Quomodo moveatur Corpus Christi in Eucharistia 851
Quos defectus Christus assumere debuit, ut sibi commisso munere defungeretur. 169
Quos defectus Christus non assumpsit, nec assumpsisse decuit 173
Quo pacto quave ratione dicatur Christum scientia aquisita non didicisse omnia 157
Quot modis tristata sit, et tristari potuerit Christi voluntas 188

R

Rarefactionis et condensationis vera explicatio 900
Rarefacti pars quaelibet undenam habet quod sit rarior 901
Ratio terminandi dependentiam naturae assumptae est entitas personalis Verbi divini 39
Ratio terminans dependentiam hanc naturae assumptae est quid incommunicabile 40
Ratio iudicans de actibus virtutum politicarum est portio inferior . . . 193
Redemptoris munus in praesenti ordine divinae providentiae est proprium Christo; nam absolute potuisset aliter fieri. 470
Redemptore magis quam quivis alius indiguit Beatissima virgo. . . . 297
Redemptor pro tollendo peccato originali principalius advenit . . . . ib.

pag.
Redimi hominem alia via ab illa, qua de facto redemptus est fuit simpliciter possibile. 434
Redimendi hominem convenientior modus non erat illo, quo Deus uti voluit 26
Regula de denominativis, quando possint praedicari, de toto, aut secus . 216
Regula de identitate prioris respectu posteriorum 69
Relatio illa est eadem fundamento, sine qua existere ipsum fundamentum non potest 871
Ratio praedestinationis quaenam, et Christo competere dupliciter . . . 271
Relatio potest super relationem fundari, et quare non esset processus in infinitum 599
Relatio rationis nova esse potest citra omnem novitatem absoluti . . . 587
Relatio super substantiam fundata cur dicatur accidentalis 379
Relationem filiationis in Christo ad Matrem eius non esse fundamento identificatam; et quare? . . . . . ib.
Relatio filiationis nequit esse consubstantialis naturae 380
Relatio in ordine ad fundamentum multipliciter se habet, et ad aliquas relationes dari potest motus seu mutatio 19
Relativum non ideo esse nequit sine termino quia accidens 832
Religionem ingredi sine Matrimonii consumatione tenetur qui post inita Sponsalia cum iuramento Castitatem vovet. 331
Reperiuntur in Christo duo *esse* actualis existentiae ac proinde natura humana illius non extitit existentia Verbi 225
Repugnantiam nullam esse ex parte Personae Divinae ad terminandam dependentiam naturae creatae declaratur. 7
Respectum esse sine subiecto repugnat. Accidentia tamen absoluta divinitus sine subiecto possunt existere 870
Resurrectionis tam suae quam aliorum Christus extitit causa meritoria . 512

S

Sacerdotium Christi quare dicatur a Propheta secundum ordinem Melchisedech 263
Sacerdos in aeternum Christus qua ratione sit atque dicatur 262
Sacerdotii Christi effectum ad ipsum pertinere minime potuisse. . . . 260
Sacerdotem esse convenit Christo; minime nasci debuisse de Tribu Levi, sed de Tribu Iuda. 256
Sacerdotii Christi effectus in quo potissimum vim et efficaciam praeseferat 261
Sacerdos et Legislator unus idemque est in nova Lege, non item in veteri 256
Sacerdotem non posse unico Sacrificio duabus obligationibus satisfacere . 952
Sacerdos errans circa Eucharistiae articulum Sacramentum perficeret . . 1002
Sacerdotes celebrantes iure divino et ecclesiastico teneri ad sumptionem Corporis et Sanguinis Domini 995
Sacerdos in Ecclesiae persona offert; consecrat tamen in persona Christi 1003
Sacerdos praebens Eucharistiam occulto peccatori non peccat 966
Sacerdoti non licere omnino a celebrando abstinere et qua de lege teneatur 1010
Sacramentorum dispositio, et quinam ordo sit statuendus. 640
Sacramentum proprie acceptum tripliciter dividi potest. 591
Sacramenta non habere aliquam propriam actionem aut causalitatem respectu gratiae neque respectu dispositionis praeviae ad ipsam . . . 577
Sacramentorum validitas ea determinata verba requirit, quibus eorumdem forma conflatur 561
Sacramenta in rebus sensibilibus institui congruum apprime fuisse; et oportere hominem aliqualiter esse dispositum ut sibi salutaria sint . . . 557

pag.
Sacramenti notio communis quaenam sit et qualiter valeat definiri. 550 seqq.
Sacramenta esse efficacia quid sit, et quomodo suam efficaciam habeant a Deo, et a Christo 589
Sacramenti perfectio et veritas haberi potest etiam stante malitia pravaque intentione Ministri 636
Sacramenti propria et impropria acceptio sub propria tamen acceptione essentialiter differt a reliquis rei sacrae signis quatenus ordinata sunt ad cultum divinum. 591
Sacramentum non conficitur nisi prolata prorsus forma ipsius 578
Sacramenta quaedam post lapsum pro quocumque tempore fuerunt necessaria veluti medicina contra morbum. 572
Sacramenta quo pacto sint causa gratiae, et quaenam sit ad gratiam dispositio. 579
Sacramenta non sunt causa per accidens gratiae, sed non propterea attingere oportet vel gratiam, vel dispositionem ad ipsam physice . . . 578
Sacramentum esse in genere signi, illudque signum conflari posse ex pluribus sensibilibus etiam diversorum generum . . . . . 550 seqq.
Sacramentorum forma quotuplici subesse possit variationi, et quaenam variatio stet vel non cum eorumdem validitate . . . . . 563 seqq.
Sacramentalia significant gratiam praecise in determinatis rebus, in quibus instituta fuere 559
Sacramentum non est signum utcumque rei sacrae sed signum efficaciter significans gratiam Dei dari recte utentibus iisdem signis 554
Sacramentum quomodo dicat respectum rationis 551
Sacramenta de manibus Sacerdotum improborum quando sumere vel non sumere liceat 1008
Sacramenta per malos ministros non pollui quin eumdem causent effectum qua Sacramenta sunt 1001
Sacrificii Missae valorem quando sit in potestate Sacerdotis pro libito applicare 951
Sacrificia veteris legis praefigurabant Christi Sacrificium in Cruce peragendum 467
Sanguis menstruus quomodo se habeat respectu generationis 339
Sanguinem menstrui corrumpi in instanti generationis per virtutem inexistentem Matri 349
Sanctificatam fuisse B. Virginem ante nativitatem ex utero, declaratur. . 294
Sanguis caeterique humores spectantes ad veritatem humanae naturae aderant in Corpore Christi resurgentis omnes tamen eius Corporis quae fuerant partes oportuit reparari ea quae de B. Virgine fuit accepta, numquam est amissa 515
Sapientiam et charitatem omnino eumdem habitum importare 99
Sapientia atque aetate coram Deo et hominibus secundum rei veritatem, non vero secundum apparentiam, Christum profecisse 129
Satisfecisse Christum pro omnibus mundi sceleribus etiam pro peccatis occidentium ipsum 465
Satisfactio non postulat exhiberi ab eo pro quo alius satisfacit . . . . ib.
Satisfactio alia quae est pars poenitentiae, alia ea quam exhibuit Christus pro mundi peccatis. 465
Sciebat Christi anima omnia quae Verbum novit denominative tantum. 126
Scientiam Christi infusam esse habitualem uti extitit scientia Angelorum. 152
Scientia actualis abstractiva Christi ratione intellectus imperfectior notitia actuali Angelorum et qualiter aequare queat scientiam Angelorum . . 150
Scientiam Christo Domino infusam vere extitisse collativam et discursivam 148
Scientiam Christi habitualem esse omnium creaturam perfectissimam . . 150

pag.
Scientiam pleniorem prae Angelis unde habuerit Christi intellectus . . 182
Scientiam Christo infusam conflatam esse pluribus habitibus scientialibus. 155
Scientiae Christi nihil addi potuisse quam cognitionem abstractivam . . 132
Scientia divina non est praeditus Christus Dominus qua homo. . . . 128
Scientia Beatorum Christi animam esse praeditam dubitari non potest. 127
Scientia infusa Christi animae notae fuere omnium rerum quidditates habitualiter 144
Scientia acquisita Christum Dominum omnino profecisse 133
Scientiae plenam affatim fuisse animam Christi per species ei ab initio inditas 129
Scientiam Christi beatam esse scientia beata caeterorum eminentiorem. 128
Scientiis aliis praeter scientiam divinam Animam Christi fuisse praeditam 126
Scientia est ultima perfectio potentiae intellectivae qua perfectione Christi anima caruisset, nisi scientias alias divina habuisset. 127
Scientiam intuitivam, non vero ab abstractivam Christus acquisivit . . 130
Scriptura num loquatur proprie vel per figuram unde colligendum . . . 787
Sensationem nullam inesse *primo* Christo ut in Sacramento existenti, ipsum concomitantur illae omnes operationes quae sibi primo insunt in caelo. 863
Sermo de habitibus scientialibus Animae Christi quae tamen expers fuit speciei Divinae Essentiae. 154
Secundum quod proprie est nota reduplicationis; et tunc effici propositionem falsam alio modo est vera. 223-273
Servitutis et dominii nomina proprie dicuntur de supposito, non de natura. 249
Sermo de effectu Sacerdotii Christi, qui est peccatorum expiatio. . . . 259
Secundum quod in hac propositione *Christus secundum quod homo est praedestinatus esse filius Dei*, dupliciter accipi potest; altera acceptio est vera, reliqua falsa 273
Sermo de controversia B. Cypriani cum Stephano Papa de validitate Baptismi per Haereticum collati. 636
Sedere Christum ad dexteram Patris quid sit, et an sic sedeat vel ut Deus, vel ut Homo 538
Sensationes consequentes Christum in sua existentia naturali, ipsum concomitantur ut in Eucharistia. 864
Semel et iterum totus Christus est sub speciebus Sacramentalibus, sed diversimode 841
Sicuti Deus dicitur mortuus esto mors revera illi intrinsece repugnet; ita nec ipse Deus peccaret, si talis in hypothesi non impossibili nuncuparetur ex idiomatum communicatione 179
Sibi ipsi subiectum esse Christum quoad humanam naturam. 250
Simultas moralis non mathematica est necessaria in Sacramentis . . . 561
Signum practicum significare, et esse certum signum, non est idem . . 559
Sine subiecti additione nequit haberi conceptus quietativus de accidente. 877
Signatum primum specierum panis in Eucharistia est Corpus, vini vero Sanguis Christi 839
Sincathegorema *quia* non semper est nota causae, sed interdum concomitantiae 877
Si Christus per scientiam infusam omnia penitus attigisset scibilia, non apparet qua ratione in scientia profecerit, sicut narrat Evangelium. . 133
Sol non est pater Vermis vel Plantae, esto ad ea producenda effective concurrat 347
Species Divinae Essentiae quare data sit Angelis, dum erant in via non vero Animae Christi 154
Species quae sunt qualitates in Eucharistia corrumpi possunt ab agente naturali citra novum miraculum 892

pag.

Species consecratae convertere non posse liquorem appositum in Sacramentum Sanguinis Christi 911
Species intelligibiles non influunt ad cognoscenda obiecta intuitive quoad contingentia praedicata 131
Species intelligibilis infusa repraesentat obiectum ut abstrahit ab actuali existentia . . . . . ib.
Spiritum Sanctum dici non posse Christi Patrem, quamquam Christus de Spiritu Sancto conceptus sit. 346
Spiritus Sanctus Ecclesiae assistens non sinit eam errare in iis, quae sunt fidei et morum 810
Spiritualiter regeneratis congruit alimentum spirituale, quale est Eucharistia. Congruentia de eius ministro 757
Spiritus Sancto convenienter Incarnationem appropriari esto a tota Trinitate sit operata 343
Sponsalia cum iuramento contrahens, et inde vovens castitatem tenetur servare iuramentum, et sine matrimonii consumatione ingredi Religionem. 331
Subiectum non sibi determinans aliquem gradum formae, valet eam recipere secundum omnem gradum. 103
Subiectum cur ponatur ut additum in definitione accidentis, non vero Deus in definitione creaturae 871
Subiectum includens plures conceptus oportet rationem ipsius esse in se veram antequam aliquid de illo verificetur 496
Subiectum cadit in definitione accidentis ut additum, et ideo separabile a definito. 832
Substantia infima perfectior est omni genere qualitatis etiam supernaturalis. 105
Substantia omnis materialis necessario sibi determinat aliquam qualitatem, sine qua nequit subsistere 891
Substantiam panis et vini superesse in Mysterio Altaris peracta consecratione error est, quem detestatur Ecclesia Catholica 833
Successio non fuit necessaria in conceptione Corporis Christi sicuti in aliis foeminis via naturali concipientibus 353
Superioris portionis duplex acceptio, et quot modis intelligitur voluntas affici tristitia, et tristari 190
Suppositum est simile producenti per naturam acceptam ab illo . . . 369
Suppositum genitum dicitur filius per filiationem naturae inhaerentem. 375
Suppositum generatur denominative, et natura existens est passive generationis subiectum 369

T

Talis est actus externus, qualis ab interno reputatur secundum rectum dictamen 279
Temporale idem quomodo possit esse et non esse in diversis temporibus. 799
Terminorum istorum: *Species, simul totum et Materia,* multiplex acceptio apud Philosophum 493
Terminus annihilationis non est privatio, sed negatio extra genus, pariter quod creatur sit oportet a termino a quo ut a negatione extra genus 816
Timorem in Christo non pertinuisse ad partem intellectivam et rationalem 236
Timor naturalis non est verus timor ex Damasceno, explicatio, sed Christus actu elicito partis sensitivae timebat 195

pag.
Tota Trinitas homines in filios adoptat per gratiae infusionem 266
Totum Corpus sub speciebus panis et vini reperiri, et quomodo . . . 841
Transsubstantiatio utpote solius virtutis infinitae a soli Deo possibilis, ipsaque non est *mutatio* 823
Transitus a contradictorio in contradictorium quoad reale praedicatum non fit sine reali mutatione 806
Transsubstantiationis nomine quid intelligendum veniat, et qualiter ab generatione, et alteratione distinguatur 822
Trinitatem utique operatam esse Incarnationem, sed convenienter Spiritui Sancto appropriari 343
Trinitas ita est nota homini assumpto, ut pariter nulli alteri nota esse queat 135
Tristatur quoque voluntas de nolitione conditionata, cum ponitur in effectu nolita conditio 188
Tristabatur Christi voluntas secundum portionem superiorem per nolle conditionatum 190
Tristata non est Christi voluntas de nolle absoluto Passionis, quia eiusmodi actu nolendi erat incapax 191
Tristatur voluntas dum sensitivo appetitui male habenti compatitur . . 188
Tristitia et moeror in anima Christi non excludebant gaudium de fruitione Divinae Essentiae, et quare 367
Tristitia ut sequitur ad actum nolendi absolutum et conditionatum, quomodo sit in utraque portione 191
Tristitia non est voluntatis operatio, sed passio ab obiecto disconveniente, quatenus nolitum, illata 187
Tristitia in voluntate citra nolitionem duplex esse potest; altera quae oritur ex naturali obiecti disconvenientia, altera ob coniunctionem eius cum appetitu sensitivo. 190

V

Valor sive virtus Sacrificii Missae quinam. 947
Variatio secundum quantitatem in forma Sacramentorum quot modis possit contingere; et quaenam Sacramentum vitiet vel non vitiet . . 565
Variatio in forma Sacramentorum secundum *qualitatem et ubi* quando stet cum eiusdem validitate, vel efficiat nullum 567
Veniale peccatum qua ratione Eucharistiae Sacramento opponatur . . . 956
Verbi incarnati unionem esse factam in eiusdem verbi supposito vel hypostasi 41
Verbi Divini ad naturam creatam est proportio activi ad passivum . . 5
Verbum cur dicatur volens, non item Pater, vel Spiritus Sanctus . . . 228
Verbum haud habere specialem influxum super actum voluntatis humanae in Christo. . . . . ib.
Verbum in triduo mortis Christi dicebatur habens animam et corpus sibi unita 489
Verbum seu copula consignificat instans vel tempus iuxta modum unionis extremorum 929
Verbum assumpsisse *humanam naturam,* quomodo sit intelligendum. . 207
Verbum cognoscere infinita cognoscibilia dupliciter intelligi potest . . . 139
Verbum alia atque alia ratione est speculum repraesentativum Animae Christi, ac caeteris Beatis. 138
Verbum assumpsit hominem de rigore sermonis non est vera, et quomodo de ipsa intelligi debeat Augustinus 79

pag.

Verbum non solum carnem assumpsisse sed etiam animatam, seu assumpsisse humanam naturam in athomo. 88
Verbum partes principales hominis assumptas numquam dimisit; secus est de aliis minus principalibus. 82
Verbum assumpsit corpus terrenum, carnem scilicet et sanguinem et animam rationalem debuit quoque assumpsisse 83
Verbum non influit in operationes humanae naturae magis, quam aliae Personae 28
Verbum supplere potest animae effectum respectu corporis non formaliter, sed effective 46
Verbum assumpsit omne quod spectat ad veritatem humanae naturae. . 15
Verbum assumpsit verum corpus humanum 82
Verbum Divinum nec esse nec fieri posse, ut sit subiectum unionis naturae creatae ad ipsum 9
Vere Viatorem et compraehensorem Christum fuisse declaratur. . . . 199
Viatorem simul et compraehensorem eamdem personam esse, nulla apparet repugnantia, quia respectu diversorum obiectorum 200
Viator habens gratiam quamcumque cur possit peccare 945
Viatorum omnes conditiones Christo omnino non defuisse 200
Vino est aqua permiscenda in Eucharistia Sacramento. 780
Vinum de vite dumtaxat esse propriam Sacramenti Eucharistiae sub altera specie materiam 778
Virtus in Sacramenti non est forma aliqua absoluta sed relatio conformitatis signi ad signatum 587
Violentum naturali ac voluntario opponitur, et quomodo Christi passio animae ipsius fuerit violenta. 452
Vino consecrato posse alius liquor commisceri, et qua ratione id fieri intelligatur 909
Vini substantiae proprietates per miraculum vini speciebus inexistere. . 911
Vires vegetativae sunt omnino irrationales non parentes rationi in actibus suis. 452
Virtutes omnes morales in Christo extitisse, ex perfectione actuum moralium 95
Visibile sacrificium, sacrificii invisibilis est signum 996
Unamquamque divinarum Personarum potuisse, et posse assumere aliam naturam in unitatem suppositalem. 66
Unamquamque virtutem apprehensivam sequitur proprius appetitus. . . 229
Una eademque adoratione adoratur divinitas, et humanitas Christi. . . 279
Una divina Persona citra omnem repugnantiam assumere potest naturam creatam aliis non assumentibus. 64
Unitas totius ad seipsum est vera identitas 789
Undenam sciatur acetum esse alterius speciei a vino de vitis botris expresso 779
Unitas specifica actus ex unitate specifica obiecti potest utique concludi . 142
Unio hypostatica haud esse potest ipsa assumptio, et unio ad actionem assumptionis sequitur 51
Unio hypostatica est *unio substantialis,* et nulli alteri unioni similis . . 47
Unio inter Personam divinam et naturam creatam sit oportet relatio disquiparantiae 2
Unionis istius possibilitas declarari nequit nisi praesupposita revelatione. ib.
Unio illa, qua natura creata unitur Personae divinae haud esse potest quid rationis . . . . . ib.
Undenam in Christo Domino oriretur necessitas subeundi mortem. . . 171
Unio ipsa est terminus actionis, qua facta est unio naturae ad verbum. 51
Volitio, aut nolitio conditionata satis sunt ad hoc, ut peccetur mortaliter. 188
Voluntas sensitivi appetitus qualiter non erat voluntati rationali contraria. 236

pag.

Voluntas per participationem libera ex se non erat conformis voluntati divinae 234
Voluntas Christi quoad portionem inferiorem nequiit absolute ab divina voluntate discordare sed tantum *conditionate* . . . . . ib.
Voluntas Christi quoad portionem superiorem plenissime erat concors divino beneplacito. 233
Voluntatis *naturalis* multiplex acceptio 231
Voluntatem sensualitatis seu appetitum sensitivum extitisse in Christo, perinde ac in caeteris hominibus 229
Voluntas sensualitatis qua ratione libera sit per participationem. . . . 230
Voluntatum contrarietas in Christo excluditur ex contrariorum conditionibus 235
Voluntas est potentia libera per actionem, non per passionem, seu prout in ipsa aliquid recipiuntur 231
Voluntas rationalis sive liber appetitus non tantum extitit sed est in Christo nam voluntas naturalis non est nisi inclinatio eius ad propriam perfectionem, nec proprie est dicenda voluntas, quae essentialiter libera est . . . . . 230 seqq.
Voluntates duae sunt in Christo, sed non propterea duo volentes dicendi sunt. 226
Voluntas offerens Deo Sacrificium Missae est voluntas Ecclesiae; militantis habentis meritum finiti valoris 944
Voluntas seu active concurrat ad fruitionem, seu passive se habeat ad illam, semper gratia indiget habituali. 94
Voluntas Christi creata respectu miraculorum fiendorum foret causa moralis et meritoria 167
Voluntas Christi per inferiorem portionem praecise habuit *nolle* conditionatum 194
Voluntatum contrarietatem in Christo locum habere non potuisse . . . 235

DESCLÉE & C.
EDITORI PONTIFICI
PIAZZA GRAZIOLI N. 4
ROMA (117)

GTU Library
3 2400 00284 3682

BX 1749 T6 D8 v.5
1416
Summa theologica / T. Aquinas

BX 1749 T6 D8 v.5
1416
Summa theologica / T. Aquinas

Graduate Theological Union Library
2400 Ridge Road
Berkley, CA 94709